




Ex libris [illegible]
nis [illegible]
[illegible]





Septem sigillis. Apoc. 5.



Hoc est corpus meum. Matt. 26.



Septem candelabra. Apoc.

LVCERNAE CATHOLICAE.

Seu

TRACTATVS

SPECVLATIVVS ET MORALIS

DE SACRAMENTIS.

Iuxta Doctrinam V. P. F. IOANNIS D. Subt. Opera ac Studio R P F MARIANI COSTENI.

Ordinis Minorum Reg. Obser. Prouinciæ Maioris Poloniæ Patris et S. Theologiæ Lectoris Iubilati

Cum Licentia Superiorum



Baptizantes eos. Matth. 28.



Noli neglig. grat. &c. per Imposit. man. presbyt. 1. Tim. 4.



Inponebant manus &c et acapieb. Sp. Sanct. Act. 8.



Vngentes eum oleo in nom. Dom. Iac. 5.



Quorum remiseritis peccata &c. Ioan. 21.





SACRAMENTVM Hoc Magnum est. Ephe. 5.

LVCERNÆ CATHOLICÆ
Seu
TRACTATVS
SPECVLATIVVS & MORALIS.
DE SACRAMENTIS IN COMMVNI ET IN PARTICVLARI
Iuxta doctrinam Venerabilis
P. F. IOANNIS DVNS SCOTI
D. Subtilis, Ordinis Minorum, omnium Theologorum facilè Principis.

Operâ ac Studio
R. P. F. MARIANI COSTENI, Ordinis Minorum S. Francisci Regularis Obseruantiæ, Prouinciæ Maioris Poloniæ S. MARIÆ ANGELORVM Patris, & S. Theologiæ Lectoris Iubilati.

Opus Theologis, Parochis, Concionatoribus, ac Confessariis, summè vtile, ac necessarium.

Cum Licentia Superiorum.

COSTNÆ IN MAIORI POLONIA
In Officina Typographica WIGANDI FVNCCII.



Perillustri ac Reuerendissimo Domino

D. THEODORO DE SOBOWICE PAWLOWSKI.

DIVINA PROVIDENTIA CELEBERRIMI MONASTERII BLEDZOVIENSIS, SACRI ORDINIS CISTERCIENSIVM

ABBATI

Dignissimo,

Domino ac Benefactori nostro Colendissimo.

Salutem & perennem felicitatem.

PRudentissimum & grauissimum virum Catonem è veterum monumentis accepimus Perillustris ac Reuerendissime Domine tantum in hominum præposteram viuendi rationem excandescere solitum esse, vt maluerit vir integerrimus,

rigidum ac propè inhumanum se in amicum præbere, quàm amicitiæ causa, à recto iustitiæ tramite, latum vt aiunt vnguem deflectere, qui si pluris amici voluntatem, quàm suum in iudicio sensum fecisset, iustitiæ proculdubio magnum & graue dedecus, ac nocumentum se attulisse videretur. Idem profectò iis qui se ad rationes & iudicia, opinionesq; aliorum accommodare percupiunt contingere necesse est. Quis enim iustitiæ locus erit, dum timetur ne grauitas iudicii, ac pœnæ delicto debitæ cæteris displiceat? quis fortitudini, dum aliquis timet, ne abiecti ac pusilli animi esse iudicetur, si constanter & patienter iniurias toleret? quis scientiæ ac doctrinæ locus relinquetur, si tot iudices, Censores, ac reprehensores vereantur? Semper & ego fui Perillustris ac Reuerendissime Domine huius sententiæ, nõ curandam esse opinionem hominum. *Qui enim obseruat ventum non seminat, & qui considerat nubes nunquam metet*, vt sapiens sapienter testatur. Quare dum Doctorem Subtilem Joannem DVNS SCOTVM, in Quarto Sententiarum suæ Theologiæ loquentem & docentem veram sapientiam exhibeo, labore meo dilucidatum, & ad facilitatem & claritatem redactum propono, propter maiorem sicut legentium, ita & studentium vtilitatem, cogitare cæpi, cuinam pro veteri receptoq; more, has lucubrationes meas consecrarem

dica-

dicaremuè, ſub cuius fauore & patrocinio tutiùs multorum ſubirent iudicium, & nullius Ariſtarchi ſupercilium extimeſcerent, ecce mox in oculos meos incurriſti Perilluſtris ac Reuerendiſſime Domine infinitis penè nominibus inuitans, imò compellens, vt Te vnum inter omnes optarem & eligerem Patronum ac Protectorem huius operis mei, Tu inquam mihi primus incurriſti, qui vitæ probitate, morum integritate, & ſcientiarum gloria præcellis, quìue ſyncerè bonis artibus, maximè doctrinæ ſacræ faues, & viros doctos, & literatos amplexaris. Nam cui alteri faciliùs conſecrarentur, quàm illi, qui aut artibus optimè inſtructus ſit, aut literis delectetur, aut pro excellenti, & ſingulari ingenio, quod poſſidet, de aliorum etiam ingeniis verè poſſit exiſtimare? Idcirco ego Perilluſtris ac Reuerendiſſime Domine non modo omnibus his cauſis motus, ſed quod noſtræ Religioni Seraphicæ benignè ſemper facis, fauesq́;, & quòd à ſtudiis literarum non abhorreas, & quòd ad iudicandum de aliorum ſcriptis, multùm habeas ingenii, Tibi donandum librum hunc cenſui; in quo Sanctiſſimorum Sacramentorum, quæ Cæleſtis ſponſus Eccleſiæ ſuæ contulit, natura, ritus, effectus, cauſæ, explicantur: & in quo non ſolùm ſcripturæ, traditiones, Concilia Oeconomica, ſed etiam plurimi ſacri Canones afferuntur; Tuo

quippe nomini inscriptum, modô Tuo probetur ingenio, diuulgandum statuo. Nam si hæ meæ vigiliæ acerrimo tanti viri iudicio respondebunt, reliquorum omnium iudicium quod de me futurum est, non pertimescam. Porrò hi mearum vigiliarum labores aptiùs nulli dicari poterant, quàm Tibi cuius clarissimum nomē longè lateq; gloriosa fama diuulgat. Nam si nulla est nobilitas maior eâ, quæ ex virtutibus comparatur, certè omnium Tu longè es nobilissimus, quem tot donis, tot virtutibus, tot deniq́ue muneribus, tum variis, tum præclaris, adeòq; excellenter diuina munificentia illustrauit, vt si vel nullo Maiorum (quod Tibi tum est summum, tum vetustissimum) esses stemmate clarus, Tu nihilominus tantarum virtutum, excellentiarumq; eminentiâ enites, vt Iastrzembicciis Armis, multùm splendoris & excellentiæ adderes. At modò cum sis tam præclarissimis Maioribus natus, ac iis qui nulla non fuêre virtute conspicui, cùm præterea Tu quoq; ipse animi nobilitate, non modo æquare, verùm etiam eosdem vincere contendas, quanta D.O. Max: debetur laus, quantæq; pro Te agendæ sunt gratiæ, qui in Te vno tam magnifica dona sua, in multorum patrocinium ac tutelam cumulauit? Itaq; non iam recenseo Genus Tuum nobilissimum, dignitatem, & excellentiam. Nec illud commemoro, quanta Maiorum

iorum Tuorum ſemper fuerit religio, quanta pietas in DEVM, quantáue virtus; ſed hoc tantùm quod in Tuæ laudis cumulum, quia accedit tacere nequeo, qui licet nobiliſſimos, optimos, atq; omni ex parte laudatos ſortitus fueris Maiores, nulli tamen horum Te præſtas inferiorem. Etenim liberalitas, iudicium maturum, ſapientia, prudentia, in Te adeò fulgent, & reliquæ virtutes, tantò ſunt in Te ſplendidiores, quantò inter cæteros maximè omnium coruſcas atq; præſtas. Quare non eſt vt Te multis verbis orem, vt hos meos qualescunq; labores libētiſſimo animo accipias, quos ſi Tibi multis nominibus debitos non offerrem, magno me ſcelere obſtrictum exiſtimarem. Et verò quæ de Sanctiſſimorum Sacramentorum breui commemoratione enodata profero, cui niſi Eccleſiæ præſidi maximè debentur? Quæ verò è Theologorum arcanis reconditisq; literis explicantur, ad quem potiùs conferentur, quàm ad eum, qui ſacram Theologiã non attigerit modo leuiter, ſed benè penitùs combiberit? Debetur præterea Tibi hoc opus totius Seraphicæ Religionis nomine, quàm pro Tua ſingulari humanitate perpetuò ornas, foues, & tueris. Accipe igitur Perilluſtris ac Reuerendiſsime Domine has Lucernas Catholicas, ſplendidiſsimè in Eccleſia Dei coruſcantes, easque reſpicias vultu ſereno, & Tui patrocinii protegas alis, cum

cum omni submisione obsecro: & si non rem, saltem animum offerentis pensando, me in Tuorum numerum Clientum, recipere & fouere digneris. Viue perennes annos, Decus Sacri Ordinis Cisterciensis & tutela, ornamentum Religionis Catholicæ, solamen Reipub. Patronus & Benefactor nostræ Religionis. Vale. Datum in Conuentu Posnaniensi Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Regularis Obseruantiæ Ipsis Calendis Septembris. Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo Octavo.

Perillustris ac Reuerendissimæ Dominationis Vestræ

Humilis apud Deum exorator

Fr. MARIANVS COSTENVS Ordin. Minor. S. Francisci Regul. Obseru. S. T. Lector jubilatus, m. pp.

BENEVOLO LECTORI.

VEreor ne apud te BENEVOLE LECTOR audaciæ, ac temeritatis insimuler, quod post tot eruditissimos, omniq; ex parte absolutissimos, doctissimorum virorum Commentarios de Sacramentis Ecclesiæ Catholicæ, ego qui nullo ordine inter eosdem censeri promereor, eundem cursum aggredi, & in arenam prosilire ausus sim; Verùm hanc temeritatis suspicionem facile depones, istosq; ausus, æqui boniq; consules, vbi Causas diligenter scripti mei cognoueris. Prima harum est, quia multi arbitrantur Doctorem Subtilem, vix aliquid de Materiis Moralibus in suâ Theologiâ tractasse, cum tamen tanta soliditate iuncta breuitati scholasticæ tractauerit, vt non immeritò quidam ex discipulis eius dixerit. Nec puto ab vllo scholasticorum vnquàm ita exactè, eruditè, ac profundè, tractatum esse. quod an verum sit, ex hoc opere nostro quiuis facilè iudicare poterit. Deindè quia sæpius vidi, & cum dolore legi, graues etiam authores multa friuola, falsa, & absurda, Doctori Subtili attribuentes, eò quòd, vel non legêre, vel legendo opiniones, quas refutat pro suis accepêre. Præterea vt faciliùs ac citius, quasi ad manum tanti Doctoris Conclusiones haberentur, quas sine labore hic inuenient illi, quibus textum ipsum legere esset tædiosum. Deniq; cum à multis rogatus sim, vt ea, quæ intra priuatos parietes legi, in lucem pro vtilitate communi proferrem. Reluctabar equidèm frequenter, sed vehementiùs instantibus, tandem manus dedi: Credidi enim minus me culpandum, si quid quod supra vires meas esset incautè susciperem, quàm si hoc tantâ instantiâ rogantibus negarem. Habes igitur Beneuole Lector scribendi causas, si quid placuerit DEO OPTIMO MAXIMO à quo bona cuncta procedunt, tribue, si quid displicuerit humanæ imbecillitati dona, hocq; nostro labore, diu fœlix propitio Numine fruere. Vale.

Apographum licentiæ Prælati.

FRater Hieronymus à Cilento Secretarius, Diffinitor, & Pater Ordinis, atq; ad præsens totius Cismontanæ Familiæ Regularis Obseruantiæ Vicarius Generalis & Seruus. Dilecto nobis in Christo Patri Fratri Mariano Costeno, Prouinciæ nostræ Majoris Poloniæ Patri, & Sacræ Theologiæ Lectori Jubilato, Salutem in Domino &c:

Cùm sicut accepimus Tractatus seu Commentarius in Quartum librum Sententiarum, iuxta Doctoris nostri Subtilis mentem, à te collectus fuerit, ac propterea illum ad Maiorem Dei gloriam, Ordinisq; nostri Seraphici decus, imprimere cupias; harum nostrarum vigore, facultatem tibi elargimur. quatenus præuiis examine, & approbatione eiusdem operis, à Patre Fratre Hieronymo Wolstynio, eiusdem Ordinis, & Prouinciæ Lectore Jubilato faciendis, ac in reliquis Sanctionibus Apostolicis seruatis, ipsum Typis mandare possis. Vale. Datum Romæ Die 19. Junij 1648.

Frater Hieronymus à Cilento
Vicarius Generalis
m. pp.

APPROBATIO.

A. R. DOMINI ORDINARII CENSORIS, S. TH: DOCTORIS.

LVcernas Catholicas, *Seu* TRACTATVM Speculatiuum & Moralem, de Sacramentis, *à Reuerendo, & Religioso Patre, Fratre Mariano Costeno, Ordinis Minorum Regularis obseruantiæ, diligenter, & accuratè conscriptum, & ab aliis Theologis, visum, lectum, & approbatum; in quo cùm nihil fidei Catholicæ, vel bonis moribus aduersum, & dissonum inueniatur, sub prælum mitti, in communem vtilitatem legentium, censeo. Datum Posnaniæ* 19. *Iulii.* 1648.

MARTINVS MORESKI S. Theol. D. Can. Posnaniensis. m. pp.

CENSVRA.

L*Egi librum, qui inscribitur* Lucernæ Catholicæ, *seu* Tractatus Speculatiuus, & Moralis, de Sacramentis, *juxta Doctrinam Doctoris Subtilis. Ioannis Duns Scoti; à Reuerendo Patre, Fratre Mariano Costeno, Ordinis Minorum S. Francisci de Obseruantia, vtiliter ac doctè scriptum, & nunc iterato ab authore recognitum: nihilq; aduersum fidei Catholicæ, bonisuè moribus, reperi. Posnaniæ.* 17. *Iulii.* 1648.

MARTINVS OLSZEWSKI
Societatis JESV, Primarius & Ordinarius
in Collegio Posnaniensi eiusdem
Societatis Sacræ Theologiæ
Professor, m. pp.

CEN-

CENSVRA.

EGo Fr. Hieronymus Volstinius, Ordinis Minorum S. Francisci Regularis Obseruantiæ, Prouinciæ Majoris Poloniæ Pater, S. Theologiæ Lector Iubilatus, Diffinitor Actualis, de mandato Superiorum, Tractatum Speculatiuum, & moralem, cui Titulus est, Lucernæ Catholicæ, Seu de Septem Ecclesiæ Sacramentis, ab A. R. P. Fratre Mariano Costeno, ejusdem Ordinis nostri, Prouinciæ Patre, & S. Theologiæ Lectore Iubilato, conscriptũ, legi, & omni diligentia quâ potui perlustraui, nihilq; in eo contrarium fidei Catholicæ, aut bonis moribus dissonum inueni, imò doctrinam sanã, & doctrinæ Doctoris Subtilis IOANNIS DVNS SCOTI conformem, reperi. Ideò cùm in eo omnia sint vtilia, & plurimùm emolumenti legentibus allatura, vt in lucem prodeat, & typis mandetur, censeo, & judico: in quorum fidem, manu propriâ subscripsi. Datum in Conuentu Cosminensi, ipsis kalendis Iulij. Anno Salutis 1648.

Idem qui supra. m. pp.

Seu

TRACTATVS DE SEPTEM SACRAMENTIS.

PROOEMIVM.

CHristus Dominus ille Cœlestis Samaritanus est lux illuminans omnem hominem, antequam humanitatis suæ Diuinitati hypostaticè vnitæ, lucem & præsentiam visibilem subtraheret, Ecclesiam nouam extruxit & Cœlestis gratiæ perenni lumine adornauit, Septem lucernas in ea constituens, quæ sunt Septem Sacramenta, quæ lucem quaqua versum diffundunt, & lucent, omnibus qui in domo sunt, imò & illis qui extra Ecclesiam, jacentes in tenebris, & vmbra mortis, vt Ecclesiæ aggregentur. Ista enim Septem Sacramenta, sunt illæ septem lucernæ, quas vidit Zacharias Propheta capite 4. quæ sunt vasa gratiæ, non quasi in iis gratia actu, & localitèr contineatur, sicut oleum continetur in vase, sed causalitèr, quia scilicet gratiam in se, vt causæ instrumentales morales continent, & efficiunt. De his ergo lucernis breuissimè acturus in hoc Tractatu, quem diuido in octo Disputationes. In prima disputatione agam de Sacramentis in genere. In secunda de Sacramento Baptismi. In tertia de Sacramento Confirmationis. In quarta de Sacramento Pœnitentiæ. In quinta, de Augustissimo Sacramento Eucharistiæ. In sexta de Sacramento Ordinis. In septima de Sacramento Extremæ vnctionis. In octaua, de Sacramento Matrimonii. Porrò quamlibet Disputationem diuidam in certas Quæstiones, & Quæstiones in Articulos, & Quæsita, juxta necessitatem, & exigentiam, idq; succinctè, & clarè, & ad aures venerabilis P. F. Joannis Duns Scoti D. Subtilis, omnia accommodando.

DISPVTATIO I.

De Sacramentis in genere.

Septem lucernæ quas vidit Zacharias Propheta in Candelabro Tabernaculi effulgentes, oleo abundanter fluente, nunquam deficientes, nunquam lumine carentes, septem nouæ legis Sacramentum designant, quæ hæretici execrantur, & abominantur, nec mirum, quia sicut lucem & lucernas odio prosequũtur vespertiliones, ita hæretici omnes, Septem Sacramenta à Christo Domino instituta, illaq; penitus extinguere & abolere conantur, sed frustra vt infra patebit. Præsentem verò Disputationem diuidemus in 6. Quæstiones. In prima inquiremus de essentia & quidditate Sacramentorum. In 2. de Institutione & necessitate Sacramentorum. In 3. de efficacia Sacramentorum. In 4. de Causalitate Sacramentorum. In 5. de Ministris Sacramentorum. In 6. de suscipientibus Sacramenta.

QVÆSTIO I.

De essentia, Definitione, & quidditate Sacramentorum.

Præsens Quæstio diuiditur in tres Articulos.

In 1. quæretur de essentia, & quidditate Sacramentorum.
In 2. An Sacramentum sit definibile, & quæ ejus definitio.
In 3. An res & verba, quæ sunt materia & forma Sacramentorum sint partes componentes, & constituentes Sacramentum.

ARTICVLVS. I.

De essentia, & quidditate Sacramentorum.

Varia acceptio Sacramenti.

Nota 1. Sacramentum sumitur pro sacro secreto, & Religionis arcano juxta illud Sap. 2 *Nescierunt Sacramenta* Dei. 2. Sumitur pro *iuramento*, vt sumit S. Hieron. *in Epistola ad Heliodorum*. 3. Sumitur *pro figuris, & signis rerum Sacrarum*; & sic lignum vitæ. S. Au-

gust.

gust. appellat Sacramentum. Theologi strictiùs Sacramentum accipiunt, pró signo sensibili rei sacræ.

NOTA 2. Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & intentione conferentis, vt intendat id facere, quod facit Ecclesia, & intentione suscipientis; quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum. Ita Concil. *Trident. Sess. 7. Can. 11.* In Sacramento tamen Matrimonij, quandoq; literæ, vel nutus, sufficiunt loco verborum, vt infra patebit. *Sacramenta trib9 perficiuntur.*

Dico 1. Sacramentum essentialiter est signum sensibile rei Sacræ. Patet 1. ex cap. 17. Geneseos, Circumcisio dicitur signum fæderis inter DEVM, & homines Et ad Rom. 4. *Signaculum iustitiæ*: & ad Ephes. 5. vocat Apostolus Matrimonium Signum conjunctionis Christi cum Ecclesia. Patet 2. Ex Concilio Trident. Sess. 13. c. 3. vbi dicitur; *commune esse omnibus Sacramentis, quòd sint Symbola rei sacræ.* Patet 3. ex SS. Patribus. S. Dyonis. c. 1. *de Cælesti Hierarch. vocat Sacramenta Symbola, & sacra velamina.* S. Aug. *Signacula*, l. 19. contra Faustum. S. Bernard. de cæna Domini, *Signa Sacra*: & alij communiter tam Græci, quàm Latini Patres. Probatur deniq; ratione, quia ad Diuinam prouidentiam pertinebat, vt Sacramenta institueret sub signis sensibilibus, naturale enim est homini teste S. Paulo, per visibilia & corporalia, ascendere ad inuisibilia, & spiritualia. Ergo decuit institui Sacramenta tanquam signa ducentia nos in cognitionem Diuinæ gratiæ, vt per eorum protestationem, secernerentur fideles ab infidelibus. Quod ita factum esse ex eo constat, quòd Christus Dominus secundùm diuersitatem effectuum, ad quos ordinauit Sacramenta, diuersas præfixit materias Sacramentorum, prædictis effectibus proportionatas: sicut effectus Baptismi, est abluere à macula peccati originalis, instituit illum sub aqua: & quia effectus Eucharistiæ, est cibare animam, & nutrire vitam spiritualem, instituit illam sub speciebus panis. Ergo Sacramenta sunt signa istorum effectuum, aliâs impertinens esset illa proportio cum effectu. *Sacramentùm est signum sensibile.*

DICO 2. Licet de ratione Sacramenti in communi non sit, vt sit Signum sensibile: tamen Sacramenta vt sunt de facto instituta in Ecclesia, sunt essentialiter Sensibilia. Prima pars patet, quia DEVS potuisset instituere vera Sacramenta inter Angelos, dum fuerunt in via, *Sunt signa sensibilia.*

vel ad augmentum gratiæ, vel ad reparationem post lapsum: Atqui hæc *Sacramenta*, conformius rationi erat, vt essent merè *Spiritualia*, cum Angeli sint merè *Spirituales*.

2. Pars probatur 1. Quia in Conciliis dicitur, *Sacramenta* constare rebus & verbis. Sed hæc sunt sensibilia essentialiter. Ergo de ratione *Sacramenti* est vt sit signum sensibile. Confirmatur quia *Sacramentum* Baptismi, est ablutio attingens corpus, & sanctificans animam. Ergo de essentia *Sacramentorum* est vt sint signa sensibilia.

Dices Character Baptismi, Confirmationis, & ordinis res spiritualis & tamen de facto est *Sacramentum*. Respondeo cum dicimus *Sacramentum* esse signum sensibile; intelligitur de eo quod est *Sacramentum* tãtum, non de eo quod est res, & *Sacramẽtum* simul, & est id quod significatur, & significat, atq; ita non est inconueniens, vt id quod significatur, sit insensibile, & id quod significat sit sensibile.

Collige Quòd de facto nullum est signum per se in ordine ad nos, quod non sit signum sensibile, de potentia tamen DEI absoluta, rectè nobis posset innotescere immediatè aliquid spirituale, significans gratiam, & hoc esse verum signum. Ex quo apertè constat non esse de ratione signi, vt sic sensibile, sed vt plurimum de ratione signi accommodati naturali modo cognitionis humanæ.

ARTICVLVS II.

An Sacramentum sit definibile, & quænam sit eius definitio?

1. Opinio asserit *Sacramentum* non esse definibile, est Richardi *in 4. d. 1. a. 1. q. 10.* Mayronij *quæst. 1.* Occham. Probant 1. ex Aristotele, qui *7. Metaph. t. 2. & 3. dicit*, Quod non est per se vnum, sed aggregatum per accidens, definiri non potest. Sed *Sacramentum* est hujus modi; quia constat rebus, & verbis, ex quibus vnum per se coalescere non potest, Ergo.

2. Sacramentum est potiùs in genere causæ, quàm in genere signi. Ergo malè additur in definitione ejus signum. Antecedens patet, quia *Sacramentum* videtur dici à sacrando, quod magis videtur in-

dicare

dicare causam. Confirmatur quia Sacramentum videtur aliquid occultum significare. Ergo non habet rationem signi.

NOTA 1. Ex D. S. *in 4: d. 1. q. 2. §. Hic primò videndum est*, ad definitionem veram & propriè dictam, quinq; conditiones requiri. Prima est, vt illud tale quod definiendum est, sit Ens, nam non Entis non est propriè definitio, siue non Ens accipiatur pro impossibili, quod includit contradictionem: siue pro pura negatione, vel priuatione, quia non Ens non habet quid est. 2. Conditio vt illud cujus natura & essentia propria, per definitionem propriam explicanda est, sit Ens per se vnum, siue sit Ens simplex, siue compositum, ex actu & potentia: vnde definitio quid rei, non est Entis per accidens, vt hominis albi, nec alterius quod non sit per se vnum, sed per accidens: aduertit tamen D. Subtilis, quòd hæc vnitas requisita ad rationem veram, & propriam definiti, non impediat, quin definitum includere possit aliquid tanquam terminum per se dependentiæ, vt accidens includit Subjectum; vel sicut aliquid quod simul est secum natura, vt relatiuum includit correlatiuum, sed tantùm prohibeat, & impediat, quòd nihil includatur tanquam pars in ipso, quod non se habeat ad aliud in eodem, sicut per se actus ad per se potentiam, vel pars ejusdem actus, vel ejusdem potentiæ ad aliam partem. 3. Conditio est vt definibile sit Ens reale, & sic Entia rationis non definiuntur propriè, quia sunt Entia diminuta, quorum propriè non est quid: per Ens rationis intellige Ens in anima tanquam secundò consideratum, non tanquam primò, quale est Ens relatio rationis, quia nihil habet præcisè esse in considerato, vt considerato, nisi comparationem quâ consideratum comparatur ad aliud, per actum considerantis: Ens ergo diminutum vt hic accipitur, vniuersaliter est Ens rationis, commune ad relationem rationis, ad Ens quod est objectiuè ab intellectu, & quod est subjectiuè in intellectu, de quibus tamen D. Subt. negat verificari hanc conditionem, tam enim Entis existentis objectiuè in intellectu, cujusmodi sunt vniuersalia, quàm subjectuè, cujusmodi sunt intellectiones &c. definitionem dari asserit. Quarta conditio, vt illud quod est definiendum, habeat conceptum non simpliciter simplicem, quia definitio juxta Philosoph. 8. *Metaph. c. 3. est oratio exprimens quid, & quale rei definitæ*; Sequitur ergo quod de definito possint plures conceptus formari. Quinta conditio est Entis definibilis,

Conditiones Definitionis

1. Conditio.

2. Conditio.

3. Conditio.

4. Conditio.

5. Conditio.

finibilis, vt sit vniuersalis, quia rei singularis nequit esse definitio, & si daretur, necessariò aliquid, quod ad rationem quidditatis non pertineret, explicaret, diceret enim differentiam ejus indiuidualem, quæ est extra quidditatem.

Sacramentum dupliciter sumitur. Nota 2. Sacramenta dupliciter sumuntur. 1. Pro per se significato, seu formaliter, & sic est ipsa relatio signi, quâ formaliter est Sacramentum, sicut forma albi formaliter sumpti est albedo. 2. Materialiter sumitur, & est totum fundamentum istius relationis, vt sunt res, & verba, hæc tamen sensibilia quæ ad definitionem Sacramentorum concurrunt, non pertinent ad ipsam, tanquam quid de essentia definiti, sed tanquam additamenta, sicut ad definitionem accidentis pertinet subjectum. Et sicut si idem accidens in pluribus esset subjectis, vnitatem ejus illa plura Subjecta non impedirent: ita nec plura sensibilia ad definitionem Sacramenti, tanquam additamenta spectantia, ejus vnitatem per se non destruunt; quocirca etsi in ipsis Sensibilibus vnitas non reperiatur, inuenitur tamen in Sacramento.

Sacramentum potest definiri. Dico 1. Sacramentum potest definiri vera definitione, si definibile consideretur, quòd sit Ens; & quòd sit Ens per se vnum. 1. pars patet, quia licet propriè habere esse solùm competat Enti reali, tamen & secundis intentionibus, eo modo, quo habere possunt esse, definitio competit: & sic Sacramento pro formali sumpto, competit definitio, vt est relatio signi ad signatum, scilicet ad gratiam, vel effectum gratuitum, & hoc in concreto sumpto, denominatiuè verò competit suo materiali significato, vt ablutioni, & speciebus Eucharistiæ. 2. pars probatur, quia nihil habet in se Sacramentum, quod vnitatem per se, ad definibilem rationem spectatam, impediat, formaliter enim sumptũ est per se vnum; nam sensibilia quæ ad ejus definitionem ingrediuntur, non pertinent ad ipsam, tanquam quid de essentia definiti, sed tanquam additamenta, sicut ad definitionem accidentis pertinet subjectum; quocirca etsi in ipsis Sensibilibus vnitas non reperiatur, inuenitur tamen in Sacramento ea, quæ vt sit definibile est necessaria.

Non est singulare sed vniuersale. Dico 2. Si consideretur quarta & quinta conditio rei definibilis, Sacramentum est definibile. Probatur, quia non habet conceptum simpliciter simplicem, sed simplicem, in plures conceptus resolubilem, siquidem constat ex genere & differentia. Non est præterea quid singulare

gulare, cujus non est definitio, sed vniuersale, plures sub se continens species.

DICO 3. Sacramentum, vt est quid commune ad nouæ, & veteris legis Sacramenta rectè definitur à S. Aug. 10. *de Ciuitate cap.* 5. *Sacramentum est signum rei sacræ.* Probatur quia hæc definitio omnium temporum, & generum Sacramentis potest competere, fuerunt enim omnia rerum sacrarum signa: Ita panis & vinum Melchisedech, ita Agnus paschalis, ita circumcisio. Cum autem dicitur Sacramentum esse signum rei. Sciendum est quòd res sint duplices; quædam quæ factæ sunt, vt tantum sint absolutæ, quædam non tantum vt sint, sed etiam vt significent aliud: ista ergo res quæ significat aliud; aut significat ex natura, vt fumus ignem, vestigium animal; aut significat ex instituto humano, vt hædera appensa, significat vinum vendibile; & talia sunt Sacramenta, sed ex instituto Diuino, inter quæ talia signa, quædam erant, quæ tantum significabant, & admonebant ex Dei præscripto, vt Agnus paschalis, panis azymus &c. Alia verò quæ ex eodem instituto, non modo significant, sed efficiunt, & repræsentant id, quod significant, & talia signa sunt Sacramenta omnia nouæ legis. Porrò in quouis vero signo sacro duo considerari, & attendi possunt: alterum est res ipsa significans, alterum verò ipsa significatio, seu habitudo ad rem significatam, & ex vtroq; capite dicitur signum esse Sacrum; ex parte quidem rei significantis, quia ipse est Sacra, pertinensque ad diuinum cultum, & sanctitatem animæ; ex parte verò significationis, quia ipsa sacra est, quæ de re sacra, & ad rem sacram terminatur: quo pacto maris rubri transitus, licet non esset secundùm se res sacra, sacer dici poterat, ratione rei significatæ. Sacramentum verò prout de eo nunc agimus, debet esse ex vtroq; principio sacrum; primò quidem ex parte rei significantis, quia debet esse aliqua cæremonia ad Diuinum cultum, & animæ sanctitatem ordinata, & constituta: hoc inductione deducitur, tam in Sacramentis veteris, quam nouæ legis.

Definitio Sacramenti competens. omnib9 Sacramentis

In signo sunt duo

DICO 4. Diffinitio *Sacramenti*, quam *D. S.* tradit in 4. d. 1. q. 2. est talis. *Sacramentum est signum sensibile, gratiam Dei, vel effectum Dei gratuitum, ex institutione diuina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris.* Hæc definitio à D. Subtili tradita est bona, & essen-

Diffinitio Sacramenti

& essentialis, exprimens partes essentiæ, quia constat vero genere, & differentia: nam ly *signum* est genus, alij autem termini secundæ intentionis, obtinent rationem differentiæ, signum contrahentis, & *Sa*cramentum in esse Sacramenti constituentis. Porro *sensibile* est subjectum, seu fundamentum relationis signi ad signatum, *gratia autem & effectus gratuitus*, tanquam terminus, prout eidem definitioni cohærescunt. Ex quo sequitur quòd definitum formale, & totale vt. quod, est ipsa secunda intentio, seu significatio gratiæ, quatenus à Sacramento fundamentali præscindit: Differentia autem constitutiua Sacramenti, est habitudo ad rem Sacram, nempe ad gratiam sanctificantem; differentia enim cujusuis speciei est illa, quæ genus contrahit, & ipsam speciem constituit; Sed differentia contrahens signum ad esse veri, & vniuoci Sacramenti, est habitudo ad rem Sacram, scilicet ad gratiam iustificantem. Ergo differentia constitutrix Sacramenti, est talis habitudo. Dicitur in definitione, (*Ex institutione Diuina efficaciter significans.*) per has particulas, distinguitur Sacramentum à naturali signo, quod naturaliter, & non ad placitum significat. Præterea hoc signum debet esse efficax, id est certum, & demonstratiuum effectus, qui fit, sitq; priùs naturaliter suo signato, regulariterq; habeat illud, nisi indispositio ejus cui adhibetur impediat. Cùm verò signum diuidatur, in rememoratiuum, quod respicit præteritum; in prognosticum, quod respicit futurum, & in demonstratiuum, quod est rei præsentis. ita Sacramenta sunt signa rememoratiua passionis Domini, demonstratiua, gratiæ Dei, prognostica futuræ gloriæ: & sic de Eucharistia canit Ecclesia. *O sacrum conuiuium in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, & futura gloria nobis pignus datur.* Quando dicitur (*vel effectum gratuitum*), notatur existentia Corporis Christi sub speciebus, quam & ipsæ species significant, quæ non est gratia inhærens sanctificans animam, hoc enim confert vt Sacramentum, cum recipitur ipsa Eucharistia. Ex qua definitione constat Sacramenta nouæ legis habere rationem Sacramenti, & circumcisio veteris legis, jam abrogata, quando vigebat, & in lege naturæ, Sacramentum ante circumcisionem institutum, quo peccatum originale delebatur: alia verò Sacramenta in veteri lege hac definitione non comprehendebatur, quia non erant signa demonstratiua gratiæ, sed solùm significabant, & conferebant sanctitatem legalem.

Explicatur definitio Sacramenti.

Signum Triplex rememoratiuum demonstratiuum, prognosticon.

DICO

Dico 5. Hæc definitio Sacramenti, *inuisibilis gratiæ, visibilis forma*, si rectè intelligatur, & per alia jam explicata suppleatur, est bona. Probatur, quando dicitur, *forma*, debet intelligi pro signo sensibili, eo modo, quo imago Herculis, dicitur forma Herculis. Dum dicitur *visibile*, debet intelligi pro sensibili in communi, & pro tanto debet intelligi visibile, poni pro sensibili cujuslibet sensus, quia visus est excellentior omni sensu, & plurium differentiarum cognoscitiuus. Dicitur *Gratiæ inuisibilis*, pro effectu DEi gratuito interiori, ordinato ad salutem hominis viatoris. *Alia definitio est bona.*

Ad 1. in oppositum patet, quòd Sacramentum sumptum pro formali, est per se vnum, etsi sumptum pro denominato, & materiali, hanc vnitatem non habet, ex cujus non vnitate, non sequitur non vnitas per se Sacramenti pro formali sumpti. Ad 2. Respondeo. In Sacramento posse esse & rationem Signi, & rationem Causæ, sed ratio signi est ratio generica, ob idq; signum tanquam genus in Sacramenti definitione constituitur: ratio verò causæ ad rationem ipsius signi spectat, quasi differentia, quæ per illam particulam efficaciter intelligitur. Ad Confirmationem dico Sacramentum rem occultam significare, ad quam significandam, & ab hominibus intelligendam, signum sensibile congruè fuit à Diuina sapientia institutum. *Sacramentum est per se vnum.* *In Sacramento est ratio signi & causæ.*

Collige 1. Sacramentum sumptum secundùm suam rationem formalem, in sua ratione essentiali, nec res, nec verba includit, tanquam partes essentiales ejus, & quidditatiuas, cum ponãtur in definitione tanquam additamenta. Collige 2. Diffinitum formale, & totale, vt quod, est ipsa secunda intentio, seu significatio gratiæ, quatenus à Sacramento fundamentali præscindit; nam diffinitum formale, non est Sacramentum pro materiali præcisè sumptum, neque prout significationi subjacet. Ergo erit ipsa significatio. *Significatio est formale Sacramentum.*

ARTICVLVS III.

An res & verba, quæ sunt materia & forma Sacramentorum, sint partes componentes & constituentes Sacramentum?

Nota 1. Si Sacramentum sumatur pro per se significato, forma ipsius est relatio signi, quâ formaliter est Sacramentum: sicut for- *Sacramentum sumi-*

tur pro per se significato & pro fundamento.

ma albi formaliter sumpti est albedo; materia verò Sacramenti est totum fundamentum ipsius, quod Sacramentum denominatiuè dicitur, sicut animal dicitur genus. Si verò sumatur pro per se significato, quod est totum fundamentum illius relationis, quod Sacramentum pro formali importat, quodq; nomine in Sacramento importatur, tunc in ipso consideramus res & verba, ex quibus quodammodo vnum efficitur.

Compositio fit ex potentia & actu.

NOTA 2. Compositio per se fieri non potest, nisi ex per se actu, & per se potentia, vt patet in compositis Physicis & Metaphysicis: in compositione enim physica, materia est per se potentia, forma verò substantialis est per se actus: in Metaphysica autem genus habet rationem potentiæ, & differentia per se actus. Et sicut materia est prior forma, habetq; rationem determinabilis, forma verò posterior habet rationem determinantis, & forma est spiritualior & perfectior ipsâ materia.

In omnibus Sacramentis est materia & forma.

DICO 1. In omnibus nouæ legis Sacramentis, reperiuntur res & materia, vel quasi materia, & verba vt forma, vel quasi forma. Hæc Conclusio quo ad modum loquendi à nemine neganda, quia habetur expresse in Concilio Florentino *in Inst. Armenor.* & in Sacris literis expressè habemus res & verba, in quatuor Sacramentis; in Baptismo, Matthæi 28. *Baptizantes eo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* In Eucharistia ponitur panis vt res, & verba, *Hoc est corpus meum Matth. 26.* In Confirmatione *ponitur manus impositio & oratio vocalis, Act 8.* Et in extrema vnctione assignatur *vnctio & oratio. Jacobi 5.* De reliquis verò Sacramentis, licet non constet expressè, ex sacris literis, satis tamen id probat communis sensus, & traditio Ecclesiæ, id ita esse judicantis, vt explicuit *Concilium Florentinum: & Trident. Sess. 14. c. 3.* Deinde Probatur, quia actiones sensibiles sunt valdè accommodatæ ad externum cultum, & ideò viguit eorum semper vsus, etiam in lege naturæ, & scripta: his autem actionibus si addantur verba redditur earum expressior significatio, vt videre est in actione ablutiua, quæ naturaliter significat ablutionem corporis, additis verò verbis formæ Baptismi significat ablutionem animæ. Ergo cum Sacramenta nouæ legis sint signa sensibilia, valdè rationi consonum est, vt constent rebus, & verbis, per quæ faciliùs homo ducatur ad spiritualia.

DICES 1. **Si Sacramenta constarent rebus & verbis tanquam materia,**

materia & forma, essent partes componentes, & constituentes Sacramentum. Consequens est falsum. Ergo. Responsio patebit ex sequenti Conclusione.

Dico 2. Si Sacramentum sumatur pro per se denominato, de quo Sacramentum formaliter dicitur sicut genus de animali, vt Baptismus pro ablutione, & verbis, non est quid compositum ex rebus, & verbis, propria rigorosa compositione; sed metaphorica & similitudinaria. Ita D. Subt. *in 4. d. 3. q. 2.* Probatur prima pars, quia propria & rigorosa compositio, non fit nisi ex per se actu, & per se potentia. Sed res ipsas in ordine ad verba, vel contra, nec rationem, pro per se actus, nec rationem pro per se potentiam habent. Ergo nullatenus ex iis compositum potest esse propriâ & rigorosâ compositione compositum. Minor patet, quia sola materia physica, & forma substantialis, habent rationem per se potentiæ, & per se actus in rebus. At quis poterit intelligere, ablutionem, esse per se potentiam in ordine ad verba, quibus Baptismus conficitur, & verba esse per se actum in ordine ad ablutionem: nam cum neutrum sit materia prima, nec forma Substantialis, satis constat, non esse per se potentiam, nec per se actum. Imò neq; Metaphysica compositio potest esse inter res, & verba Sacramentorum, qua enim ratione ablutio potest esse genus, & verba differentia in Baptismo? 2. pars conclusionis patet. Vbi enim in aliquo signo sensibili Sacramentali res & verba concurrunt simul, verba dicuntur forma ob similitudinem ad formam, quia sunt potiora in Sacramentis, quam res, quia tota ratio in significando est in Sacramentis, & sic verba ob eorum principalitatem in significando dicuntur forma; res verò quæ minus principaliter sunt in significando, sunt materia, vel quasi materia Sacramentorum.

Non est propria compositio in Sacramentis.

Dico 3. Si Sacramentum formaliter accipiatur, siue pro per se significato, in sua ratione essentiali, nec res, nec verba includit tanquam partes essentiales ejus & quidditatiuas. Patet ex præcedenti Articulo, siquidem res & verba sub ly *sensibile* comprehensa, ad Sacramenti definitionem solum vt additamenta pertinent, & vel vti fundamentum & Subjectum relationis, quam pro formali Sacramentum importat: At id quod vt additamentum alicujus definitionem spectat, non est de formali ratione ejus, quia res absoluta, quale est hujusmodi fundamentum,

Sacramentum formaliter sumptũ non includit res & verba

tum, non poteſt de ratione formali, & eſſentiali rationis. Sed res & verba, ſunt veluti fundamentum relationis, quam dicit Sacramentum. Ergo non poſſunt eſſe de ratione ejus formali & eſſentiali. Tum quia ſicut ſe habet ſubjectum ad accidens, ita fundamentum ad relationem, quantum ad rationes formales, & definitiones: nam ſicut ſubjectum pertinet vt additum ad definitionem accidentis; ita fundamentum vt additum ad rationem & definitionem Sacramenti ſpectat. Ita D. Subt. *in 4. d. 1. q. 2.*

Res & verba non ita junguntur vt partes eſſentiales.

DICO 4. Non eſt neceſſe, vt in omni Sacramento res & verba ita conjungantur, vt partes eſſentiales ejusdem rei. Hæc Concluſio eſt etiam Bellarmini *l. 1. de Sacramentis in genere c. 18.* Ad cujus probationem ſupponit, Sacramentum quandam habere ſimilitudinem, cum rebus naturalibus ex materia & forma conſtantibus, tamen non eſſe re-uera compoſitum naturale, ob idq; non eſſe reperiendas in eo omnes proprietates materiæ & formæ, quæ in materiis & formis naturalibus reperiuntur, ſed ſatis eſt ſi aliqua reperiantur. Probatur concluſio Euchariſtiæ exemplo; in quo res pro materia inueniuntur ſcilicet panis & vinum, & verba pro forma. *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus*: & tamen nunquam res iſta & verba ita conjunguntur, vt materia & forma in naturalibus; nam vel Sacramentum Euchariſtiæ eſt ſolùm res ipſa conſecrata, id eſt ſpecies panis & vini, vt continent corpus & ſanguinem Chriſti: vel etiam conſecratio, aut ſumptio vt quidam volunt. Si conſecratio dicitur Sacramentum, tunc verba habemus, ſed rem non habemus, ex qua componatur, tota enim conſecratio in verbis conſiſtit, nam panis & vinum non concurrunt vt pars conſecrationis, ſed vt ſubjectum circa quod agit Sacerdos, & in quo conſecrantis actio recipitur. Si verò res ipſa eſt Sacramentum, tunc rem habemus, ſed non verba, ex quibus Sacramentum componatur; verba enim reſpectu rei conſecratæ non ſunt partes eſſentiales ejus, ſed principium productiuum; pars enim eſſentialis manet, cum ipſa re, verba autem non manent cum re conſecrata, imò tunc incipit primùm res conſecrata cum verba deſinunt eſſe: vnde Concil. Florentin. *in inſtructione Armenorum*, non dicit verba Euchariſtiæ Sacramenti, ſed conſecrationis. Tùm quia Sacramentum Euchariſtiæ eſt permanens, verba autem quæ proferuntur fluunt. Quando verò Concilia & Patres dicunt

cunt, *Omnia Sacramenta constare ex rebus tanquam materia, & ex verbis tanquam forma*, dicendum est, quòd loquantur de iis quæ in fieri consistunt, non de permanentibus. vel ly *omnia*, non accipitur ab illis in rigore logico, sed morali, prout idem sonat, quod pleraque, sicut in scriptura solet accipi, juxta illud Psalmi, *Omnes declinauerunt &c.* id est plerique. *Sacramēta constant ex rebus & verbis quomodo intelligatur.*

Dico 5. Sacramenta in vsu consistentia non coalescunt ex rebus & verbis tanquam ex partibus componentibus; sed tanquam quibusdam prærequisitis. Patet quia omnis forma partis propriè sumpta, materiam quam determinat semper denominat, vt rationalitas animal denominat rationale, & albedo parietem album. Sed in Sacramentis verba non denominant ipsas res. Ergo verba non se habent vt formalis pars, & res vt pars materialis, ex quibus Sacramentum pro substrato tanquam ex partibus componitur. *Sacramēta in vsu consistentia quomodo consistant ex verbis & rebus.*

Dico 6. Non quodlibet Sacramentum consistens in fieri componitur ex verbis & rebus, compositione Metaphorica. Patet quia Sacramentum pœnitentiæ non componitur, ex verbis absolutionis, & ex actibus pœnitentis, quod fusiùs patebit infra de materia pœnitentiæ. Significatio enim gratiæ non fundatur in actibus pœnitentis, & in verbis simul, sed in solis verbis. Igitur Sacramentum pœnitentiæ pro substrato, & fundamentaliter sumptum, non est quid compositum compositione metaphorica ex rebus, & verbis. Similiter in Sacramento Matrimonii non est necesse vt sint verba, cum nutibus possit perfici, quatenus verò mutuam traditionem continent habent rationem materiæ, quatenùs verò mutuam acceptationem efficiunt, habent rationem formæ. Vnde quando Concilia dicunt Sacramenta constare rebus, & verbis, non intendunt dandas esse res, quæ non sint verba, & verba, quæ non sint res, sed ad assignandum esse aliquid quod eatenus judicetur res, quatenus gerit rationem materiæ, quia se habet vt aliquid determinabile. *Pœnitentia non componitur ex verbis & rebus.*

Dico 7. Jn omnibus Sacramentis requiritur simultas materiæ & formæ, non tamen Physica, vel Metaphysica, sed moralis, ita tamen ne magna interpollatio fiat, sed sicut ex modo quo fit actio, & quo verba proferuntur, juxta humanum & communem concipiēdi modum intelligatur, vnum alteri applicari. Ita D. Subt. *in 4. d. 6. q.* 3. cujus *Simultas requiritur materiæ & formæ.*

rei causam assignat, Christi Domini institutionem, quia ipse instituit ablutionem, & verba, velut vnum signum complectum ad significandum effectum, ita vt neutrum sit signum sine altero, nam ablutio non est Sacramentum Baptismi, non tamen simultas nimis scrupulosa requiritur, ne videlicet ablutio finiatur, ante inceptionem prolationis verborum, nec prolatio verborum, si ab eis incipere contingat ante inceptionem ablutionis, sed sufficit vt ista duo morali simultate fiant, juxta illud S. Augustini Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum, quia materia determinatur per formam. Ergo simul conjungi debent, aliâs enim nec forma determinabit materiam, nec materia determinabitur, quare antequam ablutio finiatur, inchoanda est forma.

QVÆSTIO II.

De institutione, & necessitate Sacramentorum.

Præsens Quæstio diuiditur in 4. Articulos.

In I. quæretur Quis instituit Sacramenta, quisue author ipsorum.
In 2. An pro tempore cujuscunq; legis à DEo datæ debuerit institui aliquod Sacramentum.
In 3. Quot sunt Sacramenta nouæ legis.
In 4. Quænam sit differentia inter Sacramenta, & quæ conuenientia?

ARTICVLVS, I.

Quis instituit Sacramenta, quisuè author ipsorum?

Sacramentorum author est DEus & CHristus Dominus.

Dico 1. Sacramentorum causa principalis auctoritatiuè, est solus DEus: per potestatem excellentiæ Christus Dominus; illi enim hæc potestas propter excellentiam, quàm habet ob vnionem cum Diuinitate, competit. Patet quia ille solus potest signa efficacia gratiæ instituere, qui potest gratiam producere. Sed solus DEus potest gratiam producere. Ergò.

Nulla creatura potest Sacramenta ministrare.

Dico 2. De facto DEus nulli creaturæ dedit potestatem instituendi Sacramenta. Primò quia fundamenta Ecclesiæ oportebat, quæ sunt Sacramenta, esse stabilia. At si Ecclesia, vel aliqua pura creatura, haberet potestatem illa instituendi, non essent omninò immutabilia, siquidem Ecclesia posset alia instituere. Tum quia hanc potestatem dare noluit hominibus, vt in Deo spem solam collocarent salutis.

Dico

DICO 3. Potestate ministeriali soli homines possunt conficere, & instituere, & ministrare validè Sacramenta. Patet primò ex sacris literis. Quia solis hominibus dixit Christus Dominus: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Matth. vlt. Quorum remiseritis peccata &c.* Ioan. 20. Et 1. ad Corinth. 4. vocat *Ministros Christi homines, & dispensatores mysteriorum DEi*: & ad Hebr. 5. dicit, *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus &c.* Congruentiæ variæ afferuntur à Theologis. 1. quia expediebat, vt sicut author Sacramentorum principalis, est Christus, ita ministri essent homines. Tùm quia conueniebat esse proportionem, inter recipientes Sacramenta, & ministrantes. *Potestate ministerialis homo.* *Congruentia.*

DICO 4. Validè Sacramenta alia, præter Baptismum & Matrimonium, nemo hominum potest conficere, aut ministrare, nisi ad id ex officio fuerit deputatus. *Hæc* Conclusio probabitur, cum de singulis Sacramentis agetur. Hinc Infero 1. Angelum præsertim bonum ex speciali dispensatione Diuina, posse aliquod verum Sacramentum conficere V. G. Baptismum, & Eucharistiam ministrasse, vt constat ex historiis Ecclesiasticis, vt S. Bonauenturæ Angelus porrexit Eucharistiam in corpore assumpto. *Quis potest ministrare Sacramēta.* *Angelus potest.*

Infertur 2. Animam separatam non posse validè Sacramentum ministrare, vnitam verò iterum corpori passibili posse; quod si anima, corpus gloriosum assumendo, ministraret Sacramentum, esset validum, quia tunc adessent omnia requisita præter statum viatoris, qui non est de essentia Sacramenti. *Anima separata non potest.*

DICO 5. In Sacramentis illa est materia adhibenda, quam Christus Dominus instituit, & nullo modo alia. Probatur Tum quia Sacramenta in alia materia administrata, præter hanc quam Christus Dominus instituit essent inualida. Tùm quia Sacramenta nouæ legis omnia, sunt signa practica gratiæ, quam conferunt: necesse ergo fuit, vt in illis institutio Diuina seruetur. Tùm quia sic vnitas & conformitas in Ecclesia seruatur. Tùm quia major reuerentia Sacramentis conciliatur, quando omnes intelligunt, quoad materiam & formam, Sacramenta esse à Christo Domino determinata, ita vt sine his non possit confici Sacramentum. *Sacramentorum materia & forma à Christo Domino instituta.*

DICO 6. Quando mutatio materiæ est substantialis, seu essentialis, tunc nullum efficitur Sacramentum. Patet quia per ejusmodi mutationem *Mutatio materiæ n-*

sentialis inualidat tationem tollitur res à Christo Domino instituta spectans essentialiter ad rationem Sacramenti. Porrò mutatio tantum accidentalis non destruit Sacramentum: nam mutatio accidentium non variat substantiam in aliis rebus. Ergo nec in Sacramentis: mutatio autem substantialis est, quando re, & nomine cum materia ab Ecclesia vsurpata non conuenit, vt si quis in aqua artificiosa baptizare velit, aut consecrare in pane hordeaceo.

Mutatio accidentalis non inualidat

Iteratio quando fieri potest. Colligе Quando rationabiliter dubitatur de validitate Sacramenti, potest iterum administrari sub conditione: secùs si adsit leue dubium, vel leuis scrupulus; nam iteratio Sacramenti facta sine legitima causa videtur irrisio Sacramenti: in necessitate verò quando non suppetit certa materia, potest dubia adhiberi, V. G. in Baptismo aquâ rosacea. Ita Puteanus *in 3. p. q. 66. a. 4. d. 1. n. 5.* quia inquit in tali casu Sacramentum cedit in salutem animarum iuri suo. Sed oppositum videtur probabilius, quod aqua distillata non sit materia debita.

Mutatio formæ essentialis inualidat Dico 7. Mutatio formæ si fiat substantialiter & essentialiter inualidat Sacramentum, & conferens in tali casu præter hoc quòd nihil faciat, peccat mortaliter, tunc autem mutatio formæ, est essentialis, quando significationem variat, & destruit sensum verborum formæ, si autem maneat idem sensus formæ, tunc est mutatio accidentalis: significatio enim & sensus sunt veluti anima verbi, quod non profertur propter sonum, sed propter sensum. In particulari de formis singulorum Sacramentorum, agetur suis locis. Aduerte tamen hîc quòd mutationes formæ contingere possunt. Primò *ratione linguarum*; 2. *secundùm Synonima*, vt si loco Patris poneretur Genitoris, loco baptizo, abluo. 3. *per transpositionem*, vt si dicatur *Te baptizo ego.* 4. *per interpollationem* breuem verborum, alias per longam inualidaretur. V G. si aliquis baptizando. *Ego te baptizo*, aliqua verba interponeret, & postea subderet statim, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* 5 *per additionem*, quæ mutaret, & corrumperet sensum debitum formæ. V.G. *Ego te baptizo in nomine Patris majoris, in nomine Filij minoris*, quali vtebantur Ariani, quæ nihil valebat. Si verò additio non tollat sensum debitum, tunc erit mutatio accidentalis. V. G. si quis dicat, *Ego te baptizo in nomine Dei Patris, & Filij vnigeniti, & Spiritus Sancti paracliti*, validus esset baptismus: cauendæ tamen sunt tales additiones. 6. *per detractio-*

Mutationes variæ contingere possunt.

Cauendæ additiones

detractio-

detractionem alicujus vocis necessariæ ad perfectam significationem, nullum esset in tali casu Sacramentum. 7. Quando in debita forma est mutatio aliqua vocum *per corruptionem*, qualis fuit illius Sacerdotis per ignorantiam baptizantis. Ego te baptizo in nomine Patrias, & filias & Spiritias Sanctas. Quæ forma baptizandi, delata ad Zachariam Papam, iudicata est esse valida, quia licet voces patrias, & filias seorsim sumptæ, longè aliud significent, quam Patris & Filij, tamen in ista oratione posita, & accommodata actioni baptizandi, eundem sensum reddunt, & sic est tantùm mutatio accidentalis. 8. Si omnia verba mutentur in alia signa, vt nutus, scripturam, & similia, qui modus in Matrimonio est validus, in aliis verò Sacramentis locum non habet. In primo, secundo, tertio, & quarto modo plerumque est tantùm mutatio accidentalis. Hinc

COLLIGE 1. Mutare aliquid in materia & forma, quod sit essentiale, est sacrilegium, & peccatum mortale: quia tali mutatione, non seruatur institutio Christi ac proinde non conficitur verum Sacramentum. *Mutatio essentialis in materia & forma est sacrilegium.*

COLLIGE 2. Conficere Sacramenta in materia, vel forma dubia, omissa certa, est itidem peccatum mortale. Ratio est, quia in materia dubia, vel forma conficiens Sacramentum, vel non conficit; vel exponit se periculo non conficiendi Sacramentum verum, & sic infertur iniuria ipsi Christo Domino, & Ecclesiæ. *In dubia nō licet.*

COLLIGE 3. Mutationem accidentalem facere, siue in materia, siue in forma est peccatum ex suo genere mortale: V. G. si quis omitteret mistionem aquæ in consecratione calicis, aut in Ecclesia Latina consecraret in pane fermentato, vel in formis consecrationis omitteret particulam (enim). Potest tamen mutatio accidentalis in materia & forma, (*secluso contemptu & scandalo*) esse peccatum ob leuitatem materiæ, vel ob inaduertentiam, veniale, vt si Sacerdos lingua vernacula baptizet, aut loco aquæ vinum vino misceat per inaduertentiam; imo sine peccato posset esse talis mutatio: vt si quis ignarus linguæ Latinæ, baptizet vernacula: aut si Sacerdos blæsus, ita consecret, Hot est torpus meum. Monent tamen DD. cum talibus impedimentis non esse assumendos ad Ordines, neque ad Sacramentorum administrationem. *Mutatio accidentalis inducit peccatum mortale, aliquando veniale.* *Aliquando sine peccato.*

ARTICVLVS II.

An pro tempore cuiuscunq; legis à Deo datæ, debuerit institui aliquod Sacramentum necessariò?

NOTA 1. Non quæritur hîc de necessitate institutionis simpliciter, & absolutè, quia potuit Deus sine Sacramentis homines justificare, sed de necessitate ex suppositione, supponendo quòd Deus voluerit illa instituere, an scilicet rectè sint instituta.

NOTA 2. Difficultas procedit, an in statu innocentiæ, fuit, vel esse potuit Sacramentum. 2. An in statu naturæ lapsæ. 3. An in lege scripta. 4. An in lege gratiæ, hæc omnia sequentibus conclusionibus patebunt.

An poterāt institui Sacramēta in statu innocentiæ.

Quantum ad Statum Innocentiæ DICO Licet Sacramentorum institutio in statu innocentiæ, non esset contra debitum ordinem, & status illius perfectionem: de facto tamen in statu innocentiæ pro tempore, quo primus parens in illo perstitit, nullum fuit institutum Sacramentum. 1. pars probatur Quia Sacramenta & sunt signa, & causa gratiæ, & sub vtraq; consideratione, conuenientem in illo statu habuissent rationem, nam Sacramenta vt signa non tantum sunt ad acquirendam cognitionem, sed etiam ad profitendam interiorem fidem, & etiam ad quandam supernaturalium mysteriorum repræsentationem, & faciliorem illorum apprehensionem, nec non ad excitandum affectum, & ad consensionem, & vnitatem hominum in exteriori cultu Dei. Sed has vtilitates omnes poterant Sacramenta habere in illo statu innocentiæ, sine aliqua imperfectione, recto illius status ordini contraria. Ergo Sacramentorum institutio causam aliquam, & congruentiam sufficientem in illo statu habere poterat. Minor patet, quia in illo statu poterat anima hominis perfici, & quantùm ad scientiam, & quantùm ad gratiam per aliquid sensibile & corporale: non enim in illo statu, fierent omnibus revelationes omnium credendorum, & sic acciperent illas, per traditionem majorum, & instructionem parentum, vel Doctorum, & indigerent etiam speciebus ad apprehendendas res fidei. Ergo etiam ad intelligenda supernaturalia vterentur signis sensibilibus significantibus res supernaturales. Confirmatur 1. quia in illo statu, esset vsus locutionis externæ, & scriptio sensibilis,

sibilis, vt sic posset esse communicatio cum præsentibus, & absentibus. Sed voces & scripturæ possunt significare res supernaturales. Ergo tunc dependeret anima in cognitione rerum supernaturalium, à rebus sensibilibus. Confirmatur 1. In rectè ordinata Republica, medicinæ non præparantur post morbum, sed ad prouidentiam Gubernatorum spectat, vt scientes futuros morbos prouideant de medicinis. Ergo ad prouidentiam Dei prouidentis homines in illo statu lapsuros fore, pertinebat etiam in illo statu prouidere illis de Sacramentis per modum medicinæ, possent enim homines durante illo statu deficere ab illo, sicut defecit Adam. Ergo congruum erat prouidere illis de remedio, vt resurgerent à peccatis, quod conuenienter fieret per Sacramenta. 2. pars constat quia nullibi talium Sacramentorum fit mentio. Confirmatur supposità opinione D. Subtilis de aduentu Christi Domini, etiam nullo existente peccato, non esset incredibile, quòd incarnatione facta Christus Dominus Sacramentum Eucharistiæ instituisset, quia est summè appetibile, & omninò independens à peccato, seclusâ significatione passionis Domini, & intima vnione, quâ nos sibi conjungit, per hoc Sacramentum, quæ est per se primò in illo intenta.

Opinio D. Subtilis.

Quantùm ad legem naturæ DICO 1. In lege naturæ fuisse verè propriè Sacramentum ad delendum peccatum originale. Est S. Aug. l. 2 contra Iulianum c. 9. vbi dicit. *Non est credendum ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem illis inerat mediatoris fides, in carne venturi, nullo eos Sacramento opitulatos paruulis suis, quamuis illud aliqua necessariâ causâ scriptura tacere voluerit.* Et in 4. d. 1. q. 7. omnes ferè Theologi, vbi D. Subt: ait, *Nullo tempore dimisit Deus cultores suos sine remedio, necessario ad salutem.* Sed omni tempore post lapsum fuit necessaria ad salutem deletio peccati originalis. Ergo quocunq; tempore aliquod remedium efficax erat ad hoc institutum. Minor patet, quia sine deletione peccati mortalis, nemo poterat saluari. Conueniunt D D. quòd illud remedium fuerit positum in aliqua actione, vel professione fidei, & cultus religiosi, quo paruuli Deo dicarentur, & cultui ejus manciparentur, ex intentione parentis, vel ejus qui remedium applicabat.

In lege naturæ fuit Sacramentum

DICO 2. Hoc remedium efficax ad salutem paruulorum contra peccatum originale à Deo institutum, non fuit positum in solo interiori actu,

Hoc remediũ fuit in

actu interiori & signo exteriori.

actu, sed in aliquo exteriori, & sensibili. Est D. Subt: in 4. d. 1. q. 7. vbi sic dicit. *Et magis probabile est, quòd per aliquod sensibile, quàm per aliquod signum intelligibile tantùm, quia pro statu naturæ lapsæ congruunt, hujusmodi signa sensibilia, respectu spiritualium.* Ergo rationabile aliquod *Sacramentum* saltem contra peccatum originale fuisse in tempore legis naturæ. Declaratur hæc ratio D. Subt. quia cùm per hoc remedium paruuli initiarentur, & Diuino cultui manciparentur, oportebat vt per illud genus cultus, sanctificarentur, qui est homini accommodatus, & Deo ab homine debitus. Sed hic, non tantum est interior, sed exterior etiam. Ergo debuit illud remedium in signo aliquo sensibili institui. Præterea quia cum Ecclesia ex hominibus constans sit visibilis, consentaneum erat, vt hoc remedium esset sensibile, vt Ecclesiæ constare posset, tale remedium fuisse applicatum, ne esset in dubio, aut inutiliter repeteretur.

Illud remedium fuit Sacramentum.

Dico 3. Illud remedium in signo sensibili positum, & à Deo institutum, fuit Sacramentum, cui ratio *Sacramenti* verè ac propriè conueniebat, eratq; cæremonia sacra à Deo stabilita, vt per eam peccati originalis fieret deletio; quæ iuxta D Subt. loco citato fuit determinata in sacrificiis, quæ pro illo tempore ex Diuina institutione Deo offerebantur; determinata inquam in aliquo sacrificio in genere. 1. pars probatur quòd fuerit propriè Sacramentum, nam illud remedium contra originale peccatum fuit institutum, in signo sensibili, & à Deo, qui solus est author gratiæ, quæ per talia signa confertur, & insuper fuit institutum, vt cæremonia Sacra, firma, & stabilis pro illo statu, imò & illud durasse pro fœminis Iudæorum non est incredibile, sicut circumcisio data Abrahæ mansit pro viris in lege veteri eratq; signum practicum, certum, & prius naturâ, gratia, quæ ipso adhibito conferebatur paruulo. Ergò fuit verè, & propriè Sacramentum. 2. pars patet, quia pro tempore illo placuerunt Deo Sacrificia, quod non esset, nisi ab eo fuissent instituta, imò reputarentur fatui & præsumptuosi, si talia sine Diuino præcepto vel inspiratione fecissent. Ergo oblatio alicujus sacrificii, potuit tunc esse *Sacramentum* ad peccati originalis deletionem, non enim est contra rationem *Sacrificii*, quòd ipsum, vel ejus oblatio sit Sacramentum, vt patet in Eucharistia, vnde quando D. Subtilis dicit quòd potuerit institui in aliquo Sacrificio, non tamen asserit id fa-

ctum

ctum esse determinatè, sed quòd non implicabat esse Sacrificium & simul Sacramentum.

Sacramentum in alia & alia lege debuit esse aliud & aliud.

Dico 4. Loquendo de Sacramento propriè dicto, debuit esse aliud, & aliud, in alia & alia lege, & hoc si sermo sit, de illo, quod vt medicina contra morbum peccati instituebatur: aliud quidem ratione signi, & ratione significationis, non absolutè respectu alterius significati simpliciter, sed saltem respectu ejusdem variati secundùm magis & minus. Ita D. Subt. *in 4. d. 1. q. 3.* Probat sic Inprimis non fuit necessarium, quòd illud signum esset aliud ratione significationis, ita vt alia, & alia esset simpliciter significatio, respectu alterius significati simpliciter: nam ex quo in qualibet lege fuit medicina contra eundem morbum, non fuit simpliciter aliud quod significabatur per tale Sacramentum, in alia & alia lege, sed debuit esse alia respectu alterius, secundùm magis & minus variatè. Quod sic probatur, quia lex posterior semper fuit perfectior, Deus enim ordinatè agens procedit de imperfecto ad perfectum. Sed lex perfectior requirit adjutoria perfectiora ad sui obseruationem. Ergo lex posterior debuit habere Sacramentum significans perfectiorem gratiam Ergo in alia & alia lege, congruum fuit esse aliam & aliam significationem, respectu ejusdem significati secundùm magis & minus variati in perfectione, ita vt in posteriori lege esset significatio alia, respectu perfectioris significati: similiter quantùm ad signum congruum fuit in lege posteriori signum institutum euidentiùs signare suum signatum, quia in processu generationis humanæ semper creuit notitia veritatis, vt habet S. Gregorius *super Ezechielem.* Hinc Collige In statu naturæ fuerunt duo Sacramenta. 1. remedium pro paruulis, quæ fiebat per protestationem fidei à parentibus. 2. Sacrificium pro adultis, quatenus per ipsum remittebantur peccata in virtute Christi venturi.

In statu naturæ quæ Sacramenta.

In lege Scripta fuerunt

Quantùm ad legem scriptam Dico 1. Lex scripta plura habuit Sacramenta, nempe Circumcisionem, Sacrificium, Agnum Paschalem &c. quæ fuerunt propriè Sacramenta, non tamen conferebant gratiam ex opere operato, excepta Circumcisione, quod declarabitur sequenti Quæstione, hæc enim conferebat gratiam, & delebat peccatum originale.

Circumcisio quomodo necessaria.

DICO 2. Circumcisio necessaria adultis necessitate præcepti: paruulis verò, nec necessitate præcepti, nec medii; nam ante octauum diem morientes cum solo remedio legis naturæ saluabantur. Porrò pro fœminis nullum fuit remedium in lege scripta, nisi remedium naturæ.

De lege autem gratiæ, nullum est dubium, vt patebit ex sequentibus.

ARTICVLVS III.

Quot sunt Sacramenta nouæ legis?

Hæreticorum errores de numero Sacramentorum.

NOTA. De numero Sacramentorum variant hæretici. Quidam vnicum vt Lutherus initio sui erroris. Quidam duo vt Baptismum & Cœnam. Quidam addunt Pœnitentiam vt Augustanæ Confessionis Sectatores, licet non omnes. Alii loco pœnitentiæ Matrimonium, vt Zuinglius, Melancton addit quartum, Ordinationem. Caluinus omissa pœnitentia, retinet Ordinationem. Synodus mollium Lutheranorum Lipsiæ celebrata *anno* 1548. recepit septem Sacramenta, non sine stomacho aliquorum hæreticorum. Quidam nouus Lutheranus Alardus *tomo 2. c. 3.* maximum disiectæ vnitatis fomentum esse, inquit de numero Sacramentorum litigium, quo plurimi mortalium hinc inde deterrentur, quo minus accedant veritati. vbi multa absurda contra numerum septennarium Sacramentorum profert; quòd septem non sint à Christo Domino instituta, neq; septem ab Apostolis, neq; à SS. Patribus, tradita Ecclesiæ.

Sacramēta septem.

DICO itaq; Sacramenta vera nouæ legis, nec plura, nec pauciora sunt, quàm septem. Probatur 1. Quia Sacramenta sunt externi ritus à Christo Domino instituti, cum promissione supernaturalis effectus, vel gratiæ justificantis. Sed ejusmodi ritus seu signa in SS. literis habemus, nec plura, nec pauciora quàm septem. nimirum *Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Ordinem, Extremam Vnctionem, & Matrimonium.* De Baptismo non est dubium, cum manifestè dicatur Ioan. 3. *Nos renasci ex aqua, & Spiritu Sancto.* Neq; de Eucharistia de qua dicitur Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* De Confirmatione, Petrus & Joannes & Paulus Act. 8. & 19. *per impositionem manuum dabant Spiritum Sanctum.* De Pœnitentia

Testimonia S. Scripturæ pro quouis.

tentia, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, Ioan. 20. De Ordine Sacro, sic scribit S. Paulus Timotheo, 2. Timoth. c. 1. à se consecrato, *Resuscita gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per impositionem manuum mearum.* De Extrema Vnctione certum est eam esse à Christo Domino institutam, & à S. Iacobo c. 5. promulgatam, *Infirmatur, quis ex vobis inducat. &c.* De Matrimonio ait Christus Dominus, *Quod Deus conjunxit homo non separet.* Et Apostolus ad Eph. 5. dicit, *Sacramentum hoc magnum est.* Probatur 2. ex SS. Patribus, De Confirmatione *S.* August. agens de vnguento in barba Aaron *l. 2. contra Epist. Petil. c. 104. Psalm. 132.* In hoc vnguento Sacramentum Chrismatis vult interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus. De Pœnitentia *S.* Chrysost. ait; *Nostris Sacerdotibus non corporis lepram, sed animæ sordes, non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est*, lib. 3. de Sacer: De Extrema Vnctione Innocent. Papa, agens de hac vnctione, ex Epist. B. Iacobi Epist. ad Decent. Eugubinum c. 8. *Pœnitentibus infundi illud non potest, quia genus est Sacramenti; nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo vnum genus putatur posse concedi.* De Ordine lib. 2. contra Epist. Parmenid. c. 13. *Vtrumq; Sacramentum est* (loquitur de Ordine & Baptismo) *& quadam consecratione homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur, ideoq; vtrumq; in Ecclesia Catholica iterari non licet*, ne non homini, sed ipsi Sacramento fiat injuria. De Matrimonio idem S. Aug. lib. de bono coniugii c. 24. vbi *comparat matrimonium cum ordine, & appellat verum Sacramentum.* *Authoritat. SS. Patrū.*

Hujus Septennarij numeri varias Congruentias assignant Theologi, S. Thom. *3. p. q. 65. a. 1.* ex consideratione vitæ humanæ: nam primò nascimur, tum euadimus in viros, præterea vitam conseruamus cibo & potu, infirmi curamur ad sanitatem recuperandum, & ad animum in morbis recreandum deniq; vita nostra non contenti, damus operam posteritati, & datis filiis, probè instituendi. Hæc septem præstantes Diuina Sacramenta, Baptismus correspondet generationi: Confirmatio virili ætati. Eucharistia, vitæ conseruationi per cibum, & potum; Pœnitentia est medicina ad curandas infirmitates, & vulnera spiritualia. Extrema vnctio, infirmos recreat, *& alleuiabit eum Dominus, & peccata venialia remittit.* Ordine Respublica instruitur, regitur & pro- *Congruentia cur septem Sacramenta.*

ditur: Per matrimonium verò proles castè edita, tandem Rempublicam, & Ecclesiam corporaliter fæcundat.

Objectio. Objiciunt hæretici S. Augustin. *Epist. 118. ad Januarium*, solùm meminit Baptismi, & Eucharistiæ. Ergo duo tantum sunt, & non septem Sacramenta. *Solutio.* Respondeo mala est consequentia, duo nominat causa exempli, sed non negat esse plura, imò indicat: dicens, ibidem, *Et si quid aliud in scripturis commendatur.* Et Conc. 1. in Psalm. 103. inquit *Respice ad munera ipsius Ecclesiæ. Munus Sacramentorum, in Baptismo, in Eucharistia, in cæteris Sanctis Sacramentis.* Et infra ibidem, *possunt sit communicare Baptismum, possunt communicare & cætera Sacramenta.* *Authoritas S. Augustini de Sacramentorum pluralitate.* Deniq; hæc veritas quòd sint septem Sacramenta nouæ legis, in Conciliis est definitum, vt in Florentino *in Armenorum instructione. Et in Tridentino Sess. 7. Can. 1. Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non fuisse à Domino nostro Jesu Christo instituta, aut esse plura, aut pauciora quàm septem videlicet Baptismum, Confirmationem &c. aut etiam aliquod horum septem, non esse verè, & propriè Sacramentum, anathema sit.*

ARTICVLVS. IV.

Quænam sit differentia inter Sacramenta, & quæ conuenientia?

Tria sunt in Sacramentis. NOTA 1. Tria in Sacramentis considerantur: Signum sensibile, res signata, & significatio: diuersitas autem Sacramentorum non attenditur adeò penes diuersitatem significationis, sed potius respectu rei sensibilis, licet etiam ex parte significationis possit considerari, maximè in Sacramentis nouæ legis; nam Baptismus V. G. aliud significat, quàm Eucharistia, quia ille significat gratiam inhærentem, ista subsistentem. Sed Sacramenta legis nouæ, & scriptæ aliqua, gratiam inhærentem significabant, ideò diuersitas illorum maximè attenditur penes signum, & rem sensibilem, quæ debent esse diuersa.

NOTA 2. Possunt diuidi, vel sicut vox in sua significata, seu æquiuocum in sua æquiuocata, vel sicut commune in sua inferiora, & genus in suas species. Probatur nam quædam sunt Sacramenta impropriè dicta, & in ista diuiditur Sacramentum, vt vox in sua significata:

cata: quædam ſunt Sacramenta propriè dicta, & hæc duplicia nouæ, & antiquæ legis; & ſic diuiditur commune in particularia; vel ſunt Sacramenta nouæ legis inter ſe diſtincta, & ſic diuiditur Sacramentum, vt genus in ſuas ſpecies.

DICO 1. Sacramenta nouæ, & veteris legis multipliciter differunt. Primò illa iuxta S. Auguſt: promittebant tantùm, & non conferebant gratiam ex opere operato; excepta Circumciſione, quæ conferebat ex opere operato, minorem tamen, quàm Baptiſmus, declarabant tamen peccatum remiſſum, & gratiam Dei; hæc autem nouæ legis, & efficiunt, quod ſignant, & dant ſalutem, vnde antiquis omnia in figuris contingebant inquit S. Paulus; figuræ erant nouorum, vt *tranſitus maris rubri*, figura erat Baptiſmi, *conſignatio populi Iſraelitici ex ſanguine agni*, erat figura Confirmationis. *Agnus Paſchæ, manna*, Euchariſtiæ. *Purificationes veteres* Pœnitentiæ. *Pontificum & Leuitarum Conſecrationes* Ordinis. *Laminæ aureæ pendentes, & tintinabula, & ſanguis arietum* Extremæ vnctionis. *Vetera item matrimonia*, noua præfigurabant. Differunt etiam Sacramenta nouæ, & veteris legis, ex eo, quòd veteris legis Sacramenta habebant propriam efficaciam ex paſſione Christi Domini præuiſa, noſtra autem ex paſſione Domini exhibita. 3. differunt in diuerſitate rituum. 4. in numero tunc enim erant plura, nunc pauciora. 5. in facilitate, illa enim erant difficiliora, vt Circumciſio, & ſumptuoſiora, vt bouum & animalium occiſiones. 6. in dignitate, ſi enim materiam externam ſpectes, dignius eſt animal, quam bolus panis: ſi rem internam, plus eſt corpus Domini, quàm quoduis animal. 7. Illa erant noſtrorum figuræ. 8. Illa acceperunt finem per Christum Dominum, noſtra ad finem vſq; ſeculi duratura. 9. Illa ſanctitatem legalem efficiebant, noſtra conferunt internam ſanctitatem.

Differentia inter Sacramenta nouæ, & veteris legis — *1. differentia.* — *2. differentia* — 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

DICO 2. Sacramenta antiquæ legis in multis cum noſtris conueniunt. 1. Quòd vtraq; à Deo fuerint inſtituta. 2. Quòd rem ſacram ſignificârint. 3. Quòd fidem proteſtarentur. 4. Quòd eandem excitârint, & auxerint. 5. Quod rem ſacram effecerint.

Conuenientia.

DICO 3. Sacramenta nouæ legis differunt inter ſe. 1. quædam dicuntur mortuorum vt Baptiſmus & pœnitentia, eo quòd ſint neceſſaria mortuis in anima. Quædam dicuntur viuorum, id eſt in gratia exiſtentium. 2. Alia ſunt digniora aliis, vt Sacramentum Euchariſtiæ

Differentia inter Sacramenta nouæ legis.

dignissimum omnium, quia continet authorem gratiæ, vt dicitur in Tridentin: *Sess. 13. c. 3.* 3. Alia sunt iterabilia, quæ non imprimunt characterem, alia quæ imprimunt, vt Baptismus, Confirmatio, & Ordo. 4. Alia sunt necessaria necessitate præcepti, & medii, seu finis vt Baptismus & Pœnitentia, singulis enim hominibus, & omnibus, Baptismus: pœnitentia adultis peccatoribus: Ordo verò pro tota communitate respectu Ecclesiæ, quæ non potest habere idoneos Ministros absq; Ordine. Alia sunt necessaria necessitate præcepti, reliqua omnia, ita vt sine illis finis obtineri non possit, si commodè suscipi possent.

QVÆSTIO III.

De Sacramentorum efficacia.

In hac Quæstione inquiram.

1. A quo Sacramenta in quauis lege habeant efficaciam?
2. An Circumcisio ex vi Circumcisionis, ex opere operato gratiam contulerit?
3. An Sacramenta omnia nouæ legis conferant gratiam ex opere operato?

ARTICVLVS. I.

À quo Sacramenta in quauis lege habeant efficaciam?

Efficatia quid Sacramentorum. NOTA. Sacramentorum efficacia in eo consistit, vt habeant regulariter suum effectum in subjecto, cui applicantur, scilicet homine, nisi indispositio ejus illum impediat: ab illo ergo habet efficaciam Sacramentum, à quo habet, quòd effectus per illud, signatus ipsum concomitetur, ita vt ipso posito ponatur, sicut posita causa ponitur effectus.

A quo Sacramenta habent efficaciam. DICO. Efficaciam omnia Sacramenta nouæ legis, & veteris vt Circumcisio habent efficaciam à Deo vt à causa principali: à passione verò Christi Domini, vt à causa meritoriâ. Prima pars patet quia instituere Sacramentum, non solum est instituere signum, sed etiam dare certitudinem signati, seu efficaciam signo. Sed hoc modo solus Deus instituit Sacramenta. Ergo solus Deus est efficiens causa principalis. Secunda pars probatur quia Deus disposuit non remittere culpam, nec dare ullum adiutorium, nisi per aliquid sibi oblatum, quod

esset

esset gratius sibi, quàm fuerit offensa displicens: hoc autem gratiùs non potuit esse aliqua persona peccato infecta; vnde disposuit dare personam acceptissimam sibi, quæ vltro se offerret pro tollenda culpa totius naturæ, & pro satisfactione pro tota natura humana. Sed hæc persona fuit Christus Dominus causa meritoria omnis adjutorij pro salute humana. atqui Sacramenta continent adjutorium ad salutem, nempe gratiam sanctificantem. Ergo Christus Dominus fuit causa meritoria Sacramentorum. Hanc Conclusionem D. S. probat *in 4. d. 2. q. 1. & in 3. d. 19.*

Christus D. causa meritoria.

DICES 1. Simul esse debent causa in actu, & effectus in actu *5. Met.* Sed passio Christi Domini non est in actu. Ergo nec effectus ejus in actu. Respondeo & si passio Christi Domini non sit nunc in effectu, est tamen in acceptatione Diuina, & hoc sufficit ad causam meritoriam & moralem, multa enim & nos facimus propter bonum præteritum, quod nobis reuocamus.

Passio D. est in acceptatione Diuina.

DICES 2. Si Sacramenta haberent efficaciam à passione Christi, maximè illam haberent à passione tanquam à causa meritoria. Sed hoc non; quia quod datur ex meritis non datur ex gratia. Respondeo quòd gratia non requirat merita de condigno in recipiente illam, potest tamen causam habere meritoriam de congruo, vel decondigno extrinsecam, ita vt illa causa meritoria gratiæ, non sit recipiens gratiam, sed aliquis alius, nempe Christus Dominus respectu generis humani.

Objectio

Solutio.

DICES 3. Sacra scriptura sæpè indicat Christum D. accepisse à Deo Patre *potestatem in Coelo & in terra*, Quod intelligi non debet de illa æterna potestate, quam habuit per Diuinam generationem. Ergo de illa quam accepit inquantum homo. Ergo accepit à Deo potestatem, per quam esset causa gratiæ, & sic est causa principalis gratiæ. Respondeo S. Hieronym. hæc verba, *Data est mihi omnis potestas &c.* non esse intelligenda de aliqua potestate in humanitatem recepta, sed ratione vnionis, ex eo enim quòd homo vnitus est Verbo, factus est omnipotens, sicut factus est Deus. Hinc

Expositionem S. Hieronymi nota.

COLLIGE humanitatem Christi D. habuisse potestatem faciendi miracula, & dimittendi peccata, non quatenùs erat homo, sed quatenùs erat Deus.

ARTICVLVS II.

An Circumcisio ex vi Circumcisionis, ex opere operato gratiam contulerit?

Ex opere operantis

NOTA primò Obtinere gratiam ex opere operantis, contingit, quando obtinetur gratia ex merito, vel ratione dispositionis præcisè, vt est ab operante, in qua semper est meritum aliquod saltem decongruo respectu gratiæ. Obtinere verò gratiam ex opere operato accidit, quando ratione operis externi, vel Sacramenti applicati, datur aliqua gratia, vltra omne meritum operantis, tam decondigno, quàm decongruo: & in hoc sensu dicit S. Cyprianus *serm. de Coena Domini. Sacramento quantùm in se est, sinè propriâ virtute esse non posse.* Vnde Sacramentum conferre gratiam ex opere operato, est ex propria Virtute illam dare, absq; merito operantis, licet requirat dispositionem ex partecipientis, nimirum vt non ponat obicem gratiæ; & si quandoq; ob actus feruorem circa Sacramentum alicui conferatur gratiæ augmentum, Sacramentum nihilominùs ratione sui confert gratiam determinatam, non correspondentem dispositioni suscipientis, sed ipsi Sacramento.

Ex opere operato.

Variæ opiniones de Circumcisione.

NOTA 2. Circa circumcisionem quantùm ad fructum, quem contulerit circumcisis, varios fuisse dicendi modos; nam alij vt Magister Sentent: in 4. d. 4. asserit circumcisionem peccatum originale remisisse; non tamen contulisse gratiam. Alij verò dixerunt Circumcisionem principaliter fuisse institutam propter peccati originalis deletionem, ex consequenti verò ad gratiam conferendam, & pro tanto non dicitur conferre gratiam, quia non ex principali institutione, sed concomitanter illam conferebat.

In Circumcisione intendebatur à Deo gratia.

DICO I. In Circumcisione principaliter intendebatur à Deo gratia, & consequenter peccati remissio. Ita D. Subt: *in 4. dist. 1. q. 6.* Probatur Quia agens secundùm rectam rationem principaliùs intendit perfectionem, quàm imperfectionis carentiam, quia non intendit carentiam, & imperfectionem amouere, nisi propter perfectionis introductionem: sicut generans non intendit corruptionem, nisi propter generationem: Ergo cum Deus instituendo Circumcisionem fuerit Agens secundùm rectam rationem, principaliùs intendebat perfectionem positiuam, puta gratiam quàm carētiam imperfectionis, id est peccati originalis.

Dic

DICO 2. Probabilius est ipsum Circumcisionis signum externum fuisse sufficiens, vt illo applicato paruulis daretur gratia, etiamsi sine fide parentis, aut ministri, aut hominis conferentis Sacramentum, applicaretur. Est D. Subt. vbi supra, & eorum qui comparant Circumcisionem Baptismo: ita S. August. l. 1. contra Cresconium c. 3. dicens *Idipsum comparantes in hoc, quòd data à ministro infideli, non magis erat postea iteranda, quam nunc sit iterandus Baptismus, datus ab haeretico.* Ergo sicut nunc Baptismus sine fide ministri, ac merito eius, cum sola intentione faciendi, quod Christus Dominus voluit, est remedium sufficiens contra peccatum originale, ita & Circumcisio absque merito, & fide ministri applicata paruulis, peccatum originale delebat. Confirmatur quia *SS.* PP. simpliciter affirmant Circumcisionem fuisse institutam in remedium originalis peccati, cui successit Baptismus. Ergo fuit remedium peccati originalis, sicut nunc est Baptismus. *Sine fide ministri gratiam conferebat.*

Confirmatur 2. Nam ad veritatem illius Sacramenti, & vt esset impletum praeceptum illis verbis Genes. 17. contentum. Anima cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, &c. non erat necessaria fides, nec meritum ministri, Ergo nec erat necessaria, vt in illo Sacramento daretur gratia, non existente obice in recipiente.

DICO 3. Circumcisio contulit gratiam, & pueris, & adultis ex opere operato, & ex vi solum circumcisionis, praeter meritum etiam operantis, tam ministri, quàm eius qui circumcidebatur. Pro intelligentia. Nota In iustificatione peccatoris per Sacramenta, multa concurrunt. Primò ex parte Dei voluntas vtendi re illa sensibili, vt instrumento à se ordinato, ad causandam gratiam. Deinde Passio Christi Domini à qua tanquam causa meritoria habent Sacramenta efficaciam. 3. Ministri potestas, & voluntas. 4. ex parte recipientis voluntas, fides, & poenitentia. Tandem ex parte Sacramenti ipsa actio externa, quae consurgit ex debita applicatione formae, & materiae. Caeterum ex his praedictis id maximè quod actiuè, & proximè, idque instrumentaliter efficit gratiam, est sola illa externa actio quae Sacramentum dicitur, & quae vocatur opus operatum: ita vt idem sit Sacramentum conferre gratiam ex opere operato, quod conferre gratiam ex vi ipsius actionis Sacramentalis à *Ex opere operato.* *In iustificatione peccatoris multa concurrunt.*

Deo ad hoc institutæ, & non ex merito agentis, nec suscipientis, quod expresse docet *S.* August; *l. 4. de Bapt. c. 24.* quia cætera requiruntur vt dispositiones ex parte subjecti, non vt causæ actiuæ Sacramentalis gratiæ, non enim fides, & pœnitentia efficiunt Sacramētalem gratiam, neq; dāt efficaciam Sacramento, sed solùm tollunt obstacula, quæ impedirent, ne Sacramenta suam efficaciam, & effectum haberent: vnde in pueris vbi nulla requiritur dispositio, sine multis prædictis rebus fit iustificatio. Ex quo infertur DEum causam primariam, gratiæ Sacramentalis, passionem Christi Domini, causam meritoriam moralem, ipsum verò Sacramentum causam immediatam instrumentalem, cætera verò vt prærequisita constituuntur. Patet nostra Conclusio Ex S. August. *ad Valerium l. 2. de nuptiis & concupis. c. 11.* vbi eandem virtutem ad delendum peccatum originale tribuit Circumcisioni, quam tribuit Baptismo, nec magis fidem, & meritum operantis ad eam, quàm ad Baptismum exposcit. Confirmatur 2. Conclusio, Circumcisio erat verè & propriè Sacramentum, contra peccatum originale institutum. Ergo erat signum verum & efficax, ac priùs naturaliter suo signato, eiusq; causa. Ergo verè gratiam conferebat, fide ministri, & merito suscipientis exclusis, id enim non à tali merito, & fide, sed à Diuina institutione pendebat. Item per circumcisionem, non solùm delebatur, & remittebatur adultis peccatum originale sed etiam actualia, vt docent Theologi *in 4. d. l. q. 2. a. 4.* Idem dicendum est de Sacramento legis naturæ.

Delebat originale & actualia.

DICO 4. In Sacramentis aliis veteris legis, à Circumcisione, non dabatur gratia ex opere operato. Hanc Conclusionem Concilia, & authoritates SS. PP. expresse docent, dicentes, vetera Sacramenta significâsse, non autem contulisse gratiam ex opere operato.

Cætera veteris legis Sacramenta non causabant gratiam.

QVÆRES An Circumcisio fuit ordinata primariò ad afficiendū speciali nota populum Israeliticum, vel ad delendum peccatum originale?

Quo fine Circumcisio primariò instituta.

Prima opinio asserit, licet Circumcisio fuerit verum Sacramentum legis scriptæ, per cuius applicationem infallibiliter iustificabantur paruuli, tamen si consideretur circumcisio, quatenus erat peculiaris cæremonia, solùm habebat consignare eos, qui pertinebant ad populum Israeliticum. Probatur 1. ex sacris literis, in quibus cum refertur institutio Circumcisionis, solum assignatur causa talis institutionis, esse signum ad notandum populum Israeliticum, non verò esse medium

ad delendum peccatum originale. vt patet ex Genesi c. 17. *vt sit signum fœderis inter me, & vos:* Et infra. Erit pactum meum in carne vestra in fœdus æternum. Et *S.* Paul. *ad Rom. 3.* postquam interrogâsset, quodnam esset commodum ex Circumcisione: & respondisset, *multum per omnem modum.* Postea verò ostendens hanc magnam vtilitatem, nullum alium assignat, nisi quòd *sint eis credita eloquia Dei.* Ergo Circumcisio non fuit instituta primariò ad remissionem peccati originalis. 2. probatur ex S *S.* PP. S. Ambr: Epist: 72. ad Iren. dicit. *Non ergo Circumcisio aliquid habet dignitatis, sed signum est tantùm; quod signum ideò accipiebant filij Abrahæ, vt scirentur filij ejus esse.* S. Hieron: Explicans illa verba ad Galat. 3. *Cognoscetis, quia qui ex fide sunt filij Abrahæ,* ait, *Prævidens Deus ne soboles dilecti Abrahæ, cæteris nationibus misceretur, & paulatim familia ejus fieret incerta, gregem Israeliticum quodam Circumcisionis cauterio denotauit.* Sequitur Suarez *3. p. q. 61. d. 5. Sect. 1. vbi multos citat D D.* Probatur 3. ratione *Si* Circumcisio, vt est spiritualis cæremonia fuisset instituta ad delendum peccatum originale, certè cum hoc non deleatur nisi per gratiam, etiam esset instituta ad conferendam specialem gratiam, scilicet illam, quam conferebat *S*acramentum legis naturæ. Ergo iam remedium peccati originalis non esset æquale in viris, & fæminis legis scriptæ, quibus solum applicabatur remedium legis naturæ. Quod si quis id concedere nolit. Contra est *S.* Paulus *ad Gal. 3.* vbi dicit Deum non esse acceptatorem personarum, penes hoc quòd sit masculus, vel fæmina. Sed si fæminæ per remedium legis naturæ, non acciperent in lege scripta tantam gratiam, quantam viri per circumcisionem, id solùm esset ratione sexus fæminei, cum ibi nulla alia discretionis ratio posset excogitari. Ergo verè apud Deum esset acceptio masculi, & non fæminæ. Confirmatur 1. Quia S. Paulus in multis locis deprimit Circumcisionem; ad Galat. 5. *Neq; Circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed noua creatura.* vbi præsupponit, Circumcisionem, non prodesse ad faciendam nouam creaturam, aliâs multùm valeret, cujus tamen contrarium ipse docet. Confirmatur 2. Quia dum filij Israel peregrinarentur 40. annis per desertum, non fuit apud ipsos vsus circumsionis, vt colligitur ex *cap. 5. Iosue*, quia tunc separati erant ab aliis nationibus per desertum ambulando. Sed tunc parentes aliud remedium paruulis adhibebant; & aliquan-

Ex S S. Patribus.

Ratione.

aliquando ante diem octauum moriebantur paruuli. Ergo Circumcisio non erat primariò instituta ad delendum peccatum originale.

2. Opinio primariò asseritpropter peccatum originale.

2. Opinio asserit Circumcisionem secundùm quod erat peculiaris cæremonia, primariò, & per se institutam in lege scripta ad expiationem peccati originalis. Probatur 1. ad Rom. 4. dicitur. Et *signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ*, nomine *signi* denotatur Sacramentum, nomine *iustitiæ*, gratia iustificans, vt ex S. Aug. *lib. 6. contra Faustum patet*, & *in 3. parte Theologi q. 70. & q. 102. docent*. Et S. Aug. ex illo loco Gen: 17. vbi dicitur, *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo.* Ergo supponit legislator Circumcisionem institutam fuisse à Deo primariò ad delendum peccatum originale. Probatur 2. Quia per Sacramentum Circumcisionis remittebatur paruulis peccatũ originale; Ergo hæc fuit primaria ratio, & finis institutionis illius. Consequentia patet, quia si hæc non fuisset, potius conuenientiùs erat susceptionem talis Sacramenti differri vtq; ad adultam ætatem, quia sic perciperent homines significationem illius mysterii, & per actum illius doloris, & obedientiæ, quàm in Circumcisione exercerent, valde mererentur, quòd mirum inmodum illis vtilis esset. Probatur 3. Idem Sacramentum potest institui propter duplicem causam, & duplicem finem, vt de facto contingit in Sacramento Baptismi, quod institutum est ad delendum peccatum originale, & simul ad consignandũ signaculo characteris membra Reipublicæ Christianæ. Ergo Circumcisio instituta fuit & ad delendum originale, & ad consignandum populum Israeliticum. 4. probatur Quia si Circumcisio non fuisset primariò instituta ad delendum peccatum originale, certè hoc quod est delere peccatum, solùm conueniret, olim Sacramento Circumcisionis ex generali & communi ratione sacræ cæremoniæ fidei protestatiuæ. Consequens est falsum. Ergo & Antecedens. Sequela patet, quia Sacramentum Circumcisionis de facto delebat peccatum originale, quidquid sit de modo, quo ad id conferebat, vt conditio, vel vt vera causa. Ergo vel delebat illud ex speciali sua institutione, vt erat peculiaris cæremonia, vel generali ratione cæremoniæ protestantis fidem. At non ratione primi vt dicunt aduersarii. Ergo ratione secundi. Falsitas verò Consequentis probatur, quia si solùm deleret peccatum originale ex prædicto generali ratione, certè

certè si parentes offerrent Deo filios ante circumcisionem, media aliqua cæremonia externa protestatiua fidei, verè manerent iustificati, quia vis iustificatiua, non erat alligata Circumcisioni, vt erat peculiaris cæremonia, sed solùm communi, & generali ratione cæremoniæ, sacræ fidei protestatiuæ, & consequenter Circumcisio in lege scripta non erat necessaria necessitate medij. Hanc posteriorem opinionem multi sequuntur Theologi, & D. Subtilis subscribit *in 4. d. 1. q. 6. n 2.*

ARTICVLVS III.

An Sacramenta nouæ legis omnia conferant gratiam ex opere operato?

Omnes moderni hæretici vt refert Bellarm. *l. 2. de Sacramentis c. 2.* Alphonsus à Castro *verbo Sacramenta hæresi 1.* negant Sacramenta nouæ legis conferre gratiam habitualem.

Dico 1. Omnia nouæ legis Sacramenta conferunt gratiam habitualem ex opere operato, ac ex vi propria Sacramenti. Pro intelligentia. Nota signa alia sunt Theorica, quæ tantùm ad significandum sunt instituta, alia verò sunt instituta ad significandum & efficiendum aliquid & hæc dicuntur practica, & efficacia respectu significati. Differunt autem hæc signa inter se, quòd theorica nihil immediatè ex vi propria operantur, sed solùm significant, & repræsentant objectum, & si fortè aliquando sequitur effectus aliquis, non ex vi illius signi est, sed aliundè; practica verò signa immediatè operantur sua quadam virtute, ac proinde non solùm practica, sed etiam efficacia vocantur: talia sunt Sacramenta nouæ legis. Probatur Conclusio ex Conciliis Florentino, & Tridentino, vbi definitur Sacramenta non solùm significare, sed etiam gratiam efficere. Probatur 2. Sacramenta nouæ legis sunt causæ gratiæ, vt dicetur sequenti Quæstione. Ergo ex opere operato efficiunt gratiam. Antecedens est de fide in Tridentino *Sess. 7. can. 6. 7. & 8. Communis est SS. PP.* Ratio est, quia probitas, vel malitia, nihil confert, aut aufert à Sacramẽtorum veritate, nam siue malus, siue bonus sit minister, Sacramentum collatum suum sortitur effectum, nec ob bonitatem ministri augetur, nec ob malitiam ejus diminuitur. Ergo omnia Sacramenta nouæ legis ex vi Sacramẽti conferunt gratiam præter opus operantis.

Noua legis ex opere operato.

Signa Theorica & practica.

E Dico

Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam

Dico 2. Omnia Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam habitualem, non ponentibus obicem, præcipuè loquendo, & abstrahendo, à prima, & à secunda gratia: Definitum est in Trident. Sess 7. can. 7. *Si quis dixerit non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, & omnibus, quantùm est ex parte Dei, sed aliquando, & aliquibus non, etiamsi ea ritè suscipiant anathema sit.* Ex quo infertur primò, licet non omnia Sacramenta nouæ legis esse per se, & ex propria ratione, instituta ad conferendam primam gratiam, sed aliqua ad conferendam primam gratiam, vt est Baptismus, & Pœnitentia: & hæc non semper conferunt primam gratiam, nam si quis adultus accedat existens per contritionem ad Baptismum, vel ad Sacramentum pœnitentiæ verè contritus, tales non recipiunt primam gratiam, quia supponuntur esse in gratia, recipiunt tamen ex vi Sacramentorum augmentum gratiæ: cætera verò Sacramenta per se, non sunt instituta ad conferendam primam gratiam, sed ad augmentum gratiæ conferendum, vt est Confirmatio, Eucharistia &c. Ita D. Subt. *in 4. d. 23. q. vnica.*

Sacramenta nouæ legis non iustificant excitando fidem

Dico 3. Sacramenta nouæ legis non iustificant excitando fidem, vt malè volunt hæretici, sed ex vi propria, & ex opere operato, omni conferentis & recipientis merito excepto. Probatur Conclusio, verba & signa Sacramentalia pendent ex Diuina institutione, nec ab hominibus poterant institui. Ergo non sunt signa merè & verba rationis excitantia fidem, sed sunt practica & excitantia, vim habentia aliquid supernaturale efficiendi. Consequentia probatur, quia si verba, & signa Sacramentalia essent signa nudè excitantia mentem, potuissent ab hominibus institui, & eandem vim habere, non enim refert ad nudam significationem, quam hæretici Sacramentis tribuunt, quis ea instituerit, modo idem objectum repræsentent.

Aliquando conferunt primam gratiam.

Dico 4. De facto omnia Sacramenta possunt aliquando conferre primã gratiam. Est S. Thomæ *multis in locis, & multorum D D.* Ratio est, quia omnia Sacramenta per se, sunt instituta ad aliquem gradum gratiæ conferendum. Ergo si subjectum non habet dispositionem repugnantem actualiter ipsi gratiæ, semper illam conferrent: vel per modum augmenti, si subjectum in gratia existat, vel per modum primæ gratiæ si ea careat. Probatur Consequentia, quia si homo bona fide accedat ad Sacramentum, putans se esse iustificatum, non peccat, & si cum tali fide

fide habet attritionem, eſt ita diſpoſitus, vt ex parte ejus non repugnet peccatum expelli, & gratiam infundi. Ergo neq; ex parte Sacramenti repugnabit ex defectu virtutis, dari primam gratiam.

Dico 5. Quodlibet Sacramentum confert peculiarem gratiam ex vi ſua, diſtinctam à gratia alterius ratione peculiaris effectus. Probatur, quia ſeptem Sacramenta à Chriſto inſtituta differunt inter ſe ſpecie. Ergo habent ſignificata ſpecie diſtincta. Sed hæc ſignificata ſunt gratiæ Sacramentales. Ergo iſtæ inter ſe ſpecie diſtinguuntur. Antecedens probatur, quia ſignificata Sacramentorum ſunt ſpecie diſtincta. Ergo & ipſa Sacramenta, quæ à ſuis ſignificatis ſpecificationem accipiunt. Probatur Antecedens, in Baptiſmo & Confirmatione, & idem de aliis erit iudicium, quia in Baptiſmo ſignificatum ejus eſt ablutio à peccato originali, & regeneratio in vitam ſpiritualem: in Cõfirmatione verò eſt animi roboratio ad fidem profitendam, quæ ſpecie & ratione diſtinguuntur. Confirmatur 1. Si eundem omninò effectum haberent, ſequeretur quædam Sacramenta non eſſe magis neceſſaria ad ſalutem, quàm alia: neq; poſſet reddi ratio cur quædam iterari poſſent, & quædam non: neq; cur tot Sacramenta ſint multiplicata. Confirmatur 2. Quia licet omnia Sacramenta conueniant in ratione gratiæ gratum facientis, diſtinguuntur tamen ſecundùm ſpecificas rationes, ob idq; peculiares & differentes. Vnde gratia communis ſub illa ratione, qua per Baptiſmum datur ad peculiarem finem, eſt Sacramentalis gratia, cuius proprius effectus eſt regenerare hominem in vita Diuina participata ſpirituali.

Quodlibet Sacramentum confert peculiarem gratiam.

D. S. in 4. d. l. 1. q. 6.

Collige Sacramenta dicuntur continere gratiam, non vt vas aquam, ſed quia illam ſignant, & ſuo modo cauſant, niſi obſiſtat obex, ob idq; dicuntur vaſa gratiæ.

Sacramẽta continent gratiam.

QVÆSTIO IV.

De Cauſalitate Sacramentorum.

In hac Quæſtione inquirenda ſeſe offerunt.

1. An in Sacramentis ſit aliqua virtus ſupernaturalis, quâ gratiam verè attingant effectiue?
2. An Sacramenta cauſent gratiam in tempore, vel in inſtanti?
3. Qualem Sacramenta habeant cauſalitatem actiuam reſpectu gratiæ?

ARTICVLVS I.

An in Sacramentis sit aliqua virtus supernaturalis, quâ gratiam verè attingant effectiuè?

Virtus dupliciter sumitur. NOTA 1. Virtutem bifariam sumi. 1. pro forma quadam absoluta, quæ est principium agendi. 2. vt idem virtus sit, quod vltimum de potentia, ex 1. *cæli textu 116.* vltimum signi practici est, vt modo practico significet, & talis virtus conceditur in Sacramento, sed non est forma absoluta, sed relatio conformitatis ad signatum.

Institutio Sacramēti duo inuoluit. NOTA 2. Institutio Sacramenti, non solùm est institutio ad significandum practicè, sed cum hoc determinatio signi ad veritatem, & certitudinem prouenientem ex determinatione voluntatis Diuinæ, ad cooperandum semper illi signo, nisi indispositio suscipientis impediat; & hoc modo Sacramentum ex sua institutione habet efficaciam; quia Deus imponens hujusmodi signum determinauit se infallibiliter ad cooperandum illi ad causandum suum significatum, nisi obex obsit.

Qualis virtus in Sacramentis. DICO. Licet in Sacramentis sit efficacia, & virtus respectu gratiæ, quam significant, prout virtus vltimum de potentia significat: non tamen prout dicit formam absolutam actiuam, & supernaturalem. 1. pars constat ex notandis. 2. pars probatur, quia repugnat virtuti spirituali in materiali Subiecto esse.

1. ratio. At Sacramenta materialia sunt. Ergo in ipsis talis virtus inesse non potest. Nam vel esset tota in toto Sacramento, vel tota in qualibet parte, aut tota in toto, & pars in parte. Non primum, quia inter omnes formas materiam perficientes, sola intellectiua est talis. non 2. quia tunc extenderetur per accidens in subjecto, quod est contra rationem virtutis spiritualis. *2. ratio.* Præterea cum in Sacramento requirantur verba multa, quæro an in qualibet syllaba esset eadem virtus omnium, vel alia & alia, in alia & alia syllaba. Si primo modo. Ergo idem accidens migraret de subiecto in subiectum, maneretq; suo subiecto deficiente, quod non est consonum Philosophiæ. Si secundo modo sequeretur, quòd Sacramentum consistens in tota oratione, non haberet aliquam vnam virtutem, quia cum syllabæ sint plures & diuersæ, consequenter & virtutes, quæ Sacramentum vnum simpliciter & *3. ratio.* efficaciter efficere nequeunt. 3 probatur, quia non constat quomodo illa virtus causaretur: quia aut causaretur in illo sensibili ad Sacramentum pertinente, ante applicationem ad actum & vsum, vel in ipsa ap-

plicatione: si ante; Ergo ejus causatio esset purè miraculosa, quia non fit per aliquam dispositionem firmatam cum Ecclesia. *Sed* ante applicationem ad vsum illorum verborum, nulla est dispositio, quam consequatur, sed immediatè nullâ re suppositâ fit â Deo, & ideò erit purè miraculosa illius virtutis causatiua, si ante applicationem fit. *Si* verò causatur in ipsa applicatione ad vsum, videtur esse inconueniens, quia ideò necessitas instrumenti supponitur ad ipsum vsum, imò naturaliter præcedit, non enim quia immergo, siue vtor aliquo sensibili ad actum *Sacramenti*, ideò recipio illam virtutem supernaturalem, sed antea debebat illam habere. Ergo non est assignabile quando ista virtus datur.

DICES 1. *S.* Aug hom 8. sup. Ioan. dicit, *Quæ est ista virtus aqua vt corpus tangat, & cor abluat.* Ergo in aqua est aliqua virtus supernaturalis.

RESPONDEO Cum D. Subt. *in 4. d. 1. q. 4* quòd ista virtus, non sit forma absoluta supernaturalis, sed conformitas ad signatum effectû, cum prioritate naturæ ad ipsum, sicut causa ad effectum suum. *Qualis virtus est in aqua.*

DICES 2. *Sicut* medicina habet virtutem actiuam in ordine ad sanitatem, ita *Sacramentum* ad sanitatem animæ. Ergo sicut in medicina est virtus naturalis, quæ efficit sanitatem, ita & in *Sacramentis* est virtus supernaturalis.

RESPONDEO *Si* sanitas produceretur ab agente voluntario, posset ab eo institui aliquod signum efficax, quod esset dispositio necessitans ipsum ad inducendam sanitatem, illud signum esset medicina virtuosa, non tamen per aliquam formam absolutam, quæ esset principium sanandi, sed tantum per ordinem efficacem ad sanandum: ita in proposito. *Comparatio quomodo currat.*

ARTICVLVS II.

An Sacramenta causent gratiam [absolutè loquendo de causa] in tempore, vel in instanti?

DICO 1. *Sacramenta* conferunt gratiam cum suscipiuntur, nisi obicem in suscipiente inueniant. Patet ex supra dictis.

DICO 2. *Sacramentum* non confert gratiam in aliquo certo, & determinato tempore, in illo scilicet in quo vltima particula ejus finitur. Probatur quia res permanens cùm sit tota simul, totaq; simul fiat non potest in tempore incipere; quia rerum successiuarum est mensura: *Sed* gratia est qualitas permanens; & indiuisibilis, totaque *Sacramentum nō confert gratiam in certo tempore.*

 simul

ſimul efficitur, quia in Agente eſt virtus ſufficiens, & in Subiecto non eſt reſiſtentia, & ipſa ex natura ſua poſtulat ita fieri. Ergo non incipit in tempore. Conſequentia eſt nota. Et minor patet. Maior probatur, quia talis inceptio rei permanentis, vel fieret per primum ſui eſſe, vel per vltimum non eſſe. Si primo modo, non inciperet eſſe in tempore, ſed in inſtanti; eſt enim ſenſus, nunc eſt & immediatè, ante hoc non fuit, & conſequenter eius incæptio non correſpondet tempori noſtro, ſed inſtanti. Si verò ſecundo modo. Ergo verum erit dicere, nunc non eſt, & immediatè poſthoc erit. Sed illud tempus quod dicitur eſſe immediatè poſt hoc inſtans, non poteſt eſſe determinatum, quia non clauditur intra duo inſtantia determinata. Quod ſic oſtendo, nam ſi quolibet inſtanti ſignabili in illo tempore immediatè poſthoc, erit verum dicere ante incæpiſse rem, & illam eſse immediatè poſthoc inſtans, quia ante illud inſtans erat tempus: non ergo poteſt determinata pars temporis, eſse adæquata menſura incæptionis rei permanentis. Præterea ſumo totam illam particulam vltimam totius Sacramenti, per quam dicitur fieri gratia, & inquiro, an in priori dimidia parte eius, ſit conſummatum Sacramentum. Si non. Ergo illa pars prior, non poteſt gratiam efficere, quia quamdiu non eſt Sacramentum factum, non datur gratia, aliâs dici poſſet, gratiam fieri ex principio, ex quo Sacramentum incipit, quia non eſt maior ratio, de vna parte, quàm de alia, ſi in vtraque Sacramentum eſt inchoatum, & nondum perfectum; Si autem in priori parte, Sacramentum eſt conſummatum: Ergo alia, quæ poſtea ſubſequetur, non eſt pars Sacramenti.

Inſtantia. Quod ſi dicas in priori parte Sacramentum fuiſſe conſummatum eſſentialiter, non tamen eſſe omni ex parte integrum. Reſpondeo Quia vt forma Sacramenti ſit eſſentialiter completa, neceſſe eſt, vt ſit conſummatus, & abſolutus ejus ſenſus: quodſi inſit talis forma, etiam eſt integra, & omni ex parte completa. Si autem ſenſus formæ nondum eſt conſummatus, Sacramentum neq; eſt integrum, neq; eſſentialiter completum. Ergo neceſſarium eſt, totam illam particulam vltimam finiri, vt Sacramentum ſit eſſentialiter completum, & conſequenter non dat gratiam in toto in illo tempore, quo durat illa vltima pars Sacramenti.

Dico 3. Gratia non fit per Sacramentum in tempore indeterminato,

minato, vel per vltimum non esse ipsius gratiæ. Probatur quia res permanens, quæ est tota simul non potest in tempore incipere, sed necessariò in instanti, quia illud suæ permanentiæ repugnat, vt patet ex Conclusione præcedenti. *Gratia fit in instanti.*

Dico 4. Sacramentum non confert gratiam in aliquo vltimo instanti, in quo sic fit, vt illud instans sit intrinsecum durationi ipsius Sacramenti. Probatur, quia si idem fieret, maximè in vltimo instanti prolationis verborum. Sed in illo instanti non sic causat. Ergo. Minor patet, quia illud instans vltimum prolationis, est primum non esse naturalis Sacramenti, quia cùm res successiua sit, non potest nisi per primum sui esse desinere. Si verò est primum non esse Sacramenti illud instans. Ergo non est intrinsecum durationi ejus, quia instans non esse rei, non est illi intrinsecum, sed extrinsecum potiùs ad non esse ejus, quàm ad esse pertinens. Præterea Motus non est in instanti generationis, sed finitus jam est, & illud instans, & generatio, est quid extrinsecum motui alterationis præcedentis. Ergo dici non potest quòd in vltimo instanti prolationis verborum, & finis Sacramenti secundum suum esse naturale sit, & perficiatur, jam enim desiit, & nulla ejus entitas, & positiua manet. *Instans non est intrinsecum durationi.*

Dico 5. Sacramentum causat gratiam in primo instanti sui non esse, seu in vltimo instanti prolationis verborum, quod est primum esse gratiæ, & primum non esse Sacramenti. Patet quia nullus alius modus excogitari potest, nec instans in quo causetur gratia, tunc enim Sacramentum est finitum, & completum. Ergo habet suum effectum, & significatum, non enim in aliud tempus ejus causatio differenda est. *Sacramentum causat gratiam in primo instanti sui non esse.*

ARTICVLVS III.

Qualem Sacramenta habeant causalitatem actiuam respectu gratiæ?

Celebris est controuersia de causalitate (respectu gratiæ) Sacramentorum, inter Theologos, præcipuè tamen duæ sunt sententiæ. *opiniones de causalitate Sacramentorum.*

Prima asserit Sacramenta esse causas physicas instrumẽtales, in explicanda tamen prædicta sententia varii sunt modi dicendi. Primus modus est eorum qui asserunt Sacramenta physicè efficere dispositionem ad

gratiam,

gratiam, non verò inmediatè attingere gratiam ipsam, sed hanc solum Deum efficere: *ita S. Thom. in 4. d. 1. q. 1. a. 4.* Secundus modus est asserens Sacramenta posse esse instrumenta physica gratiæ, per qualitatem quãdam diuinitùs eis impressam, quæ sit illis ratio, & virtus physica agendi. Ita *Alen. 4. p. q. 8. membro 3 a. 5. Paludanus. Capr. in 4. dist. 1. q. 3. & alij.* Tertius modus asserens Sacramenta esse physica instrumenta per motum in illis receptum absq; productione alicuius qualitatis. Quartus modus asserens Sacramenta esse instrumenta physica gratiæ per potentiam obedientialem actiuam, supernaturali Dei auxilio subordinatam, & illis intrinsecam.

2. Opinio. 2. Sententia negat vllam inesse causalitatem physicam Sacramentis, sed solam moralem admittit. Ita D. Subt. *in 4. d. 1. q. 4. & 5.* & omnes eius discipuli. Sequuntur multi ex antiquioribus Theologis, vt Richardus, Gabriel, Aureolus, Capreolus, Durandus *in 4. d. 1. q. 4.* & ex recentioribus Coninchus *in 3. p. q. 62. Art. 4 dub. Conc. 2.* pro qua intelligenda.

Quid causa Physica. NOTA 1. Hoc interesse inter causam physicam & moralem, quòd physica influat in effectum, & attingat eius entitatem, & communicet illi esse per virtutem physicam, quam in se habet, siue illa sit propria, siue communicata. *Quid moralis.* Causa verò moralis, non sic influit in effectum, sed applicat causam physicam ad producendum effectum, applicat inquam in genere moris, seu moraliter, hoc est consulendo, rogando, imperando pactum iam initum, vel alio simili modo, quo flecti solet, & inclinari voluntas ad aliquid efficiendum; Ex quo oritur alia differentia inter causam physicam, & moralem, quòd physica instrumentalis immediatè semper tendat ad effectum; quia ad illum producendum habet virtutem Physicam intrinsecam.

Causa verò Moralis immediatè attingit voluntatem alterius, in genere moris, vt patet in consulente homicidium, qui non oportet vt possit attingere ipsam occisionem. Ex qua doctrina infertur Sacramenra non posse esse causas Morales gratiæ, quia cum causa Moralis agat per intentionem Morali & libero quoddam modo consulendo, præcipiendo, vel obsecrando. Sed hoc Sacramentis conuenire non potest. Ergo non possunt Sacramenta esse causæ Morales juxta oppositam sententiam.

NOTA

NOTA 2. Ex Doct. Subt. *in 4 d. 1. q. 1.* Quod causa propriè actiua & physica, vt propriè & physicè agat; siue instrumentalis, siue principalis sit, debet habere in se formam, quâ mediante agat, quia actus secundus physicus & realis, necessariò supponit actum primum & realem; quia actus primus est principium actus secundi; quod verò nullum actum primum in se habet actiuum in suo ordine, in nullum actum secundum potest in illo ordine, alioquin quodlibet posset poni instrumentum respectu cujuslibet. Sed aduerte, quòd instrumentum vno modo sumitur vt distinguitur contra causam independenter agentem ab alia, & sic omnis causa secunda dicitur instrumentum, quia dependet à prima, quæ principaliter, & independenter agit à secunda. Alio modo sumitur Instrumentum vt distinguitur contra causam agentem principaliter, id est per propriam formam intrinsecam, sicut omnis causa secunda agit, & tunc illud potest dici instrumentum, quod non habet in esse formam actiuam in suo ordine, etiam dependendo in sua actione ab alio superiori, sed tantum agit per actualem motionem alterius mouentis, & vtentis instrumento, vt patet in instrumentis artis, vt securi &c.

Causa propriè actiuâ physica.

Instrumentũ quid sit

NOTA 3. Ex eodem Doctore *loco citato, & in responsione ad quæstionem quintam.* Quòd forma quæ creatur prius natura habet esse ab efficiente, quàm Materiam informet; & sic alia est actio quâ creatur, ab ea quâ vnitur Materiæ, vel subjecto ipsum informando, vt constat in creatione animæ rationalis quæ prius naturaliter creatur, quàm informet, atq; ita creatio ab ipsa informatione separari potest. Præterea idem D. Subt. *in 3. d. 11. q. 1. §. cui ista opinio non placet,* non educi docet de potentia animæ gratiam, sed creari immediatè à Deo, ex nihilo, est enim forma adeò supernaturalis, vt ex vi suæ naturæ postulet modum, quo Angeli, & anima creatur, vt ipsa fiat, & producatur, Licet gratia sit forma accidentalis, non tamen de potentia Materiæ & subjecti est educibilis, quia gratia & charitas, quæ Diuinæ naturæ est participata similitudo, quæ ex ratione suæ perfectionis specificæ habet, vt non aliter quàm per creationem fieri potest.

In forma creata est duplex actio

Gratia creatur.

DICO 1. Sacramenta non causant efficienter ornatum illum gratiam præcedentem. Probatur. Quia vel iste ornatus seu dispositio quam Sacramenta dicuntur efficere, est naturalis qualitas vel supernaturalis.

Sacramenta non causent ornatũ

naturalis. Non primum quia talis qualitas naturalis, gratis & sine fundamento fingeretur. Neq; secundum dici potest, quia vel illa qualitas, fit per creationem, vel non. si creatur; ergo non magis potest fieri immediatè per Sacramenta, quàm gratia. Ergo oportebit aliam fingere dispositionem, quam possit Sacramentum attingere, de qua eadem redibit quæstio, & sic in infinitum. Si verò dicas non creatur; Ergo nec gratia creabitur, quia licet dici posset gratiam esse perfectiorem qualitatem, quàm sit illa dispositio, tamen in hoc conueniunt, quod vtraq; est forma supernaturalis, & vtraq; fit in subjecto vltra capacitatem naturalem ejus; Ergo vel vtraq; creatur, vel neutra. Confirmatur in Sacramento Eucharistiæ, non potest talis fingi ornatus, qui sit dispositio prævia; nam talis dispositio non potest fieri in substantia panis, quia hæc iam non est, quando efficitur transubstantiatio. Neq; fieri potest ista dispositio in corpore Christi, nam per hoc Mysterium nulla qualitas additur, corpori Christi, sed sola Sacramentalis præsentia.

Sacramenta non causant physica actione. Dico 2. Sacramenta non causant Physicâ & reali actione gratiam, ita vt verè eam ejusq; productionem attingant, sicut ignis productionem ignis Physicâ actione attingit. Probatur. Quia nihil potest actiuè agere ad aliquem terminum, in vllo ordine, nisi in se habeat actum primum, & formam actiuam quâ in eodem ordine agat, & attingat effectum, quia actus secundus dependet essentialiter ab actu primo. Sed Sacramentum nullam formam actiuam habet in se, ante motionem à Deo, nec in ipsa motione, quâ agat ad gratiam. Ergo eam non attingit physicè. Quod si dicas, satis est à Deo moueri vt sic agat, Respondeo. Motus & Motio quæcunq; illa sit, sine causatione alicujus virtutis in Moto, non est causa actiua, vt omnes Philosophi concedunt. Ergo per illam Motionem non potest actiuè concurrere ad aliquem terminum, quem propriè Physica actione attingat. Probatur secundò. *2. ratio.* Si Sacramentum est Causa gratiæ Physica, vel æquiuoca, vel vniuoca; Non vniuoca, quia tunc gratia esset formaliter in Sacramento: nec æquiuoca, quia causa æquiuoca Physica, quæ per formam actiuam causat effectum, est simpliciter perfectior suo effectu, at in re sensibili aliquid nobiliùs, vel eminentiùs gratiâ esse non potest. Ergo, Sacramentum non est propriè causa Physica actiua gratiæ.

Sacramenta non causant per qualitatē. Dico 3. Sacramenta non causant gratiam per Qualitatem quandam

quandam Diuinitùs eis impressam quæ sit illis ratio Physica, & virtus agendi. Est D. Subt. *in 4. d. 1, q. 5.* Et est iam probata *hîc articulo primò.*

Sacramenta non causant per auxilium extrinsecum DEI.

Dico 4. Sacramenta non sunt Instrumenta Physica gratiæ per extrinsecum auxilium Dei præcisè, seu per hoc quod coniungantur cum virtute increata Dei, & illi immediatè subordinentur. Probatur. quia quoties effectus fit ab instrumento physico, non solùm dependet à virtute causæ principalis, sed ab entitate instrumenti, alias instrumentum non fuisset agens Physicum, cum in sua Entitate nihil haberet à quo penderet infieri Physicè effectus. Ergo in ipsa Entitate instrumenti debet inesse aliqua vis actiua præter totam virtutem causæ principalis à qua fluat, & dependeat effectus, cum actus secundus necessariò supponat actum primum.

Non per potentiam obedientialẽ.

Dico 5. Sacramenta non sunt causæ Physicæ instrumentales per potentiam obedientialem actiuam supernaturali Dei auxilio subordinatam, & illis intrinsecam. Probatur 1. Quia potentia obedientialis vt sic, & ex propria & intrinseca ratione importat rationem potentiæ passiuæ. Ergo omnino repugnat contrahi per rationem potentiæ actiuæ. Antecedens patet, Tum quia vt communis fert Theologorum sententia potentia obedientialis est aptitudo ad recipiendum aliquid ab eo, cui præter, vel supra naturam res obedire potest. Tum quia omnis potentia sumit speciem ex ordine ad actum, quem proximè & immediatè respicit. sed potentia obedientialis vt sic, proximè respicit actum patiendi imperatiuè, ac directiuè ab alio. Ergo potentia obedientialis vt sic essentialiter est passiua. Tum quia potentia obedientialis dicitur per ordinem ad potentiam Superioris, cui subordinatur. Sed potentia illa superior in quantum subdit & imperat prædictæ potentiæ obedientiali, comparatur ad illam vt potentia actiua, quia imperare est agere, seu actiuè mouere, id quod sibi subjicitur. Ergo potentia illa subdita, seu obedientialis comparabitur illi vt potentia passiua; hæc enim correlatiuè dicuntur ad inuicem. Probatur secundò Si daretur talis potentia actiua obedientialis rebus omnibus congenita, illa necessariò deberet esse intrinsecè supernaturalis. Sed repugnat; vt id quod est congenitum naturæ, sit supernaturale, non enim potest virtus congenita & intrinseca Entitati naturali, excedere gradum & ordinem illius, aliâs nulla

Potentia obedientialis quid?

2. ratio.

3. ratio. nulla esset distinctio ordinis naturalis & supernaturalis. Probatur tertiò. Naturale & supernaturale adæquatè diuidunt rationem entis, atq; adeò nullum poterit dari Ens actu existens in rerum natura quod non sit vel naturale vel supernaturale. sed non est supernaturale vt visum est. Ergo deberet esse naturalis. Sed hoc dici nō debet, nam si naturalis esset, non exigeret operari semper modo supernaturali sed aliquando modo naturali sibi proportionato, cùm ex natura rei sequatur modus essendi. Tum quia non est intelligibile qua ratione ab Auctore naturæ & à principiis naturalibus oriatur virtus actiua supernaturalium actionum miraculorum, & prodigiorum & effectuum, non aliter ab illa attingibilium, quàm modo supernaturali totū ordinem naturæ superanti. Deniq; probatur, Quia implicat dari virtutem aliquam Physicè actiuam, quæ sit potentia instrumentalis, connaturalis respectu effectuum supernaturalium. Sed si daretur creaturæ potentia obedientialis actiua esset reuera ejusmodi. Ergo omnino repugnat illam dari.

4. ratio.

Sacramenta causant gratiam moraliter.

Dico 6. Sacramenta nouæ legis causant gratiam moraliter. Probatur 1. Quia Sacramenta nouæ legis vt baptismus, & pœnitentia eodem modo causant gratiam, quo causant remissionem peccatorum: Eodem enim tenore verborum dicunt Concilia, & SS. PP. esse causas vtriusq; sed Sacramenta non causant Physicè remissionem peccatorum. Ergo neq; gratiam Minor probatur, quia remissio peccatorum est actus immanens Dei, condonantis homini sua peccata, & deponentis odium quo illum prosequebatur: sed Sacramenta non possunt causare actum immanentem Dei physicè. Ergo non possunt esse causa Physica remissionis peccati. Probatur 2. Majorem proportionem habent cum gratia actus supernaturales charitatis, quàm Sacramenta nouæ legis, cum hæc sint corporea, & sensibilia, & secundum suam Entitatem physicam ordinis naturalis, illa verò spiritualia, & supernaturalia physicè sicut & ipsa gratia. Sed actus charitatis non efficiunt physicè gratiam, sed tantùm moraliter per modum impetrationis. Ergo nec Sacramenta efficiunt gratiam physicè, sed tantùm moraliter. Probatur Tertiò Quià Sacramenta cum causent vt instrumenta passionis, & mortis Christi Domini & in virtute illarum, non aliter certè causabunt gratiam, quàm passio & mors Christi Domini, cujus sunt instrumenta, aliâs nō seruaretur debita proportio inter instrumētum & causam principalem. sed nec

2. ratio.

3. ratio.

passio,

passio, nec mors Christi Domini causant modo Physicè gratiam. Quartò probatur, quia humanitas Christi Domini est organum & instrumentum coniunctum Verbi ad efficiendum opera miraculosa, & supernaturalia, & maximè ea quæ pertinent ad iustificationem hominis, sed humanitas Christi Domini non concurrebat ad miracula physicè, sed tantùm moraliter. *Quinto probatur.* Si Sacramentum V. G. baptismi causat Physicè gratiam, necessarium est quòd causet illam in primo non esse sui, sed hoc fieri non potest, quia Sacramentum tam tunc non est. Ergo tunc iam non operatur, cum operari, præsupponat esse. vel causat illam in tempore immediato ante primum non esse & hoc etiam non, quia gratia cum sit entitas indiuisibilis in instanti producitur, hoc est interminatiuo prolationis verborum Sacramentalium, & cum prolatio verborum fiat successiuè illud in stans necessariò debet esse extrinsecum illi: nam successiua desinunt per primum non esse, ita vt nunc non sunt, & immediatè ante hoc fuerunt. Ergo non potest gratia produci in tempore antecedenti illud instans. 4. *ratio* 5. *ratio.*

Dices 1. Hæc causalitas actiua Physica est magis consentanea, & accommodata locis Sacræ Scripturæ, & Conciliorum, in quibus dicitur, nos per Sacramenta mundari & sanctificari: Ergo ipsis est tribuenda. Antecedens patet, dicitur enim *ex aqua, aut per lauacrum regenerationis, & lauacro aquæ in verbo vitæ nos sanctificari*, hoc idem in Conciliis definitur: & à Sanctis Patribus communiter asseritur. *Objectio 1.*

Respondeo Quòd authoritates Sacræ Scripturæ, Conciliorum & SS. Patrum phrases loquendi eorum optimè saluantur tribuendo Sacramentis Causalitatem Moralem, & physicam, non tamen attingendo physicè effectum. *Solutio*

Dices 2. In Sacramento pœnitentiæ illa verba, *Ego te absoluo*, quæ fundantur in illis verbis, Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*; Ad quorum veritatem oportet vt sacerdos illa proferens verè absoluat, vt docet Concil. Constant. *Seß 45.* Ergo necesse est vt gratiam verè conferant quæ est forma, per quam peccator à peccato abluitur: Sed non potest dici Sacerdos verè conferre gratiam, nisi saltem suo verbo illam efficiat, nam si solus Deus eam efficit ad præsentiam verborum. Ergo solus Deus ipse remittit & absoluit, non verò Sacerdos. Respondeo Quòd Sacerdos verè absoluat Ministerialiter ad quod non oportet vt gratiam Physica actione attingat per Sacramẽtum, *Objectio 2.* *Solutio*

quia Sacramentum propriè actiuè nō potest gratiam attingere. Quod vlterius ex eo patet, quia cum esset causa æquiuoca gratiæ, necessariò deberet esse perfectior illa, quia causa proxima Physica alicuius effectus necessariò debet esse eo perfectior.

Objectio 3. DICES 3. Sacramenta sunt verè & propriè causæ gratiæ, & vt tales verè continent, & conferent illam, vt apertè constat ex Conciliis maximè ex *Trident. Sess. 7 C. 6. 7. 8.* Sed si *Sacramenta* nouæ legis non causant physicè gratiam, non possent esse propriè & vere causæ gratiæ, nec in rigore dici, quòd illam contineant. Ergo hæc nostra sententia pugnat cum *Sacris* Conciliis. *Minor probatur primò,* quia Sacramenta in tantùm sunt causæ morales gratiæ, in quantùm ex Christi institutione mouent Diuinam voluntatem ad productionem gratiæ. Sed Diuina voluntas non potest propriè moueri, sicut nec propriè immutari à creatura: Ergo tantùm mouetur motione metaphorica, & consequenter Sacramenta non causabunt propriè, sed metaphoricè. *Secundò,* quia etiamsi homo disponens materiam, moueat voluntatem DEi, vt creet animam, nemo tamen propterea dicet hominem esse propriè causam animæ, aut illam in virtute continere, aut conferre, quod tamen de Sacramentis est dogma fidei, prout habetur in citatis Conciliis; Ergo quòd Sacramenta moueant in genere causæ moralis Diuinam voluntatem, ad productionem gratiæ, non est sufficiens, vt cum proprietate dicuntur esse causæ illius, aliàs etiam oratio alicuius Sancti mouens DEum, vt peccatori conferat primam gratiam diceretur causa primæ gratiæ. *Tertiò* quia id quod non transcendit rationem puræ conditionis sine qua non, euidens est non habere rationem causæ propriè dictæ. At si *Sacramenta* solùm causarent moraliter gratiam, solùm essent conditiones, sine qua non; Ergo &c. Probatur minor, tum quia tota causalitas moralis conuenit *Sacramentis*, ex solo pacto DEi promittentis ad præsentiam *Sacramenti* infallibiliter causare gratiam, in non ponentibus obicem; quod tamen totum, necessariò haberent, etiam si dicatur esse puras conditiones sine qua non. Tum quia causalitas Moralis, tota posita est in ratione signi, quatenùs ex Diuina institutione significat gratiam infallibiliter conferendam à Deo ad eorum præsentiam. At Florent. & Trid. vbi supra, licet admittant rationem signi in Sacramentis veteris legis,

non tamen admittunt causalitatem. Ergo cùm dicunt Sacramenta nouæ legis, esse causas, loquuntur de causalitate Physica. Aliàs si tantùm de morali, certè nostra Sacramenta, non transcenderent rationem signi, quod est apertè hæreticum, vt definitur in *Tridentin. Sess. 7. canon. 6.* vbi dicitur, *Si quis dixerit Sacramenta noua legis non continere gratiam, sed quasi signa tantùm externa sint &c. anathema sit.* Tùm quia licet causa moralis sit propriè causa in genere moris respectu inclinationis voluntatis Dei, ad producendum effectum gratiæ, tamen hoc totum genus causæ, eò solùm tendit, vt applicet Diuinam voluntatem ad conferendam gratiam; tamen respectu huius effectus, qui est gratia, solùm se habet, vt mera conditio, sine qua non, vt constat in eo, qui applicat ignem passo. Ille enim verè est causa applicationis ignis ad effectum combustionis, tamen respectu combustionis, solùm se habet, vt mera conditio, sine qua non, sicut, & ipsa applicatio.

RESPONDEO *ad hæc omnia.* Causam Moralem propriè esse causam, vt patet in Episcopo conferente beneficium, qui propriè est causa collationis beneficii, & tamen solùm est causa moralis, & idem est de Rege eligente aliquem in Prætorem, verè enim est causa talis electionis, & dignitatis, non Physica, sed Moralis, qui etiam applicat ignem ad comburendam domum, propriè dicitur causa talis combustionis, & damni inde resultantis, & ideò ad restitutionem obligatur. Vnde sicut si Petrus manu habeat inflammatas faces, quibus domum exurere posit, verè dicit in mea potestate est domus combustio, sic Sacramenta quamuis solùm sint causæ morales, propriè tamen sunt causa gratiæ, & continent illam, sicut etiam Chyrographum dicitur continere redemptionem captiui. Deinde de fide est pasionem Christi, & mortem illius esse propriè causas nostræ justificationis, etiam extra Sacramentum, & tamen non sunt nisi causæ Morales, quia causa non existens in se, nec in virtute à se relicta, non potest physicè operari, vt latè supra ostensum est. *Solutio. Causa moralis est verè causa. Nota decla*

Actus etiam meritorii, causa sunt augmenti gratiæ, & vitæ æternæ, & tamen non Physica, sed Moralis, vt omnes Theologi fatentur. Ac tandem *Act. 8.* de Apostolis dicitur, quòd *dabant Spiritum Sanctum per manus impositionem.* Certum autem est id solùm verificari moraliter, & non physicè, cum ipsi non causarent physicè, præsentiam

Spiritus

Motionis diuinæ datur causa moralis.

Ad secūdam probationē solutio.

Spiritus Sancti, sed tantum moraliter. Respondeo in forma, negando minorem. *Ad primam probationem respondeo*, quòd licet respectu motionis Diuinæ voluntatis, non possit dari causa Physica, benè tamen moralis, quæ propriè sit causa in genere morali. *Ad secundam probationem.* Respondeo, quod generans disponens Materiam ad introductionem animæ, nec est causa Physica entitatis animæ, quia illam non educit, ex materia, nec etiam Moralis, quia cùm generatio sit purè opus naturæ, imò naturalissimum, illius libertati nullomodo subordinatum, extra totum genus causæ moralis est. *Ad tertiam nego Minorem*

Solutio 3. instantiæ

& ad primam probationem patebit, ex infra dicendis. Ad secundum existimo falsam esse eorum sententiam, qui dicunt significationem Sacramentorum esse rationem formalem, causalitatis moralis ipsorum.

Significatio non est formalis ratio causalitatis

Causalitas moralis ad voluntatem referetur.

Nam certè significatio Sacramentorum ad intellectum est conferenda, tanquam ad propriam causam, quia Sacramenta, vt sunt signa gratiæ, instrumenta sunt intellectus instituentis illa ad significandum, vt media significatione res significata aliis innotescat. Cæterum causalitas moralis potissimùm ad voluntatem est referenda, quia voluntas quatenùs ex libertate operatur, principiū est & radix totius moralitatis. Vnde Sacramenta, quatenùs sunt instrumenta voluntatis Diuinæ liberè applicantis, seu acceptantis valorem meritorum Christi: sunt propriè causatiua gratiæ, & sic oportet non confundere causalitatem moralem cùm eorum significatione; hæc enim ita distinguuntur, vt non solùm ratione, sed reipsa ab inuicem separari possint. Nam licet de facto causalitas Sacramentorum sit alligata significationi eorum, poterat tamen Christus valorem suorum meritorum applicare, cuicunq; rei sensibili, omni significatione destituta, & sic res illa haberet rationem causæ moralis, quia ex morali Christi applicatione contineret valorem meritorum illius, & tamen non haberet rationem signi, sicut argentum Regale, supposita institutione, auctoritate Regis facta, verè continet moraliter valorem, tot, vel tot dipondiorum. Patet ergo euidenter omnino falsum esse, quod in nostra sententia Sacramenta non transcendant rationem signi. Ad illum autem exemplum de applicante igne.

Nota ad instantiam solutionem.

Respondeo, quod id quod in esse naturæ, & in esse physico, est tantùm conditio, sine qua non, potest esse in genere moris propriè, & verè causa, sicut quæ sunt plura in genere naturæ, possunt fieri vnum in genere artificii.

Dices

DICES 4. Deus est causa physica gratiæ. Ergo etiam Sacramenta sunt instrumenta physica gratiæ. Consequentia patet, quia instrumentum in eodem genere causat, quo causa Principalis, cùm concurrant in vi vnius actionis, & quia aliâs non seruaretur debita proportio inter instrumentum, & causam principalem.

Respondeo Ioannis 3. dicitur *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest videre Regnum Dei*; vbi renascentia spiritualis eodem modo tribuitur Spiritui Sancto, & Sacramento, licet non in eodem gradu perfectionis, quia illi vt causæ principali, Sacramento verò vt instrumento: & sic non omnibus modis quibus Deus causat gratiam eisdem etiam causet, & aqua.

DICES 5. Si Sacramenta essent causæ morales gratiæ, & non Physicæ, nulla ratione possent esse instrumenta Dei, ad conferendam gratiam, contra *Trid. Sess. 6. Cap. 7.* Ergo &c. Respondeo Sacramenta verè esse instrumenta Moralia Christi Domini vt hominis tanquã causæ principalis.

QVÆSTIO V.

De Ministro Sacramentorum.

In hac Quæstione examinabitur

1. An ad validitatem Sacramenti requiratur ex parte Ministri intentio conficiendi verum Sacramentum.
2. An liceat Ministro vti forma, vel materia incerta, vel dubia.
3. An sufficiat Ministro existente in mortali, habere solam attritionem cognitam, vt licitè ministret Sacramentum.
4. An laicus ministrans Sacramentum in mortali peccet mortaliter.

ARTICVLVS I.

An ad validitatem Sacramenti requiratur ex parte Ministri intentio conficiendi verum Sacramentum.

NOTA 1. Intentio alia est actualis siuè formalis, alia est virtualis, alia habitualis. *Intentio triplex.*

1. est, quando quis actu cogitat & intendit agere quod agit. V. G. si cogitet ego volo, vel habeo intentionem faciendi Sacramentum,

tum. Virtualis est quando actualis intentio in se iam non adest, ob aliquam euagationem mentis, tunc cum fit *Sacramentum*, tamen paulò ante adfuit, cum se agens applicuit ad actionem & virtute ejus fit operatio. Habitualis verò intentio dicitur propensio quædam, & inclinatio ex habitu seu consuetudine orta ad faciendum aliquid, etiam tunc cum homo nihil omnino ea de re cogitet, qualis potest esse in dormiente vel ebrio, qui vigilans, aut sobrius consueuit aliquid facere.

Intentio requiritur ad valorem Sacramenti.

1. Ratio.

Dico 1. Necessarium est ad validitatem *Sacramenti*, vt minister habeat intentionem explicitam vel implicitam efficiendi *Sacramentum*. Est communis omnium Theologorum. Probatur 1. ex Trid. *Sess. 7. Can. 11.* vbi dicitur. *Si quis dixerit in Ministris dum Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Ergo iuxta mentem Concil. omnino necessaria est ex parte ministri intentio faciendi verum Sacramentum.

2. Ratio.

2. Probatur quia de fide est, quod *Sacerdoti* concessa sit facultas ministrandi *Sacramenta*, & consequenter data est potestas, vt vtatur illa mediantibus actionibus humanis, vt patet Matthæi vltimo. *Baptizantes eos &c.* Ioannis 20. *Quorum remiseritis peccata &c.* Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem* & sic de aliis. *Sed, Sacerdos* ministrans absq; intentione faciēdi Sacramentum non vtitur in tali ministratione potestate sibi collata, quia illa actio vt purè est exterior, & vt præscindit à ratione Sacramenti non est actus illius potestatis, cum à quocunq; carente illa proficisci posset, vt de se constat. Ergo vt verè dicatur Minister exercere illam potestatem, oportet vt habeat intentionem faciendi verum Sacramentum.

3. Ratio.

3. Probatur. ex inconuenientibus, quia ex opposita sententia sequeretur Primò quòd Confessarius absq; intentione conficiendi Sacramentum verè absolueret, cuius contrarium definiuit Trid. *Sess. 24. C. 6.* Vbi docet absolutionem esse nullam, si desit animus seriò agendi, & verè absoluendi. Secundò Si mater cum inuocatione SS. Trinitatis lauaret puerum, gratia mundandi, aut refrigerandi illum, verè etiam conficeret *Sacramentum* Baptismi, quod tamen est absurdum.

Dico

Qualis intentio requiritur.

Dico 2. Ad veram confectionem requiritur intentio Ministri talis, vt intendat conficere Sacramentum; vel certè vt velit facere quod Christus instituit, vel quod Christiani faciunt, vel quod in Ecclesia est vsitatum. Ita Trident. *Sess. 7. Can. 11.* Ratio est. quia Christus potestatem dando Ministris ad conficienda Sacramenta vsum eius posuit in ipsorum arbitrio, vt quorum remiseritis peccata &c. ergo requiritur ad veram confectionem Sacramenti intentio illud faciendi. Porro non requiritur intentio, siue voluntas conferendi gratiam seu effectum Sacramenti, potest enim esse verum Sacramentum etiamsi Minister non intendat formaliter; & in se conferre effectum Sacramenti, V. G. gratiam, imò etiamsi illam positiuè nolit, modo velit facere Sacramentum. Ratio est, quia intentio Sacramenti est prior quàm intentio effectus: Vnde qui vult Sacramentum vult effectum, non in se expresse, sed in causa.

Intentio actualis est optima.

Dico 3. Intentio actualis est quidem optima & perfectissima, & maximè optanda, tamen quia aliquando nostra cogitatio distrahitur etiam dum res grauissimas agimus: vnde semper requirere talem intentionem ad valorem Sacramenti, esset nimis rigidum, præberetq; magnam occasionem scrupulis, & dubitationibus de valore Sacramentorum.

Sufficit intentio virtualis.

Dico 4. Intentio virtualis sufficit ad valorem Sccramenti, hoc est quando præcessit actualis, quæ jam in se non existit, dum fit Sacramentum, manet tamen aliquid ab illa relictum, per quod censetur virtute mouere ad actionem Sacramenti. Probatur Quia hæc virtualis intentio, sufficit ad operandum morali modo, & ad transigenda alia humana negotia validè. Ergo & ad actionem Sacramentorum.

Nota.

Collige. Si Sacerdos ad altare cum intentione consecrandi distrahatur ipso tempore consecrationis, verè consecrat, non solùm illam hostiam, quam in manibus tenet, sed etam alias omnes, quas ad initium Sacri consecandas ad altare acceperat etiamsi illarum obliuiscatur ipso consecrationis tempore.

Nota casum COLLIGE 2. Qui habet V. G. summo mane conficiendi aliquod Sacramentum intentionem, & postea sub meridiem, vel sub vesperum illud conficit, nulla facta noua intentione, sed merè casu, & sine aduertentia ac voluntate faciendi saltem implicitè Sacramentum, is procul dubio nihil conficiet: quia actio exterior talis hominis non procedit ab illa intentione matutina, sed fit merè casu.

Habitualis. intentio non sufficit. DICO 5. Intentio merè habitualis, non sufficit ad Sacramentum conficiendum. Ratio est, quia talis intentio nullo modo est causa præsentis actionis, sed solùm dicitur habitu manere.

conditio de præterito valet. PETES. Vtrum conditio conditionata sit sufficiens ad valorem Sacramenti. Respondeo 1. Conditionalis intentio de præterito est sufficiens ad valorem Sacramenti. Ratio est, quia conditione posita intentio illa conditionata transit in absolutam, atq; ita fit efficax, posito enim, quod verè dubitatur de aliquo quod sit baptisatus, potest sic baptisari, *Ego te baptizo, si non es baptizatus in nomine Patris &c.*

Conditio de futuro obest Respondeo 2. Intentio conditionalis de futuro semper est contraria substantiæ Sacramenti, ideoq; nunquam est adhibenda alioquin non conficietur Sacramentum. Patet, quia eo tempore quo implebitur conditio jam non existet materia, neq; Forma Sacramenti. tum quia conditio de futuro suspendit intentionem Ministri, & facit, vt illi hic, & nunc, non habeat absolutè voluntatem faciendi Sacramentum. Ergo hic & nunc, non fit Sacramentum, quia hic & nunc, nondum est conditio. Aduerte quòd sine justa causa conditio de præterito, vel de præsenti non debet apponi, quia exponit se periculo administrandi inualidè Sacramentum, & consequenter committendi Sacrilegium, justa verò de causa potest Sacramentum ministrari sub conditione de præterito, vel de præsenti, de futuro verò nunquam.

Sine causa non apponẽdæ conditiones de præterito.

Error accidentalis nõ inualidat. COLLIGE 1. Error accidentalis circa intentionem non inualidat Sacramenta, excepto Matrimonio, vt suo loco dicetur: Vnde si quis absoluat Petrum, putans esse Paulum, habendo tamen intentionem, simpliciter absoluendi quicunq; ille sit, validè absoluit.

Intentio turpis non destruit. COLLIGE 2. Intentio turpis, id est mali finis, conjuncti cum intentione faciendi Sacramentum, non destruit valorem ipsius Sacramenti, vt si quis audiat Confessiones, vt inde turpiter delectetur, Sacramentum erit validum, tua tamen peccata à Sacerdote iuxta multos Doctores

Doctores committetur. 1. Contra castitatem; aliud Sacrilegii ob abusum Sacramenti; tertium ob indignam collationem ejusdem, quæ requirit vt sit Minister in gratia.

ARTICVLVS II.

An liceat Ministro vti forma, vel Materia incerta, vel dubia.

DICO 1. Ex Diuina institutione, Materia & forma Sacramentorum, est determinata, quam Ecclesia non potest mutare, aut variare: quia Ecclesia non supra Christum, qui est caput Ecclesiæ. vnde mutatio substantialis verborum semper irritat Sacramentum. *Ecclesia nō potest mutare materiā & formam*

DICO 2. Validum est Sacramentum administratum per verba Synonima, aut etiam æquiuoca, modo Minister rectam habeat intentionem significandi, quod per verba formæ significatur, & inducendi nouum ritum, non tamen licet noua verba priuata authoritate confingere. *Noua verba non licet fingere.*

DICO 3. Qui absq; necessitate in conficiendis Sacramentis vtitur materia, vel forma dubia, peccat mortaliter. Ita communiter D D. Ratio est prima àpriori, quia qui se exponit periculo morali efficiēdi nullum Sacramentum, & falsificandi formam peccat mortaliter, propter grauem irreuerentiam, quam irrogat Sacramento. sed qui vtitur forma aut materia incerta vel dubia exponit se prædicto periculo: quia si ita est quod in re illa non est vera materia, Sacramentum est nullum. Ergo &c. 2. Ratio est à posteriori, quia vti forma & materia incerta est contra communem vsum Ecclesiæ quæ solùm proponit materias, & formas certas. Ergo cum hæc res sit grauis, peccat mortaliter Minister contra veniendo consuetudini Ecclesiæ. *Dubiis non est vtendum*

DICO 4. In necessitate quando non suppetit certa materia, potest dubia adhiberi præsertim in baptismo. Porro ille minister peccat, qui vtitur forma certa, sed ei aliquid addit, aut detrahit, facit enim contra ritum Ecclesiæ. *In necessitate dubia adhibetur.*

DICO 5. Quando rationabilitèr dubitatur de validitate Sacramenti, potest iterum administrari sub conditione secus si adsit leue dubium, seu leuis scrupulus; quia iteratio Sacramenti facta sine legitima *Non debet iterari sine causa.*

causa videtur quædam irrisio Sacramenti.

Vbiq; eadem materia & forma sufficit. DICO 6. Vbiq; terrarum sufficit eadem forma & materia, in singulis Sacramentis; propterea baptismus Græcorum vbiq; gentium valet, quia mutatio accidentalis non destruit substantiam Sacramenti. Porro forma integra ab vno eodemq; Ministro proferenda est, ne sit falsa.

ARTICVLVS III.

An Sanctitas, bonitas, & fidès Ministri ad veritatem Sacramenti requiratur.

Sanctitas quid. bonitas quid NOTA per Sanctitatem hic intelligitur status gratiæ, siue vt Minister sit liber â peccato mortali. per bonitatem autem intelligitur non solum habitualis Virtus, sed etiam actualis honestas ipsius operis, quo fit Sacramentum, hoc est vt illa actio fiat intentione bona, seruatis præceptis Ecclesiæ, decentia, & similibus. *per fidem quid.* Deinde per fidem accipienda est, non solum habitualis fides circa omnia alia Mysteria, sed etiam in particulari circa ipsum Sacramentum, quod est conficiendum.

Valor & veritas Sacramentorum non dependet à fide bonitate ministri. DICO 1. Valor & veritas Sacramentorum non dependet ex fide sanctitate, & bonitate Ministri, vnde Sacramentum datum aut confectum â Ministro hæretico, infideli, Schismatico, excommunicato, suspenso, & â peccatore existente in mortali peccato etiam publico, est verum & validum, dum modo reliqua omnia necessaria concurrant, hoc est materia, forma, & intentio. Conclusio habet fundamentum in Sacris literis Matthæi 23. *Supra Cathedram Moÿsis &c.* Est communis PP. & Conciliorum. Ratio est, quia Sacramenta operantur in virtute Dei non autem Ministri. Tum quia potestas conficiendi Sacramentum non spectat ad gratiam gratum facientem, sed ad gratiam gratis datam, quæ non pugnat cum vitæ improbitate.

Malitia Ministri non impedit effectum. DICO 2. Non solùm veritatem Sacramentorum, sed neq; effectum eorum, impedit Ministri malitia, infidelitas, & similia, adeò vt per quemvis Ministrum collatum Sacramentum producat effe-

ctum in suscipiente ex opere operato, perinde atque si â bono Ministro fuisset collatum, dummodò suscipiens non ponat obicem. Patet quia vbicunq; fuerit verum Sacramentum, ibi necessariò sequetur effectus.

DICO 3. Ad licitam Sacramentorum administrationem, necessaria est fides, probitas, & bonitas: quia grauiter peccat administrans Sacramentum in peccato mortali, debent enim Ministri Sacramentorum, conformari illi cujus sunt Ministri, nempe Deo, & Christo Domino per Sanctitatem. *Ad licitam administrationem requiritur bonitas.*

Petes 1. Cur Deus voluerit esse valida Sacramenta per malos Ministros collata?

Respondeo aliæ sunt causæ ex parte Dei, aliæ ex parte hominum, aliæ ex parte Sacramentorum. Ex parte Dei prima causa est ex Sancto August. *tractatu 5. in Ioan.* vt scilicet Deus ostendat se esse autorem Sacramentorum, non Ministros. Si enim à bonis tantùm conficerentur validè, dici possent à bonitate humana procedere. Vnde ait. *Quid tibi facit malus Minister, vbi est bonus Deus?* & subdit. *sicut parum refert, an aqua ad irrigandum* transeat per canalem argenteum, an lapideum, vel ligneum, modò fons non sit pestilens. Aliâ causa est ex parte Dei, vt maior ejus bonitas & potentia ostendatur, dum per malos Ministros gratiam suam dat hominibus, sicut per malos concionatores, aliquando facit conuerti peccatores: huc seruit similitudo *S. Aug. lib. 3. de bapt. c. 10.* vbi dicit, *Lumen solis non inquinari etiam si transeat per loca canosa.* Et Sanctus Thomas inquit. *Sicut potest Dominus liberalis dare eleemosÿnam per seruum auarum, ita Deus potest bonitatem suam manifestare per malum Ministrum.* *Cur Deus voluit valida esse per malos. Ex parte Dei causæ.*

Ex parte verò hominum. prima ratio est, quia si penderet valor Sacramentorum â fide, & bonitate Ministrorum, magna inde sequeretur perturbatio, & incertitudo de veritate Sacramentorum cùm non sit nobis nota bonitas Ministrorum. 2. quia potestas conficiendi Sacramenta, non est data in vtilitatem conferentium, sed in vtilitatem suscipientium, ideò non fuit conueniens priuare illos effectu, ob *Ex parte hominum.*

culpam

culpam alienam: sicut æger medicus potest ægrum hominem sanare.

Ex parte Sacramentorum. Ex parte ipsorum Sacramentorum, ratio est prima, quia sic major illorum vis, & efficacia declaratur, juxtà illam similitudinem S. Aug. lib. 3. contr. Cresconium Cap. 8. *Sicut ad efficaciam sementis, aut plantationis, nihil refert, an illotis an sordidis fiat manibus, modò semen sit bonum, terra fertilis, pluuia de cœlo, & calor*; ita hic dicendum. 2. ratio est, quia par erat ad dignitatem Sacramentorum declarandam, vt sicut propter peccata non tollit Deus ab hominibus potentias naturales, Imò & iurisdictionem politicam, ita congruum erat vt non tolleret potestatem Sacramenta conficiendi.

ARTICVLVS IV.

An peccent ex officio ministrantes Sacramenta in peccato mortali?

Deputatus ex officio sine gratia, peccat administrando DICO 1. Quicunq; ex officio vt Minister Ecclesiæ ad id deputatus conficit Sacramentum, & existat in peccato mortali, peccat mortaliter. Ratio est, quia Minister talis est, ex officio deputatus, & ad id per consecrationem accepit potestatem, vt sit animatum instrumentum Diuinum, & vt in re sanctissima vices ipsius Dei obeat. Ergo Ministri ministraturi Sacramenta debent esse in gratia, Sancti, & Conscientiæ mundæ.

In necessitate ministrās non peccat. DICO 2. Licet aliqui putent Sacerdotem in necessitate ministrantem baptismum, sine solennitate peccare mortaliter, tamen probabilior est sententia grauium Theologorum talem non peccare mortaliter ratio est quia tunc Sacerdos reuera non ministrat vt Minister deputatus ex officio, sed subuenit tantum necessitatem patienti, eo modo quo idem faceret laicus.

COLLIGE Sacerdoté audientem Confessiones, baptisantem, aut extremam vnctionem ministrantem, in peccato mortali etiam vno die *Nota.* tot peccata mortalia committere, quot distinctis actionibus & distincta voluntate homines absoluerit, baptizârit, vnxerit. Ratio est, quia tunc diuersa numero Sacramenta singulis ministrat, cum & materia & forma Sacramenti semper sit, noua, & prætcrea voluntas renouetur & actio interrumpatur: secùs tamen esset si vna voluntate actio illa continuaretur.

Petes

Petes Quid facturus sit Minister Sacramenti ex officio ministraturus Sacramentum & existens in peccato mortali?

Respondeo 1. Sacerdos ministraturus quodcunq; Sacramentum ex officio, tenetur habere contritionem si sit in peccato mortali, nec sufficit sola attritio sine confessione, nisi inculpabiliter putet illam esse contritionem, talis enim ignorantia excusaret à culpa. Ratio est, quia ad dignam Sacramenti administrationem, tenetur Minister se collocare in statu gratiæ; hoc autem consequi non potest, nisi per contritionem, vel per attritionem cum Sacramento pœnitentiæ. *Consilium ministraturis in peccato.*

Respondeo 2. Nullum est præceptum, quod obliget sub peccato ad præmittendam confessionem, si sit administrandum quodpiam Sacramentum, sed sufficit contritio cum voluntate confitendi. Ratio est, quia moralis diligentia, quam tenetur Minister præmittere vt se ad gratiam præparet, sufficienter fit per Contritionem, quamuis major & certior fiat, si accedat confessio.

Respondeo 3. Sacerdos habens conscientiam peccati mortalis, tenetur si velit conficere Eucharistiam, præmittere confessionem: si autem tantùm velit hostias ante consecratas dispensare, sufficiet si conteratur cum voto confessionis. Ratio est, quia peculiare præceptum est, vt communicaturi præmittant confessionem si habeant peccatum mortale, sed consecraturus est etiam communicaturus. Ergo. Quid autem faciendum sit in defectu Confessarii, dicetur infra de Materia Eucharistiæ. *Ad Eucharistiam requiritur confessio.*

Petes 2. An Laici ministrantes Sacramentum in mortali peccent mortaliter. *Laici ministrantes in peccato non pecant.*

Respondeo 1. Non peccare mortaliter. Probatur 1. Quia laicus non est Minister, ex officio, cum non sit deputatus & consecratus ad tale Ministerium, nec ad hoc receperit gratiā per Sacramētum Ordinis, sicut illam recepit Sacerdos ad ministranda Sacramenta. Ergo ministrando in peccato mortali non peccat mortaliter. Consequentia patet, quia in tantùm peccat Minister ex officio cùm ministrat in mortali, in quantum facit contra suam ordinationem, & consecrationem. Sed Laicus non facit contra istam, ergo &c. Probatur secundò quia Laico non est commissa potestas Sacramentum ministrandi, sed tantum permissa ad subueniendum necessitati patientis; Ergo non

est illi imponendum onus præparandi se ad gratiam, cum ministrat Sacramentum. Consequentia patet, Quia prædictum onus consequitur ad potestatem ordinis. Ergo carenti tali potestate carere debet tali onere.

Nota pro Parochis.

COLLIGE. *si* Parochus existens in peccato mortali, & conscius ipsius, vocetur ad ægrum morientem, & non possit moraliter disponi per confessionem, vel contritionem, excusatur à peccato mortali; quia necessitas proximi, in cujus subsidium *S*acramenta sunt instituta, præponderat præcepto de ministrandis illis in gratia: hac enim ratione, cùm necessitas vrget multa fiunt circa personam principis, quæ extra necessitatem irreuerentiam maximam continerent. Quæ hic dicta sunt de peccato in hoc articulo, idem dicenda de excommunicatione majori.

Cæremoniæ non omittendæ.

PETES 3. An cæremonias *S*acramentorum omittentes peccent. Respondeo Concil. Trident. *Seß. 7. Canon vlt.* præcipit, vt ministri non conficiant *S*acramenta nisi seruatâ solennitate & cæremoniis præscriptis.

Respondeo 2. *S*i quis ex contemptu omittat aliquam Sacramentorum cæremoniam peccat mortaliter. Ratio est, quia magnam faceret iniuriam Ecclesiæ, & Spiritui *S*ancto, cuius instinctu tales cæremoniæ sunt institutæ.

QVÆSTIO VI.

De Suscipientibus Sacramenta.

In hac Quæstione primò inquiremus,

An ad validitatem *S*acramenti sit necessaria ex parte adulti positiua intentio illud recipiendi.

2. Quomodò peccent indignè suscipientes Sacramenta.

3. An licitum sit recipere *S*acramentum à Ministro peccatore etiam publico, si tamen paratus est, & toleratus ab Ecclesia.

4. An extra casum extremæ necessitatis licitum sit petere Sacramenta à proprio Sacerdote excommunicato, tolerato, non tamen parato.

5. An in casu extremæ necessitatis licitum sit petere Sacramenta à Ministro peccatore excommunicato non tolerato, neq; parato.

ARTI.

ARTICVLVS I.

An ad validitatem Sacramenti sit necessaria ex parte adulti positiua intentio illud recipiendi.

DICO 1. Ad valorem Sacramenti, vt baptismi, & similium, quorum esse est in fieri, ita necessariam esse ex parte recipientis intentionem, seu consensum formalem, vel virtualem recipiendi illud, vt eo deficiente nullum conficiatur Sacramentum. Ita D. *Subt. in* 4. *d* 6. *q* 5. *n* 3. & est communis omnium Theologorum. Sancti Thomæ *in* 3. *p. q.* 68. *art.* 7 & in Conciliis Carthag. & Arausic. 1. definitum est. *Secundò* probatur, quia lex Diuina instituit, vt adultus non iustificetur, nisi dependenter à propria voluntate, vnde *ortum* habuit dictum illud D. Aug. 14. *in Ioan.* *Qui fecit te, sine te, non saluabit te, sine te*; Ad quē locum reprobandum hæretici legunt, illum dixisse interrogatiuè, sed est hæretica lectio, in quo nunc non est immorandum: at si Sacramentum (verbi gratia) baptismi reneret in adulto, absq; consensu ipsius per illum iustificaretur independenter à sua voluntate: ergo omnino, dicendum est consensum recipiendi esse necessarium. *In suscipiente requiritur intentio*

Tertio probatur, quia respectu adulti susceptio Sacramenti, debet esse aliquo modo humana, & voluntaria; aliâs fieret, vt qui nunquam consensisset, fieri Christianum, cogeretur ad fidem, & legem Christi, & quod sine proprio consensu transferreretur ad aliam Religionem, quod & iuri naturali repugnat, & professioni ipsius religionis, quæ in omnium opinione debet esse deliberata, & libera. Vnde D. Aug. dixit: *nemo credit nisi volens*: quorum omnium ratio à priori est, quia adultus est Dominus suorum actuum, & ideò sine proprio consensu, nec spiritualiter regenerari, nec membrum alterius Reipublicæ fieri potest. 3. *ratio.*

Quarto probatur. Quia opposita sententia est omnino falsa in matrimonio, quod cùm sit essentialiter quidam contractus, & omnis contractus requirat necessariò consensum contrahentium, manifestum est, quòd si in vtroq; coniuge non sit voluntas, contrahendi, & tradendi mutuo corpora sua, nullum erit matrimonium, quantumuis externa verba proferant, quæ internum consensum indicent. Deniq; probatur, quia in opinione opposita sequeretur, si homo ille neuter dormiēs 4. *ratio.*

baptisaretur baptismus teneret, quia secundùm ipsam nulla positiua voluntas formalis, vel virtualis, recipientis requiritur ad validitatem Sacramenti. Consequens pugnat expresè cum definitione Innocentii III. *in C. majores de baptismo.* vti requisitus de dormiente respondit validum esse *Sacramentum*, dum in vigilia habuerit voluntatem recipiendi.

Major concursus requiritur in ministrante quàm in recipiente.

DICES. Minister dormiens non potest conficere Sacramentum, vel amens, licet præcesserit in eo formalis intentio efficiendi verum Sacramentum. Respondeo Minorem concursum voluntatis requiri in suscipiente, quàm in ministrante, nam intentio in Ministro concurrit per modum causæ efficientis, ad Sacramentum, & ideò oportet, vt sit saltem virtualis, vel actualis: in suscipiente verò non requiritur intentio tanquam influens efficienter in *Sacramentum*, sed solùm vt mera conditio ex parte subjecti necessaria, vt susceptio Sacramenti sit humana, ad quod sufficit præterita voluntas non retractata.

Indispositio impedit effectum.

DICO 2. Licet indispositio suscipientis *Sacramentum* impediat illius effectum, id est gratiæ infusionem, tamen non potest impedire ipsius Sacramenti veritatem, & valorem, quod est prius suo effectu, id est gratiâ. V. G. Si Iudæus fictè, aut lucri causa baptizetur, non poterit rebaptisari, quia validus fuit baptismus prior, licet effectum gratiæ non contulerit, propter fictionem, id est obicem peccati mortalis. Idem dicendum de Eucharistia, in qua verè suscipitur Christus, tametsi in peccato suscipiatur.

ARTICVLVS II.

Quomodò peccent indignè suscipientes Sacramenta?

Recipiens si omittat aliquid necessarium, peccat & nō recipit Sacramētum.

DICO 1. Quicunq; recipit quodpiam Sacramentum, & omittat ex necessariis ad valorem, & substantiam *Sacramenti*, peccat mortaliter. Ratio est, quia sicut Minister peccat mortaliter omittendo aliquid Substantiale in Ministerio *Sacramenti* vt dictum est supra, ita & suscipiens cujus cooperatio requiritur, alioquin esset illusio & grauis Ecclesiæ deceptio. Vnde quicunq; recipit *Sacramentum* tenetur habere intentionem saltem virtualem, vt paulò antè dixi. Quare si quis confiteatur sine intentione, & sine contritione vel attritione, non per-

ciperet Sacramentum pœnitentiæ, quia omitteret id quod necessariò requiritur ad illud.

Dico 2. Qui omitteret aliquas circumstantias ex natura rei requisitas, dum suscipit Sacramentum peccabit mortaliter. Vt si quis incapax velit suscipere aliquod Sacramentum. V. G. mulier ordines, baptisatus Baptismum, confirmatus Confirmationem, professus Religionem, ordinatus Matrimonium, sanus extremam Vnctionem &c. Hi enim omnes committerent *Sacrilegium*.

Non omittendæ circumstantiæ necessariæ.

Dico 3. Omissio alicujus circumstantiæ speciali præcepto, Ecclesiæ constitutæ, ad decentem modum recipiendi *Sacramentum*, inducit peccatum mortale, facitq; indignam *Sacramenti* sumptionem, vt si quis non jejunus communicaret, aut sub vtraq; specie, aut si nolit vngi luto in Baptismo.

Dico 4. Qui recipit aliquod *Sacramentum*, tenetur ita se disponere vt sit capax principalis eius effectus, qui est gratia sanctificans, ideòq; tali effectui obicem ponere semper est peccatum mortale, nisi inuincibilis ignorantia excuset. *Ratio* est, quia cùm hæc *Sacramenta* sint instituta, vt sint efficacia signa gratiæ, profectò, qui illa recipit cum obice, quantum in se est falsam & inanem reddit eorum significationem, ideoq; graue peccatum Sacrilegii committit: Vnde si in Ministro requiritur Sanctitas, multò magis in suscipiente cui quodammodo intimiùs, adhæret *Sacramentum*. *Notandum* tamen est in reliquis *Sacramentis* præter Baptismum, & Pœnitentiam requiri, vt sit homo in gratia, in his verò duobus satis esse vt sit ita dispositus, vt possit esse capax gratiæ, ne habeat complacentiam peccati mortalis. Ratio est, quod hæc duo Sacramenta sunt mortuorum in anima, id est ad primam gratiam conferendam sunt efficacia: Reliqua autem quinq; viuorum dicuntur, quia primam gratiam per se non conferunt, sed tantum præexistentis augmentum.

Requiritur dispositio ad recipiendum

Dico 5. Ponere obicem aliis effectibus Sacramentorum, præter gratiam sanctificantem, non est peccatum mortale. Vnde si quis accederet ad Baptismum cum complacentia peccati venialis, per quam impediret secundariũ effectum Baptismi, qui est remissio totius pœnæ temporalis, is non peccaret mortaliter. Eodem modo secundarius effectus

Cum complacentia peccati venialis est veniale.

Euchariſtiæ eſt actualis deuotio, cui ponet quispiam obicem ſi diſtractus, & imparatus accedat, non tamen peccabit mortaliter. Ratio Concluſionis eſt, quia per ejusmodi obicem non redditur ſimpliciter falſa ſignificatio Sacramenti, cum illud verè gratiam efficiat.

ARTICVLVS III.

An licitum ſit recipere, Sacramentum à Miniſtro peccatore etiam publico, ſi tamen paratus eſt & toleratus ab Eccleſia?

Miniſter toleratus. Nota 1. Ille Miniſter dicitur toleratus ab Eccleſia, qui quamuis peccator ſit, adhuc tamen non eſt præciſus ab Eccleſia per excommunicationem, aut aliquâ cenſurâ ſuſpenſus ab adminiſtratione Sacramentorum; è contra verò Miniſter non toleratus ille dicitur qui eſt ab Eccleſia prohibitus, & ſuſpenſus, ac præciſus nominatim per excommunicationem, per ſententiam iudicis, denunciatus aut per affixionem excommunicationis in loco publico, vel per aliquid æquiualens. *Non toleratus.*

Miniſter vel eſt ex officio vel non ex officio. Nota 2. Miniſtros Sacramentorum poſſe eſſe vel ex officio ad illa miniſtranda obligatos, vel non ex officio; Itemq; vel eſſe paratos ex ſe ad ea præbenda, vel non eſſe paratos, niſi inducantur, aut rogentur, aut adigantur, Suſcipientes quoque Sacramenta ab ejusmodi Miniſtris, vel ſunt in neceſſitate graui, vel vtilitate, vel extra illam.

A toleratis licitum eſt recipere. Dico 1. Suſcipere Sacramenta à malis Miniſtris etiam notoria malitia, ſi tolerantur ab Eccleſia, & parati ſunt ea conferre, non eſt peccatum per ſe loquendo, etiam ſi id fiat ſine neceſſitate, & etiamſi adſit alius, qui abſq; peccato poſſit Sacramentum miniſtrare. Ita tenet Sayrus *lib. 2. Cap. 8. art. 2. propo. 1.* Adducitq; D. Thomam, Durandum, Sotum, & alios. Ratio eſt, quia talis non inducit Miniſtrum ad peccatum, ſed vtitur ad ſalutem Miniſterio ejus, qui ſibi ab Eccleſia conceditur. Dixi in Concluſione *per ſe loquendo*, quia ratione ſcandali, vel periculi vel ex defectu charitatis erga proximum, quâ quisq; tenetur peccatum alterius impedire, poterit eſſe peccatum veniale, & aliquando mortale, ſuſcipere Sacramentum à Miniſtro malo etiamſi ab Eccleſia tolerato ſi præſertim æquè commodè poſſum ad alium bonum Miniſtrum accedere. *Nota.*

Dico 2. Petere Sacramentum à malo Miniſtro, quamuis tolerato,

tolerato, sed non parato ad dandum, nec obligato ex officio, Est peccatum mortale, si illa petitio fiat per modum inductionis ad illud conferendum, Intelligenda autem est Conclusio de eo, quem petens sciret administraturum in mortali, siue illud sit occultum, siue priuatum. Ita Sayrus *loco citato articulo.* 5 *A non parato non debet peti.*

Ratio est, quia in tali casu petens, & inducens, est proxima causa incitans ad peccandum. Regula autem Iuris est, *Qui causam damnidat, damnum dedisse videtur.*

DICO 3. Licitum est petere Sacramentum à Ministro malo, siue publica, siue occulta malitia, quando est iusta causa illud petendi, vt deuotio peculiaris, dies festus, & similia: præsertim quando obligatus est ad illud conferendum, quia est Parochus, Commendario, Vicarius &c. à tali enim licet petere & accipere etiam extra casum necessitatis. Ratio est, quia tales Ministri ex officio tenentur Sacramenta Ministrare subditis, quando & quoties petunt, si quidem habent ius ad id, sicuti quilibet creditor potest à suo debitore exigere debitum. *Dixi quãdo est justa causa*, quia vti iure suo temerè, cum alterius damno, est contra charitatem, quare quamuis ille tenetur præstare, & ego possim exigere jus meum, tamen cum sine rationabili causa induco illum ad præstandum in peccato mortali videor salutem proximi contemnere. *Licitum est petere à malo si justa sit causa.*

DICO 4. Licitum est per se loquendo cogere ad Sacramenta conferenda Ministrum malum, toleratum tamen, si sit meus Parochus, aut Prælatus, etiam si ipse recuset, dummodò ego verser in aliqua necessitate graui. Ratio est, quia tunc rem licitam immo debitam exigam, & Parochus si velit potest illam licitè præstare, nimirum pænitendo, quod si non faciat, id ipsius malitiæ est imputandum. *Dixi per se loquendo*, nam per accidens posset esse mortale cogere parochum ad id non paratum: si enim subditus posset habere alium bonum, qui æquè sufficienter id præstaret haud dubiè faceret contra charitatem cogendo parochum, ideoq; peccaret grauiter. *In necessitate licitum est cogere.*

DICES 1. Non est licitum ab alio petere, quod ipse sine peccato præstare non potest. Sed excommunicatus non potest administrare Sacramenta sine peccato extra casum extremæ necessitatis. Ergo non est licitum ab excommunicato illa petere. Respondeo post Concil. Const. excommunicatum, si aliàs sit cum vera, vel existimata contritione *In Concilio Constantiẽsi definitum*

tritione posse absq; peccato ministrare Sacramentum ex Priuilegio ibi concesso in fauorem recipientium; nam hoc ipso quod pœnitentibus datur facultas, vt ab excommunicato tolerato possint petere Sacramenta, datur ex consequenti Ministro administrandum illa, aliàs vana & futilis fuisset concessio prædicti Concilii.

Dices 2. Si licitum esset recipere Sacramenta ab excommunicato tolerato, & parato, etiam liceret emere Sacramentum Baptismi ab eo qui paratus est vendere; Consequens est fallum. Ergo & Antecedens. Sequella patet Quia tam in hoc casu, quàm in illo, ipse est paratus jam ad peccandum, atq; adeò qui ab eo suscipit non censetur concurrere ad ejus peccatum, sed quærere propriam vtilitatem vtendo iure suo. Falsitas consequentis patet: quia ille Minister verè vendit Symoniacè Sacramentum. Ergo qui recipit verè emit illud, cum emptio correlatiua sit venditioni. Respondeo nego sequellam. Ad probationem dico, nos solùm dixisse in nostra conclusione recipientem Sacramentum à Ministro peccatore tolerato, & parato, non contaminari peccato indignæ administrationis, cum hoc tamen stat quòd aliundè peccet, vt patet in casu illo de emptione Sacramenti à Ministro parato vendere.

Negatur.

ARTICVLVS IV.

An extra casum extremæ necessitatis licitum sit petere Sacramenta à proprio Sacerdote excommunicato, tolerato, non tamen parato.

Licitum est petere à tolerato.

Respondeo Licitum esse per se loquendo recipere & inducere ad conferenda Sacramenta proprium Sacerdotem, vel Episcopum, etiam excommunicatum, & non paratum, toleratum tamen ab Ecclesia. Ita communiter S. Thom. *3. p. q. 64.* cum Adr. Caiet. & Soto. Et probatur. Primò, quia, quando Minister tenetur ex justitia ministrare, ministratio Sacramenti est debita titulo Iustitiæ petenti illam; Ergo petens petit, quod suum est. Vnicuiq; autem licet petere, & acquirere, quod sibi debitum est ex Iustitia.

Secundò probatur; quia tunc Parochus potest licitè conferre Sacramentum, pœnitendo de suo peccato, atq; adeò subditus petit ab eo, quod ipse licitè facere potest, & ex alia parte ipse petendo vti-

tur iure suo. Ergo non est sibi imputandum ad culpam, si alter conferat Sacramentum in peccato, dixi tamen notanter in Conclusione, *per se loquendo,* quia per accidens contingere poterit, non esse licitum petere Sacramentum à Parocho excommunicato, quantumuis paratus sit, vt cum subditus æquè bene potest adire, alium Confessarium. Tunc ex charitate tenetur vitare peccatum illius; quare licet petendo, non peccet contra Iustitiam; quia reuera petit, quod sibi debitum est jure Iustitiæ: peccat aliundè contra charitatem, vt sicut si Petrus debeat mihi centum, certè petens ab illo solutionem hujus debiti, non pecco contra Iustitiam? si tamen petam in ea occasione, in qua si ipse soluat, scio premendum esse extremâ necessitate: teneor lege charitatis non petere debitum: nam, vt aliquis licitè vtatur Iure suo, non sat est seruare leges Iustitiæ; sed charitatis, & prudentiæ. Verum tamen est, quod si adire alium Confessarium esset cum detrimento subditi, aut minori bono illius, non tenebitur ex charitate, non petere, sed potest suo bono consulere.

Dices 1. Inducere aliquem in peccatum est intrinsecè malum. Sed Parochus excommunicatus peccat ministrando Sacramenta. Ergo non licet ab eo petere si non est paratus. Respondeo Quòd non inducatur in tali casu ad peccatum. Neq; timenda est ratio scandali, quia in tali casu scandalum esset passiuum, non actiuum, hoc est acceptum, non verò datum, quia ego non peto ab eo, vt peccet, sed vt faciat opus quod licite facere potest, quod si illicitè facit, sua culpa est & sibi soli imputabitur. *In tali casu non inducitur ad peccatum.*

Dices 2. Licet teneatur Parochus ex justitia ministrare Sacramenta Parochiano, si tamen potest facilè adire alium confessarium debet impedire peccatum committendum à Parocho. Respondeo. Si subditus sine suo detrimento possit adire alium Confessarium, ex charitate obligatur.

Petes, *An ab aliis præcisis sed tamen toleratis liceat petere Sacramenta.*

Dico 1. Ab aliis Ministris præcisis non nominatim qui non sunt Pastores, & Prælati, & si extra necessitatem liceat petere Sacramenta, si sint parati, non licet tamen, si non sint parati. Ratio est, quia daretur illis proxima causa peccandi, sine ratione & debito-

Non est necesse quærere an sit minister dispositus.

Dico 2. Non est necessarium, vt ille qui petit ab aliquo ministro Sacramentum, constet ipsum Ministrum esse benè dispositum, aut non impeditum ab administratione Sacramenti. Ratio est, quia nullo recepturo Sacramentum, est hæc cura commissa de Ministris, & quia difficillimum, & periculosum est judicare de alterius interna dispositione, cùm facilè possit vel per confessionem, vel per contritionem, disponere se, etiam ille quem constat paulò ante peccâsse mortaliter.

ARTICVLVS V.

An in casu extremæ necessitatis licitum sit petere Sacramenta à Ministro peccatore excommunicato, non tolerato, neque parato?

A non toleratis non licet nisi in casu extremæ necessitatis.

Dico 1. Suscipere Sacramenra à Ministris malis non toleratis ab Ecclesia, nisi in casu extremæ necessitatis, est peccatum mortale. Ratio est, quia hoc facere est contra expressam Ecclesiæ prohibitionem. Tum quia tunc irrogatur grauis irreuerentia Sacramentis, suscipiendo illa ab eis per quos Ecclesia non vult conferri.

Dico 2. Licitum est petere, imò & inducere in extrema necessitate Sacerdotem, etiam Hæreticum & Apostatam, non paratum nec toleratum ab Ecclesia. Est communis Theologorum & Canonistarum quod maximè verum est de Sacramento Baptismi & Pœnitentiæ.

Baptismus & Poenitētia etiam ab hæreticis

Probatur 1. de Baptismo, quia recepturus illum, vel est paruulus, vel adultus, si paruulus euidens est licitum esse inducere hæreticum non toleratum, si alius sufficiens non adsit, qui illum baptiset vt puta, si ignoret necessaria verba ad formam Baptismi, tunc enim ille versatur in extrema necessitate, nec illi superest aliud remedium, sub cœlo præter Baptismum. Ergo licet illum ab eo petere. Si autem sit adultus, quamuis reuera per contritionem, sibi poterit subuenire, tamen difficiliùs, & cum maximo periculo salutis æternæ. Ergo non est verò simile, velle Ecclesiam illum conjicere in tam graue æternæ salutis discrimen: maximè quòd præceptum de suscipiendo Baptismum, est Diuinum, præceptum verò de non suscipiendo ab excommunicato non tolerato, est solùm Ecclesiasticum, juxta multorum Doctorum sententiam: Ergo illud est præferendum isti, & licet sit etiam Diuinum, vt

aliis placet, postponendum tamen esset, quia illud aliud premit & vrget magis quàm istud.

2. probatur de Sacramento pœnitentiæ, ex Trid. *Sess.* 14. *C.* 17. Vbi generaliter, & absq; aliqua exceptione dicitur. *In articulo mortis omnis Sacerdos, quoslibet poenitentes à quibus libet peccatis, & censuris absoluere potest:* Ergo etiam ab *Hæreticis* non toleratis possumus in articulo mortis petere *Sacramentum* pœnitentiæ. *Imo* etiam quodlibet aliud, si ejus necessitas vrgeat, vt in casu quod adultus, nec potest confiteri nec communicare, potest petere extremam Vnctionem ab ejsdem. Tunc enim censetur extrema necessitas, quia si non recipiat *Sacramentum*, fortè in æternum peribit, quia fortassis solam habet attritionem cognitam, aut contritionem existimatam, cum qua sola absq; Sacramento, nulli adulto contingit salus, cum Sacramento verò iustificabitur, quia non solùm baptismus, & pœnitentia, sed omnia alia *Sacramenta* conferunt saltem per accidens primam gratiam, vt communiter fert Theologorum sententia.

Petes *An Ministri teneantur aliquando negare petentibus Sacramenta.*

In particulari Quæ Sacramenta & quando debeant negari dicetur cum de singulis tractabitur nunc in genere.

Dico 1. Tenētur Ministri proprio, speciali præcepto nō darè *Sacramē*ta, hisquod sciuerint ad illa indignè accedere. Ratio est, quia cui commissa est administratio *Sacramenti*, eidem sequitur ex natura rei præceptum esse, vt illud munus peragat tanquam fidelis, & prudens dispensator. Ergo ex vi hujus præcepti tenetur nōn dare, nisi digno *Sacramentum* cum hoc pertineat ad fidelem dispensatorem. *Indignis nō danda.*

Dico 2. Est obligatus Minister Sacramenti ad non ministrandum illud indignis, etiam ex eo capite ne cooperetur peccato illius. Ratio est, quia cùm receptio suscipientis sit mala, patet quòd cooperari ad illam etiam sit malum, nō potest autem esse major cooperatio, quam præbere indigno Sacramentum. *Hinc* sequitur peccare Sacerdotem duplici titulo, dantem Sacramenta ei, quem scit esse indignum. Quia, & facit contra proprii officii rationem, & alte- *Cur indignis nō conferenda.*

 ri coo-

ni cooperatur ad peccandum. Notandum tamen est, Non teneri Sacerdotem, inquirere de dignitate recipientium Sacramenta, sed satis esse, si non constet illi ipsos indignos esse, quamuis in quibusdam Sacramentis major requiritur inquisitio, vt in singulis dicetur.

De Effectibus Sacramentorum.

De effectibus Sacramentorum iam aliqua attigimus supra *q. 3. a 3.* & infra in Particulari agendo intimabitur. Nunc verò sciendum est, effectum Sacramentorum esse duplicem, generalem omnium, & peculiare vniuscuiusq;. Effectus generalis, est in primis gratia sanctificans; omnia enim Sacramenta debitè accedentibus conferunt gratiam sanctificantem ex opere operato. Est autem duplex gratia sanctificans, prima, quæ datur peccatori, & expellit peccatum mortale; & secunda quæ datur justo, ad augendam priorem gratiam. Et primam quidem gratiam regulariter conferunt solùm Baptismus, & Pœnitentia, quæ perinde dicuntur Sacramenta mortuorum. Alia autem Sacramenta, quæ dicuntur viuorum, regulariter conferuut secundam Dixi *regulariter*: nam existimocum Conninch *de sacr. q. 62. ar. 1. dub. 2. contra Vasqu. apud. Hurtad. disp. 3. diff. 4.* aliquando conferre etiam primam, quando, nimirum quis ea recipit in peccato, existimans se esse in gratia, cum sola attritione, vt de Eucharistia dicetur, nam sic de Diuina clementia credere, pium est. Cujus sententiæ auctores aliqui dicunt id Sacramentis viuorum competere ratione generis, quæ Sacramenta sunt per se; alii ratione specifica talis Sacramenti, secundariò & per accidens, & in hoc sensu probabilem eam iudicat. Villalobos *tom. 1. tr. 4. diff. 7. n. 2.* nam, ait ipse, quemadmodum Sacramenta mortuorum si suscipientem inueniunt viuum, conferunt ei per accidens secundam gratiam, ita probabile est, Sacramenta viuorum, quando inueniunt mortuum, conferre per accidens primam. Est item generalis effectus Sacramentorum, gratia virtutum, seu donorum, vt fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, &c. Particularis Baptismo, Confirmationi, & Ordini est character: & proprius singulorum, quædam auxilia ad obtinendum finem, in quem singula ab ipsorum institutione sunt ordinata.

Effectus generalis Sacramentorum.

Conferunt virtutis & dona.

Particularis est:

DISPV-

DISPVTATIO II.

De Sacramento Baptismi.

PRima Lucerna à CHRISTO IESV luminis fonte constituta Baptismus dicitur, qui de filiis tenebrarum filios lucis efficit, de filiis iræ, & gehennæ, filios gratiæ & gloriæ, per hunc enim de regione vmbræ mortis vocamur in partem Sanctorum in lumine, & adscribimur libro vitæ. De hac igitur lucerna seu de Sacramento Baptismi hæc examinanda se se offerunt. Primò de essentia Sacramenti Baptismi. Secundò de necessitate Baptismi. Tertiò de Materia & forma Baptismi. Quartò de Ministro Baptismi. Quintò de subjecto Baptismi. Sextò de effectibus Baptismi. Septimò de Ceremoniis Baptismi.

QVÆSTIO I.

De Essentia & quidditate Baptismi.

In hac Quæstione inquiremus

1. A quo nam institutus sit Baptismus.
2. Quid sit, & quotuplex Baptismus.

ARTICVLVS I.

A quo nam sit institutus Baptismus?

In hac difficultate certum est à Christo Domino fuisse institutum Baptismum Controuersia verò est non modo inter Scholasticos, sed etiã inter PP. de tempore institutionis, an videlicet institutus fuerit, ante Passionem, vel post passionem Domini, aliqui enim putant institutum fuisse antè passionem, aliqui post Passionem;

DICO I. Longe veriùs est Christum instituisse Baptismum ante Passionem. Ita. D. Subt. *dist.* 3. 4. *q. art.* 1. *& est ferè communis Theologorum.* Probatur 1. Ioannis 3. dicitur. *Christus non per se, sed per discipulos Baptisasse.* Atqui hoc dici non potest, nisi quia discipuli Bapti- *Baptismus, institutic ante passionem.*

ſabant Baptiſmo inſtituto à Chriſto; aliâs potiùs ipſe Ioannes per eos baptiſaſſet, quàm Chriſtus: ideò enim iuxta Auguſt. dicitur Chriſtus baptiſare in diſcipulis, quia ipſi adminiſtrabant Baptiſma inſtitutum à Chriſto, quod ab eò vim habebat, atq; ipſe erat qui conferebat internum effectum Sacramenti. Confirmatur quia *Ioan.* 3. Diſcipuli Ioannis indignantes apud eum conqueruntur, quòd Chriſtus per diſcipulos ſuos baptiſaret. Sed ſi Chriſtus non fuiſſet vſus propriò ſed Baptiſmo Ioannis, diſcipuli Ioannis non debebant indignari, ſed potius gaudere, quia hoc fuiſſet Ioanni honorificum. Ergo ſignum eſt Chriſtum vſum proprio Baptiſmo. Probatur 2. Quia Baptismus quo Chriſtus tunc vtebatur, conferebat gratiam. Ergo erat Sacramentum legis nouæ diſtinctum à Baptiſmate Ioannis, quod gratiam non conferebat, vt patet *Ioannis. c.* 1. Nec refert quod à Ioanne voluerit baptizari. 1. Quia hoc fecit cum adhuc Priuatus omninò & verè incognitus ageret; Baptiſabat autem vt Magiſter, & Doctor veritatis, & inſtitutor nouæ legis à Patre, dum baptiſaretur publico præcone conſtitutus. 2. Quia volebat baptiſari; vt hac occaſione, & à Ioanne, & præcipuè à Deo Patre teſtimonium acciperet, quo legis gratiæ inſtitutor denunciaretur. Neq; obſtat quòd forma Baptiſmi nō legatur tradita Apoſtolis ante paſſionem; quia eſt argumentum ab authoritate negatiua, & ſufficit quòd legamus Baptiſmum prius collatum, vt etiam credamus formam traditam, quæ jam in Baptiſmo quo Chriſtus baptizabatur erat clariſſimè repreſentata, & myſterium Trinitatis multis in locis Apoſtolis erat expoſitum.

Baptiſmus in Baptiſmo Chriſti demonſtratus.

DICO 2. Sacramentum Baptiſmi fuit quaſi in viuo quodam exemplari nobis perfectè demonſtratum, in Baptiſmate quo Chriſtus baptizatus fuit, non tamen tunc, ſed paulò poſt ipſum Chriſtus Dominus inſtituit, cum diſcipulos collegit; ritùmq; Baptiſmi præſcripſit. Ita Doctor Subt: *Loco citato.* Prima pars patet quia ibi fuit externa ablutio ſicut in Baptiſmo Chriſti, & apparuit tota Trinitas quæ in Sacramento inuocatur. Et hoc ſignificant Patres, qui dicunt aquam tunc accepiſſe vim lauandi noſtra crimina, quia ſcilicet contactu CHriſti fuit quodammodò moraliter conſecrata, & in Typo deputata, vt eſſet Materia Baptiſmi Chriſti.

2. Pars probatur, quia neq; tunc Chriſtus in actu exercito Baptiſmum inſtituit, ſuo Baptiſmate quemquam baptizando, quiâ ſolum fuit Baptiſmate

ma te *Ioannis* baptizatus; neq; in actu signato ritus ejus præscribendo; quia hic nihil præscripsit, nec Pater apparuit vt aliquid præscriberet, sed vt Christo testimonium perhiberet. 3. pars patet ex dictis quia cùm paulo post miserit discipulos suos baptisatum, debuit suum Baptismum priùs instituisse, discipulis ritum eius præscribendo, & multi volunt matrem suam sanctissimam, & sanctum Petrum baptisando, vt hic deinde Apostolos, ipsiq; cæteros baptisarent.

ARTICVLVS II.

Quid & quotuplex sit Baptismus?

Quantum ad definitionem Baptismi nota, ratione diuersorum effectuum variis nominibus à Sacra Scriptura, & à Patribus nominari.

Primò à præcipuo suo effectu vocatur *lauacrum regenerationis*, quia vt dicitur *Ioan. 3.* per eum denuò nascimur. Secundò dicitur, *Circumcisio Christi, non manu facta ad Coloss. 3.* Tertiò dicitur, *Sepultura* ad Rom. 6. *Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum*, quia nimirum vetus homo in Baptismo moritur, & quasi sepelitur. Quartò sæpissimè Patres illum vocant illuminationem, iuxta illud ad Hebr. 6. *Impoßibile est eos qui semel illuminati sunt.* Quintò dicitur *Sacramentum fidei.* Sextò dicitur *donum.* Septimò dicitur *Vnctio*, quia per ipsum per Spiritus Sancti gratiam inungimur. Octauò dicitur *Signaculum*, quia per eum omnes oues Christi primum ejus signum accipiunt, quo ab alienis distinguuntur.

Variis nominibus appellatur Baptismus.

Dico 1. *Si fundamentum totale Baptismi vt quid formaliter & secundò intentionalitèr sumpti sint verba, & ablutio simul sumpta, hæc propositio est falsa ablutio est Baptismus.* Ita Doctor *in 4. dist. 3. q. 1.* Probatur. Pars non prædicatur de suo toto. Sed ablutio est pars Sacramenti Baptismi. Ergo Baptismus non prædicatur de ablutione. Minor probatur. ex D. Augustino *tract. in Ioan. q. 1.* Igitur ablutio non est totale Sacramentum Baptismi fundamentaliter sumptum, sed pars duntaxat, & per consequens Baptismus, vt quid, non poterat prædicari de ablutione.

Ablutio est Baptismus.

Dico 2. (Supposita eadem opinione) Baptismus vt quid, non

potest

poteſt deſcribi per ablutionem in recto, ſcilicet in nominatiuo poſitam, tanquam per fundamentum & ſubjectum. Probatur. Quia nihil poteſt diffiniri per illud, de quo nõ prædicatur in recto: ſed facta hypotheſi quod totale fundamentum & ſubjectum Baptiſmi vt quid, non eſt ſola ablutio, ſequitur quòd baptiſmus, vt quid formaliter ſumptus, non poſſit prædicari de ſeipſa. Ergo nec poterit definiri per illam.

Definitio Magiſtri reiicitur. Dico 3. Suppoſita hac eadem opinione falſa, eſt mala diffinitio Magiſtri. Probatur neceſſe eſt in definitione accidentis in concreto ſumpti, ponere in recto totale fundamentum, & ſubjectum. Sed Magiſter in deſcriptione baptiſmi, quam tradit, non punit totum fundamentum, & ſubjectum baptiſmi in recto; Ergo non erit optima diffinitio. Minor patet Nam ſolam ablutionem ponit in recto, verba autem in obliquo, vt patet intuenti ipſam diffinitionem. Tunc ſic, iuxta factam hypotheſim, totale fundamentum & ſubjectum, ſunt ablutio, & verba ſimul ſumpta. Ergo &c.

Dico 4. Si fundamentum totale, & ſubjectum Baptiſmi ut quid, eſſet ſola ablutio, tunc hæc eſſet vera propoſitio, ablutio eſt baptiſmus. ſicuti iſta, animal eſt genus, & tandem per ipſam ſolam in recto poſitam poſſet baptiſmus deſcribi fundamentaliter. Hanc Concluſionem tenet. D. S. loco citato, dicens. *Si autem ſecundum poneretur, tunc ſicut de ablutione denominatiuè prædicaretur diffinitio baptiſmi (licèt illa ablutio intelligãtur circumſtantionata multis relationibus talibus, ad hoc vt ſibi conueniat talis relatio) ſic & è cõuerſo, in diffinitione hujꝰ relationis incõcreto acceptæ, poſſet poni ablutio ſolùm modò in recto, & omnia alia in obliquo &c.* *Auctoritas D. Subt.*

Dico 5. Facta hac hypotheſi optima erit diffinitio Magiſtri. Hanc tenet Doct. Subtil. ubi ſupra §. *Patet ergo ſolutio quæſtionis, quia Magiſter* Probatur. Quia ablutionem ponit in recto, & verba in obliquo. Ergo erit optimè diſpoſita, quia tunc baptiſmus, erit ſola ablutio circumſtantionata.

Definitio Magiſtri eſt diminuta. Dico 6. Abſolutè dicendum eſt diffinitionem Magiſtri eſſe diminutam & falſam. Probatur. Quia fundamentum totale eſt aggregatum ex verbis, & ablutione, & non ſola ablutio. Ergo totum illùd debet poni in recto. Atqui Mag. ſolam ablutionem poſuit in recto, verba autem in obliquo. Ergo defecit eius diffinitio.

Dico 7. Si diffinitio Mag. vberiùs aſsignetur, ita vt magis explicet naturam baptiſmi, vt fundati ſupra ablutionem, erit recta. Pro-

probatur. *Sic* enim à D. *Subt*. corrigitur, *baptiſmus eſt ablutio hominis aliqualiter conſentientis, facta ab alio, in qua ſimul, verba certa cum intentione debita proferente, ſignificans efficaciter ex inſtitutione Diuina ablutionem animæ à peccato.*

Dico 8. Diffinitio Baptiſmi per fundamentum totale, quod conſiſtit in ablutione, & verbis, eſt melior Diffinitione Mag. etiam ampliata eo modo, quo dictum eſt in concluſione præcedenti. Probatur. Quia quando aliquod relatiuum diffinitur, debet diffiniri per ſuum fundamentum totale. *Sed* fundamentum baptiſmi, vt quid ſecundo intentionabiliter ſumpti, eſt aggregatum ex verbis, & ablutione. Ergo &c. *Definitio baptiſmi eſt melior.*

Dico 9. Juxta hanc doctrinam, hæc eſt optima diffinitio, *Baptiſmus eſt Sacramentum ablutionis, animæ à peccato, conſiſtens in ablutione hominis aliqualiter conſentientis, facta in aqua ab alio abluente, & in verbis certis, ſimul ab eodem abluente, cum debita intentione prolatis*. Probatur. Quia in hac diffinitione ponitur fundamentum totale, aggregatum ex ablutione, & verbis. Ergo.

Dices 1. Tam ablutio, quàm verba ponuntur in obliquo, non in recto in hac diffinitione. Ergo non eſt bona. Reſp. ſufficit, quod vtraq; ponatur in obliquo quia hoc inſinuat vtrumque ſimul æquè ingredi eſſentiam fundamenti totalis baptiſmi.

Dices 2. Si ablutio & verba eſſent fundamentum Baptiſmi, impediretur vnitas Baptiſmi, cum fundamentum illius nō eſſet vnum. Ergo potiùs fundamentum illius eſt ſola ablutio, ita tamen vt habeat alia concomitantia, vt ſcilicet verba, & intentionem Miniſtri. Reſpondeo Hoc non impedire vnitatem illius, cum ſit relatio rationis, vt ſupra dictum eſt.

Dico 10. Triplex communiter aſſignatur Baptiſmus. Aquæ ſeu fluminis, flaminis, & ſanguinis. Patet Quia non ſolùm per baptiſmū aquæ, qui eſt propriè Sacramentum, confertur gratia, ſed etiam per Baptiſmum flaminis, ſeu charitatis, & pœnitentiæ, & baptiſmum ſanguinis ſeu Martyrii. *Triplex Baptiſmus.*

Dico 11. Intra prædicta baptiſmata, continetur etiam Baptiſma Ioannis. Patet quia Baptiſma Ioannis, erat Baptiſma pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, & præparatio ad Baptiſmum CHRiſti.

QVÆSTIO II.
De Necessitate Baptismi.

In hac Quæstione examinabitur
1. Qua ratione Baptismus sit necessarius ad salutem.
2. Quando cœperit primum hæc obligatio Baptismi.

ARTICVLVS I.
Quâ ratione Baptismus sit necessarius ad salutem?

Baptismus est necessarius necessitate medii.

DICO I. Baptismus est necessarius ad salutem necessitate medii, ita vt de lege ordinaria, qui non est baptisatus non possit introire in Regnum Dei: vnde necessarius est simpliciter vel in re, vel in voto, quando in re haberi non potest. Probatur 1. ex Concil. Trid. *Sess. 7. Can. 5.* vbi dicitur, *Si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit.* Item Florentinum in literis vnionis. *Nisi ex aqua & Spiritu Sancto renascimur, non possumus inquit veritas in Regnum cælorum introire.* Idem definiuit Innocentius I. *contra Pelagianos Epist. 26. ad Concil. Milleuit.* Idem communiter SS. Patres ab initio Ecclesiæ docuerunt. Probatur 2. ex Scriptura, quia Christus Dominus Ioannis 3. dicit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* 3. Probatur contra Hæreticos: Quia vt ipsi fatentur iuxta illud Psalmi 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Paruuli nascuntur in peccato originali, nec possunt per proprios actus huius remissionem acquirere. Ergo debent eam acquirere per Sacramentum, quod non potest esse aliud, quàm Baptismus.

Baptismus infantibus est necessarius.

DICO 2. Extra casum Martyrii Baptismus reipsa susceptus, est primo modo necessarium medium infantibus ad obtinendam justificationem. Patet ex dictis secùs est de adultis. Quia sine eo re ipsa suscepto, possunt per contritionem justificari. Nec refert, quòd non possint justificari sine illius voto, quia inde tantùm sequitur, quòd eius votum sit necessarium necessitate medii; non autem quòd ipse baptismus ita necessarius sit.

In voto est necessarius Baptismus.

DICO 3. Baptismus secundùm se est secundò modo medium necessarium ad salutem. Primò quia extra casum Martyrii, nemo non contritus potest sine eo justificari, vt patet per se. Secundò quia est

ita in-

ita institutus ad remisionem peccati originalis, vt quamuis fingamus, aliquem per se ad eum non obligari, ita vt posset peccator nolle vnquam baptizari: tamen si hic vellet iustificari à peccato, aliisque ante Baptismum commissis, nullo modo id posset consequi, quantumcunq; contereretur, nisi cum directa obligatione ad Baptismum, & implicita voluntate ipsum suscipiendi. Sicut nemo potest aliquid emere, sine obligatione & voluntate soluendi pretium. Ratio hujus est institutio Christi, quam ex traditione Ecclesiæ, & ex illo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit &c cognoscimus.*

Dico 4. Obligamur etiam suscipere baptismum ex præcepto Diuino, obligatione distincta ab ea, quæ sequitur necessitate medii. Patet quia dato quòd aliquis sit baptizatus baptismo flaminis, & gratiam Dei consecutus, nihilominus tamen si potest tenetur recipere baptismum fluminis. *Etiam ex præcepto obligat*

Collige 1. Certum omnino est Catechumenum ante Baptismum per veram contritionem iustificari, eiq; peccata verè dimitti. Patet ex c. 3. Ioan. vbi dicitur: *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam quoniam diligimus fratres*, scilicet propter Deum siue ex vera charitate. *Nota.*

Collige 2. Si quis verè contritus sit ante susceptionem Baptismi, quia eum habere non potest moreretur, verè iret ad cœlum. Est certum inter Catholicos & apertè definitum *Cap. Debitum de Baptismo.* *Nota 2.*

Collige 3. Adultus causa fidei id exigente, tenetur baptisari cum vitæ discrimine, quia bonum fidei est maius, quàm vita vnius, vel plurium hominum. per se verò non tenetur etiamsi commoditas baptismi sit defutura. Ita ferè omnes DD. apud Suarez *disp. 31. Sect. 3.* Ratio est, quia ad salutem sufficit votum Baptismi, cum contritione peccatorum. *Nota 3.*

Collige 4. Si detur casus vt aliquis ex speciali priuilegio in vtero matris justificetur, nihilominus tenetur sic justificatus suscipere Baptismum si possit. Quare Apostoli, & B. Virgo quamuis ante Baptismi institutionem acceperint gratiam, tamen post Euangelii promulgationem, tenebantur suscipere baptismum, vt fierent capaces reliquorum Sacramentorum, quorum janua est Baptismus, & ut familiæ Christi Domini ascriberentur. *Nota 4.*

ARTICVLVS II.

Quando cæperit primum hæc obligatio Baptismi.

Obligare cæpit post mortem.

Dico 1. Satis constare non cæpisse ante mortem Christi: sed cæpisse obligare post mortem Christi. 1. pars patet, quia & si prius fuerit Baptismus institutus, & potuerit vtiliter suscipi, nemo tamen ad hoc fuit obligatus, quia tunc durauit adhuc in suo vigore lex vetus, quæ tamen vt docet Apostolus *ad Hebr. 8.* Erat per legem nouam antiquanda. 2. pars probatur, quia non cæpit hæc obligatio, ante legis Euangelicæ publicam promulgationem, Sed nulla talis fuit facta post mortem Christi saltèm antè *Pentecosten*. Ergo non ante hanc cæpit obligatio talis Baptismi. Major patet ex Trident. Sess. 6. C. 4. Vbi loquens de translatione peccatoris ad gratiam, dicit; *hæc translatio post Euangelium promulgatum sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest*; vbi apertè insinuat, ante aliter fieri potuisse. Minor probatur. Quia post mortem Christi vsq; ad Pentecosten nulla talis promulgatio legitur facta; sed Christus tunc priuatim tãtum instruebat Apostolos, qua ratione deberent Evangelium post acceptum Spiritum Sanctum promulgare; imo prohibebat illis, ne prius Euangelium promulgarent Actorum. 1. *Et conuescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris.*

A festo Pentecostes necessarius fuit

Dico 2. Verisimilius baptismum cæpisse, & necessarium esse à Festo Pentecostes. Probatur. Quia tunc primum fuerunt Apostoli absolutè constituti præcones Euangelii, & cæperunt illud publicè promulgare; & rogantibus Iudæis *Actor. 2.* qua rationè possent saluari, jusserunt eos Baptismum recipere. Generaliter autem & quoad omnes incæpit post sufficientem Euangelii promulgationem factam per vniuersum orbem.

Post vniuersalem publicationem obligabat.

Collige 1. Post Christi pasionem ante vniuersalem Euangelii promulgationem, iis qui Baptismi legem ignorabant, potuit, & debuit adhiberi circumcisio; seu remedium legis naturæ; nullum enim aliud remedium potest asignari quippe cum Baptismus non esset illis sufficienter promulgatus, nondum illos obligabat.

Collige 2. Qui nunc existunt in partibus remotis, quo nunquam Euangelium penetrauit cum inuincibili ignorantia Baptismi, sal-

uari

uari poſſunt, ſi naturæ legem ſeruauerint; nam credere par eſt, Deum naturæ legem ſeruantibus, daturum lumen & ſpeciale auxilium quo ad ipſum conuertantur.

Petes. *Quando circumciſio euacuata fuit?* Reſpondeo 1. tempus quo Baptiſmus fuit ſub conſilio dicit Doct. Subt. *in 4. d. 3 q. 4* quod durabat à principio ſuæ inſtitutionis vſq; ad ſolennem promulgationem baptiſmi. Reſpondeo 2. Circumciſio poſt inſtitutionem baptiſmi non fuit neceſſaria, nec ſub præcepto. Similiter Baptiſmus, quando erat ſub præcepto obligabat, quando verò ſub conſilio non obligabat niſi ad non contemnendum. Reſpondeo 3. Baptiſmus poſt paſſionem Domini non fuit ſtatim ſub præcepto, niſi poſt ſolennem promulgationem. Neq; dicendum eſt, quod incæperit lex Euangelica, in morte Chriſti Domini, quoad neceſſitatem actualis obſeruationis, licet à morte Chriſti Domini acceperit valorem & efficaciam Baptiſmus. *Baptiſmus dum erat ſub conſilio non obligabat.*

QVÆSTIO III.

De Materia & Forma Baptiſmi.

In hac Quæſtione examinabitur

1. Quæ nam ſit Materia Baptiſmi.
2. Quæ nam ſit Forma ejusdem Baptiſmi.

ARTICVLVS I.

Quæ nam ſit Materia Baptiſmi?

Dico 1. Remota Materia Baptiſmi debet eſſe elementaris. Vnde nulla aqua, aut ſuccus ex herbis, floribus, radicibus, frondibus, aliisq; miſtis, perfectis, diſtillatus, poteſt eſſe Materia Baptiſmi: quia ſubſtantialiter differt ab aqua elementari. *Remota materia Baptiſmi eſt aqua Elementaris.*

Colliges 1. Aqua ex glacie, niue, aut rore reſoluta, quamdiu reſoluta non ſunt, non ſunt materia ſufficiens; quia non ſunt apta proximè ad abluendum. Sed quid ſi in ipſa applicatione nix reſolueretur. Reſpondet Tannerus *tom. 4. dis 4 q. 1. dub. 2. n. 44.* quod ſi reſoluatur in manibus baptiſantis ante ablutionem eſt ſufficiens; ſi verò in corpore baptizati, non eſt ſufficiens; quia tunc baptizans nō propriè abluit, *An nix glacies ſint materia. Nota*

sed potiùs ille à se ipso abluitur: ablutio verò tam vt actiua, quam vt passiua est materia Baptismi, quod etiam docet Vasquez *in 3. p. tom. 2. dis. 141. c. 7. & alii.* Sed Suarez *in 3. p. tom. 3. disp. 20. Sect. 2.* docuit materiam proximam Baptismi sitam esse in ablutione, vt passiua, non vt actiua: in qua sententia nix liquefacta in corpore baptizandi esset materia sufficiens: vtraq; hæc opinio. est probabilis.

Collige 2. Quando autem est dubium, num aqua sit naturalis, vt contingit de lixiuio, iure carnium, &c. potest cum illa conferri Baptismus in casu necessitatis sub conditione, si est sufficiens; repetendus postea, si cesset necessitas, in materia certa sub conditione, si non es baptizatus. Ita Granedo *in 3. p. contr. 4. tr. 1. disp. 3. dub. 2.* quod a fortiori procedit, quando circa materiam Baptismi sunt opiniones probabiles.

Dubia quando adhibenda.

Collige 1. Multi Doctores putant in extrema necessitate Baptizari posse cum liquore dubio, si non potest examinari, num sit aqua, vel aliud. Quia præceptum de non baptizando absq; tali materia oritur ex reuerentia Sacramenti, cui præponderat summa indigentia proximi.

Non sufficit gutta.

Collige 2. Ad Baptismum non sufficit vna aut altera aquæ gutta, præsertim si per corpus non fluat, quia requiritur contactus successiuus, & ea aquæ quantitas, quæ sufficiat ad partem corporis abluendam, ita vt homo vere dici possit ablutus. Neq; sufficit, vt aqua contingat vestes, aut aliquid extra carnem, vt si quis corio, vel vtre contectus immergatur; quia non potest dici propriè ablutus. Secùs autem si baptizaretur infans natus cum membrana, seu pelle porosa, eaque inuolutus; potest enim aqua penetrare, & peruenire ad carnem infantis. Neque sufficit vt aqua solos capillos attingat; neque enim capilli sunt pars hominis, solius autem capitis sufficit ablutio, quippe præcipua est hominis pars, qua abluta dicitur homo ablutus, præcipua vero pars caput, pectus; an autem sufficiat manus infra dicetur.

Materia proxima est ablutio.

Dico 2. Baptismi Materia proxima est ablutio, quæ fit contactus successiuus, quo aqua successiuè contingat corpus: quia homo nō potest dici ablutus, nisi per contactum aquæ successivum sufficit

autem

autem ea aquæ quantitas quâ pars aliqua corporis ablui possit. quare validus est Baptismus, siue fiat per immersionem, siue per infusionem aquæ, vtraque enim est ablutio: Sacerdos tamen qui ex officio ministrat Sacramentum baptismi Ecclesiæ suæ consuetudinem seruare debet.

ARTICVLVS II.

Quæ nam sit Forma Baptismi.

DICO 1. Baptismi forma in Ecclesia latina, hæc est, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Vox (ego) non est de essentia quia includitur in voce baptizo, (Te) est de essentia quia forma explicare debet subjectum. Item particula (Baptizo) vel æquiualens ad determinandum actum applicationis aquæ ad corpus baptisati, quæ posset etiam fieri ad refrigerationem, medicinam &c. Si particula (in nomine,) replicetur ad vnamquamq; personam Diuinam dicendo. In nomine Patris, In nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti. Bonacina de Sacramentis. *disput. 2. quæst. 2. p. 4.* docuit inualidum fore Baptismum quia non exprimitur vnitas essentiæ Diuinæ; sicut eadem ratione inualidum fore Baptismum collatum, *In nominibus Patris & Filii* &c. Sed contrarium tenet Suarez *disp. 1. Sect. 3.* Quia replicatio illa *In nomine*, non ponit plura nomina, sicut ly. *In nominibus*: sicut nomen Deus potest sæpius iterari sine pluralitate, non autem Dii, quia hoc significat naturarum pluralitatem, non autem illud. *Baptismi forma.*

DICO 2. De essentia Formæ Baptismi est explicita SS. Trinitatis, & personarum inuocatio, nec sufficit implicita, vt in nomine Trinitatis. An autem in nomine Christi valeat? dubium est, quia non legitur ubi illa dispensatio sit reuocata, ait D. S. Probabiliùs tamen est, quod non similiter nominibus significantibus, proprietates, non personas, vt genitoris geniti inualidè sit Baptismus. *Ita D. Subt. d. 3. q. 2. in 4.* *Ex plicita Trinitatis inuocatio.*

DICO 2. forma proferri debet simul cum adhibetur ablutio, vt verum sit dicere, *Ego te abluo*, vel certè antequam finiatur ablutio incipiat prolatio verborum, ita D. Subt. *in 4. d. 6. q. 2.* *Cum materia proferri debet.*

DICO 3. si variatur forma secundùm additionem repugnantem principalibus verbis formæ; vel per diminutionem, vel transpositionem, ita vt transpositio variet sensum, nihil fit. si autẽ varietur secundum congru- *Variatio quando inualidat.*

congruitatem terminationis, vt baptizo te in nomine Patrias, & Filias, & Spirituas Sanctas, juxta declarationem summi Pontificis valet, quod tamen intelligendum, quando est talis congruitas in fine dictionis, quæ non prohibet, quin possit cognosci conceptus significatus per dictionem.

In nomine alicujus Sancti an valeat

Collige. Addens formæ Baptismi nomen B. Virginis, vel alicujus Sancti, aliqui dicunt quòd non baptizaret verè. Sed distinguit Bonacina *loco citatò n. 16.* si tale nomen addens intendat in nomine B. Virginis, vel Sancti baptisare, non baptisaret, quia talis sensus contrarius est fidei; si verò solùm intendat intercessionem illorum, ad confirmationem gratiæ baptismalis valeret.

Omni lingua est validus.

Dico 4. Qualibet lingua validè potest fieri Baptismus, licitè tamen, in Ecclesia Latina, Sacerdos non potest vti nisi forma latina: posse tamen Sacerdotem baptizare in lingua vernacula sine mortali affirmat Nugnus *Quæst. 60 art. 8.* præsertim si non solenniter baptiset.

QVÆSTIO IV.

De Ministro Baptismi.

In hac quæstione quæretur

1. Quis sit ex officio Minister Baptismi.
2. An alii infra Sacerdotem habentes ordines, sint ex officio Ministri.
3. An plures Ministri possint simul baptisare vnum totaliter.
4. Vtrum plures possint partialiter vnum baptisare.
5. Qui & quando præter Sacerdotes, possint licitè baptisare, & quis Ordo inter ipsos sit seruandus.
6. Vtrum Baptismus possit sæpiùs iterari.
7. An & quot Patrini requirantur in Baptismo:

ARTICVLVS I.

Quis sit ex Offitio Minister Baptismi?

Sacerdotes sunt ordinarii ministri.

Dico 1. Soli & omnes Sacerdotes ex vi suæ ordinationis sunt ordinarii Ministri Baptismi per se loquendo. Ita definitum est in Conc. Florentino. Et ratio est, quia cum soli, & omnes Sacerdotes habeant potestatem, in corpus Christi Domini verum, quod conficiunt,

par

parerat, vt iidem haberent eam in corpus Chriſti myſticum quod eſt Eccleſia, ſed per Baptiſmum fit ingreſſus in Eccleſiam. Ergo.

Soli paſtores ordinariè.

Dico 2. Soli Paſtores animarum vt Epiſcopi, Parochi, aliiq́; curata beneficia habentes, aut eorum vicarii Baptizandi ius habent, atq́; adeò ſolis illis, per ſe licitum eſt hoc Miniſterium exercere, & aliis non niſi ex eorum commiſſione. Dico autem (per ſe) vt excludam caſum neceſſitatis, in neceſſitate enim quiuis habens vſum rationis, etiam infidelis, modò intentionem habeat faciendi, quod facit Eccleſia, debitamq́; formam proferat, & materiam applicet, poteſt Baptiſmum miniſtrare. Ratio eſt, quia ſi requiritur Iurisdictio ad aliorum Sacramentorum adminiſtrationem licitam, multò magis requiri debet ad Sacramentum, quod eſt ianua cæterorum.

In neceſſitate omnis homo.

Sacerdos ſimplex an poſſit.

Dico 3. Sacerdos ſimplex, ſecularis, baptiſans extra caſum neceſſitatis, ſinè conceſſione proprii Paſtoris, peccat mortaliter, non tamen incurrit vllam cenſuram. Ratio eſt, quia eſt contra ius naturale vſurpare ſibi poteſtatem alienam. Sed paſcere animas quod fit verbo, & Sacramentis, eſt ius proprium Paſtorum. Ergo illud vſurpare ſine neceſſitate, & commiſſione eſt peccatum. Quod autem talis non incurrat vllam cenſuram. Patet, quia nullum eſt ius quod hoc expreſsè dicat. Porro Sacerdos Regularis baptiſans ſine licentia parochi, præter peccatum mortale incurrit excommunicationem.

Dices Nondum baptizati non ſubſunt vlli Paſtori certo, quia nondum ſunt in Eccleſia. Ergo licitum erit cuilibet illos baptizare. Reſpondeo. Si de infantibus Chriſtianorum agatur, illi ratione parentum ſpectant ad Eccleſiam, & mediis parentibus habent deſignatos Paſtores; ſi autem de infidelibus agatur, tunc vel illi ſunt intra limites fidelium, ac proinde ad loci illius Paſtorem ſpectabunt, vel ſunt extra limites fidelium, ac proinde baptiſans debet eſſe miſſus à ſupremo Paſtore, vt in eos quos Eccleſiæ aggregat, habeat poteſtatem vt nunc fit in Japonia, & aliis nationibus infidelium.

In caſu neceſſitatis quilibet Sacerdos.

Dico 4. Jn caſu neceſſitatis poteſt licitè Baptiſmum conferre etiam ſolemniter abſente Paſtore animarum, quilibet Sacerdos ſimplex authoritate propria, dummodo ratio habeatur veræ neceſſitatis, hoc eſt ſi ex mora & dilatione, timeatur periculum. Ratio eſt, quia talis Sacerdos ex vi ſuæ ordinationis, eſt idoneus ad hoc Miniſterium, &

necessitas dat illi potestatem Baptizandi. Porro etiamsi baptisandus sit in extrema necessitate, tamen simplex Sacerdos peccaret baptizando cum præsente & inuito Pastore, quia necessitas requiritur, vt sit non tantum ex parte baptizandi quia est in extremis sed etiam ex parte Ministri, vt is qui ex officio baptisare debet, aut non adsit, aut nolit.

Angelus posset baptizare.

PETES. *Vtrum Angeli possint esse Ministri Baptismi?* Affirmat Doctor Sub. *in 4. dis. 6. q. 1. §. Dixi autem generaliter suppositum naturæ intellectualis.* Vnde & à malo Angelo posset esse Baptismus, tametsi Baptisma ab ipso præstitum, non esset rati habendum, nisi constaret reuelatione Diuina, ipsum iussu & mandato Dei baptizâsse, & omnia requisita verè præstitisse: nam Deus non ministrat Sacramenta ordinariè per exclusos finaliter à salute.

ARTICVLVS II.

An alii infra Sacerdotem habentes ordines, sint ex officio Ministri?

Diaconus quando potest.

DICO 1. Diaconus per se ac Iure Diuino ordinario, non potest sine peccato Baptisare; ex authoritate verò siue commissione Episcopi, aut Sacerdotis iustam ob causam, (vt quando Sacerdos non potest omnes per se baptisare) posse solemniter Baptisare. Prima pars patet, quia Diaconi hujusmodi potestate non sunt præditi. Secunda pars probatur, quia Diaconus ex sua ordinatione habet quod possit ex commissione Baptisare, quod videtur intelligendum de baptisatione solemni. Habent enim Diaconi proximam potentiam, & capacitatem ex vi suæ ordinationis, vt possint ex commissione Pastoris Baptisare etiam solenniter, si ita necessitas grauis exigat. V. G. paucitas Sacerdotum, & multitudo baptisandorum; item si vtilius possent Sacerdotes operam suam in alio Ministerio locare, tunc enim posset facultas baptisandi Diacono delegari. Vnde *in capite Diacones dist. 93. verbo necessitas*, dicitur, *In necessitate & absentia Sacerdotis Diaconum iure suo posse baptisare.* Et hoc patet ex ordinatione Diaconi, vbi dicitur, *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptisare, & prædicare.*

Nullus inferior Diacono.

DICO 2. Nullus inferior Diacono habet ius, seu proximam capacitatem ad ministrandum licitè cum solennitate Baptismum, siue

ordina-

ordinariè, siue ex Commissione Episcopi, aut Parochi, ita communiter Theologi. Hinc sequitur in nulla necessitate posse habere Subdiaconum facultatem Baptisandi solenniter, sed vrgente necessitate priuatim tantùm id potest præstare, & reliquæ solennitates à Sacerdote supplendæ.

COLLIGE. Omnis Clericus non Sacerdos, etiam Diaconus, si absq; commissione, ministret Baptismum solenniter, etiam in casu necessitatis, peccabit mortaliter, & fiet irregularis. Ita Suarez *disp: 31. Sect. 4. cum Soto, Nauarro & aliis:* quia tunc reuera exercet proprium actum ordinis, sine Ordine: in hac autem irregularitate solo Pontifex potest dispensare, quo ad nouos ordines suscipiendos, Episcopus autem potest dispensare in vsu iam susceptorum, ita Nauarrus *C. 27. n. 242.* *Diaconus sine commissione peccaret mortaliter & fieret irregularis.*

DICO 3. Omnis excommunicatus peccat mortaliter præsentibus aliis Baptizando, nisi sine graui incommodo id non posit vitare. Per se patet, quia hoc grauiter est ei prohibitum. *Excommunicati an possint.*

DICO 4. Quando sunt cætera paria licet præferre Ministrum iustum peccatori, & potiùs ab isto, quàm ab illo petere Baptismum; Ratio est, quia hoc spectat ad majorem decentiam, & Reuerentiam Sacramenti. Dixi autem (*si sint cætera paria*) hoc est si sint ambo Sacerdotes, aut ambo Diaconi, sed alter bonæ, alter malæ vitæ; alias non liceret præferre simpliciter Sacerdotem etiam Sanctum, Pastori peccatori nisi ipse permitteret. Pari ratione non liceret præferre Diaconum Sacerdoti, aut Subdiaconum Diacono, si in necessitate esset ministrandus Baptismus; solus enim intuitus Majoris Sanctitatis non est sufficiens causa inuertendi ordinem Ecclesiæ, præsertim cum à bonitate Ministri non dependeat efficacia Sacramentorum. *An præferendus iustus peccatori.*

PETES *Quid requiratur in baptisante?*

DICO 1. Intentio finis vltimi non requiritur in baptisante. Patet Quia Paganus verè baptisat quoties id facit, & nihilominus nusquam intendat quòd baptisatus constituatur Filius DEi, ac hæres Regni cælestis. *In baptizante quid requiratur.*

DICO 2. In baptisante requiritur intentio finis proximi. Probatur. Deus decreuit hunc actum fore non casualem, sed humanum. sed vt humanus sit, debet esse præuia intentio finis proximi, nempe vt efficiat id quod Christiani credunt ab ipso effici, ita D. Subt. *in 4. dist. 6. q. 5.* Non est autè necesse, vt habeat Minister intentionem actualem

Li semper,

semper, quia sufficit virtualis, vt dictum est *supra q 5. art. 1. con. 3. & 4.* Non requiritur etiam Sanctitas & bonitas Ministri, vt dictum est *loco Citato art. 3.*

ARTICVLVS III.

An plures Ministri possint simul baptisare vnum totaliter?

Plures ministri quando possunt.

Dico 1. Possunt plures Ministri integri & totales, quorum quilibet intendit per se, sine dependentia ab altero Baptisare, ita vt vterq; eum abluat, ac formam integrè pronuntiet, intendens per se absolutè. vt causa totalis integrè Sacramentum conferre, si eodem instanti ponant omnia essentialia Sacramento, vterq; verè baptisabit, & eandem omnino gratiam, ac characterem, tanquam ejusdem effectus causæ totales, producent, non aliter quàm si quisq; solus baptisaret, Ita communiter Theologi. Ratio est, quia in tali casu vnus quisq; illorum baptisantium, est ex se sufficiens ad ministrandum Baptismum, & tàm in actione externâ, quàm in sua intentione operatur, vt integer Minister, & applicat omnia ad Sacramentum perficiendum. Ergo validè illud conficit. probatur. Quia nihil est quod impediat, quia cum solus concursus, & concomitantia alterius eandem intentionem habentis, & similem actionem exercentis, non repugnet, vt videmus fieri, cùm in ordinatione presbyterorum plures simul consecrant hostiam cum Episcopo.

Adverte si duo simul baptisantes vtantur hac forma, *nos te baptisamus* &c. invalidè baptizant. Ratio est, quia vel intendunt baptisare vt causæ partiales, & tunc nihil agunt, vel vt causæ totales, & tunc etiam nihil agunt defectu formæ, quæ debet hic significare Ministrum conferre Sacramentum, vt causam totalem.

Nota casum

Dico 2. In tali casu si vnus priùs absoluat ablutionem, & formam, quàm alius, ille solus baptisabit, alter aut nihil faciet: si autem simul ambo vtrumq; expediant, vterq; illorum verè baptizabit, sed ita vt vnus futurus sit Baptismus, etiamsi à duobus totalibus causis sit profectus. Ratio primæ partis est, quia iam baptisatus, non potest ampliùs esse capax Baptismi. Ergo si is qui prior perfecit omnia, iam

baptizauit, alteri nihil est relictum faciendum. Ratio 2. partis est Quia licet materialiter, & physicè sint ibi duæ ablutiones, duæ prolationes formæ, & duo Ministri, tamen formaliter ac moraliter loquendo, non sunt diuersæ, sed vna totalis materia, & forma, non plus significans, neq; efficiens, quàm si ab vno Ministro fieret, quatenùs & fiunt simul in eodem subjecto, & in ordine ad eundem numero effectum supernaturaliter significandum, & efficiendum. Vnde tam gratia, quam character vnus duntaxat confertur, cum nullus sit capax duplicis characteris baptismalis.

Dico 3. Quando in dicto casu, vnus siuè expresse, siuè tacitè habet intentionem conditionalem baptisandi, hoc modo, vt nolit Baptismum perfici, nisi alius perficiat externam actionem totam, & formam, tunc si is qui habet talem intentionem, priùs omnia perficiat, ad Sacramentum spectantia, quam altèr nihil omnino efficiet. Alter autem vbi omnia perfecerit verè solus baptisabit. *Ratio* est, Quia ille prior non habet absolutam intentionem, sed conditionatam, at conditio non est impleta in eo instante in quo ipse perficit omnia ex parte sua ad *Sacramentum* necessaria, Ergo nihil efficit, siquidem Sacramentum datum sub conditione de futuro, nullum est vt ante dixi. Nam neq; tunc est validum cum perficiuntur omnia propter conditionem non impletam, neq; tunc, cum conditio impletur, quia tunc iam non extat Materia, & forma: *conditionalis intentio non apponenda.*

Dico 4. Illicitum est, & ex se peccatum mortale; tali modo, baptizari vnum à pluribus. Ratio est tum quia id superfluum est, tum quia præter morem Ecclesiæ fit. tum vel maximè quia ambo exponunt se periculo morali, nihil faciendi, ne vel saltem vnus materialiter Baptismum repetat. *Talis modus illicitus.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum plures possint partialiter vnum baptizare?

Nota duobus modis possunt partialiter plures ad vnum baptisandum concurrere. 1. Diuidendo inter se ipsam actionem externam, siuè vt vnus abluat, & alter formam proferat, siuè vt vnus vnam partem proferat dicendo, *Ego te baptizo.* Alter verò dicat, *In nomine Patris &c.* 2. si ambo quidem abluant, & ambo totam formam proferant, sed quo- *Partialiter duo dupliciter concurrunt.*

 ad in-

ad intentionem partialiter baptizent, habendo nimirum voluntatem non baptizandi sine altero siue interiùs tantum conceptam, siue in forma expressam, V. G. dicendo, *Nos partialiter te baptisamus in nomine Patris &c.*

Vbi non saluatur veritas forma nihil fit.

DICO 1. Quacunq; ratione duæ pluresuè personæ concurrant ad baptisandum, vt partiales Ministri, diuidentes inter se externum Baptismi Ministerium, nihil omnino conficient: hoc est siuè vnus abluat, alter formam proferat; siuè vterq; partem lotionis, & vterq; partem formæ absoluat. Est communis D D. *R*atio est tùm quia in tali Baptismo non saluatur veritas formæ; nam siue is qui profert formam dicat. *Ego te baptizo*, siue *nos te baptizamus*, intelligendo partialiter, semper est falsa enunciatio. Tum quia vt forma verum significet, qui illam profert debet etiam abluere, alioquin si vnus abluat, & alius verba proferat, falsum erit dicere. *Ego te baptizo;* falsum etiam erit, *nos te abluimus*; quia non vterq; ablueret, neq; vterq; verba proferret, si alter esset mutus. Sed his non obstantibus aliqui Theologi vt Caietanus, & Hurtadus in necessitate docent conferendum esse à duobus vno muto abluente, & alio manibus orbato proferente verba sub conditione (si ita conferri potest. Ratio est, quia in tali necessitate meliùs est suscipere Baptismum dubium, & aliquo modo probabilem quàm omnino nullum.

Nota.

Ex parte intentionis defectus inualidat.

DICO 2. Probabilius est plures Ministros concurrentes partialiter ex parte solum intentionis, ita vt licet quilibet lauet & proferat totam formam, tamen si ambo non intendant, vt totales Ministri baptisare, sed dependenter vnus ab alio, & quasi componendo cum illo vnum integrum Ministrum; probabilius inquam est tales non posse verum Sacramentum conferre. Ratio est intentio Christi Domini; vt persona conferens Baptismum, esset integer ac totalis Minister. Tùm quia id colligitur ex vsu Ecclesiæ, quæ nunquam talem modum vsurpauit, aut probauit. Tùm quia sicut Christus vnus est, ita vnus debet esse Minister illum representans. Hinc sequitur mortaliter peccaturos per se loquendo quicunq; aliquo ex dictis modis Baptismum conferre tentauerit, exponeret enim se periculo nihil faciendi, & decipiendi eos quos baptizauerit.

ARTI-

ARTICVLVS V.

Qui & quando præter Sacerdotes possint licitè Baptisare, & quis ordo inter ipsos sit seruandus?

Dico 1. In necessitate, Ministri Baptismi extra ordinarii sunt, quilibet homines, cujuslibet sexus, status, Religionis, etiam non baptisati, modò loqui possint, & lauare, & sciant formam præscriptam, & habeant debitam intentionem; Ratio est, summa necessitas Baptismi, sicut enim propter eandem rationem in aqua Materia communi, & obuia est institutus Baptismus, ita decebat Ministrum ejus in necessitate posse esse quemlibet hominem. Confirmatur, ex eo quod Apostoli nondum Sacerdotes viuente Christo Domino baptizàrint, & *Actor.* 9: S. Paulus baptisatus est à laico Anania nomine: Vnde fæmina, Judæus, Ethnicus, Hæreticus, Excommunicatus, suspensus, & quicunq; alius, si baptiset, validus erit Baptismus; *In necessitate quilibet homo.*

Dices, Nemo dat quod non habet. Ergo cùm Ethnici, & Iudæi non sint baptisati non poterunt verum Baptismum dare. Et fæminæ prohibentur in Ecclesia loqui, 1. *ad Corinth.* 14. Ergo baptisare etiam eis non licebit, quod est maius, quàm prædicare. Respondeo. Antecedens est verum si debeat dare virtute propria, sed si id faciat tanquam instrumentum superioris causæ principalis, potest etiam dare is qui re aliqua caret. Sed Ministri conferunt Baptismum virtute Christi. Fæminæ autem prohibentur baptisare ordinariè, non autem in necessitate. Cujus rei Typus fuit, *Exodi.* 4. in Sephora vxore Moysis quæ circumcidit filium. *Replica ad objectionem.*

Dico 2. Hæc necessitas quæ conceditur extraordinariis, vt laicis, intelligitur quando est periculum mortis baptizandi, & non adest ordinarius Minister, ideoq; peccabit laicus baptisans extra talem necessitatem, non tamen incurret irregularitatem, quia non solenniter baptisat, neq; exercet actum ordinis. *Laicis conceditur in periculo.*

Dico 3. Hæc necessitas baptisandi, intelligitur priuatim non solenniter, ideoq; cæteri omnes præter Sacerdotem, si solenniter baptisent etiam in necessitate, peccabunt grauiter, & irregularitatem incurrent. Ratio est, quia qui exercet actum ordinis sine ordine, contrahit irregularitatem. Hinc *Necessitas hæc baptizandi priuatim fit.*

Colligè

Collige in necessitate potest licitè, imò debet ipse Pater filium baptisare, si alius desit qui id sciat facere, quòd si id faciat Pater extra necessitatem peccabit, vt infra dicetur.

In præsentia Sacerdotis laicus non debet. Dico 4. Laicus peccabit mortaliter si baptizet præsente Sacerdote, aut cùm is commode haberi potest. Ratio est quia cum Baptismus sit Sacrum ministerium, grauis est inordinatio si conferatur à laico præsente Ministro consecrato. Addo, præsens Sacerdos non potest dare laico facultatem baptisandi, & licet ipse velit cedere iuri suo, tamen peccabit mortaliter baptizando. *Nota.* Ratio est, quia & si tunc non fiat injuria Ministro, fit tamen grauis irreuerentia Sacramento, quod extra casum necessitatis debet ministrari ab ordinario: si tamen esset præsens Sacerdos, sed omnino baptisare nollet, tunc posset, & teneretur laicus id facere, quia tunc esset casus necessitatis.

Ordo seruandus inter inferiores. Dico 5. Inter omnes alios Ministros inferiores, Sacerdote, seruari quoq; debet ordo, ita vt quilibet ordinatus præferatur laico, & inter ordinatos, qui est in superiori ordine, præferatur inferioribus, & vir fæminæ, si tamen vir nesciret formam, & fæmina sciret, deberet fæmina baptizare. vel si honestas id exigeret, vt si infans sit baptizandus, cujus pars tantum exiret de vtero, tunc enim non conueniret aduocari virum.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Baptismus possit sæpiùs iterari?

Supponendum est nos hic loqui de verò Baptismo aquæ, nam communiter Patres statuunt triplicem Baptismum, vnum vocant sanguinis *Bapt: sanguinis.* quando rapitur ad Martyrium, talis enim dicitur sanguine proprio baptizari; habetq; id locum etiam in infantibus si propter Christum occidantur, vt factum est tempore Herodis Alium vocant Baptismum *Flaminis* flaminis, quando aliquis cupiens Baptismum aquæ, cum habere non potest, sed per contritionem, & desiderium, siuè votum illius, consequitur gratiam: talis enim dicitur baptisari in spiritu sancto, ideòq; flaminis vocatur propter flammam charitatis. 3. vocant fluminis, seu aquæ. *fluminis*

Baptismus semel conferendus. Dico 1. Baptismus aquæ non potest eidem homini, nisi semel conferri. Est conclusio de fide, tùm quia Apostolus ad Ephesios 4. dicit,

vnu,

Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptiſma. Et ad Hebræos 6. *Impoſſibile dicitur, ſemel illuminatos reuocari ad pœnitentiam*, id eſt Baptiſmum, vt communiter exponunt Patres. Tum quia Symbolum fidei Nicænum, idem expreſsè habet. Et Concilia, & Patres, idem docent, & deniq; congruentiæ idem ſuadent. Prima eſt, quia hoc Sacramentum potiſſimum ordinatur, ad remiſsionem peccati originalis, quod vnum eſt, & iterari non poteſt. *Congruentiæ.*

Secunda per Baptiſmum regeneramur in Chriſto. Ergo ſicut vna generatio in Adam, ita debuit eſſe vna regeneratio in Chriſto.

Tertia Quia cum per Baptiſmum character indelebilis imprimatur, per quem conſignamur Chriſto, par erat vt cauſa characteris hujus, id eſt Baptiſmus non iteraretur.

Quarta, Quia per Baptiſmum conſepelimur Chriſto, qui ſemel mortuus eſt. Ergo etiam ſemel baptiſari debemus. Ita D. Th. *3 part. q. 66. artic. 9.*

Dico 2. Baptiſmus eſt irreiterabilis, ex ſola Diuina inſtitutione, non autem quia imprimit characterem indelebilem. Ita D. Subt. *in 4. d. 6. q. 7.* Et probat 1. Baptiſmum non eſſe irreiterabilem quia imprimit characterem, quia eſſet probatio per immanifeſtius, à principio enim ex quo Baptiſmus inſtitutus fuit, manifeſtum de eo quod non licuit eum iterari. Quòd autem character imprimatur, non eſt notum ex prima ejus inſtitutione, nec ex tota ſcriptura. Ergo ex ſola inſtitutione Diuina eſt irreiterabilis, cujus non eſt aliqua cauſa prior niſi voluntas eius. *Cur Baptiſmus irreiterabilis.*

Dico 3. Poteſt imò debet iterari Baptiſmus, quando dubium eſt morale ac probabile, non fuiſſe aliquem Baptiſatum. Dupliciter autem poteſt accidere ejusmodi dubium. Primò vt ſit dubium juris, quando conſtat quidem adhibitam eſſe Materiam, & Formam, ſed dubias. Secundò dubium facti quando abſolutè incertum eſt ſit nè datus Baptiſmus; Hoc iterum duobus modis accidere poteſt, vel enim eſt incertum quaſi negatiuè, quia nimirum nulla ſunt indicia ad judicandum aliquem eſſe baptizatum, & tunc poteſt Baptiſmus repeti, vel eſt incertum quaſi poſitiuè, quando ſunt aliqua indicia, quòd homo ſit baptizatus, non tamen ſufficientia, quia ſunt aliqua in contrarium, tunc prudenter eſt judicandum, quæ rationes magis præponderent. *Quando iterandus.*

Iteratio fiat cum conditione.

Iteratio autem dicta debet fieri cum conditione, & quidem si publicè aliquis rebaptizetur, præscribitur in jure hæc forma, *Si baptizatus es, ego te non rebaptizo, si nondum es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij &c.* Quod si dubium sit occultum, aut si baptismus secretò iteretur, rectè putat Suarez *disp. 22. Sect. 2.* satis esse, si mente eiusmodi conditio subaudiatur. Ratio Conclusionis est, quia per hoc subuenitur probabili periculo animæ & tamen euitatur periculum reiterationis Baptismi per appositam conditionem. Notandum tamen non esse facilè repetendum Baptismum nisi valde probabiliter constet, vel non esse simpliciter alicui collatum, vel non esse adhibita essentialia: siue ex ignorantia, siue ex malitia ministri.

Nota.

PETES, *An peccent iterantes Baptismum, & quam poenam incurrant?*

Non temerè rebaptizandum.

DICO 1. Rebaptizans cum conditione temerè, nec præmisso sufficienti examine peccat mortaliter. Ratio est, quia si nulla adhibeatur moralis diligentia ad tollendum dubium, sed statim Baptismus repetatur, fit contra debitam reuerentiam Baptismi.

Et rebaptizatus peccat.

DICO 2. Præter baptisantem iteratò etiam ipse baptizatus si sciens se rebaptizari permittat, quamuis, vi & metu adactus peccat mortaliter. Idemq; dicendum est de offerentibus illum ad Baptismum, & de ministro baptizante. Ratio est, quia omnes isti cooperantur actui malo. Vnde tales tenentur monere baptizantem de Baptismo jam suscepto.

Incurrit iterans irregularitatem.

DICO 3. Quicunq; sciens, & volens Baptismum iteratò alicui contulerit, præter peccatum mortale, commissum, etiam incurrit irregularitatem, ipso facto, soli Pontifici reseruatam. Jure autem Ciuili pœna capitis in talem decernitur. Probatur Conclusio. Quia ius Canonicum ita definiuit, quod citat Suarez *disp. 31. Sect. 6.* Idemq; dicendum est de rebaptizato, si id sciens, & in ætate discreta faciat, talis enim & peccat, Sacrilegii peccato, & pœnam irregularitatis, ac capitis incurrit, si tamen ab ignaris repetatur Baptismus, excusantur ab his omnibus pœnis.

Sine intentione non incurrunt pœnas

DICO 4. Qui conferret iteratò Baptismum, tantùm quo ad externam actionem, sine intentione verè Baptizandi, peccaret quidem mortaliter, non tamen incurreret irregularitatem, vt probat Suarez *disp. 31.*

diſp. 31. *Sect.* 6. *dubio* 4. Ratio eſt, quia talis intentio eſt animo iterandi Baptiſmum, ideoq; nec ſubiacent pœnæ in iterantes latæ, qui taliter baptizarint.

DICO 5. Offerentes ad Baptiſmum iam ante baptizatum, & eundem è ſacro fonte ſuſcipientes, peccant quidem mortaliter, ſi id ſcienter faciant, non tamen incurrunt pœnam irregularitatis. Ratio eſt, quia talibus in iure non imponitur dicta pœna. At verò aſſiſtens baptizanti Acoluthus, & eidem miniſtrans reſpondendo circa cæremonias non ſolum peccat mortaliter, ſed etiam fit irregularis, ſi id ſciens faciat. Ratio eſt, quia in iure eſt hoc ſpecialiter definitum in his autem irregularitatibus ſolus Pontifex diſpenſare poteſt, quo ad ordines altiores ſuſcipiendos, ſed quo ad exercitium iam ſuſceptorum poteſt diſpenſare Epiſcopus.

Pœna pro patrinis an hæc ſit

ARTICVLVS. VII.

An & quot Patrini requirantur in Baptiſmo?

DICO 1. In Baptiſmo ſolenniter celebrando, neceſſario ſunt ſuſceptores, ſiue Patrini antiquo Eccleſiæ ritu, ita ut peccaturus ſit mortaliter miniſter, ſi abſq; illis baptizet ſolenniter, abſque vrgente neceſſitate. Ratio eſt, quia cùm id Eccleſia ſtatuerit, non poteſt abſq; peccato omitti, ſicut & alii ritus ab eadem conſtituti.

Patrini neceſſarij

DICO 2. Nouo iure in Concil. Trident. *Seſ.* 24. *c.* 2. *de reformat.* ſtatutum eſt, vt in Baptiſmo tantùm ſit vnus vir Patrinus, & una tantùm fœmina, aut ad ſummum unus vir, & una mulier coniunctim: quod ſi plures aſſiterint baptizatũq; è fonte tollere, aut tenere voluerint, præcipit idem Conciliũ, ut Parochus priùs deſignet tantùm duas ex illis perſonis, quæ verè ſuſceptorum, & patrinorum munus obeant, reliquæ autẽ ſint tantùm pro Cæremonia, ubi etiam præcipitur, ut parochus nomina patrinorum ſimul cum baptizante & baptizato in libro adnotet, aliâs ſi per ignorantiã, aut per malitiam plures quam duæ perſonæ, id munus exequantur, credibilẽ eſt omnes illas, patrinorũ lege obligari, quanquam aliqui putant illos tantùm contrahere cognationem, qui primi leuant è Baptiſmo, aut primi contingunt: quòd ſi plures ſimul tangant, exiſtimat

Patrinus unus & patrina

Suarez commentario *in art.* 8. *Q.* 67. *D. Thomæ*, nullum hac cognatione illigari, eo quòd nullus sit ibi verus susceptor, cum nullus exerceat illud munus, eo modo quo statuit Ecclesia: suadet tamen abstinendum esse à tali conjugio, tales propter decentiam matrimonii, & dubium impedimentum.

Munus patrinorum. Dico 3. Munus Patrinorum præcipuum est instruere baptisatum in rebus fidei, quæ obligatio est quidem sub peccato, sed tantùm duntaxat tunc, cùm id necessitas, & opportunitas exigat, vt si parentes baptisati sint infideles, vel negligentes; at verò cùm adsint alii qui id præstare possint, cessat hæc obligatio. Vnde apud Patres, eiusmodi susceptores, & Patrini, vocantur fidejussores, sponsores, fidei Doctores.

Inducitur cognatio spiritualis. Dico 4. Ejusmodi munus Patrinorum inducit impedimentum Matrimonii propter cognationem spiritualem, quæ per illud contrahitur. Concilium autem Tridentinum limitando antiqua jura, voluit tantùm hanc cognationem contrahere designatas personas, non verò purè assistentes Baptismo. Duplicem igitur cognationem spiritualem statuit. *Cognatio Paternitatis.* Primò Paternitatis tam inter Baptizatum, & baptizantem, quam inter baptizatum, & Patrinos. 2. compaternitatis inter patrinos cum patre, & matre Baptisati, quàm etiam inter baptizantem cum Patre, & matre ejusdem baptizati. *Compaternitatis.* Tertiam verò consanguinitatem fraternitatis, quæ antiquo iure erat inter baptisatum, & filios patrinorum sustulit, & abrogauit Concilium. *Inter ipsos patrinos nõ est consanguinitas.* Vnde nec inter patrinos ipsos inuicem, nec inter eosdem, & baptisantem contrahitur vlla cognatio. At si susceptor siue Patrinus, contrahat matrimonium cum fæmina baptisata, quam de sacro fonte leuauit, vel è contra susceptrix cum viro, quem è sacro fonte leuauit, nullum erit inter eos matrimonium. Idemq; dicendum erit, si susceptor cum matre baptisati, aut susceptrix cum patre ejusdem conjungantur.

Cognatio hæc dirimit matrimonium. Dico 5. *Hæc* cognatio spiritualis si prior sit, quàm matrimonium, ita inducit impedimentum, vt illud matrimonium, dirimatur, & omnino nullum sit nisi accedat dispensatio Pontificis, si autem superueniat matrimonio jam contracto, illud non dirimit. Ratio est primæ partis, quia ita exprefsè statuit Ecclesia ob decentiam: sicut enim propagatio in esse naturali facit propinquitatem naturalem, ita par erat, vt propaga-

propagatio in esse spirituali, faciat propinquitatem spiritualem. Ratio 2 partis, quòd scilicet tale matrimonium non dirimatur, si ante hoc impedimentum sit contractum est hæc, quia non videtur sufficiens causa, ad separandos eos, quos Deus conjunxit: & quia Ecclesia quæ est author hujus impedimenti non dissoluendi matrimonia. Quid autem tunc nascatur incommodi sequenti Quæstione dicetur. Benè tamen notat Henriquez *lib. 2. cap. 15. & 18.* non contrahi hanc cognationem ab his qui puerum suscipiunt, quasi patrini, tunc quando Baptismo domi priuatim baptisato, solennitates tantùm, & Cæremoniæ in Ecclesia supplentur. Ratio est, quia tunc non est baptismus, quando cæremoniæ adhibentur, jam baptisato. *In priuato non contrahitur.*

Collige *Patrini* officium est infantem de sacro fonte leuare, & pro eo solemniter spondere, contrahitq; obligationem illum instruendi de rebus fidei, quando parentes, aut Parochus desunt, qui id præstent.

Petes. *An aliquam poenam incurrant Parentes Baptisantes, vel vt Patrini suscipientes proprios filios.*

Dico 1. *Siue* baptisent, siue suscipiant in baptismo propriam prolem parentes, in necessitate vera, vel quam bona fide crediderunt esse veram, non contrahunt consanguinitatem, quæ illos impediat à petitione & redditione debiti, ita declarauit Joannes 8. *cap. ad limina.* *Ratio* est, quia non videtur æquum vt parens priuetur jure suo matrimoniali, eò quòd filio in graui necessitate superuenerit. *Similiter* si Parens sine vlla necessitate filium proprium suscipiat, aut baptiset ex ignorantia inuincibili siue juris, siue facti, non est prohibitus reddere & petere debitum. *Parētes baptisantes non contrahant.* *Nota.*

Dico 2. *Si* Parens ex malitia, aut crassa ignorantia idem fecerit, peccabit quidem, non tamen impedietur à redditione debiti alteri conjugi petenti. Ita Angelus, Armilla, Syluester, Paludanus, verbo Patrinus. Ratio est, quia non debet alter priuari jure suo propter peccatum alterius. Porro multi putant conjugem ex malitia baptizantem, aut suscipientem propriam prolem, non posse petere debitum *Suarez q. 67. art. 8.* affirmat posse sine peccato. Rationem assignat, quia hæc prohibitio petendi debitum, in dicto casu, nullo jure constat. *Ex malitia non contrahunt sed peccant.* *Alij contrarium tenēt.*

In priuato Baptismo non contrahitur.

Dico 3. Hæc cognatio probabiliter tantùm contrahitur in Baptismo solenni, in quo ex præcepto Ecclesiæ debent ejusmodi Patrini adhiberi, non autem in Baptismo priuato, in quo vel non sunt tales Patrini, sicut nec aliæ cæremoniæ, vel sunt tantùm materialiter tenendo puerum, vt facilius Baptizetur.

Qui excluduntur ab officio patrinorum.

Dico 4. Quatuor genera Personarum Ecclesiasticum jus remouet ab officio Patrinorum. 1. Infideles & non baptisatos. 2. Hæreticos & Schismaticos; Si tamen tales Hæretici admitterentur contraherent cognationem. 3. excluduntur proprii parentes, vt paulò ante dixi. 4. Abbates, Monachi, Religiosi, & Moniales. Ita Concilium Altisiodorense.

Petes 1. *An & qua ratione possit aliquis simul Baptisare plures.*

Respondeo. Posse dicendo *Ego vos baptizo &c.* ita communiter DD. addendo in necessitate hoc licere, sinè necessitate non licere Vnde D. *Subt.* docet esse peccatum mortale, *in 4. dist. 6. q. 2.* quia valdè immutaretur ritus consuetus, quem Ecclesia in eo Sacramento conferendo præscribit. In necessitate verò cum nulla fiat irreuerentia Sacramento, licitum est contra consuetum ritum plures baptisare.

QVÆSTIO V.

De Suscipientibus Baptismum.

In hac Quæstione 1. inquiretur de Subjecto capaci Baptismi, seu quisnam sit capax Baptismi, quæuè dispositio in baptizandis requiratur.

2. Vtrum aliquando sine peccato possit omitti Baptismus.
3. Vtrum infantes sint baptizandi.
4. Vtrum Pueri Iudæorum, aut aliorum infidelium, sint inuitis parentibus baptisandi.
5. Vtrum pueri in maternis vteris sint baptizandi.
6. Vtrum monstra furiosi, & amentes debeant baptizari.

ARTICVLVS I.

Quinam sit capax Baptismi, & quæ dispositio in baptisando adulto requiratur?

Omnes adul-

Dico 1. Omnes adulti nondum baptisati tenentur præcepto Diuino

uino ſtatim atq; commodè id poſſunt aſſequi, baptiſari. Probatur 1. quia jure naturali, Diuino, tenetur quisq; habere curam ſuæ ſalutis. Ergo cum per Baptiſmum ſalus obtineatur, obligantur adulti nondum Baptiſati ad baptiſmum. *ti obligantur ad Baptiſmum.*

Probatur 2. Quia niſi adultus ſtatim ac commodè poterit teneatur baptiſari, nullum certum tempus poterit aſſignari, quo ad hoc tenebitur vſq; ad finem vitæ; atq; ita ſine peccato poterit tam diu manere extra Eccleſiam, alienus à corpore Chriſti, atq; omnibus eius Sacramentis, quod tamen videtur valde abſurdum.

Dico 2. Jn homine adulto opus eſt voluntario conſenſu, abſolutè elicito, ſiue tunc dum baptiſatur, ſiue elapſo tempore, manente ſaltem habitualiter ad tempus vsq; ſuſceptionis Baptiſmi, hoc eſt non retractato per elicitionem actualis diſſenſus, alioquin non erit ratum Sacramentum. Patet, nam ſuaui Dei prouidentiæ congruit, vt adultus nec juſtificetur, nec familiaris Dei efficiatur, eiusq; cultui ac mandatorum obſequio conſecretur, niſi conſentiat. *Conſenſus requiritur.*

Dico 3. Ad ratitudinem huius Sacramenti, ſufficit conſenſus voluntarius ſimpliciter, tametſi alioquin ſit inuoluntarius ſecundùm quid, hoc eſt vi, ſeu metu extortus; Eſt certa, non enim efficit quòd metu ſit ab intrinſeco, ſeu ab extrinſeco incuſſus ex injuria; quia quouis modo excitetur, eſt voluntarius ſimpliciter, & ſufficiens ad valorem Baptiſmi, vt definitum eſt ab Innocentio III. *in capite majores*. Et habetur *in capite de Judæis diſt. 45.* *Qualis conſenſus.*

Dico 4. Si quis absq; conſenſu actuali ſeu habituali coactus baptiſetur, licet reuerà Sacramentum inualidum ſit & nullum, cogendus tamen eſt, ad obſeruationem legis Chriſti, niſi forſan carentiam conſenſus ſigno aliquo exteriori patefecit, ac de injuria proteſtatus fuit, dum baptizaretur. Probatur, quia non poteſt argui Eccleſia quod iſti nolenti baptiſando, & nihilominus nón reclamanti fiat injuria, quia minus malum eſt ſibi, quòd inuitus ſeruet legem Chriſtianam, quàm quòd impunè permittatur agere contra eam; quia minùs malum eſt, inuitum aliqua bona facere, & mala fugere, quàm liberè & impunè mala agere, & bona dimittere. *Fictè accedens cogendus ad fidem.*

Dico 5. Adultus vt baptizetur tres conditiones habere debet. intentionem ſuſcipiendi baptiſmũ, fidem, & dolorem de peccatis actualibus. Et *Conditiones Baptizandi.*

quidem

quidem intentio est adeò necessaria, vt si nec actualiter, nec virtualiter adsit, baptismus sit nullus. Fides verò, & dolor non requiruntur, ad characterem, sed ad gratiam baptismalem. Vnde infideles accedentes ad fidem, instrui debent & probari per aliquot Menses ante baptismum, vt dicitur *de consecratione d. 4. cap.: ante baptismum.* Si tamen vrgeat necessitas vel periculum mortis, tunc exposita vtcunq; fide, si rebus illis assentiantur, baptisari debent. Quomodo autem constabit quòd infidelis moribundus baptismum petierit, vt ei conferri possit? Respondeo cum sufficienter constaret ex dicto vnius testis etiamsi sit Paganus. Addit Sanciùs baptisandum esse sub conditione infidelem, de quo audientes dubitant, num testis verum dicat moribundum postulâsse baptismum.

Nota.

Collige. In adultis qui cum peccato originali habent conjunctum aliquod peccatum mortale, præter voluntatem suscipiendi Baptismum, requiritur in voluntate conuersio ad Deum, facta per attritionem ex motiuo aliquo supernaturali, & per auxilium gratiæ elicitam. Patet ex Trid. *Sess. 6. cap. 6. & 7.* Inter actus verò quibus adultus disponitur ad gratiam baptismalem connumerantur hi duo, amor scilicet Dei, totius justitiæ fontis, & detestatio, seu odium de peccatis.

Requiritur cōuersio ad DEVM.

ARTICVLVS II.

Vtrum aliquando sine peccato possit omitti Baptismus?

Nota Difficultatem maximè procedere de periculo mortis. porro duplex est periculum mortis. Vnum naturale & ab intrinseco, vt si homo valde æger probabiliter metuat ex perceptione baptismi mortem sibi imminere. Secundum violentum & ab extrinseco, quale periculum esset, si Tyrannus minaretur mortem baptisando.

Duplex periculum.

Dico 1. Si certo timeretur mors superuentura ob collationem baptismi, non esset ille conferendus adulto, sed excitari is deberet ad contritionem cum voto baptismi. Ratio est, quia non est cum certo periculo corporis subueniendum, quando sine eodem potest illi subueniri; vix tamen practicè possibilis est talis casus in adulto si cautè, & modica fiat aquæ aspersio, vel infusio. Quanta autem modicitas aquæ sufficiat.

Si timeretur mors nō est conferendus.

Dico

Dico Quód tanta vt moraliter fiat ablutio. Porro ad essentiam Baptismi sufficere vnam mersionem, vel infusionem aquæ: ratione tamen præcepti Ecclesiastici, obligamur, vel ad vnam, vel ad trinam, mersionem, vel infusionem, prout consuetudo Ecclesiæ præscribit.

Collige 1. Proiiciens aliquis Iudæum in fluuium, vel in puteum, licet formam Baptismi proferat, non baptisat, sed directè occidit. tenemur autem non inferre damnum proximo, neq; cooperari morti eius. *Nota.*

Collige 2. si non adesset alia aqua nisi veneno infecta, quâ crederetur morali certitudine occidendum illum, qui ea aspergeretur, tunc non liceret baptisare illa aquâ, aliâs baptisans fieret irregularis, si baptisatus moreretur. *Nota.*

Dico 2. Quando ex dilatione baptismi nullum sequitur incommodum, ex ejusdem verò collatione notabile timetur corporis damnum, tunc ille differendus, alias peccabit baptisans. Ratio est, quia non licet tunc animæ bonum curare, cum periculo vitæ, quando sine hoc potest illud haberi. *Posset differri Baptismus, & quando.*

Dico 3. Si baptisanti alterum existentem in necessitate extrema immineat mortis periculum, tenetur nihilominus baptizare sub peccato. Ratio est, tùm quia defendenda est fides, Religionisq; Christianæ dignitas. tùm quia sequeretur scandalum, si quis ob ejusmodi metum prætermitteret collationem Baptismi. Tum deniq; quia ordo charitatis id exigit, vt plus diligamus vitam alterius spiritualem, quàm nostram corporalem. *Cum periculo vita baptizans tenetur baptizare.*

Dico 4. Si baptizandus adultus sit in articulo mortis per se constitutus, etiam sine extrinseca vi, tenetur non omittere Baptismum, quantumuis tyrannus minetur mortem statim inferendam, vel accelerandam. Ratio est, quia præceptum Baptismi est iuris Diuini, & de re grauissima, ac maximè necessaria ad salutem, ideoq; non est prætermittendum absq; grauissima causa.

ARTICVLVS III.

Vtrum infantes sint Baptisandi?

Infantium nomine intelliguntur omnes qui ad vsum rationis non peruenerunt, etiam si plurium sint annorum. *Infans quid.*

Pueri sunt baptizandi.

Dico 1. Paruuli ante vsum rationis sunt baptizandi. Ita definitum est in multis Conciliis, nouissimè in Trid. *Sess. 7. cap. 12. 13. & 14.* Probatur 1. ex proportione Circumcisionis, quæ fuit figura Baptismi, & infantibus ante vsum rationis conferrebatur. Deinde ex *cap. Ioan. 3.* Nisi quis renatus fuerit &c. in qua lege vniuersali non est dubium comprehendi pueros, cum vniuersaliter pronuncietur. Et Actor. 16. dicitur, *Baptizata Lydia & domus ejus.* Et prima Corinth. 1. *Stephanæ Domus à Sancto Paulo baptizata* narratur, vbi credibile est fuisse pueros. Ratio est, prima quia si peccatum Adæ potest inficere infantes, cur non poterit eosdem saluare virtus passionis Christi. 2. Ratio, quia Christi redemptio dicitur esse copiosissimà, & pro omnibus sufficientissima pro cuiusq; capacitate; sed si infantes non possent baptizari, non possent etiam saluari, ideóq; nec Christi redemptio esset sufficientissima. 3. quia paruulorum summa est imbecillitas, maximeq; eis instant pericula, cum se tueri nec possint, nec sciant; ideoq; dubitandum non est debuisse illis remedia dari; quorum beneficio possunt esse in via salutis. 4. Generalis totius Ecclesiæ consuetudo præualet, contra quam nullo modo disputandum est.

Dico 2. Non requiritur in paruulis ad validum & sufficientem Baptismum proprius consensus illorum voluntatis, aut actus fidei, aut aliquis similis actus internus. Ratio est, quia cum hæc sint illis incompossibilia non poterunt rationabiliter ab eis exigi. Porro intentionem infantium supplent parentes, Patrini, & Ecclesia.

Dices 1. Christus Dominus cum iuberet baptizare, addidit *qui crediderit Mathæi & Marci vltimò.* Ergo pueri, vel non debent baptizari, si quidem non credunt, vel certè dicendi sunt tunc habere, cum baptizantur actum fidei, & vsum rationis diuinitùs acceleratum, vt fingunt Lutherani.

Explicatur locus S. Scripturæ.

Respondeo. Illa Christi verba ad solos adultos pertinere, inde patet, quia etiam ad solos illos pertinet prædicatio Euangelii, quæ ibi Baptismo conjungitur: sicut ergò si quis ex illis 2. ad Thessalon. 3. *Qui non laborat, non manducet*, colligeret; paruulis non esse manducandum, quippe cum non laborarent ineptissimè colligeret, cùm illud dicatur de adultis qui laborare possunt, ita qui ex hoc loco (qui crediderit &c.) colligit pueros debere credere, aut non posse sine actu fidei baptizari.

baptizari, ineptissimè id colligit cum non minus actus fidei, quàm labor pueris repugnet. si tamen etiam extendere vellemus hoc præceptum, posset dici illos credere triplici modo. Primò fide infusa, quam habent in habitu per Baptismum, etiamsi actum illius non exerceant. Secundò credunt actu externo Baptismi fidem Christi protestando, cum aliter non possint. Tertiò possunt dici habere fidem mediantibus parentibus, patrinis, & tota Ecclesia. *Pueri quomodo credunt.*

DICES 2. Nullibi in sacris literis præcipitur, vt infantes baptisentur, nec leguntur ab Apostolis fuisse baptizati. Ergo non sunt baptizandi. Respondeo, licet expresse non habeatur in scriptura baptisandos esse infantes, apertè tamen ex locis citatis colligitur, accedente præsertim totius Ecclesiæ authoritate, à quâ debemus & scripturas, & earum sensum accipere. Vnde Erasmus in præfatione in Matthæum asserens in infantia baptizatos, cum ad vsum rationis peruenerint, interrogandos, an velint habere rata, quæ patrini eorum nomine spoponderunt; & negantes, non esse cogendos, vt Christiano ritu viuant, meritò damnatur. *Trid. sess. 7. c. 14.* *Error Erasmi.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum pueri Iudæorum, aut aliorum infidelium, sunt inuitis Parentibus baptizandi?

NOTA. Præsens difficultas procedit, tam de parentibus Christianis, quàm infidelibus. Præterea quæritur tam de valore talis Baptismi, quam de eo sit ne licitus siue an peccent illum conferentes.

DICO 1. Vt validè paruuli baptizentur, siue Christianorum, siue infidelium, non est necessaria voluntas Parentum, aut consensus eorum, quorum curæ subsunt. Ratio est, quia si paruuli contrahunt peccatum originale, sine consensu & voluntate proximi parentis, per solum consensum remoti parentis Adæ, cur non etiam poterunt ab eo liberari, per voluntatem Christi, & media ab eo instituta, sine voluntate propriorum Parentum. Confirmatur Paruuli inuitis Parentibus occisi sunt pro Christo, & facti veri Martyres. Ergo etiam inuitis parentibus baptisati, erunt perfectè regenerati in Christo. *Paruuli possunt baptizari sine cōsensu parentum.*

DICO 2. Paruuli infidelium inuitis parentibus non possunt baptisari, si non sint subjecti Principibus Christianis. Probatur. Quia si tales

 baptizaren-

baptizarentur, deberent abstrahi ab educatione, & consortio parentum, aliâs si infantes baptisati manerent apud parentes infideles facilè ad infidelitatem traherentur, cum magna Baptismi iniuria.

Paruuli infidelium an baptizandi. DICO 3. Paruuli infidelium quorum Princeps est fidelis, possunt à parentibus extrahi, & lauacro Sacro in CHRisto regenerari, modò prouideatur, ne maiora mala inde sequantur, nimirum vt non cedat ille Baptismus in contumeliam fidei Christianæ, & ne nutriantur in errore parentum: Ita D. *Sub. in 4. dist. 4 q. 9. num. 2.* Rationem assignat. *Possunt à parentibus extrahi.* Quia princeps debet zelare pro dominio DEI, quod habet in paruulos, vt baptizentur, & ei seruiant, & compescere subditos abutentes suo subordinato Dominio: Princeps enim Christianus potest, & debet cogere subditum obedire potiùs superiori Domino, quàm inferiori, quando inferior Dominus præcipit contra legem, & præceptum superioris Domini. Sed parentes infideles dum nolunt filios suos baptizari agunt contra ius Diuinum, & potestatem Dei, quam habet Deus in filiis illis: nam Deus directè præcipit, vt omnes homines, & quicunq; paruuli baptizentur; quando igitur parentes non permittunt filios suos baptizari, opponunt se directè potestati superiori. Ergo Principes tenentur facere vt præceptum & potestas Dei obseruetur, & potestas inferior negligatur; quod dum faciũt, nõ agunt cõtra iustitiam, neq; contra ius naturæ, quia in tali casu non obligat ius naturæ, neq; patrium.

In dubio baptizandus. DICO 4. Paruulus expositus si inueniatur in eo certum signum quod non sit baptisatus, vt sal non appositum vel aliqua schedula, baptisandus si signa desint, & testimonia quod sit baptisatus, baptisandus est sub conditione. Itaq; si dubium sit an quis sit baptisatus, vel an baptisatus sit validè, & hoc probabile, baptisari debet, sub conditione. Quare si casus contingat quod infans captus sit ab infidelibus, & dubitetur an fuerit baptisatus, redemptus postea, baptisari debet sub conditione.

Collige 1. Licere baptisare paruulos quando sunt extra paternam, aut tutorum potestatem, vt si parentes ignorentur, vel si tam longè adsint, vt moraliter non possint redire ad eos. *Nota.*

Nota. Collige 2. Paruuli iam iam morituri infidelium, possunt baptisari non requisito parentum consensu.

Collige 3. Si è duobus parentibus infidelibus, saltem alter consentiat in Baptismum paruuli, sufficiens erit ille consensus.

ARTI-

ARTICVLVS V.

Vtrum pueri in maternis vteris sint Baptisandi?

In vtero matris an baptizandus.

DICO I. Paruulus existens in vtero matris, vel secundùm omnes partes est in vtero, & sic non potest baptizari. Quia *in capite qui in maternis de consecratione distinctione 4.* dicitur, non posse renasci secundùm Deum, qui non est natus secundum Adam. Vel secundùm partem aliquam apparet extra vterum, idq; vel secundum partem principalem vt est caput, tunc est baptisandus: vel secundum minus principalem, vt manum, pedem, etiam est baptisandus. Quod si hoc non sufficit si remanserit viuus baptizetur sub conditione. Prima pars Conclusionis patet, quia non potest ablui. Baptismus autem est ablutio. Ergo. Secunda pars constat.

Mortua mater aperienda.

DICO 2. Si mater moriatur, & filius in vtero credatur viuere, aperienda est mater, vt infans extrahatur, & baptisetur. Quamdiu autem mater viuit non est scindenda, quamuis ob partum sit moritura; quia non licet directè aliquem occidere, vt bono spirituali eiusdem, vel alterius consulatur.

Nota

DICO 3. Si mulier grauida per sententiam iudicis damnetur ad mortem, differenda est executio sententiæ, donec pepererit; nisi ex dilatione damnum immineat Reipublicæ; vel ne ex aliquo morbo ante partum vna cum prole moreretur, posset seruato iuris ordine prius secari, & proles extrahi, ut baptisetur. Aduerte hîc ex Præposito *in 3. p. q. 66. a. 8. dub. 3.* & ex Conincho *quæst. 68. ar. 11.* Si aliquo pacto Minister possit in puerum existentem in vtero aquam immittere, posset sic baptizari in casu necessitatis, maximè si non est spes probabilis quòd viuus nasci possit, & esto quod ex hoc præuideatur secutura mors matris, quæ in hoc tenetur consentire, quia tenemur cum nostro vitæ discrimine succurrere saluti proximi, quando moraliter certum est, nos posse & eum, aliâs periturum.

Infidelis non tenetur confiteri.

PETES *An infidelis baptisandus debeat præmittere confessionem, vel opera poenalia suscipere?* Respondeo non tenetur confiteri, sed satis est, quòd baptisandus coram Deo internè, sua peccata recognoscat quatenùs possit pro illis contritionem vel attritionem saltem in se excitare. Similiter non tenetur peccata ante Baptismum commissa confiteri; nam licet

licet tunc homo baptisatus sit capax Sacramentorum, tamen quo ad peccata ante Baptismum commissa, non potest Sacramentaliter absolui. Neq; vllæ pœnales actiones eis sunt imponendæ, quia Baptismus perfectè delet omnem culpam & omnem pœnam. Aduerte tamen hîc si baptisandus debeat aliquid alteri, vt si quis per vsuras, aut alios iniquos contractus, aliquid acquisiuit, obligandus est ad restitutionem.

Infidelis obligandus ad restitutionem.

ARTICVLVS. VI.

Vtrum monstra, furiosi, & amentes debeant baptisari?

Jam superius dixi quòd liceat plures simul Baptisare, sub eadem forma, & una ablutione, vel aspersione quando magna vrget necessitas, cauendum tamen est in tali Baptismo, ne dubia sit aspersio & insufficiens, ob multitudinem.

Monstrum figuram humanam habens an baptizandum.

Dico 1. *Si* monstrum nascatur humanam figuram præferens, tametsi aliquantum informem; est nihilominus baptisandum, si sit unum, at si caput esset Bruti, tametsi cætera membra humana; siq; constaret fœminam ex congressu cum bestia, concepisse, non deberet tali Baptismus conferri. *Si* vero aliquæ partes minus Principales essent similiores bruto, quam homini: ut pedes, manus, aures &c. caput autem & pectus essent humana licet pillosa, debere baptizari, cuiusmodi puerum narrat natum in Polonia Cromerus *lib. 30. circa annum 1499.* is enim fuit quidem humana figura; sed collo, & auribus leporinis, & uno grandiore intestino, totum ventrem occupante diducto rictu spirans. Pari ratione si multiplex fætus simul edatur sicut factum refert idem Cromerus *lib 9. circa Ann. 1.2.20. in Cracouiensi districtu*, cum Virboslai Comitis Vxor 36. pueros uno partu edidit omnes viuos, si inquam talis partus accidat, sintq; pueri corpusculis organizatis, & membra ac figuram humanam referentibus, licet exiguis, sunt nihilominus baptizandi, siue simul, si vrgeat necessitas, siue singulatim. Prætereà si idem fætus sit duplicatis partibus principalibus V. G. si biceps, aut cum duplici pectore: tunc inquit Toletus *lib. 2. c. 21.* & Martinus Alphons. q. 64. vnus esset baptizandus absolutè: alter autem cum conditione. Deniq; quantumuis membra alia minus principalia, vt manus, pedes, digiti, aures, &c. multiplicentur in vno Corpore semel, nihilominus est

Nota casus varios.

nus est

nus est talis puer baptizandus. Idemq; est Iudicium, tam de hermaphroditis, hoc est utrumq; sexum habentibus, quàm de illis quibus aliquod membrum defuerit: dummodò non caput, neq; pectus, vbi est cordis sedes. Idem dicendum de puero nato ex dœmone incubo, talis enim baptizandus est, quia non filius dæmonis, censeri debet, sed eius viri cuius semen Dœmon detulerit. Ad extremum notandum est Parochum, cuius negligentia aliquis sine Baptismo moritur, debere deponi, vt decernunt jura quæ citat Alphonsus *Quæst 66. Candelabri aurei.*

A natiuitate amens baptizandus.

Dico 2. Is qui perpetuò à natiuitate stolidus est mox baptizari debet: Si autem lucida interualla consueuit habere, vel alioquin de salute eius non est desperandum, illò usq; differendum est. Probatur, quia de illo judicandum est, ut de paruulis, expectandum tamen tempus, vt cum maiori reuerentia suscipiat Sacramentum si est spes sanitatis.

Dico 3. Is qui antequam à mente sua discessisset ratione vtebatur & affectum habuit recipiendi Baptismum, & postea non retractauit, baptizandus est. Ita D. Subt. *in 4. dist. 4. q. 4* dicens. *De secundo scilicet nunc non vtente, qui aliquando tamen usus est ratione, dico quòd supponitur nunc habitualiter consentiens. &c.*

Expectanda lucida interualla.

Dico 4. Quòd si interualla lucida adumbrentur, vel aliâs futura valetudo prænoscitur, satiùs erit expectandum: ita Doctor *loco citato* dicens, si speretur eum rediturum ad usum rationis, magis expedit tempus expectare quo uteretur ratione; sicut de dormiente tempus vigiliæ, & de furioso tempus lucidi interualli.

Cum mutis surdis & cæcis quid faciendum.

Petes *An adultus à natiuitate surdus & mutus possit baptizari?* Respondent aliqui satis probabiliter, talem quantum fieri potest nutibus de Deo, rebusq; fidei dolore peccatorum & Baptismo esse instruendum; & inuocato Deo, vt interius eum illuminet esse baptizandum. quia non est credibile Deum tales velle relinquere sine remedio salutis. Maior videtur difficultas si idem à natiuitate simul fuisset cæcus, quia talis nulla ratione posset instrui. Sed credo talem eodem loco habendum, quo amentem, quia vix videtur posse habere sufficientem rerum, præsertim moralium cognitionem ad peccandum.

QVÆSTIO VI.
De Effectibus Baptismi.

In hac

In hac quæstione

1. Quæremus an Baptismus deleat pœnam & culpam?
2. An infundatur in Baptismo habitus gratiæ, & aliarum virtutum.
3. An fictio impediat infusionem gratiæ.
4. An Baptismus imprimat characterem in anima indelebilem?

ARTICVLVS I.

An Baptismus deleat pœnam & culpam?

Bapt: delet originale. Trid. in Decreto de peccato originali.

DICO 1. Baptismus verè delet peccatum originale. Probatur ex Trident. Sess. 5. n. 5. vbi dicitur, *Si quis per IESV CHRISTI Domini gratiam quæ in Baptismo confertur originalis peccati, reatum remitti negat, aut etiam non tolli quod veram & propriam peccati rationem habet, sed illud tantum dici radi*, aut non computari, anathema sit. Ratio est, ex ipsa Baptismi institutione qui ad regenerandos homines in Christo institutus est: Sed non est minus efficax spiritualis regeneratio Christi, quàm gratia Carnalis ex Adamo. Ergo si hæc potens est ad transfundendum originale peccatum in filios Adæ, multò illa erit potentior ad tollendum hoc peccatum, & infundendam Christi iustitiam.

Etiam actualia delet.

DICO 2. Adæquatus effectus Baptismi est vt non solùm originale sed etiam actualia peccata commissa ante Baptismum deleat. Probatur primò Actor. 2. dicitur, Pænitemini, & baptizetur vnusquisq; vestrum in remissionem peccatorum vestrorum, scilicet actualium ante Baptismum commissorum. 2. Id definitum est in Florent. in Decreto de Armenis.

Remittit culpam & pœnam.

DICO 3. Baptismus remittendo culpam, remittit etiam omnem pænam propriè dictam. Ita Trident *Sess. 14 c. 2. & can. 12.* Vbi dicitur, In Sacramēto pœnitentiæ non semper totam pœnam temporalem remitti, vti in Baptismo fit. Tollit ergo Baptismus peccata omnia ante ipsum commissa, & quoad culpam & quoad pœnam, cum per nullum aliud Sacramentum id conferatur. Confirmatur ex Symbolo Nicæno, vbi dicitur *Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum.* Confirmatur 2. Certum est fideles ritè baptizatos esse iustos Sanctos, gratos Deo, & dignos cœlo: quæ nullo modo possunt conuenire homini pleno peccatis, quia iustus esse nequit, qui plenus est iniustitia, nec Deo gratus qui peccatis est inquinatus, quæ Deus necessariò odit, nec

potest esse dignus Cælo quem peccata constituunt dignum inferno. Dixi *per baptismum deleri poenam propriè dictam*, non autem pœnalitates, quæ peccatum sunt consecutæ, per Baptismum non tolluntur; non quòd id Christi Domini merita efficere non potuerint, sed quod nobis eas relinquere voluerit ad maius virtutum exercitium, meritorumq; & submissionis ampliorem materiam. *Pœnalitates non tollit.*

Collige. Hæreticos multùm errare asserentes peccata per baptismum non tolli, sed tantum tegi & desinere imputari quos Concil. Trid. sess. 5. in Decreto de originali anathematisat quia verè peccata auferuntur & tolluntur juxta illud Ezech. 36. vbi Deus promittens baptisma ait, *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* *Error Hæreticorum.*

ARTICVLVS II.

An infundatur in Baptismo habitus gratiæ, & aliarum virtutum.

Dico 1. Per Baptismum confertur gratia, & virtutes habituales. Patet. Quia per Baptismum iustificamur, vt patet ex Trid. *Sess. 6. c. 7.* nunquam autem iustificatio fit sine infusione gratiæ & virtutum saltem Theologicarum, scilicet Fidei, spei, & Charitatis; de gratia fuse probatum est supra *Quæst. 3. ar. 3.* *Gratia infunditur in Baptismo.*

Dico 2. Gratia baptismalis in paruulis, semper est æqualis, ex parte Sacramenti, & operis operati. Patet. Quia effectus Dei regulariter est æqualis, qui datur virtute Baptismi: Possibile tamen est præfatam gratiam esse inæqualem & imparem, in æqualitate proueniente non quidem ex parte Sacramenti, sed aliunde, nimirum ex beneuolentia Dei prædestinantis ab æterno, hunc paruulum ante vsum rationis vita functurum ad maiorem gratiam & gloriam, quàm alium infantem etiam mox moriturum, tanquàm à causa principali, & ex passione Christi offerentis illam specialius pro isto, quàm pro alio tanquam à causa meritoria, & à perfectione Ministri baptisantis, vel parentum orantium feruentiori precum vi, tanquam ab opere vberius operantis, ordinato in ratione medii vi prædestinationis æternæ, ad hunc finem, nempè intensioris gratiæ, & gloriæ. Ex his igitur omnibus causis subordinatis, potest baptizato siue paruulo, siue adulto conferri gratia, plus, minusuè intensa. Probatur conclusio Quo ad omnes sui partes, *Gratia Sacramentalis est æqualis.* *Nota quòd & inæqualis.* *Probatur Conclusio.*

O ex con-

ex congruentia haud vulgari : nam eo ipso, quod Deus infantulum, mox ante vsum rationis obiturum, prædestinauit ad plures, gratiæ & gloriæ gradus, rationi vtiq; ac suaui rerum dispositioni conducebat, quòd consequenter decerneret ipsum à sanctiori Ministro baptisari. Ecclesiæ precibus opimius iuuari, & mortem Domini specialius pro ipso in cruce offerri, vt sic tandem in susceptione baptismi, ne dum reciperet gratiam sibi profluxuram ab efficacitate Sacramenti, verum etiam à beneuolentia Dei, morte Christi efficaciùs oblata, & à precibus, ac sanctitate tàm Ministri, quàm aliorum.

Et adultis similiter nõ æqualis.

DICO 3. Idem judicium ferendum est de adultis, qui postquam adoleuerint, baptizantur, & alteruter alio majorem recipit gratiam, quia magis sese disposuit quo in casu ille eminẽtior grad9, pullulat à prædestinatione, quia Deus destinauit illum ad majorem gloriam, & gratiam, & à passione Christi efficaciùs, oblata in ejus obsequium, & à feruentiori motu amoris, quem ipse adultus baptizandus elicuit. Probatur. Quò enim voluntas Diuina ordinauerat illum ad majorem gratiam, eò direxit eundem ad actum feruentiorem, & ad specialiorem fructum passionis. Vera ergo est Conclusio D. Subt.

DICO 4. Gratia baptismalis adulti est intensior, ea, quam recipit paruulus, huius enim gratia est minima inter baptismales. Imò si adultus etiam actu peccans venialiter, cum attritione mortalium recipiat Baptismum, censendus est recipere maiorem gratiam, quàm paruulus. Probatur. Quia per motum attritionis habet dispositionem, quam non habet paruulus.

ARTICVLVS III.

An fictio in Baptismo impediat infusionem gratiæ?

Fictio duplex.

NOTA 1. Fictio dupliciter sumitur. Primò quando quis exteriùs consentit in Baptismum repugnat tamen mente, ita vt positiuè cogitet se non consentire tantùmq; fingit exteriorem consensum. 2. Quando aliquis exteriùs non fingit, sed habet voluntatem suscipiendi Baptismum, ad illum tamen accedit cum peccato mortali.

Fictio posterior dupliciter contingit.

NOTA 2. Hanc fictionem posteriorem dupliciter contingere. 1. merè negatiuè, & inuoluntariè, quando aliquis baptizandus caret, necessaria dispositione, ex ignorantia, vel in aduertentia inculpabili, quod fit cum homo, est in aliquo peccato mortali, habituali gratiæ sanctificanti contrario, & nullo modo retractato. Per contritionem,

vel attritionem, quia illius non recordatur. Secundò contrariè, seu voluntariè, cùm quis suscipit Baptismum, cum voluntaria adhæsione ad aliquod peccatum mortale, aut saltem sine debita illius displicentia, vel certè quando in ipsa susceptione Baptismi, aliquod peccatum mortale committit, V. G. infidelitatis, contemptus, odii proximi, delectationis carnalis &c.

Nota 3. Bifariam accidere posse hominem esse fictum in ipsa actuali susceptione Baptismi: Primò absq; actuali peccato sacrilegæ susceptionis, ita vt non peccet mortaliter ipsum Sacramentum suscipiendo, & si gratiam non recipiat, vt si bona fide accedens, putans se esse attritum, reuera tamen non, ita se habet, aut inuincibiliter existimaret, non esse necessariam aliam dispositionem præter fidem, & Baptismi recipiendi voluntatem. Secundò potest quis sic accedere ad Baptismum, vt in ipsa actuali susceptione, peccet mortaliter, sciens, & putans se cum mala conscientia ad ipsum accedere. Et vtroq; modo potest accidere, vt homo post susceptum Baptismum aliqua peccata mortalia commiserit, vel quod nunquã postea mortaliter peccauerit. His cõstitutis sit.

Fictè accedens non recipit matrimonium.

Dico 1. Qui fictè primo modo in primo notando posito, Baptismum recipit, is non censetur in rei veritate baptisatus, licet in foro externo possit compelli ab Ecclesia ad seruandam Religionem, & talis esset rebaptisandus, si iterum mente consentiret. Ratio est, quia baptismus nõ potest habere effectum, aut characterem imprimere renitente voluntate: nam sicut non valet matrimonium ad quod tantùm exterior consensus concurrit, sine interiori, ita de baptismo dici debet.

Ante bapt. peccata commissa non sunt confitenda.

Dico 2. Peccata ante baptismum commissa, etsi propter fictionem non fuerint remissa in baptismi susceptione, non sunt necessariò confitenda, quia non sunt materia pœnitentiæ. Probatur, quia illa peccata non cadunt sub Ecclesiæ jurisdictionem; Ergo nec sub pœnitentiæ Sacramentum, quæ Ecclesiæ iurisdictionem requirit. Propterea quia Sacramentum pœnitentiæ non habet efficaciam, super hominem, nisi jam charactere baptismali insignitum; Ergo peccata commissa ante hujus characteris susceptionem non sunt illius Sacramenti materia. quocirca nec confitenda sunt, neque pro eis satisfaciendum. Conclusio hæc videtur colligi ex Concilio Trident. *Sess.* 14. *Canon.* 1. vbi absolutè docet, Sacramentum Pœnitentiæ institutum esse

ad remittenda peccata post Baptismum commissa, & reconciliandos fideles post Baptismum lapsos. Tribuitur oppositum hujus Conclusionis Doctori Subt. *in 4. dist. 4. q. 5.* cum ait, *Peccatum quod causa fictionis extitit, deleri per contritionem, etiamsi ante Baptismum commissum sit.* Sed hoc non debet intelligi de illo peccato, absolutè sumpto, sed quatenùs causa fictionis est; nec ita quòd quia fundat fictionem, ipsum formaliter sumptum, sit Sacramenti pœnitentiæ materia, quia sola ipsa fictio ex peccatis tunc existentibus ad pœnitentiam pertinet, non verò peccatum quod eius fundamentum existit formaliter, ita vt expresè sit confitendum, quia sufficit confiteri se sacrilegè Baptismum accepisse, ob peccati præcedentis Baptismum complacentiam. Quocirca sufficienter confiteretur fictus, dicendo se iniuriam fecisse Baptismo, ponendo illi obicem peccati mortalis, & confitendo commissa peccata post Baptismum nulla facta in specie illius peccati, quod fictionis causa fuit mentione.

Peccata tolluntur & gratia infunditur.

Dico 3. Non solùm peccata illa, quæ in ficto erant ante Baptismum, sublatâ fictione tolluntur virtute Baptismi, sed etiam datur gratia distincta ab illa, quæ contritioni respondet. Probatur; quia cum omnes Theologi affirment, effectum Baptismi redire recedente fictione, loquuntur de quolibet effectu Baptismi, & maximè de effectu gratiæ. Præterea constituamus hominem qui bona fide, & sine nouo peccato accepit Baptismum, sine sufficiente tamen dispositione, atque fictus, & sine effectu, si huiusmodi homo antequam aliquod mortale committat, habet veram suorum peccatorum, attritionem, consequetur effectum Baptismi, vt acutè satis docet D. Subt. *vbi supra*, & nos statim docebimus, quia re vera tollit fictionem, quæ tantùm posita erat in defectu talis dispositionis; Ergo illi homini datur prima gratia baptismalis, quæ data fuisset tempore baptismi supposita subiecti dispositione, quia sola attritio per se non sufficeret ad talem gratiæ effectum; Ergo Baptismus præteritus sufficit, recedente fictione, ad dandam eandem gratiam, & hoc ex opere operato. Si igitur Baptismus recedente fictione per attritionem, non sufficienter confert gratiam baptismalem ex opere operato; Ergo similiter si eadem fictio remoueatur per veram contritionem, dabitur eadem gratia ex opere operato, imò fortiori ratione.

Dico

DICO 4. Ablata fictione datur effectus Baptismi, totus cum tota extensione, & intensione, cum qua in principio daretur, si fictio non interuenisset. Est Sancti Augustini *lib 1. de bapt. contra Donatistas cap. 2* vbi ait, *Tunc valere incipit ad salutem baptismus; cum illa fictio veraci confessione recesserit, quæ corde in malitia, vel sacrilegio perseuerante peccatorum ablutionem non sinebat fieri.* Estq; communis omnium Theologorum quam declarat sic Doct. Subt. citatus, Potest dici quod illa fictio non dimittitur, nisi per veram pœnitentiam, sed ea dimissa habet Baptismus effectum suum, respectu omnium peccatorum præcedentium baptismum, quæ tamen non erant causa fictionis in baptismo, V. G. aliquis ante baptismum commisit septem peccata mortalia, & venit ad baptismum, de sex attritus, septimum autem actu placet, vel de eo nullo modo atteritur, illud septimum est sola causa fictionis eius in baptismo; oportet ergo vt verè pœniteat de isto septimo, & in se, & in quantum est causa fictionis; quod pro tanto dico, quia fortè peccauit nouo peccato mortali propter irreuerentiam baptismi, recipiendo illum cum tali fictione; sed recedente ista fictione quæ fuit impedimentum effectus baptismi, Deus confert gratiam baptismalem, in remedium contra alia peccata, quæ fuissent deleta in Baptismo, nisi fictio occurrisset, & ideò de illis talem non oportet habere nouam pœnitentiam, neq; nouam attritionem, præter illam, quæ habita fuit ante Baptismum, sed solo impedimento amoto: sicut Deus si quo modo assistit ad causandum eius effectum, vel dandum, quando suscipiebatur, nisi fuisset impedimentum in suscipiente; ita paratus est semper post susceptionem eius signi assistere ei, qui suscipit, ad causandum effectum eius, quando cessat impedimentum illud. Nec oportet dicere characterem in ficto aliquid operari, sed solum quòd Deus ex eadem pactione assistit etiam ei, qui suscipit ad causandum effectum eius quamcitò obex tollitur. Hæc D. Subt. In quibus verbis duo dicit. Alterum recedente fictione Baptismum habere suum effectum integrum, quem habiturus erat insuscipiente, nisi interueuisset obex. Alterum verò est quod fictus tenetur pœnitentiã agere de peccato; quod fictionis causa extitit, non solùm in se, sed etiam quatenùs fictionis extitit causa. In quo aduerte quòd licet vtriusq; necessaria sit pœnitentia, non tamen eodem modo; nam illius peccati in se solùm est necessaria attritio,

Ablata fictione datur effectus.

Authoritas D. Subtilis.

Explicatur mens D. Subtilis.

sicut ante Baptismum, nec alia pœnitentia per se requiritur, secundi vero peccati, scilicet fictionis ipsius pœnitentia requiritur & contritio, quæ Sacramentum pœnitentiæ in voto includit, necessario est confitenda.

Sola attritio sufficit ficto non tamen pro fictione.

Dico 5. Qui ex ignorantia inculpabili, fictus accedit ad baptismum, quia putat se verè esse attritum, cum non sit, non indiget ad tollendam fictionem, & gratiam, & remissionem peccatorum ratione Baptismi obtinendam aliqua contritione, sed sola attritio sufficit ei ad hos effectus. Ratio est, quia huiusmodi attritio tunc sufficeisset, quando Baptismus receptus est. Ergo & postea sufficit, quia nullum peccatum de nouo accessit. Præterea quia in tali homine non est necessarium pœnitentiæ Sacramentum; quia eius peccata præcesserunt Baptismum. Ergo tollenda sunt per Baptismum cum sola dispositione per se ad ipsum requisita, quæ est attritio: nam si contritio esset requisita, tunc similiter & ad baptismi susceptionem, quod non est verum.

Ad fictionẽ tollendam quid requiratur.

Dico 6. Si accepto Baptismo peccatum mortale commissum, est vel in ipsa susceptione fictio est apposita, ad fictionem & peccatum tollendum necessaria erit contritio, si extra Sacramentum pœnitentiæ fieri debet eius ablatio. Est D. Subt. loco citato. Probatur. Quia illud Peccatum quod in ipso Baptismo, vel post, est commissum, non potest tolli per Baptismum; quia per eum solùm tolluntur ea peccata quæ ipsum præcesserunt. Ergo ad illius peccati deletionem; in Baptismo, vel post commissi, per se non sufficiet sola attritio. Ergo vt extra Sacramentum tollatur, necessaria erit contritio, vel attritio cum Sacramento pœnitentiæ.

Ad tollendam fictionem sufficit attritio cũ Sacramento.

Dico 7. Ei qui fictè Baptismum accepit, vel post ipsum multa peccata commisit, sufficiet ad tollendam fictionem, vel aliorum peccatorum remissionem, attritio Sacramenti pœnitentiæ. Hæc conclusio est eorum omnium, qui tenent Sacramentum pœnitentiæ facere hominem de attrito contritum.

baptismo id competit non aliis Sacramentis.

Dico 8. Conferre gratiam fictione recedente, est proprium baptismi, ita vt aliis Sacramentis non competat. Est D. Subt. *loco citato & distin. 6. art. 8. q. 1.* quam probat sic primò, quia ratio & necessitas Baptismi in hac parte est singularis, quia inest Sacramento, quod iterari non potest, & cuius effectus est simpliciter necessarius ad salutem,

quæ

quæ duo nulli alteri Sacramento conueniunt. Ex quibus duabus proprietatibus simul sumptis, nascetur necessitas, ob quam recedente fictione redit Baptismi effectus. Sed hæc duo in aliis Sacramentis simul sumpta non reperiuntur. Ergo &c. Secundò quia Baptismus modo quodam peculiari est Dei opus, quod nec claues Ecclesiæ requirat, nec dispositionem in suscipiente per se loquendo, vt in paruulis.

Dices Ad Galat. 3. dicitur. *Quotquot baptisati estis Christum induistis*; Sed nullus induit Christum nisi recipiens gratiam. Ergo quantumuis fictus quis ad Baptismum accedat gratiam recipit. Respondeo quod omnis baptizatus induit Christum quantùm ad hoc quòd familiæ Christi adscribatur, & recipit Characterem, non tamen cum Charactere qui fictè accedit, recipit gratiam, quæ est indumentum filiorum Dei. *Induere Christum quid, est.*

ARTICVLVS IV.

An Baptismus imprimat Characterem in anima indelebilem?

Character est effectus Baptismi, non tamen ita proprius Baptismi vt non conueniat confirmationi, & ordini vt definitur in Trid. *Sess.* 3. quia tamen hic de Baptismo tanquam ianua aliorum Sacramentorum agitur, explicandus est hic prædictus effectus Baptismi: nam licet inter scholasticos sit certum, quòd in Baptismo, in confirmatione, & in ordine, imprimatur Character, valdè tamen difficile, & controuersum est, Quid sit Character an forma absoluta, an respectiua. Deinde difficultas est, in quonam subiecto subiectetur, præterea an character sit essentialiter habitus, vel in qua nam sit specie Qualitatis, hæc omnia D. Subt. resoluit *in 4. dist. 6. q. 9.* cum quo.

Dico *1.* In Baptismo imprimitur Character. Probatur. De Sacramentis sentiendum est ita, sicut Romana Ecclesia sentit. Sed sentit Characterem imprimi in anima eius qui suscipit Baptismum, vt definit Innocentius III. *Extra de Baptismo & ejus effectu. Capite Maiores* vbi dicitur. Qui fictè accedit ad Baptismum Characterem suscipit Christianitatis, impressum. Probatur quibusdam congruentiis. Primò Cō- *In Baptismo imprimitur Character.*

gruum

Congruentiæ pro charactere. gruum videtur esse ad formam perfectam, poni aliquam dispositionem præuiam: gratia autem forma est supernaturalis, & perfecta. Ergo congruum est ad eam præsupponi aliquam dispositionem præuiam, supernaturalem, cuiusmodi est character. Secundò Congruum est quod Deus non instituerit Sacramenta vana, saltem pro noua lege, quæ perfecta est. Ergo non congruit, quòd Sacramenta sua ab aliquo recipiantur verè, ac ratè quin aliquem effectum habeant. Tunc sic, non semper habent gratiam, sicuti in ficto. Ergo aliquem alium effectum habebunt. Tertiò congruit receptum in familiam Christi, distingui à non recepto per aliquid intrinsecum sibi, tale autem distinctiuum est Character. Ergo &c. Maiorem probat: quia licèt Christus posset distinguere sine tali intrinseco; tamen perfectior est distinctio eius in se, & etiam in comparatione ad omnem Ecclesiam, militantem scilicet, & triumphantem, si fiat per aliquam formam intrinsecam manentem. Ergo dicendum est; imprimi Characterem.

Character est in voluntate. Dico 2. Character est signum, vel fundamentum obligationis animæ ad Deum: estq; immediatè in voluntate in sententia D. Subt. Probatur. Dispositio ad formam, est in eodem susceptiuo formæ. Sed character est dispositio ad gratiam. Ergo eidem hærebit subiecto, cui inest gratia. Atqui gratia inest voluntati. Ergo & character.

Quid sit character. An autem character sit forma absoluta, vel respectiua, D. Subt. resolutiuè tenet vt problema in 4. *dist.* 6 *q.* 10. Qui tenuerit characterem esse formam absolutam, debet dicere, quòd sit in prima, vel secunda specie Qualitatis. Qui autem tenere voluerit formam esse relatiuam characterem, non autem tenet esse relationem rationis D. Subt. vt ei quidam temerariè imponunt, sed expresè dicit posse teneri esse respectum realem. Cuius respectus fundamentum proximum, est nuda anima. Terminus autem huius relationis est Deus. Porrò quòd Characteres seipsis formaliter distinguantur optimè explicat per congruentias; & quare tantùm sint tres, & initerabiles per comparationem ad politiam mundanam explicat. Qui exactè scire desiderat Doctorem Subtl. *loco citato incipiendo à quæst. nona diligenter legat.*

Cur characteres tres.

Alii effectus Baptismi. Collige Præter effectus commemoratos Baptismi, sunt alii nonnulli secundarii, vt sanitas quàm Baptismus aliquando confert, vt de lepra Constantini Imperatoris certo affirmant Historici. Deinde ab-

latio ir-

latio irregularitatis omnis ante baptismum contractę præter Bigamiam. Tandem obligatio seruandi præcepta Ecclesiæ.

QVÆSTIO VII.

De Cæremoniis Baptismi.

Cæremonia baptismi an omittenda.

Nota primò Cæremonias Baptismi, vel omnes simpliciter, vel saltem aliquas omitti posse, imò debere, sine peccato est certum, quandò periculo mortis imminente, Baptismus sine solennitate est ministrandus. Ratio est, quia hæ cæremoniæ non ad essentiam Sacramenti, sed ad decentiam & instructionem pertineant, quando adest causa rationabilis omitti possunt,

Omissæ supplendæ.

NOTA Secundò Ritus prædicti, quoties fuerint omissi, postea suppleri debent, omissa nimirum ablutione, & forma baptismi, siue is collatus fuerit à Sacerdote, aut ab alio, vel ab obstetrice, quæ tamen obstetrix examinanda est, an sciuerit formam. Ratio est, quia ita statuit Ecclesia. Vnde quando pueri baptizantur, circa Pascha, quando Chrisma vetus comburitur, & oleum Catechumenorum, debent postea vngi, vbi recens benedictum Chrisma allatum fuerit. Hanc difficultatem breuiter per aliquot quæsita resoluemus.

Cur cæremoniæ adhibentur.

QVÆRES I. *Quæ nam sint causæ eiusmodi Cæremoniarum in Baptismo institutarum?* Respondeo. S. Thomas ex triplici capite colligit harum Cæremoniarum conuenientiam. Primò dicit eas adhiberi propter maiorem celebritatem ornatumq; huius Sacramenti, quod est janua Ecclesiæ. Et præterea ad excitandam deuotionem, & reuerentiam erga illud, præsertim cum potuerit simplicibus hominibus viliùs videri propter simplicem materiam, & breuissimam formam. Secundò propter instructionem simplicium, qui non solùm verbis vt fit per Catechismum; sed etiam rebus ipsis atq; actionibus erudiuntur, & excitantur ad intelligenda faciliusq; retinenda mysteria supernatnralia, quæ illis signis sufflationis, vnctionis continentur. Tertiò propter coercendam vim Dœmonis, ne impediat effectum Baptismi, præsertim in adultis ingerendo illis alicujus peccati complacentiam.

Fundamentum. cæremoniarum.

QVÆRES secundò. *Quod Fundamentum habent ejusmodi Cæremoniæ?* Respondeo. Primò fundantur in illo Apostoli 1. ad Corinthios

thios 14. *Omnia honestè & secundùm ordinem fiant in vobis;* si enim Ecclesia nullas cæremonias præscripsisset, sed cuiusq; arbitrio id reliquisset, timendum fuisset ne multi absurdos, & superstitiosos ritus adhiberent. Secundò in exemplo Christi Domini, qui cum potuisset absq; vllis cæremoniis omnia præstare, videtur tamen ad nos instruendos, illa adhibuisse, vt cum mutum sanauit *Marci. 7.* Cæcum *Ioannis 19.* Cum Spiritum Sanctum dedit *Ioannis 20.* Et deniq; cum die Pentecostes, in igne, & vento, descendit Spiritus Sanctus Actorum 1.

QVÆRES 3. *Quam variæ sint, & quid significet Cæremonia Baptismi?*

Cæremoniæ antecedentes baptismum. Notandum est primò Omnes Cæremonias Baptismi vel esse antecedentes, vel subsequentes ipsum Baptismum: Antecedit primum Catechesis, siue institutio in fide quam præcipit Christus Matthæi vltimò, *Docentes eos &c.* cui coniungitur professio fidei quam Apostolus ad Rom. 1. mandat fieri *Ore confessio fit ad salutem.* Mos autem fuit in primitiua Ecclesia, vt Catechismum præcederet nominis professio, quia qui Baptismum petebant, nomina sua dare tenebantur, quæ probabiliter Suarez putat à Christianis sumpta, iuxta Decretum Concilii Nicæni, in quo statuitur, vt Christiani Sanctorum nomina assumant. Huic Cæremoniæ respondet nunc, illa quâ in foribus Ecclesiæ rogatur puer, quo nomine vocandus sit. Huic deinde nominis proditioni succedebat, tum Catechismus in adultis, paucioribus vel pluribus verbis pro consuetudine variarum Ecclesiarum, tum scrutinium quo inquirebatur de vita, moribus, sinceritatéq; petentis Baptismum. Cuius rei meminit ex Ruperto, Rabano, Alcuino, Leone Papa, & Augustino Suarez in *commentario articuli 1. D. Thomæ quæst. 71.* tum deinde iidem Catechumeni sæpiùs signo crucis signabantur, in fronte, quod etiam nunc fit in

Exorcismus puerorum Baptismo. Præterea solennissima fuit cæremonia abrenunciatio Sathanæ quā exorcismum vocamus græcè verò ἐξορκίζω siue ἐξορκίζειν id est abiuro, siue iuramento adigo.

Cæremoniæ Exorcismi Prima. QVÆRES quartò. *Quibus cæremoniis ritus exorcismi absoluatur.*

Respondeo quinq; potissimum numerari. Prima est exsufflatio, quæ olim fiebat per ipsos baptisandos adultos, qui conuersi ad occidentem exsufflabant Dæmonem, ipsius contemptum, & Spiritus Sancti afflatum hoc modo significabant, & deinde conuertebātur, ad orientē, vt meminerunt Patres, Augustinus, Dionysius, Optatus, Mileuitanus, & Basilius,

Cyril-

Cyrillus, Tertullianus, quos citat Suarez in *Commentario articuli 2. quæst. 71. D. Thomæ.* Postea idem fiebat per exorcistas quorum proprium officium est Dæmonum abiuratio, ac tandem nunc fit per ipsos Baptismi ministros. Secunda Cæremonia est manus Sacerdotis impositio cum benedictione cuius meminerunt Clemens Papa, Dionysius, Augustinus, ea fiebat ad præcludendum aditum Dæmoni, ne iterum rediret. Tertia Cæremonia exorcismi est immissio salis in os baptisandi, quod quidē sal prius benedicatur; siue vt per hoc significetur donari in Baptismo Diuinam sapientiam, siue vt doceantur Christiani, non decere, vt illi sint insipientes in rerum terrenarum electione, qui fidei Catholicæ saporem gustauerunt. Meminerunt huius Cæremoniæ Origenes, Augustinus, Beda, Isidorus, Rabanus, Damianus, citati apud Suarez. Quarta Cæremonia exorcismi est sputo terræ misto, siue luto ex puluere & sputo confecto, aures, naresq; baptisandi linire, id fit duabus de causis. Primò vt significetur baptizatum debere habere apertos sensus ad excipiendas res fidei, vt ait D. Thomas. Secundò vt bonus odor studeant esse Christiani, neq; malo exemplo aliorum auribus, naribus obsint. Vt ait D. Ambrosius *lib. 1. de Sacramentis Cap* 1. Quinta Cæremonia exorcismi est vnctio olei sanctificati, quam D. Ambrosius *lib.* 1. *de Sacramentis cap.* 2. *Et lib. 3. cap. 1.* dicit fieri in pectore, vel ad significandam fidem recto animo susceptam vel ad significandā munditiā cogitationum; in scapulis verò ad fortitudinem in laboribus. & certaminibus pro fide subeundis, Athletæ enim olim oleo vngebantur, meminerunt huius Cæremoniæ. SS. Basilius, Chrysostomus, Augustinus.

2. Cæremonia.

3. Cæremonia.

4. Cæremonia.

5. Cæremonia.

QVÆRES Quintò. *Quæ sunt Cærimoniæ Baptismum subsequentes?*

Respondeo tres sunt in vsu Ecclesiæ. Primà vnctio verticis Chrismate benedicto, cuius meminerunt Patres, Tertullianus Nazianzenus, Basilius, Hieronymus. Rationem eius D. Thomas dat articulo 3. *q.* 71. vt significaretur per modū impetrationis conferri conseruationem gratiæ Baptismalis. Videtur enim hæc Cæremonia introducta maximè propterea quòd non semper adesset Episcopus qui confirmationis Sacramentum conferret. Toletus *cap 23. lib. 2. dicit* per hanc Cæremoniā significari, ius ad gloriā, quod confertur per baptismū, & præparationē cuiusq; ad redden-

Subsequentes cæremoniæ.

reddendam rationem suæ fidei. Secunda est cæremonia in infantibus amictus capitis candidus, ad significandam innocentiam baptismalem, in adultis autem tota vestis alba, cuius meminerunt omnes supra citati Patres. Vnde Rabanus tradit baptisatos, solitos fuisse albis, vti vestibus, per totam octauam Paschatis, ideóq; illa Dominica vocatur, in albis, quia tunc albas vestes, baptisati deponebant. Tertia Cæremonia vsitata est, traditio cerei accensi baptizato, cuius faciunt mentionem, Gregorius Turonensis, Nicephorus, Alcuinus, Rabanus; Hancq; Cæremoniam Nazianzenus dicit significare, quod baptisatus debeat habere viuam fidem, accensam charitate. Alii verò volunt esse illam signum fidei operibus coniunctæ iuxta illud Christi Domini, *Sic luceat lux vestra.*

4. aliæ Cæremoniæ erant jam non sunt in vsu.

QVÆRES sextò. *Fuerunt ne aliquæ aliæ præter dictas Cæremoniæ Baptismi.* Respondeo. Fuisse potissimum quatuor. Prima erat, Eucharistiæ porrectio, quæ etiam infantibus dabatur. vt notat Suarez *Sect. 2. disp.* 25. Secunda fuit gustus lactis & mellis, aut vini & mellis, baptizato præberi solitus, ad significandam infantiam spiritualem, cuius meminit D. Hieronymus. Tertia erat osculum pacis quo baptisatum omnes præsentes Christiani osculabantur, cuius facit mentionem DiuusChrysostomus. Quarta deniq; fuit lotio pedum, quam D. Aug & Ambrosius, commemorant. verum hæ cæremoniæ iam sunt antiquatæ.



DISP V.

DISPVTATIO III.

De Sacramento Confirmationis.

SEcunda Lucerna mystica est Sacramentum Confirmationis, qua nouus ardor, noua gratia accenditur in cordibus fidelium, vt nunquam primam fidei lucem per Baptismum succẽsam in cordibus fidelium patiatur extingui, vel desidia, vel tepore, vel flatu tentationum, & persecutionum. Circa quod Sacramentum Confirmationis, proportionaliter essent quærenda, quæ de Baptismo quæsita sunt; vnde & D. Subt. *in 4. dist. 7.* Circa Confirmationem quinq; mouet quæstiunculas. Nos breuitatis gratia præsentem disputationem per aliquot quæsita absoluemus.

QVÆRES I. *Vtrum Sacramentum Confirmationis sit verum Sacramentum?*

NOTA Hæretici negant esse propriè Sacramentum nouæ legis; horum præcipuum fundamentum est, quia nullibi in scripturis extat huius Sacramenti institutio. Sed hoc argumentum nullius esse momenti, iam sæpè ostendimus. Nam multa nobis credenda sunt, quæ apertè non sunt scripta, sed per traditionem accepta; vt constat, tùm ex consensu totius Ecclesiæ, tùm ex ipsis scripturis, quæ testantur Apostolos multa solo verbo tradidisse. hinc 1. ad Corinth. 11. ait Apostolus, *Cætera autem cùm venero disponam.* Item. D. Ioannes Epist. 3. *Multa habui tibi scribere: Sed nolui per atramentum, & calamum scribere: Spero autem protinus te videre & os ad os loquemur.* Similia habet epist. 2. Vnde etiam Apostolus ad Thessalon. 2. *Tenete, inquit traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per Epistolam nostram;* Idem Actorum 15. confirmat Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum. Adde falsum sumi hoc non posse ex scripturis probari. Vt infra ostendam. Dicendum est, Confirmationem esse verè & propriè nouæ legis Sacramentum. Probatur primò ex Concil. Trid. Sess. 7. can. 1. *Si quis dixerit Confirmationem baptisatorum otiosam caremoniam esse, & non potiùs verum, & proprium Sacramentum,* anathe-

Error hæreticorum.

Traditiones Apostolor.

2. ad Thess. c. 2.

Confirmatio est verum Sacramentum.

Ex Tridenf.

anathema sit. Secundò probatur ex scripturis, quæ etsi non dicant apertè Confirmationem esse Sacramentum, (sicut nec etiam de Baptismo hoc dicunt) tamen apertè ex eis colligitur ei conuenire supra dictam descriptionem: Primò enim fuisse apud Apostolos in vsu aliquod Signum, seu Cæremoniam visibilem, quâ conferebant communiter Baptizatis Spiritum S. apertè habetur. Act. 8. vbi dicitur, *Tunc imponebant,* (scilicet Apostoli,) *manus super eos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Et. c. 19. *Cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus S. super eos.* Ex quibus locis apertè deducitur Confirmationē esse Sacramentum, cum Apostoli per impositionē manuum, quæ signum erat visibile, & conferebat gratiam Spiritus S. & non est credibile Apostolos hac Cæremonia ita communiter vsuros fuisse ad conferendum Spiritum Sanctum, nisi fuisset à Christo Domino ad hoc instituta. Tum quia Apostoli nullo modo potuissent per eum infallibiliter conferre gratiam, nisi hæc ei ex promissione Christi fuisset annexa: quia nullus purus homo potest, vel per se immediatè, vel per aliquam Cæremoniam conferre gratiam, nisi hæc à Deo ad hoc sit instituta. Probatur tertiò Confirmationi conuenit definitio Sacramenti. Ergo est verè Sacramentum: Quartò constat ex communi omnium consensu Patrum & Conciliorum. Vrbanus Pontifex qui floruit circa Annum 222. in Epistola sua cap. 7. ait. *Omnes enim fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum Sanctum, post Baptismum accipere debent, vt plenè Christiani inueniantur.*

Ex SS. literis.

Aliæ probationes.

OBIICIVNT I. Hæretici, Confirmatio est tantum Oratio. Ergo non est Sacramentum Antecedens patet ex S. August. lib 3. cont. Donatistas. c. 16. *Quid aliud est manuum impositio, quàm oratio super hominem.* Respondeo Nego Antecedens, quia Confirmatio non est tantùm Oratio, sed etiam consecratio, neq; solùm manus impositio, sed Chrismatis vnctio, S. Aug. Verò de manuum impositione loquitur, quæ in reconciliatione pœnitētium adhibetur. Variis enim ritibus fit manuum impositio, vt in ordine Sacro. *2. ad Tim. 1.* in Confirmatione Act. *2.*

Objectio hæreticorum.

Solutio.

Mens S. Aug:

Obiiciunt Secundò Scriptura nunquam meminit Chrismatis. Ergo hoc est Sacramentum figmentum. Respondeo. A negatione mala est Consequentia. multa enim credimus, quæ scriptura non exprimit, sufficit Ecclesiæ traditio.

2. Objectio.

Solutio.

QVÆRES 2. *Quid sit Confirmatio & à quo instituta.*

Definitio Cōfirmationis D. Subt.

QVANTVM

QVANTVM ad definitionem. dico, *Confirmatio seu Sacramentum Confirmationis, est vnctio hominis viatoris, aliqualiter consentientis vel libero arbitrio nunquam vsi, facta in fronte, in figura Crucis, cum Chrismate sanctificato, & hoc à Ministro idoneo, simul cum intentione debita inungente, & verba certa proferente, significans efficaciter ex institutione Diuina vnctionem animæ per gratiam roborantem ad confitendum cum constantia fidem Christi.* Ita Doctor Subt. *dist 7. Quæst. 1. n. 1.* In qua definitione omnia requisita ad confirmationem expressit: breuiùs sic à nonnullis describitur *Confirmatio Sacramentum, quo homo viator baptisatus, inungitur in fronte, ab Episcopo, cum Chrismate, & præscripta verborum forma, ad fidei robur consequendum.* *Alia definitio.*

Quantùm ad institutionem Dico primò Confirmatio fuit instituta in vltima Cæna, quando egressò iam Iuda Christus Dominus pulcherrimam habuit ad Apostolos Concionem *Ioan. 14. 15. 16.* In qua etiam sæpissimè promittit suis, se missurum, tum Apostolis, tū etiam aliis fidelibus Spiritum Sanctum; omnino enim credibile est, eum simul tunc eosdem docuisse, qua ratione singulis fidelibus hic esset conferendus. Patet ex Diuo Fabiano Papa *Epist 2. ad Orientales C. 1.* Vbi ait. *In illa die Dominus Iesus postquam cœnauit, cum discipulis suis, & lauit eorum pedes* (sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisq; reliquerunt) *Chrisma conficere docuit*: ex quibus verbis colligitur Christum Dominum tunc simul docuisse vsum Chrismatis, & consequenter instituisse hoc Sacramentum. Tum quia Trident *Ses. 5. can. 1.* definit, omnia Sacramenta nouæ legis fuisse à Christo Domino instituta, vt supra diximus. *Quando instituta.* *Fabiani Papæ authoritas.*

DICO Secundò Sacramentum hoc nulli fuit collatum, ante Festum Pentecostes, sed tunc primùm eius effectus sine vllo Sacramento fuit Apostolis collatus. Colligitur ex capite vltimo Marci, & Act. 10. *Quandò collata fuit.*

Ratio est, quia non conueniebat plenitudinem Spiritus Sancti quæ per hoc Sacramentum confertur, ante perfectam Christi glorificationem, quæ in Ascensione completa est, cuiquam tribui.

QVÆRES Tertiò. *Qua nam sit necessitas Sacramenti Confirmationis?*

DICO primò Sacramentum Confirmationis non est necessarium necessitate medii; vnde qui illā sine contemptu, & scandalo omitteret, nō *Quæ necessitas confirmationis.*

peccaret

peccaret mortaliter. Porro Concilia & Authoritates PP. quæ in contrarium adduci possent, loquuntur de necessitate, non præcepti, sed vtilitatis. Patet quia ex nullis Christi verbis id colligitur, neq; necessitate præcepti. Quare qui confirmationem sponte omittit, modo absit contemptus, non peccat mortaliter, quia robur ad profitendam fidem, potest per alia media obtineri.

Non debet negligi.

Dico 2. Quamuis Confirmationis Sacramentum, non sit necessarium, non debet tamen à fidelibus negligi. Patet Quia per ipsum confertur augmentum gratiæ habitualis, & gratia fortitudinis, quâ inimicis Christi resistatur. Quare quamuis per se loquendo non sit peccatum Confirmationem omittere, tamen aliquando per accidens est peccatum veniale temeritatis, in aggrediendis sine illa periculis mortis.

Quæres quartò. *Quæ nam sit materia Confirmationis?*

Materia Confirmationis.

Dico Primò Sacramenti huiꝰ Materia remota, est Chrisma ex oleo oliuarum & balsamo ab Episcopo consecratum, illo ipso Anno in die Cænæ, validum tamen esset Sacramentum collatum cum Chrismate alterius Anni. Dixi (*Chrisma ex oleo & Balsamo confectum*) Quia hoc apertè definiuit Florentinum in literis Eugenii his verbis, *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cuius Materia est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto.* Vnde Chrisma confectum ex oleo oliuarum, & balsamo est de essentia Materiæ Confirmationis, ita vt vnctio oleo tantùm facta, absq; balsamo, non solùm sit illicita, sed etiam insufficiens ad Sacramenti veritatem. Ad essentiam autem Chrismatis, non esse necessarium, vt singulæ eius partes contineant, formaliter aliquid balsami, sed sufficit quod toti misto, saltem tantùm insit balsami, vt omnes partes aliquomodo alterentur, recipiendo in se eius odorem, aliasq; Qualitates, hoc enim sufficit vt tota massa, & consequenter singulæ eius partes dicantur confectæ, siue mistæ ex oleo & balsamo. Sicut corpora mista dicuntur confecta ex elementis, tantùm virtualiter in iis remanentibus; Dixi in Conclusione (*ab Episcopo consecratum*) nam hoc Florentinum *loco Citato definiuit.* Ergo hæc benedictio est de essentia Sacramenti. Dixi (*Validum tamen esset Sacramentum collatum cum Chrismate alterius Anni*) nam grauiter peccaret, qui confirmaret vetere Chrismate, validè tamen id faceret modo adhuc es-

set in

ſet incorruptum. Ratio huius eſt, quia vt Chriſma ſit nouum, eſt merè accidentale, ideoq; ad eſſentiam & valorem Sacramenti non ſpectat, tamen quia Concilia, & Pontificum Decreta ſtatuunt, vt die Cænæ Domini Chriſma vetus igne cremetur, nouum autem conficiatur. *Nouum Chriſma requiritur.*

Dico ſecundò. Proxima Materia huius Sacramenti eſt vnctio, in forma Crucis, in fronte confirmandi, pollice Epiſcopi Chriſmate imbuto, facta. Dixi (*proxima Materia eſt vnctio*) quia Sacramentorum in vſu conſiſtentium, materia proxima eſt actualis vſus Materiæ remotæ, circa eum qui Sacramentum recipit. Tùm quia illa eſt proxima materia, in quam proximè cadit forma: vnctioni autem proximè applicatur forma, vt patet. Ergo. Dixi (*in forma Crucis*) hæc particula patet ex forma Confirmationis, quando Epiſcopus dicit, *ſigno te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, & hæc formatio Crucis debet vnctione ipſa formari*, quare Florentinum loco citato dicit, *Ideò in fronte*, vbi verecundiæ ſedes eſt, Confirmandus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipuè Crucem eius. Dixi (in fronte Confirmandi) hoc patet ex perpetuò Eccleſiæ vſu, & communi Patrum ac Canonum ſententia, dicentium hanc ſignationem in fronte fieri. Dixi (*pollice Epiſcopi*) quia hoc eſt neceſſarium, neceſſitate præcepti, vt fiat pollice dextro, vt patet ex rituali & vſu. Collige Apoſtoli nunquam contulerunt hoc Sacramentum, niſi ſub eadem Materia, & forma, qua iam confertur. Ita Sanctus Thomas *Quæſt 72. artic. 2. & eſt communis.* An autem propter vnctionem, etiam impoſitio manus Epiſcopalis, ſit de eſſentia Confirmationis. Reſpondeo. Probabilior videtur ſententia aſſerens, nullam eſſe de eſſentia Confirmationis, manus impoſitionem quæ ſit diſtincta ab unctione: nam praxis Eccleſiæ in perpetua traditione fundata hoc tantùm requirit: Apoſtoli autem ex ſpeciali Priuilegio conferebant effectum Confirmationis per manus impoſitionem, non autem veram ſenſibilem Cæremoniam Sacramenti Confirmationis.

Vnctio proxima materia.

Cur in fronte.

Nota.

QVÆRES quintò. *Quænam ſit Forma Sacramenti Confirmationis?*

Dico 1. Forma Confirmationis eſſentialis hæc eſt: *Signo te ſigno Crucis & Confirmo te Chriſmate ſalutis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Eſt enim eſſentialis inuocatio Trinitatis, ſicut & in Baptiſmo. Et indicat Florentinum, quia Confirmatio ordinatur ad perficiendam fi- *Forma Confirmationis.*

dam fidem, in Baptismo acceptam, eamq; constanter profitendam. Quod quia alia Sacramenta non habent, expressam Sanctissimæ Trinitatis inuocationem minimè requirunt. Sunt etiam essentialia illa Verba (*signo, & confirmo,*) quia actio Ministri debet necessariò exprimi; & quidem vtrumq;, quià non sunt æquipollentia; aliud enim est signare, aliud Confirmare. Probabiliùs etiam est, esse necessariam particulam, (Signo Crucis) quia signare habet generaliorem significationem. Necessarium item est addere (*Chrismate salutis*) quia hæc non veniunt per Verbum Confirmo, sicut per Verbum Baptizo, veniunt Materia, & effectus Baptismi. Et tandem exprimi debent Subiectum & Minister. Vnde pronomen (Te) est de essentia huius Sacramenti sicut & in Baptismo.

Non debet forma variari.

Dico Secundo. Peccaret mortaliter qui confirmaret sub hac forma, consignetur seruus Christi: nam est contra communem vsum Ecclesiæ, tam latinæ, quàm Græcæ, cui quamuis concessum sit baptisare sub simili forma, *baptisetur Seruus Christi*, non tamen concessum est sub tali forma Confirmare. Ita Coninchus *Quæstione 72. art. 4*;

Quæres Sexto. *Quis nam sit minister huius Sacramenti?*

Minister Episcopus.

Dico 1. Huius Sacramenti Minister, Regulariter loquendo est Episcopus ordinatus, nō solùm necessitate præcepti, sed etiam necessitate Sacramenti, ita vt si Sacerdos simplex authoritate propria id tentauerit, nihil sit effecturus. Ita Triden. *Sess. 7. can. 7.* Et patet ex sacris literis Actorum. 8 &. 19. vbi soli Apostoli qui fuerunt Episcopi leguntur manus imposuisse baptisatis ad acceptionem Spiritus Sancti. Ratio verò est, quia Episcopus est caput, & velut Dux in Ecclesia.

Collige Ex commissione summi Pontificis, potest etiam simplex Sacerdos confirmare, adhibito Chrismate ab Episcopo consecrato; nullus enim præter Episcopum potest Chrisma consecrare.

Episcopus in sua diæcesi.

Dico 2. Episcopus in sua Diæcesi non potest subditos alterius Episcopi confirmare; neq; suos in aliena Diæcesi; aut vllos Pontificales actus in aliena Diæcesi absq; licentia Episcopi loci exercere. Ita communiter Doctores. affirmat verò Ochagrauia, *tractatu de confirmatione* Episcopum non peccare, confirmando in sua Diæcesi subditum alterius. Neque peccare mortaliter confirmando extra Ecclesiam.

Ita

Ita Præpositus *in 3. p. q. 72. art. 12.* addens confirmare etiam posse post prandium,

Requisita in Episcopo.

Dico Tertiò In Ministro Confirmationis, requiritur intentio Formalis, vel virtualis: deinde vt sit in gratia: non tamen necesse est, vt sit ieiunus, aut in die festo administret: neq; item necesse est vt suscipiens Confirmationem sit ieiunus.

Qværes 7. *Quibus absolutè possit hoc Sacramentum Ministrari?*

Dico 1. Quilibet homo dummodò sit baptizatus, est per se loquendo capax huius Sacramenti. Ratio *est*, tum quia omnes indigent illius effectu, id est gratiæ augmento, & robore, in fide profitenda: tum quia Christus, omnibus generaliter promisit Spiritum Paracletum, tùm deniq; quia Apostoli promiscuè omnibus baptisatis imponebant manus. Quòd etiam solis baptizatis debeat conferri. Probatur Quia baptismus est janua omnium Sacramentorum. Vnde si quis acciperet ordines ante Baptismum, non censeretur ordinatus. Ita si quis confirmetur, non baptisatus: non erit verè confirmatus; vt docet Suarez *Disp.* 35. *Sectione* 1. ideò post baptismum deberet iterato talis confirmari,

Baptizatis est Conferendus.

Pueris an possit Conferri.

Dico 2. Etsi rationabili ex causa possit sine peccato pueris ante vsum rationis, conferri hoc Sacramentum, tamen conuenientiùs, & Ecclesiasticæ consuetudini conformius est non confirmare nisi ratione vtentes, idq; in praxi est tenendum. Communiter autem septeni Pueri apti censentur. Ita *Palud. Soto, Victoria* Syluest. & Catechismus Romanus. Pii V.

Amentes possunt & qui?

Dico 3. Amentes si aliquando habuerunt vsum rationis, creduntur q; benè esse dispositi, hoc est, si non constat illos incidisse in amentiam, cum essent in statu peccati mortalis, possunt imò debet confirmari, etiam si non constet illos expresse ante amentiam hoc Sacramentum desiderâsse. Sufficit enim generalis voluntas, quàm quisque Christianus habere debet circa salutem propriam. Pari ratione si amentes sint perpetuò, possunt confirmari: quia talium non expectatur status, in quo possint meliùs disponi, nec in illis est quicquam impedimenti. Ita tenet Zambranus *C. 2. de Confirmatione contra Sotum, & Ledesmam.* Idemq; censet Henriquez *lib. 3. Cap. 5.* Nec refert quòd tales, nunquam sint Spiritualiter militaturi, quia hoc est per accidens, & possunt sine pugnâ ad præmium militantium peruenire. Quod ergo pueri

infantes non Confirmentur: ideò est, quia commodiùs poterunt confirmari, cum ad vsum rationis peruenerint: at perpetuò amentes, nunquam istam commoditatem sunt habituri, ideòq; non sunt priuandi hoc Sacramento.

Proximis morti. DICO 4. Ordinariè loquendo homines baptisati, proximi morti sunt confirmandi, quia nulla est ratio, propter quam tanto bono priuentur. Quod verò tales non sint Spiritualiter pugnaturi, nihil refert, satis enim est, quod sint talis militiæ capaces. Ita D. Thomas, & D. Bonauentura, & alii apud Suarez *Disp. 35. Sect. 2* Quòd autem non sit hoc in praxi, non est ideò, quod non liceat, sed quia commodè fieri non potest, ob Episcoporum distantiam, & alias occupationes; posset tamen, immò deberet hoc fieri præsertim quia Patres communiter dicunt, non esse perfectum Christianum, qui non sit Confirmatus.

Confirmandus eliciat contritionem. DICO 5. Si Confirmandus habet conscientiam peccati mortalis, non tenetur quidem Confessionem præmittere, tenetur tamen habere contritionem: Ratio primæ partis est, quia nullum extat de Confessione præceptum nec Diuinum nec Ecclesiasticum. Quòd si vel nolit, vel non possit se excitare, ad contritionem, sed solùm habeat attritionem, tenebitur adiungere Confessionem, vt per eam ex attrito, fiat, contritus, aliâs cum solâ attritione accedens, peccabit mortaliter peccato Sacrilegii; Vnde præmonendi sunt ea de re Confirmandi, vt vel conterantur, cum voto Confessionis, vel statim confiteantur. Si habeant conscientiam peccati mortalis; Quod si quis verè attritus accedat, putans tamen se esse contritum, probabile est, excusari à culpa, & percipere, gratiam Sacramenti, vt cum D. Thoma tenet Suarez, *Disp. 39. Sect. 2.*

QVÆRES Sextò. *An aliqua Spiritualis Consanguinitas, per Confirmationem contrahatur?*

Consanguinitas requiritur. Respondeo Eadem est hic ratio, quæ in Baptismo, nam ex Ecclesiæ antiqua consuetudine debet confirmatus, ab aliquo suscipi, siuè teneri tanquam à patrino, qui non debet esse, nisi vnus vir vel vna fœmina, aut ad summum coniunctim duo. Vt vult Toletus, *Lib. 2. cap. 24.* Non

Patrinus requiritur. potest autē sine peccato omitti hæc Cæremonia Patrini, nisi necessitas vrgeret, debet quoq; Patrinus esse confirmatus, alias peccabit. Probabile verò est, non contrahere affinitatem, si susceptor non sit confirmatus.

Alii

Alii autem contrahunt, eodem modo, quo in Baptismo est dictum; nam inprimis inter Confirmatum, et Confirmantem. Deinde inter Confirmatum, & Patrinum. Deniq; inter Patrem, & Matrem eiusdem initur affinitas. Ad hæc debent esse Susceptores diversi ab illis, qui fuerunt in Baptismo, nisi grauis necessitas aliud exigat. Aduertit tamen Syluester *Verbo Confirmatio n. 4 § Et sextò* consuetudinem jam contrarium obtinere. Probabile Coninchus tenet non confirmatum; non posse tenere confirmandum, vt habetur *in C. Bapt. 101. de Consecratione. dist. 4.*

Colligē 1. Qui primam tonsuram, vel ordines suscipit, ante Confirmationem peccat, quia facit contra consuetudinem & præceptum Ecclesiæ, non tamen mortaliter, modò absit contemptus; quia omissio Confirmationis præciso contemptu, non videtur ex se peccatum mortale. Quando vero Concilia, vel Patres, dicunt esse obligationem, loquuntur non de necessitate præcepti, sed vtilitatis. *Nota.*

Colligē 2. Cæremoniæ quibus Sacramentum Confirmationis perficitur præscriptæ sunt in Pontificali. Porro alapa in collatione Confirmationis impingitur, duplici de causa. Primò vt sint parati ad omnes iniurias tolerandas pro fide. Secundò vt recordentur suscepti Sacramenti, ne illud iterent cum sit non iterabile. *Cur alapa impingitur.*

Colligē 3. In dubio autem, an sit quis Confirmatus, est iterum confirmandus sub conditione.

Colligē 4. Episcopum etiam excommunicatum, Hæreticum, vel degradatum posse Confirmationis Sacramentum validè ministrare; quia non amisit Characterem, etiamsi ipse fortè non sit confirmatus; non tamen licitè, quia peccat mortaliter. Rationes omnes huc accommodari possuntque sunt allatæ de Sacramentis in genere *Disputatione. 1. Quæst. 6. a. 3.* & maximè illud vrget quod Character & potestas ordinis, nunquam possit auferri per Ecclesiam, tametsi vsus illius possit prohiberi.

DISPVTATIO IV.
De Pœnitentia.



TErtiam lucernam mysticam pono Pœnitentiam, quæ allucet his qui in tenebris peccati mortalis post Baptismum lapsi, versantur, vt præuio eius lumine ad lucem gratiæ, & vitam gloriæ redeant; per hanc lucernam, nimirum per pœnitentiam veram, gemma pretiosa deperdita, recuperatur; hæc est lucerna, quæ oleo misericordiæ Dei affluens, omnia vulnera spiritualia sanat, omnesq; maculas abstergit. Et quoniam iuxta doctrinam SS. Patrum Pœnitentia, alia est vt virtus, alia vt Sacramentum, de vtraq; in hac Disputatione tractabitur, & quia hæc fusa est materia, ideò præsentē Disputationem diuidemus in 10. Quæstiones, quamlibet verò Quæstionem in aliquot Sectiones, & Sectiones in Articulos iuxta necessitatem & exigentiam.

QVÆSTIO I.
De Pœnitentia vt est virtus.

Præsentem Quæstionem in tres Sectiones secabimus, in 1. quæremus, vtrum pœnitentia necessariò requiratur ad deletionem peccati mortalis. in 2. vtrum actus pœnitentiæ sit actus alicuius virtutis. in 3. vtrum pœnitentia sit virtus vnius tantùm pœnæ inflictiua.

SECTIO I.

An Pœnitentia necessariò requiratur ad deletionem peccati mortalis post Baptismum commissi?

Præsens Sectio in quinq; Articulos diuidetur.

In 1. principale quæsitum examinabitur?

In 2. Quid maneat in peccatore transeunte actu peccati?

In 3.

In 3. An macula peccati possit deleri, & quomodo?
In 4. An ad deletionem peccati requiratur pœna voluntaria?
In 5. An pœnitere idem sit quod pœnam tenere?

ARTICVLVS I.

Vtrum Pœnitentia virtus necessariò requiratur ad deletionem peccati mortalis post Baptismum commissi?

NOTA I. Duplex est necessarium, simpliciter, & ex suppositione: de vtroque procedit difficultas, & consequenter de Potentia DEi absoluta, & ordinaria: idq; de peccato actuali commisso post Baptismum, non de originali. *NOTA 1. Duplex necessarium.*

NOTA 2. Pœnitentia nomen accepit à Verbo pœnitere, quod significat pœnam tenere; id est punire in se peccata commissa, & sic pœnitentia dicitur, quasi pœnæ tenentia, vt obseruat S. Aug: *& habetur in jure cap*: *Poenitentia* 2. *de poenitent*: *dist*. 3. quia homo per pœnitentiam pœnam subit, & in se punit peccatum, dolendo; vnde S. Gregorius homil. 34. in Euangelia. dicit: *Poenitentia est mala plangere, & plangenda iterum non admittere.* Porrò à SS. Patribus dicitur Pœnitentia secunda post naufragium tabula, quia per ipsam eripimur à secundo naufragio, cùm enim nomine primi naufragij intelligatur lapsus totius naturæ humanæ in primo Parente per peccatum originale, & ab hoc naufragio per Baptismum liberemur, optimè Baptismus appellatur prima tabula, quatenùs verò per pœnitentiam à naufragio peccatorum actualium liberamur, jure pœnitentia secunda post naufragium tabula nuncupatur. Ita S. Thom. *in* 4. *distin*. 14. *Pœnitentia vnde dicta. Definitur pœnitentia.*

NOTA 3. Nomen Pœnitentiæ dupliciter vsurpatur à Theologis, vel vt est virtus, vel vt Sacramentum, quæ inter se partim conueniunt, partim differunt. Differunt 1. Quia Pœnitentia vt est virtus, potest esse in quolibet homine; pœnitentia vt Sacramentum in solo baptizato. Secundo Pœnitentia vt virtus, est vel in genere habitus, vel actus; vt verò Sacramentum, in ratione signi consistit, cùm sit signum sensibile. Tertio Pœnitentia vt virtus, potest esse actus interior voluntatis: vt verò est Sacramentum, debet esse actus exterior, cùm consistat in signo sensibili. Quarto. Antiquitate, quia vt virtus fuit necessaria hominibus statim post lapsum, vt Sacramentum verò à Christo Domino instituta. Conueniunt *Pœnitentia alia est vt virtus, alia vt Sacramentum. Differunt. Conueniunt*

unt autem. Primò In notione nominis, est enim illis commune nomen Pœnitentiæ, quod à pœna nuncupatum est, vt idem sit pœnitere, quod pœnam tenere juxta *S. Aug.* Secundò Quia vtraq; est necessaria ad deletionem peccati mortalis. Tertiò Quia vtraq; circa peccatum actuale versatur. Quartò Quia vtraq; debet esse in homine vtente ratione.

Sine pœnitentia posset DEVS saluare.

DICO I. DEVS secundùm potentiam absolutam, posset delere culpam sine pœnitentia. Ita D. Subt. *in 4. dist. 14. q. 1.* Probr. 1. Quia DEVS secundùm potentiam suam absolutàm, potest velle non punire peccatorem absq; omni actione peccatoris. Ergo pœnitentia non est simpliciter necessaria secundùm potentiam Dei absolutam. Probr. 2. Idem non potest separari ab eodem, accipiendo vniformiter identitatem, & separationem, nempe si realiter, realiter: si ratione, ratione: quia hoc includit oppositum primi principii, scilicet quod idem vt est idem, simul sit, & non sit. Sed remissio culpæ, & pœnitentia de culpa, non sunt essentialiter idem. Ergo possunt separari ab inuicem. Ergo potest esse remissio culpæ absq; pœnitentia. Minor Probatur In statu innocentiæ potuit infundi gratia homini, & potuit homo diligi à Deo, & tamen nullus ibi fuisset actus pœnitentiæ, quia nullum fuisset peccatum, de quo potuisset esse pœnitētia. Confirmatur In vnione hypostatica secundùm legem ordinariam, natura assumpta à Verbo statim sanctificatur, & repletur gratia. Atqui secundùm omnes potuisset Verbum assumere naturam hominis peccatoris. Ergo in tali vnione peccatum dimitteretur homini illi sine actu poenitentiæ: quia assumptio ista fieret in instanti. Ergo si illa natura in toto priori tempore vsq; ad instans assumptionis mansit in peccato, in instanti assumptionis non potuit habere actum pœnitentiæ, quia actus ille non potest haberi in instanti, cum nulla creatura possit operari in instanti.

DICES I. Deum remittere peccatum mortale homini, est eum in gratiam & amicitiam suam recipere, ac illum diligere. Sed per nullam potentiam potest homo reuocari in amicitiam Dei, & ab eo diligi, nisi fiat justus, & bonus: Atqui adultus non potest fieri justus & bonus, nisi conuertat voluntatem suam in Deum, quæ conuersio non potest fieri nisi per detestationem peccati. Ergo impossibile est remitti peccatum sine poenitentia. Minor Probatur Quia Deus per suam potentiam non potest diligere quidquam, nisi bonum, quod intellectus ostendit illi esse

bonum

bonùm. RESPONDEO Supponendo bonitatem, & malitiam non esse in re exse, sed ex ordinatione DEI: quia illud est malum quod est prohibitum à DEO, & illud est bonum, quod est volitum à Deo. Minor itaq; est falsa de potentia Dei absoluta, potuisset enim Deus secundùm hanc potentiam ordinare hominem peccantem esse bonum, quia extra Deum nihil est bonum, nisi illud quod voluntas Diuina vult, ideò enim intellectus Diuinus apprehendit ad extra totum illud sub ratione boni, quod voluntas Diuina determinat esse bonum. Assumptum falsum est de potentia DEI absoluta, quia homo absq; tali conuersione posset esse justus & bonus.

Pœnitentia habitualis non est necessaria.

DICO 2. Pœnitentia habitualis, non est necessaria etiam de potentia DEI ordinaria ad deletionem culpæ mortalis. Probatur Quia alicui remittitur peccatum ad vnum solùm actum contritionis, vel pœnitentiæ, quæ est displicentia, vel detestatio ipsa peccati; ex quo tamen vnico actu non generatur habitus virtutis pœnitentiæ, nec est necessariò elicitus à virtute, sed prior virtute, & generativus illius secundùm aliquem gradum. Tum quia pœnitere importat actum, non habitum, quia idem est quod pænam tenere, tenere autem dicit actum, non habitum. Ergo.

Punitio voluntaria est necessaria ad delendum peccatum.

DICO 3. De lege DEI ordinaria, necessariò requiritur ad delendum peccatum mortale pœnitentia, seu punitio voluntaria. Probatur Quia illud est necessarium de lege ordinaria, quod est ordinatum à lege Diuinæ sapientiæ. Sed inter leges Diuinæ sapientiæ, hæc est vna vt peccatum non deleatur nisi per pœnitentiam. Ergo, Minor patet ex locis Sacræ scripturæ *Nisi poenitentiam egeritis omnes simul peribitis Lucæ 13.* S. Petrus Prædicans Judæis, & ex prædicatione compunctis de occisione Christi Domini, & quærentibus modum delendi suum peccatum, dixit *Poenitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum. Act. 2. Apocalyp. 2. Memor esto itaq; vnde excideris & age poenitentiam. Ezechielis 18. Si impius egerit poenitentiam omnium iniquitatum ejus ampliùs non recordabor.* Confirmatur 1. ex Tridentino sessione 14. C. 4. vbi dicitur. *Fuit autem omni tempore necessarius hic motus ad obtinendam peccati veniam.* Confirmatur 2. ex *SS. PP.* S. Hieronymus Epistola 2. ad Demetriadem appellat *poenitentiam secundam tabulam post naufragium.* S. Chrysost: Homil. 10 ait. *Poenitentia sola est quæ rectam facit viam, quæ in peccato erat obliqua.* Hinc.

De Pæniten tia est præceptum Dei

Collige Præceptum esse Dei de poenitentia facienda Matth. 13. *Poenitētiam agite appropinquauit vobis regnum coelorum*: Hoc autem præceptum continetur in Decalogo virtualiter, formaliter verò in multis locis sacræ scripturæ, clariùs patebit Disp. 4 quæstione 3. Articulo 1. Dixi in conclusione. (Requiritur pœnitentia seu punitio voluntaria) quia certum est peccatum, non deleri quacunq; poena, vt patet de poena damnatorum in inferno. Ergo poena voluntaria requiritur ad deletionem peccatorum. Patebit Artic. 4. DICES Cessante actu interiori, & exteriori, cessat esse peccatum, quia peccatum nihil est aliud, nisi deordinatio in actù interiori, & exteriori. Ergo ad delendum illud non necessariò requiritur poenitentia. RESPONDEO Peccatum transire in se, quia peccatum est actus ipse cum illa deformitate, remanet tamen quoad maculam, & reatum.

Actus pænitentiæ sit formalis

DICO 4. Bonum esset vt iste actus pœnitentiæ sit formalis; non tamen semper necesse est, vt sit formalis sed sufficit virtualis. Pro intelligentia.

sufficit virtualis.

NOTA Per poenitentiam formalem intelligitur actus aliquis ex quatuor, nimirum velle vindicare peccatum à se commissum: detestari à se peccatum commissum, poenam gratanter acceptare: & poenam inflictam patienter ferre; maximè verò consistit in vindicatione & detestatione peccati commissi, & tristitia, seu dolore de commissione illius. Porrò poenitentia virtualis est actus, qui virtualiter continet dolorem de peccato commisso, licet actu homo de peccato non cogitet, nec doleat, vt est actus Martyrii Prima pars indicatur in SS. literis. Ioelis 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in jeiunio, & planctu.* Matthæi 3. *Facite fructus dignos poenitentiæ.* Confirmatur, Quia homo peccando auertit se à Deo, ideò ad delendum peccatum, oportet vt conuertatur ad DEVM, & auertat seà creatura: quod fit per actus formales poenitentiæ. Secunda pars patet quia pœnitentia formalis, non est ita medium necessarium, vt virtualem omninò excludat, & quodcunq; aliud medium, quia reperiuntur aliqua alia media sufficientia ad delendum peccatum mortale post Baptismum commissum, quæ non sunt formaliter actus poenitentiæ, sed tamen illum virtualiter iucludunt, & ideò dicuntur poenitentia virtualis. Tertia pars Probatur primò. quia Peccata mortalia absq; vllo actu formali delentur per Martyrium; V. G. si aliquis raperetur ad Martyri-

Sufficit pœnitentia virtualis.

tum sustinendum, vbi fortè non esset cogitatio de aliquo peccato mortali priùs commisso, nec aliquod pœnitere formale, benè tamen virtuale. Sed in tali casu per Martyrium deleretur peccatum commissum. Ergo non est semper necessarius actus poenitentiæ formalis, sed sufficit actus poenitentiæ virtualis. Minor patet, quia in tali casu faceret id, quod est necessarium ad salutem, nempe seruaret fidem, & fortiter sustineret mortem pro Christo Domino. Ergo. Confirmatur ex Doct: Subtili qui *in 4. dist. 6 q 6.* inquit. *Fortè Martyres in actu sustinendi Martyrium non habebant vsum rationis, quia grauitas poenarum illum adimebat, & consequenter, neq; detestationem peccati.* Ergo poenitentia virtualis in hoc casu sufficiebat: dummodo Martyr nullam tunc temporis habuerit cogitationem, vel recordationem peccati mortalis. Quod si aliqua cogitatio venit Martyri de aliquo peccato commisso, non sufficiebat Martyrium, sed requirebatur poenitentia formalis, vel perfecta, vt est contritio, vel imperfecta, vt est attritio. Quod in tali casu sufficiat Attritio Probatur. Martyrium est Baptismus sanguinis, & est æqualis Baptismo Aquæ, quoad remissionem culpæ, & poenæ. Sed in Baptismo fluminis sufficit attritio ad delenda peccata. Ergo & in Baptismo Sanguinis. Confirmatur 2. S. Aug lib. 13. de Ciuitate Dei c. 7. ait. *Quicunq; etiam non percepto regenerationis lauacro pro CHRISTI confessione moriuntur, tantùm eis valet ad dimittēda peccata, quantùm si ablueruntur sacro fonte baptismatis.* Idem tractatu 84. in Ioannem inquit. *Iniuria est pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendare.* Probatur 2. principaliter tertia pars conclusionis. Potest aliquis obliuisci peccatorum facta etiam diligenti examinatione. Atqui in tali casu peccata delentur sine poenitentia formali. Ergo. Probatur 3. Potest DEVS per aliquem motum feruentem dilectionis in Deum dimittere peccatum, vt docet D. Subt. *in 4 dist. 14. q. 1. art. 3. § Ex his ad solutionem.* Ergo. Confirmatur 1. Actus charitatis comprehendit omnes actus præceptorum Dei, & in impletione illius, impleri totam legem, quia in præcepto dilectionis continetur vniuersa lex, & prophetæ. Ergo etiam includit nedum cessationem à peccatis, sed etiam detestationem illorum virtualiter.

Sufficit attritio in Martyrio.

COLLIGE Poenitentiam formalem esse remedium ordinarium necessarium ad delenda peccata, & necessitate medii, & necessitate præcepti, si potest homo, & est occasio, & recordatur, dantur tamen remedia ex-

dia extraordinaria, vt Martyrium, & dilectio Dei super omnia, semper tamen poenitentia adhibenda est, dum est occasio ratione præcepti.

ARTICVLVS II.

Quid maneat in peccatore transeunte actu peccati, à quo denominatur peccator?

Prima opinio asserit quòd illudquod manet in peccatore transeunte actu peccati, est quædam macula, quæ est carentia, & priuatio gratiæ habitualis. Est Soti *in 4. d. 15. q.* 1. Medinæ *p. 2. q 86.* Caietani *ibidem.* Probatur 1. Quia peccatum est priuatio. Ergo necesse est, vt illud quo quis est peccator sit priuatiuum. Sed peccator post peccatum habet maculam peccati, qua est malus. Ergo illa macula peccati est priuatio gratiæ habitualis. 2. Peccatores dicuntur esse Deo abominabiles. Oseæ. 9. Sed non sunt abominabiles ex eo, quia sunt deputati ad poenam. Ergo ex macula.

Secunda opinio asserit, quòd istud derelictum in anima, à quo homo dicitur peccator, non est priuatio gratiæ habitualis; nec est quid reale absolutum, vel relatiuum derelictum ab actu peccati. Neq; est elongatio à Deo, sed est relatio rationis, Est. D Subt. *in 4. dist. 14. quæst. 1. §. Hic tria sunt videnda.* Pro intelligentia.

Duplex justitia. NOTA 1. Duplicem esse justitiam. Vna est habitualis scilicet gratia, & charitas, quod idem est apud D. Subt: alia est justitia actualis, & est actus, elicitus vel imperatus à voluntate conformis rationi rectæ. Huic justitiæ duplici, duplex opponitur injustitia. Vna habitualis, & est priuatio gratiæ: altera actualis, estq; actus elicitus, vel imperatus, à voluntate difformis rectæ rationi. *Duplex injustitia.* Dicit itaq; Doctor quod peccator non denominatur ab vllo istorum. Non ab injustitia actuali, quia cessante actu peccati, hæc injustitia non est, & tamen peccator dicitur esse peccator. Neq; ab injustitia habituali, quia hæc per primum peccatum mortale introducitur, non autem per alia sequentia peccata, & sic illa non haberent propriam injustitiam derelictam à qua peccator denominetur peccator ratione subsequentium peccatorum.

Ab injustitia habituali denominatur peccator, peccator. NOTA 2. Non negat absolutè D. Subt. hominem esse, & dici peccatorem ab injustitia habituali: sed negat dici peccatorem à sola injustitia habituali: ita expresse docet loco citato: neq; etiam negat absolutè injustitiam actualem concurrere, nam etiam illa aliquomodo concurrit,

currit, quod diligenter notandum est propter Thomistas, qui non rectè sententiam D. Subt. percipiunt.

DICO 1. Macula peccati non est absolutè priuatio gratiæ, siue injustitia habitualis sola, formaliter. Probatur 1. Si macula esset injustitia habitualis, sequeretur quod qui commisisset duo millia peccatorum mortalium, & qui vnum essent æquè peccatores intensiuè. Consequentia patet quia in eis tota gratia, quantùm ad intensionem, & sola ipsa quantùm ad extensionem amittitur, tam in eo, qui commisit vnum peccatum, quam in eo, qui duo millia, & ideò essent æquales peccatores. Respondent Thomistæ Quod macula non est priuatio nuda, & pura sed est priuatio in ordine ad causam scilicet ad peccatum à quo causatur. Exemplificant. V. G. Vmbra est priuatio luminis ex objectione alicujus corporis inter Solem, & aerem illuminatum, vnde sicut ex diuersitate objectorum diuersificantur vmbræ, ita macula peccati est priuatio decoris gratiæ ex actu peccati interposito, & sic secundùm diuersitatem peccatorum, maculæ sunt maiores, & minores. Contra Macula non potest suscipere magis, vel minùs, nec in respectu ad gratiam, nec in respectu ad peccatum, quod indè patet quia priuatio, & habitus sunt ejusdem rationis, ita quod priuatio respondet proportionaliter habitui, & formæ, cujus est priuatio; priuationes enim distinguuntur, & cognoscuntur per habitus, & formas quibus opponuntur. Ex quo sic arguo. Illa priuatio suscipit magis ac minùs cuius habitùs, & forma suscipit magis & minùs; & illa non suscipit magis & minùs, cuius forma non suscipit magis nec minùs. Sed sic est quod macula per aduersarios est priuatio gratiæ habitualis quæ non suscipit magis & minùs. Ergo macula non suscipit magis, & minùs: quia magis & minùs; in macula & priuatione sumitur penes formam cui opponitur, & cuius est priuatio, non penes relationem ad causam efficientem destruentem formam, & causantem priuationem. Confirmatur quia etsi charitas & gratia habitualis augeatur, tamen non potest diminui, nec remitti, sed cum corrumpitur tota corrumpitur, vt omnes Theologi docent, maximè *S.* Thomas *2. 2. q. 24. art.12.* Sicut ergo V. G. Anima rationalis non suscipit magis, vel minùs, sed requirit certum gradum in organizatione corporis, quo ablato, à corpore recedit, ideò ita interficitur animal vnico vulnere destruente gradum illum, sicut centum vulneribus, nec dicitur magis occisus, nec magis mortuus, qui

Macula non est injustitia habitualis formaliter.

Priuatio nõ suscipit magis, nec minus.

occisus est vnico vulnere, quàm qui centum, ita charitas siue gratia cum consistat in indiuisibili gradu, quia non diminuitur, peccatum vnum mortale, ita occidit animam spiritualiter, & priuat illam gratia Dei, ac si essent plura peccata, quia priuatio commensuratur habitui. Exemplum de vmbra allatum confirmat nostram Conclusionem loquendo de diuersis corporibus respectu eiusdem partis aeris, & luminis, falsum est diuersa corpora causare diuersas eiusdem rationis vmbras: nam in eadem parte aeris, licet possint esse diuersæ priuationes diuersarum rationum, & diuersarum formarum, vt tenebræ, & silentium, non possunt tamen esse diuersæ priuationes eiusdem formæ, & eiusdem luminis. V. G. Si corpus opacum vnum interponatur inter aërem & Solem, priuat aërem lumine, vnde licet aliud corpus opacum interponatur, & iterum aliud, si vnum quodq; illorum & æquè adæquatè est opacum, & adæquatè priuat aërem lumine, priuatio luminis nec à Secundo, nec à tertio procedit. COLLIGE Macula peccati non est carentia gratiæ in ordine ad peccatum, aliâs macula vnius peccati expelleretur per alterum peccatum, quod est impossibile: V. G. odium Petri summum, pelleretur per summam dilectionem Petri.

Macula nō est elongatio à Deo.

DICO 2. Macula in peccatore non est elongatio à DEO. Probatur, quia elongatio à DEO est idem quod priuatio gratiæ. Sed priuatio gratiæ sola non est macula. Ergo elongatio non est macula. Quod si per elongationem à DEO intelligat aliquis carentiam rectitudinis actualis, etiam eius opinio non est sustinenda, quia illa rectitudo, non est nata manere, nisi manente actu, vnde etiamsi transacto actu illius priuatio adsit, illa tamen priuatio non est macula, à qua quis dicatur peccator.

Macula nō est denominatio extrinseca.

DICO 3. Macula qua homo verè dicitur pollutus non est denominatio extrinseca proveniens ex peccato præterito, non retractato. Patet. Quia sequeretur quod peccator ex parte rei non esset maculatus aliqua re reali, vel rationis existente in peccatore, quod est falsum: quia cum dimittitur peccatum sequeretur non auferri, nisi illam denominationem extrinsecam, quæ denominatio extrinseca, nihil ponit in peccatore, unde etiam post retractatum peccatum adhuc illa denominatio extrinseca manet in peccatore, & tamen illa non est macula, & ideo sola illa denominatio non est macula.

DICO 4. Peccator non denominatur à reatu quodam culpæ, qui nihil aliud sit, nisi quædam obligatio ad pœnam debitam illi culpæ, quæ obligatio sit respectus realis fundatus non super actum culpæ, sed super essentiam animæ, præuia tamen culpa actuali. *Sicut* V.G. Paternitas fundatur in potentia actiua patris mediante actu generationis. Probatur. Nulla relatio realis fundata super actum culpæ manet in illo. Ergo ab ista non potest dici aliquis peccator. Antecedens patet quia si esset relatio realis, vel esset relatio intrinsecùs, vel extrinsecùs adueniens. Non primum quia illa positis extremis in esse statim insurgit. Sed posita animæ essentia, & posita pæna ordinata in pænam talis peccati, non insurgit obligatio in essentia ad talem pænam nisi fiat peccatum. Ergo hæc relatio non est realis, & intrinsecùs adueniens. Non 2. Quia relationes extrinsecùs aduenientes non insurgunt virtute extremorum, sed ab agente externo producuntur. Sed istius obligationis non potest dari actio realis, nec agens reale: Ergo. Minor patet. Si istius actionis daretur aliqua causa, vel esset DEVS, vel anima. Non DEVS: quia nulla anima dicitur peccatrix præcisè ab illo quod est terminus immediatè actionis Diuinæ, quia tunc DEVS diceretur esse causa peccati per se, & non permissiua. Non anima, quia illa nullam aliam habet actionem, nisi eam, quà actus peccati producitur. Atqui illa actio transit, & consequenter non potest esse causa relationis alicuius, quæ maneat post illam, quia ablata causa aufertur effectus eius, ideò illa actio non producit relationem.

Macula non est relatio re alis.

DICO 5. Istud derelictum in anima, à quo homo est, & dicitur esse peccator, non potest esse aliquid reale absolutum. Probatur. Quia istud reale absolutum, vel esset habitus vitiosus, vel dispositio ad habitum vitiosum. *Sed* habitus vitiosus, & dispositio ad illum non possunt esse illud, à quo quis dicitur, estque formaliter peccator: quia habitus quantumcunque radicati, vt experientia videmus, nisi actibus firmentur, cessant cursu temporis: Atqui illud à quo peccator dicitur peccator, post actum peccati non desinit esse per quantumcunque tempus, licet actus similes non adjiciantur, donec peccator pœnitentiam fecerit. Tum quia de multis viris justificatis constat, quod post suam conuersionem habebant vitiosos habitus, non tamen erant peccatores. Tum quia cessantibus actibus pec-

Macula non est reale quid absolutum.

cami-

caminosis habitus naturaliter desineret esse, & sic aliquis naturaliter posset iustificari, quod est falsum.

Quid sit macula formaliter.

DICO 6. Istud à quo quis formaliter dicitur peccator est relatio rationis fundata in anima hominis peccatoris, inquantùm est subjectum intellectus, & voluntatis Diuinæ ordinantis eam ad pœnam correspondentem peccato, eo quia commisit peccatum. Explicatur Quando intellectus Diuinus vidit hominem peccasse, contra suam legem, voluntas Diuina ordinat illum ad pœnam correspondentem tali peccato, pro omni tempore, donec culpa, sit soluta pœna. Ergo offensa ista quà quis post actum peccati est peccator, est tota ista realitas, siue aggregatio omnium istorum, tam entium realium, quàm rationis, nempe visio actus peccati, & ordinatio animæ ad pœnam correspondentem peccato debitam, durans donec retractetur. Ex quo habetur quod ordinatio ipsa ad pœnam propter peccatum, realiter est actus Diuinæ voluntatis, & sic hæc macula est quid reale, prout verò transit super objectum obligatum, & ordinatum ad debitam pœnam est relatio rationis in Deo, nam in Deo actus ad extra est rationis, non realis, vt probat Doctor Subt. *in dist. 30. 1.* Exemplificat rem Doctor in textu *in 4. dist. 14.* à simili de aliquo Principe magno, quem si aliquis offendat, cessante illo actu, nihil est in ipso quod priùs non fuit, propter quod modo dicatur inimicus, & non prius sed tantùm in voluntate Principis offensi est actus transiens super ipsum, & per hoc in ipso, vt in objecto volito, vel ordinato ad talem poenam, resultat relatio rationis. Probatur conclusio 1. ex S. Augustino qui super Psalmum 31 *Beati quorum remissæ sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata*: ait *Quòd Deum videre peccata est ad poenam imputare, auertere faciem suam à peccatis, est ad poenam illa non reseruare.* Ergo ex Augustino idem sunt videre Deum peccata, velle punire peccata; & non videre peccata, & obliuisci illorum, est remissa esse peccata. Ergo hinc sequitur, esse aliquem in peccto, est esse objectum Diuinæ voluntatis, & Diuini intellectus, quatenùs ipsum vult punire: mundari autem à peccato, & iustificari, est non esse objectum Diuini intellectus, & voluntatis Diuinæ, vt sunt punitiua peccatoris. Atqui esse objectum intellectus, & voluntatis Diuinæ, vt intellectum, & volitum, est relatio rationis. Ergo esse in peccato, siue id quod dere-

Est Ens rationis.

1. Ratio.

Mundari à peccato quid?

Esse in peccato.

linquitur

linquitur in anima post peccatum, est relatio rationis voluntatis Diuinæ, volentis punire propter peccatum: Hinc

COLLIGE contra Hęreticos dicentes quod peccata dum dimittuntur, reuera non delentur, sed occultantur, & raduntur, non eradicantur. Sed hi audiant S. Aug. loco citato dicentem, *Non sic intelligas quod dixit peccata cooperta sunt, quasi ibi sint & viuant: sed dicuntur à Deo peccata tecta, quia etsi illa optimè videat, tamen cum per poenitentiam retractata sint, ampliùs illorum non recordatur, nec in illa animaduertit*, juxta illud Ezechielis 18. *Si impiùs egerit poenitentiam, omnium iniquitatum ejus, quas operatus est non recordabor.* Confirmatur ex eodem S. Aug. qui libro 6. contra Iulianum inquit. *Peccatum quod remanet in homine post actum peccati, & ipsum maculat, esse solùm reatum in occultis Dei legibus manentem, & hunc expiandum esse per poenitentiam.* *Quid sit esse tecta peccata?*

RESPONDET Caietanus Concedendo quod placito S. Aug. tegere Deum peccata sit non imputare, non tamen sequitur quod esse peccatorem sit Deum imputare & obligare ad pœnam. Sed est inquit Sophisma Consequentis, & impertinentis ex illo hoc inferre: quia homo est peccator, non ex eo quod est ex parte Dei, sed ex eo, quod est ex parte ipsius peccatoris, quod est auersio à Deo, & conuersio ad creaturam, quâ sit dignus tali pœna. *Responsio Caietani.* CONTRA Peccator post peccatum, non est peccator ob actualem injustitiam, quia illa transit, sed quia est dignus pœna, ex Cajetano. Sed esse dignum pœna est esse objectum Diuinæ voluntatis, & intellectus judicantis, & ordinantis illum ad debitam poenam. Ergo peccator post actum peccati, est peccator formaliter per aliquid ex parte Dei, licet sit occasionatum ex peccato. Minor patet, quia peccator est dignus pœna, judicio & ordinatione Diuinâ, non humana, nec creata, esse verò dignum poena, vel præmio, dicit relationem ad rationem judicantem. *Rejicitur.*

RESPONDET Medina S. Aug: explicare grauitatem peccati ab effectu. Et subdit, Quod qui commisit peccatum, est reus peccati, donec pœniteat. *Medina.*

CONTRA Hæc responsio pro nostra conclusione est, nam ibi S. Aug. explicat grauitatem peccati ab effectu, qui est macula, & illam maculam dicit esse reatum, reatum verò esse idem quod videre Dei, & videre esse imputare, siue obligare ad pœnam debitam pro peccato commisso

Ergo secundum S. Augustinum maculà, siue id quo quis dicitur peccator post actum peccati, est reatus siue obligatio ad poenam debitam.

Probatur 2. Principaliter à simili: si Deus ex multiplicatione meritorum non decreuisset augere habitum charitatis, sed solum decreuisset eum in mente sua, qui plura merita haberet ordinare ad majorem gloriam, tunc esse majus meritum in illo, non diceret quid positiuum reale absolutum, vel respectiuum, sed solùm relationem rationis, quã obijceretur intellectui Diuino, ut ordinatus ad majorem gloriam, & quà voluntas DEI ordinaret eum ad gloriam, realiter autem, nihil aliud esset nisi actus voluntatis Dei. Ita in proposito aliquem esse peccatorem vel majorem peccatorem, post actum peccati, nihil aliud est nisi relatiò rationis ordinati ad talem poenam, & in voluntate Diuina est relatio ordinationis ad talem poenam; realiter verò nihil aliud est nisi actus Diuinæ voluntatis, volentis eum punire propter peccatum.

Maius meritum quid?

DICES 1. Scotus inerudité confundit omnia culpam, & effectum culpæ, nam ordinatio ad poenam est effectus culpæ, quia enim homo peccauit ideò ordinatur ad poenam. Vnde ait Caietanus hæc tria habent ordinem in peccatore. Primo est priuatio gratiæ. Secundo est esse dignum poena. Tertio est ordinatio ad poenam. Sed peccator non est peccator ab vltimo. Ergo ex eo quod facit eum dignum poena, juxta illud Oseæ 13. *Perditio tua ex te Israel, &c.* RESPONDEO Non confundere hæc omnia D. Subt. sed optimè distinguere. Dicit enim quod reatus peccati est obligatio ad poenam debitam ex peccato proueniens. Ergo peccatum præcedit obligationem: & ratio est cur peccator sit dignus ordinationis ad poenam, carentia gratiæ, deinde obligatio ad poenam. Quando verò Caietanus dicit, quod quis peccator est ex eo, quod se tenet ex parte sui, non ex eo, quod est ex parte Dei. Concedo. Sed ex hoc non sequitur, quod non sit peccator, & reus obligatione ipsa ad poenam, nam obligatio ipsa est relatio rationis, quæ partim est à Deo, partim a peccato, à Deo effectiuè, à peccato occasionaliter, & meritoriè, scilicet quatenùs peccatum est causa faciens peccatorem dignum tali poena.

Macula prouenit ex peccato.

DICES 2. Si Deus statuisset contra peccatorem nullas inferre poenas, nec infernum, nec purgatorium, adhuc peccatum esset macula animæ. Ergo obligatio ad poenam non est macula ex peccato prouenient. RESPONDEO Si actus qui sunt peccata manerent peccata, ita vt DEVS

non

non mutâsset legem, nisi quoad poenas; tunc peccatum esset macula, & peccator esset maculatus, nam licet non esset ordinatus à Deo ad poenam, tamen meritoriè quantùm esset ex se, esset dignus poenâ, & sic in tali casu esset in eo macula aptitudinalis, non actualis.

Dices 3. Remissa culpa, manet in peccatore obligatio ad poenam temporalem. Ergo obligatio ad poenam non est macula, & reatus quo quis dicitur peccator. Respondeo Quod macula est obligatio ad poenam æternam, non autem temporalem.

Instat *Suarez* 3. p. tom. 3. disp. 9. Sect. 2. Ex opinione Scoti sequi in justificatione non remitti culpam, sed poenam. Sed in Trident. Sess. 5. dec. de orig pecc C. 3. dicitur, *In justificatione auferri totum id quod verã, & propriã rationem peccati habet.* Atqui poena non habet rationem peccati, sed illam supponit. Ergo. Respondeo Nego sequelam, quia in justificatione, non solùm poena æterna remittitur, sed etiam obligatio ad poenam, quæ obligatio ex parte peccatoris prouenit ex peccato, & ex merito, ac dignitate peccati, & ideò dicitur, peccatum siue offensa Dei, vt autem est à Deo dicitur odium & ira Dei, volentis vindicare peccatum commissum. Vnde ad Tridentinum dico quod in justificatione remittitur illa obligatio ad poenam æternam, quæ habet veram rationem peccati, & culpæ virtualis quia est derelicta ex peccato, & est quo formaliter, anima remanet inimica Deo: obligatio autem ad poenam temporalem, non habet rationem peccati, quia non procedit ex peccato, nisi remotè.

In justificatione non sola pœna, remittitur sed etiam obligatio ad pœnam.

Dices 4 Macula est turpis. At obligatio ad poenam est bona. Ergo obligatio non est macula. Respondeo Concedo Majorem, Distinguo Minorem: obligatio ad poenam quatenùs est à Deo est bona, prout est à peccato est macula & vituperabilis, sicut poena inflicta latroni à judice est bona, vt autem inflicta latroni ex peccato mala.

Dices 5. Esse in peccato est terminus hujus quod est peccare; sicut esse in tenebris est terminus hujus quod est tenebrescere. Sed peccare est deuiare, & auerti à Deo. Ergo esse in peccato est esse auersum, & deuium à Deo.

Respondeo esse in peccato dupliciter contingit esse. Primo actualiter. 2. Post actum peccati. Esse in peccato priori modo, est terminus peccare, quia peccare est habere actum carentẽ debita rectitudine, & ideò terminus actus peccandi est habere actum carentem debita rectitudine, & hoc est esse in peccato actu. Secundo modo esse in peccato, est esse non in peccato formaliter, (vt putant aduersarij, quia qui pec-

cauit, & cessauit ab actu peccati ampliùs non peccat,) sed est esse in effectu peccati, quia est in obligatione, & reatu ad pœnam causatam ex peccato, quæ dici possunt peccatum, non formaliter, sed originaliter, vel causaliter, quia causantur à peccato.

DICES 6. Damnatis non imputantur peccata quæ committunt in inferno ad pœnam. Ergo macula non est imputatio ad pœnam. RESPONDEO Quod illa peccata quæ committunt damnati in inferno non habent obligationem vllam actualem ad pœnam, sunt enim extra statum demerendi ex lege Dei: habent tamen obligationem aptitudinalem, & quantùm ex se habent dignitatem ad habendam pœnam.

DICES 7. Opinio Scoti videtur esse damnata à Pio V. & Gregorio XIII in bulla quadam, in qua damnatur propositio Michaelis Baij Doctoris Louaniensis in ordine 53 quæ est talis. *Transeunte actu peccati nihil remanet, nisi reatus seu obligatio ad poenam.* Sed hoc idem sentit Scotus. Ergo & ejus opinio est damnata.

Scotus non idem sentit quod Michael Bajus.

RESPONDEO Ista Bulla non inuenitur in Bullario nouissimè Romæ impresso. Sed quidquid sit, non idem sentit D. Subt. quod Michael Bajus, quia iste dicebat quod post actum peccati nihil remaneat, nisi reatus vel obligatio sola: at verò D. Subt. præter reatum docet remanere in peccatore post actum peccati carentiam gratiæ habitualis. Et licet hæc verba habeat Doctor. *Nihil aliud est post actum peccati cessante, offensa, macula, & reatus, nisi obligatio &c.* per hæc enim verba innuit maculam non esse quid reale absolutum, vel respectiuum derelictum à peccato in anima. Ex his

Macula quomodo est obligatio?

COLLIGE I. Absolutè loquendo macula non est obligatio, sed obligatio ad pœnam debitam propter peccatum commissum, quæ obligatio etiam carentiam justitiæ habitualis, & carentiam inuoluit justitiæ actualis, nam licet illa transeat transeunte actu, remanet tamen in mente Diuina, quia propter illam obligat animam peccantis ad pœnam debitam, quæ obligatio fit propter peccatum visum, majus, vel minus, propter peccatum enim majus ordinatur ad majorem pœnam.

Obligatio non oritur à sola Dei voluntate.

COLLIGE 2. Falsò aliqui imponunt Doctori Subtili, quasi ipse asseruerit obligationem ad pœnam oriri à sola Dei voluntate, non autem à dignitate peccati; quia D. Subt. expresse oppositum docet dicens, Quod destinatio illa Dei est ad debitam pœnam ob commissum peccatum

Ad 1. In oppositũ satis euidenter constat ex dictis, maximè ex Notãdo 1.

Ad 2.

Ad 2. Patet à simili, pœna suspendii in latrone est abominabilis; non quatenùs est à judice, sed quatenùs est propter peccatum latroni inflicta.

ARTICVLVS III.

An macula peccati, siue reatus possit deleri, & quomodo?

DICO I. Iste reatus siue macula, qui remanet post actum peccati potest deleri, & de facto deletur. Est de fide Ezechielis 18. *Si impius egerit poenitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor*: Et in Symbolis Apostolorum, & Nicæno, expressè dicitur: *Credo remissionem peccatorum*. Confirmatur: Alioquin prædestinatus lapsus in mortale, non posset beatificari. Sed Consequens est falsum, vt patet in Dauide, Petro, Paulo, & aliis multis. Atqui certum est de istis, quod sint beati, nec ampliùs pro culpis commissis ad pœnam obligati. Ergo &c.

DICO 2. Hæc obligatio non deletur ordinariè nisi per factam pœnitentiam, vel punitionem; vel per aliquid æquiualens in acceptatione Diuina. Probatur Lucæ 13. dicitur: *Nisi poenitentiam egeritis, omnes simul peribitis*. Tum: quia obligare aliquem ad pœnam est velle punire eum. Ergo non tollitur nisi sequatur debita punitio, vel aliquid æquiualens, in acceptatione Diuina. Dixi (vel per aliquid æquiualens in acceptatione Diuina) id est per Martyrium, vel per actum Diuini amoris intensum, vt dixi Articulo 1. *Macula deletur per Pœnitentiam.*

DICES I. Cessante actu interiori, & exteriori cessat peccatum. Ergo absq; pœnitentia desinit esse peccatum. Antecedens patet quia ratio formalis peccati est carentia rectitudinis debitæ in esse actui. Sed actus transit, quia habet esse in fieri. Ergo simul cum illo transit deformitas, seu ista carentia rectitudinis debitæ.

RESPONDEO: Peccatum Transire dupliciter contingit, vel in se, vel quo-ad reatum. Concedo ergo quod peccatum transeat in se, remanet tamen quoad reatum.

DICES 2 Potest homo dimittere offensam alteri absque vlla pœnitentia. Ergo & DEVS.

RESPONDEO. Negatur Consequentia; Homo enim est mutabilis: DEVS immutabilis: Voluntas enim Dei in se est immutabilis non

Nota solutionem pro materia prædestinationis.

solùm absolutè, sed etiam quatenùs actus eius transit super obiectum, nam semper est vniformis. Vndè si DEVS in æternitate vult aliquem puniendum esse pro aliquo tempore, semper vult illum puniendum pro illo tempore, nisi in creatura aliquid mutetur, vndè si obiectum mutetur, DEVS non habebit ampliùs idem velle respectu illius obiecti: quare si peccator per pœnitentiam mutatur, actus Dei etiam mutatur, non in se, sed quia obiectum super quod transit aliter se habet, quàm priùs, quæ solutio notetur pro materia prædestinationis: non sic autem est de voluntate hominis irati, qui mutatur quoad actum volendi, & nolendi. Hinc

COLLIGE 1. Non esse idem essentialiter remittere culpam, & punire eam, quia vnum absq; alio optimè esse potest.

COLLIGE 2. Meliùs est peccatorem non correctum esse in pœna, quam sine pœna, cùm in vniuerso nihil inordinatum sit secundùm dispositionem Diuinæ Sapientiæ, culpa verò dicit deordinationem, & sic meliùs est quod reordinetur, quàm quod deordinata permaneat, reordinatur verò culpa per pœnam.

ARTICVLVS IV.

Vtrum ad deletionem culpæ requiratur pœna voluntaria?

Pœna debet esse voluntaria.

DICO Ad deletionem peccati regulariter requiritur pœna, vel pœnitio voluntaria. Probatur. Tùm quia culpa fuit voluntaria Ergo & pœna correspondens ei debet esse voluntaria. Tum quia peccatum non deletur quacunq; pœna, vt patet de pœna damnatorum in inferno, quia est involuntaria. Ergo pœna pro peccatis debet esse voluntaria.

COLLIGE Quod pœna quæ tollit obligationem, & pœna quæ non tollit obligationem, nō distinguitur per maioritatem, & minoritatē extensiuam, vel intensiuam sed per voluntarium & involuntarium, ideò enim non delet peccatum pœna maxima in inferno, quia est inuoluntaria, pœna verò viatorum, licet longè minor delet, quia est voluntaria.

QVÆRES *Quomodo pœna potest esse voluntaria?*

NOTA 1. Pœna est quodcunq; disconueniens siue incommodum, & hoc vel parti sensitiuæ, vt dolor, vel intellectiuæ vt tristitia, quæ est propriè pœna: & hac duplici pœna punitur culpa.

NOTA

NOTA 2. Inuoluntarium simpliciter est illud, contra quod voluntas simpliciter remurmurat & nollet simpliciter quantùm est ex se. Porro voluntarium simpliciter est illud, contra quod voluntas non remurmurat: hoc autem quatuor modis se habere potest, & sic quadruplex modus potest esse pœnæ voluntariæ. Primò quando voluntas liberè poenam, & sine murmuratione sustinet. Secundò Quando voluntas voluntarie poenam acceptat. Tertiò, Quandò liberè eam causat & efficit in se ipsa: Et hoc dupliciter, vel vt causa proxima, partialis, & non intendens illum effectum poenalem, sed aliud, V. G. si quis intendat vulnus, vt placeat Domino cui seruit, non autem intendens, nec volens vulnus propter dolorem, & poenam quam causat, sed præcisè propter illum finem ad quem illud vulnus ordinatur. Vel vt causa remota intendens effectum poenalem. Applicando istos quatuor modos poenæ interiori, quæ est tristitia. 1. Si aliquid disconueniens ponatur in esse existentiæ, vt priuatio lucis, tale potest esse voluntarium, primo modo quia potest voluntas illud patienter sustinere. 2. istud disconueniens positum in esse potest voluntas acceptare, vt si quis de peccato doleat, & de dolore gaudeat. 3. Quando voluntas est causa proxima partialis tristitiæ, scilicet quia est causa nolitionis rei existentis, ad quam nolitionem sequitur naturaliter tristitia de existentia illius rei, licet voluntas non intendat tristitiam illam: duæ enim sunt causæ tristitiæ, nolitio disconuenientis, & illius consideratio. 4. Quando voluntas imperat, & vnit simul vtramq; causam tristitiæ, ita vt voluntas sit causa principalis præcipiens intellectui, vt apprehendat aliquam rem existere; deinde præcipiat sibi ipsi vt nolit rem illam existere, & hoc imperat ad hoc, vt in se ipso oriatur tristitia. 4. modi pœnæ voluntariæ.

NOTA 3. Isti quatuor modi voluntarii distinguuntur: quia in primis duobus modis poena, & dolor est objectum solùm voluntatis: in tertio est effectus, non objectum voluntatis: in quarto est objectum, & effectus voluntatis. Deinde in ratione voluntarii vnus modus est magis voluntarius alio; Secundus primo, quia magis voluntarium est pœnam gratanter acceptare, quàm patienter tolerare: Tertius modus est magis voluntarius quàm secundus, quia illa pœna est magis voluntaria, quæ mihi prouenit ex aliqua causa, cui annexa est naturaliter pœna, quam ego elegi, licet non in ordine ad illam poenam, sed propter alium finem. 4. modus est maximè voluntarius; quia in eo non solùm

volo

volo causam à qua naturaliter manat talis pœna, sed etiam volo talem causam, vt causet illam pœnam in me.

COLLIGE: Pœna comparata ad voluntatem sequentem affectionem commodi, est inuoluntaria, comparando verò eam ad voluntatem sequentem affectionem iustitiæ, est voluntaria.

ARTICVLVS V.

Vtrum pœnitere idem sit quod pœnam tenere?

Punitio actiua & passiua.

NOTA: Quòd punitio consideratur, vel passivè, vel actiuè: punitio actiua fit quatuor modis. Primò cùm voluntas vt causa principalis, vult efficaciter pœnam propter peccatum, quando imperat, & conjungit simul causas effectiuas tristitiæ, & pœnæ: & hoc est vindicare peccatum. Secundò. Quando voluntas præcipit apprehensionem peccati, & sibi ipsi præcipit vt nollet peccasse non tamen vt sentiat tristitiam de peccato, sed propter aliquem alium finem; vt quia offendit DEVM, & tunc est causa partialis effectiua tristitiæ: & hic actus dicitur detestatio peccati. Tertio modo cum acceptat tristitiam, vel pœnam inflictam propter peccatum, & hic actus dicitur, acceptatio pœnæ libera. Quartò cum patienter fert pœnam: & hic dicitur tolerantia pœnæ sine murmuratione. His quatuor modis actiuis, correspondent quatuor passiui: puniri enim potest esse volitum à voluntate imperante, detestante, acceptante, & patienter tolerante. Ex quo sequitur 1. quod poenitere respectu horum octo modorum non est vniuocum, sed æquiuocum. Sequitur secundò. Quod pœna non est pœnitentia, quia poena dicit solùm passionem inflictam, poenitentia verò dicit actionem, quà hæc poena tenetur.

DICO itaq; 1. Poenitere non significat propriè iuxta vsum communem punitionem passiuam, sed solùm actiuam, & sic solùm extenditur ad quatuor modos punitionis actiuæ. Patet: quia poenitere est poenam tenere: poenam autem tenere, non est idem, quod poenam recipere, sed est habere aliquem actum, quo poena teneatur.

Quadruplex definitio pœnitentiæ.

DICO 2. Iuxta quatuor modos punitionis actiuæ, assignatur quadruplex definitio poenitentiæ. Iuxta primum sic. Poenitere est vindicare peccatum à se commissum, applicando sibi poenam siue in affectu, siue in effectu, siue actu, vel virtute. Iuxta secundum ita, Poenitere

nitere est detestari peccatum à se commissum, siue habere displicentiam de peccato à se commisso: & hæc displicentia, vel est formalis, quando aliquis habet realem nolitionem non peccandi; vel virtualis cùm aliquis habet actum talem, ex quo illa nolitio peccati est causalis V. G. dilectionem Dei. Iuxta tertium modum sic. Pœnitere est pœnam inflictam pro peccato suo gratanter acceptare per actum voluntatis. Iuxta quartum modum, ita describitur: Pœnitere est pœnam sibi inflictam pro peccato suo patienter ferre, id est pœnam tenere, seu non abijcere per remurmurationem, sed conformare se agenti infligenti pœnam. Ex his sequitur quòd omnis punitio voluntaria debet contineri sub aliquo horum quatuor modorum pœnitentiæ.

SECTIO II.

Vtrum actus pœnitendi requisitus ad deletionem peccati mortalis, sit actus alicujus virtutis?

In hac Quæstione inquiremus:

1. Vtrum pœnitere prout est velle vindicare peccatum sit actus alicujus virtutis.
2. An detestatio peccati, pœnæ acceptatio, & tolerantia sine murmuratione pœnæ sit actus virtutis?
3. An isti actus quatuor ad delendum peccatum omninò requirantur, & quis eorum sit præstantior
4. Vtrum iste actus Pœnitentiæ debeat esse genitus à virtute, & formatus gratia Dei.
5. An Pœnitentia sit virtus supernaturalis & infusa, vel naturalis & acquisita.
6. An in statu innocentiæ fuisset pœnitentia?

ARTICVLVS I.

An Pœnitere prout est velle vindicare peccatum sit actus alicuius virtutis?

Nota Quoniam superiori quæstione vidimus quod quatuor actus Pœnitentiæ D. Subt. assignauerit, in ista Quæstione de vnoquoque inquiremus. An sit actus virtutis, & cujus virtutis, quod Doctor facit in 4. dist. 14. q. 2.

Velle vindicare peccatum est actus virtutis

DICO 1. Pœnitere prout est vindicare velle peccatum à se commissum, est actus virtutis. Probatur Omnis actus conformis rectæ rationi est actus virtutis. Sed pœnitere prout accipitur pro imperio voluntatis, seu pro velle vindicare peccatum, potest esse conforme rationi rectæ. Ergo potest esse actus virtutis. Maior clara. Minor probatur. Nam omnis iustus legislator potest iustè punire secundùm rectam rationem transgressores iustæ legis. Vnde Aristoteles 1. Ethic. cap. vltimo tradita doctrina de vitiis & virtutibus, statim introducit legem positiuam tanquam vltricem vitiorum, & remunerationem virtutis. Ergo quilibet legislator vindicat transgressionem legis secundùm rectam rationem, & consequenter minister exequens voluntatem legislatoris, quia rectitudo in actu ministerij consistit in cõformitate ad agens cui ministrat.

Actus pœnitendi quomodo sit passio. & actus

DICES 1. Actus pœnitendi est passio. Ergo non est actus alicujus virtutis. Antecedens patet quia punitio, vel pœna est passio, sicut delectatio est passio. Respondet Doctor loco citato, Cùm dicitur pœnitere est passio: si accipiatur pœnitere pro tristitia inflicta, concedit esse passionem; si verò accipiatur pœnitere prout est actus imperans tristitiam ipsam, negat esse passionem sed est actus liber, & electiuus, & est laudabilis Seu si poenitere sumatur, pro tristitia absolutè, concedendum est esse passionem, quâ nec laudamur, nec vituperamur: Si verò accipiatur pro effectu virtutis poenitentiæ, quæ est vindicatio de peccato per actum imperandi causis producentibus tristitiam, vt ipsam actu producant in punitionem peccati, & est laudabilis, non est passio sed effectus actus liberi voluntatis.

Pœnitere est actus voluntatis.

DICES 2. Actus virtutis est voluntarius, quia electiuus ex *2. Ethicor.* Sed poenitentia est inuoluntaria, nihil enim poenale est voluntarium. Ergo actus poenitentiæ non est actus virtutis.

RESPONDEO cum Doctore 1. Tristitiam esse voluntariam, vel quoad affectionem commodi, vel quoad affectionem iustitiæ. Primo modo tristitia est inuoluntaria, at benè secundo modo. RESPONDEO 2 Poenitentia pótest duobus modis considerari. Vno modo quoad poenam quam infligit, quæ est tristitia; alio modo quoad actum elicitum à voluntate quò imperat tristitiam, & poenam infligi. 1. modo est inuoluntaria; secundo modo est voluntaria; neque inuoluntarium primo modo facit, quod non sit voluntarium secundo modo.

DICES 3. Si poenitere esset actus alicujus virtutis, esset actus voluntatis.

tatis. Sed non est. Ergo. Minor Probatur quia actus voluntatis sunt solùm duo scilicet velle, & nolle. Sed pœnitere non est velle, quia habet pro objecto peccatum; Si autem actus ejus est velle, pœnitere esset velle peccatum quod est absurdum Neq; est nolle, quia si esset aliquod nolle, esset nolle peccasse. Sed pœnitere non potest esse nolle peccasse, quia non peccasse est impossibile; Ergo voluntas non potest nolle peccare, quia nollet impossibile, scilicet illud non esse factum, quod est factum, quod neq; Devs facere potest, juxta illud Agathonis apud Aristotel. 6. *Ethicorum capite 2. Hoc solo priuatur DEVS, infecta facere, quæ facta sunt.* Respondeo: Negando Minorem. Ad probationem Dico ex D. *in 2 d 6. q. 1* quòd duplex est velle, efficax, & inefficax: Voluntas vult non peccasse, voluntate inefficaci, non efficaci, & hæc volitio sufficit ad pœnitentiam, & ad delendum peccatum. Respondeo 2. Quod in pœnitere includitur velle & nolle: velle respicit, & terminatur ad tristitiam in recto, & est actus imperans voluntatis, vt dixi supra: nolle verò tendit, & terminatur ad peccatum commissum quod nollet commisisse nolitione inefficaci. *In pœnitere est velle, & nolle.*

Dico 2. Pœnitere prout est velle vindicare peccatum, non est actus cujuscunq; virtutis, sed specialis virtutis. Ita Doctor *in 4 D. 14. q. 2 §. Supposito hoc sit hæc conclusio.* Quam Conclusionem antequam probet supponit actum pœnitere quinq; continere, nimirum velle imperatiuum, quod est causa tristitiæ remota: deindè distinctam cognitionem ejus de quo pœnitet peccator, cognoscit enim peccator se esse ad pœnam obligatum; præterea ista obligatio, vel nolitio obligationis generat tristitiam: tandem sequitur complacentia tristitiæ, deniq; gaudium de tristitia, juxta illud S. Aug *Peccator de peccato doleat, & de tristitia gaudeat.* Probatur itaq; conclusio ille actus est specialis virtutis, qui habet speciale objectum, & speciales circumstantias ordinatas. Sed hic actus est talis. Ergo. Minor patet quia objectum eius est peccatum vindicabile, quod est objectum speciale. Circumstantiæ speciales sunt quæ conueniunt huic actui, vt sit rectus, & rectè tendat in id objectum: V. G. finis, qui est propter bonum commune; modus vt cum spe veniæ, & aliis circumstantiis ipsum concomitantibus de quibus infra. *pœnitere est actus specialis Virtutis.* *Actus pœnitentiæ quinq; continet.*

Dices: Nulla virtus exigit habentem ipsam prius esse sub contrario ipsius virtutis. Atqui pœnitentia præexigit pœnitentem

 fuisse

fuisse sub peccato, quod est contrarium ipsi. Ergo pœnitentia non est specialis virtus. Major patet. Tum quia semina virtutum indita sunt nobis à natura, vt illas auxilio Diuino possimus acquirere absq; peccato: maximum enim esset absurdum, quod sit necesse peccare, ad hoc vt habeamus virtutes in actu. Tum quia in Christo Domino fuerunt omnes virtutes, & non fuit pœnitentia. Minor est euidens quia certum est nos non posse pœnitere nisi prius peccauerimus: pœnitentia enim est detestatio peccati commissi. RESPONDEO. Pœnitentia dupliciter consideratur, vel quoad habitum, vel quoad vsum & actum: Primo modo considerata non præexigit, neq; præsupponit peccatum in actu, in habente talem virtutem, sed sufficit quod præsupponat in potentia: vnde & in statu innocentiæ potuisset esse habitus pœnitentiæ, cuius munus fuisset depellere malum si adesset, licet nunquam reduceretur ad actum.

Pœnitentia alia est habitualis, alia actualis.

PROBATVR 2. Conclusio: Pœnitentia est virtus specialis per quam tollitur, & destruitur peccatum. Sed peccatum non tollitur, nec destruitur, nisi per pœnam voluntariam. Ergo pœnitentia, quæ est virtus specialis, est poena siue punitio voluntaria. Atqui velle vindicare peccatum, est talis actus: Ergo est actus specialis virtutis.

Pœnitere non est actus alicuius virtutis intellectualis.

DICO 3. Poenitere acceptum pro velle vindicatiuo, non est actus alicuius virtutis intellectualis. Probatur. Quia poenitere hoc modo est imperare voluntati, vt aliquod obiectum detestetur ac nolit esse, & intellectui, vt consideret, & apprehendat illud obiectum esse, ex quibus duobus sequitur tristitia. Sed imperare non est actus intellectus, sed voluntatis. Ergo poenitere non est actus virtutis intellectualis. Minor patet. Quia sola voluntas imperat intellectui, & sibi, teste S. Augustino *lib. 11, de Trinitate cap.* 3. dicente, *voluntas copulat parentem cum prole.* Confirmatur. Quia virtus intellectualis dictat verum esse, vel non esse. Pœnitentia verò inclinat ad sic agendum, & operandum. Ergo pœnitere est actus virtutis appetitiuæ, non intellectiuæ.

Pœnitere est actus virtutis ordinantis ad alterum.

DICO 4. Pœnitere acceptum pro velle vindicatiuo peccati, non est actus alicuius virtutis appetitiuæ ordinantis ad se ipsum, cuiusmodi est temperantia, & fortitudo, sed est actus virtutis ordinantis ad alterum, cujusmodi est iustitia, prout in generali dicitur iustitia virtus ordinatiua ad alterum. Ita D. Subtilis *in 4. dist. 14. q. 2. §, Sequitur alia conclusio.* Probatur. Quia virtutes ordinantes ad se ipsum, ordinant

nant actus circa propriam personam illius, qui habet has virtutes. Sed poenitere vindicatiuum potest aliquis eodem modo secundùm rationem rectam exercere in se, ac in alio: & quando quis exercet illum actum in se ipsum, non exercet illum, nisi vt in alterum, quia non exercet illum actum vindictæ, nisi in quantùm commit*tur sibi à legislatore vt vindicet in talē reum. At qui poenitens est minister legislatoris, & reus simul. Ergo exercet illum actum vindicandi in seipso, sicut exerceret, si esset alius in Persona. Ergo velle vindicatiuum est actus justitiæ, quæ est ad alterum.

Actus vindicandi peccatum est actus justitiæ punitiuæ.

Dico 5. Iste actus vindicandi peccatum, est actus justitiæ punitiuæ, quæ contra distinguitur â justitia commutatiua. Pro intelligentia Nota. Dupliciter potest aliquis se habere ad alterum. Primò communicando se illi quantùm potest se illi communicare, & talis justitia dicitur amicitia. Secundò communicando illi sua: Et partitur hæc justitia in distributiuā, & commutatiuam: distributiua illa est quæ præmiat merita, & punit vitia. Dicit ergo Doctor Subtilis vindicare esse actum justitiæ punitiuæ; & subdit hunc actum esse fortè nobiliorem, qui sub justitia in communi reperiatur, excepto actu præmiationis. Quod sic probatur: Ille actus justitiæ est nobilior, qui natus est competere personæ nobiliori. Sed talis est actus vindicandi peccatum, qui competit legislatori, & nulli alteri, nisi ex commissione illius. Cœteri verò actus vt amicitiæ, & justitiæ commutatiuæ possunt conuenire regulariter quibuscunq; Personis. Quod autem actus præmiationis sit nobilior vindicatione, patet, quia habet pro vno extremo meritum, & pro alio præmium, deinde personam meritam cui præmium confertur: vindicatio autem habet pro vno extremo culpam, pro alio pœnam, & personam rei, in qua fit vindicatio. Atqui illa tria sunt nobiliora, quæ concomitantur præmiationem. Ergo

Pœnitere non est actus amicitiæ.

Dico 6. Pœnitentia accepta pro vindicare, non est actus amicitiæ.

Dices Ille actus quo aliquis reconciliatur alteri, est actus amicitiæ. Sed vindicare siue actus pœnitentiæ est actus, quo peccator reconciliatur Deo. Ergo est actus amicitiæ. Respondeo. Distinguo Minorem Peccatorem reconciliari Deo per pœnitentiam dupliciter intelligitur. Primò. Quod reconciliatio & amicitiæ instauratio sit actus primarius, & propriùs pœnitentiæ, & vindicationis pec-

 cati,

Finis proximus vindictæ pœnitentiæ. cati, & sic falsa est Minor: quia finis proximus vindictæ poenitentiæ est solutiò poenæ taxatæ secũdùm legem propter transgressionem legis, vt punitus sit immunis illam soluendi; & vlterior finis est obseruatio legis, & bonum commune, & deniq; propter ipsum Deum, statuentem talem legem.

Secundò. Quod sit actus secundarius, & concomitans: quod enim aliquis per talem vindictam poenitentiæ reconcilietur Deo, & in ejus amicitiam reducatur est actus externus concomitans, & consequenter actus amicitiæ non est actus poenitentiæ.

Vindicare est actus voluntatis. Dico 7. Actus ille vindicare, est actus voluntatis, cujus est imperare intellectui, & ipsi voluntati, & hoc imperio pertinente ad irascibilem, & potentiam aliquam, habentem in se aliquid simile virtuti irascibili: Ita D. Subt. loco citato §. *Alia est conclusio ista.* Probatur. Quia sicut irascibilis in parte sensitiua vindicat, & punit suo modo, ita illa potẽtia quæ in parte intellectiua imperat vindictam habet quoddam simile cum potentia irascibili: ista verò potentia similis irascibili in parte intellectiua est sola voluntas. Ergo actus iste vindicandi est actus voluntatis.

ARTICVLVS II.

An detestatio peccati, pœnæ acceptatio, & tolerantia pœnæ sit actus virtutis, & cujus virtutis?

Dico 1. Poenitentia accepta pro detestatione peccati potest esse actus virtutis. Patet, quia potest elici conformiter rectæ rationi, ratio enim dictat detestandum & odiendum esse malum. Ergo detestari potest esse actus virtutis.

Detestatio est actus virtutis.

Dico 2. Actus iste detestandi peccatum, non potest esse actus alicujus virtutis specialis; Sed est actus cuiuscunq; virtutis appetitiuæ. Ita Doctor Subtilis *loco citato §. Et ex hoc patet secunda Conclusio.* Prima pars probatur. Quæcunq; virtus inclinat ad complacendum in bono honesto, inclinat etiam ad detestandum, & odio habendum, siue ad displicentiam de malo inhonesto opposito. V. G. sicut castitas inclinat ad actum castum ita inclinat ad actumdetestandũ inhonestum oppositũ castitati: & humilitas inclinat adactum oppositum detestandum superbiæ. Atqui iste actus detestandi malum, est nimis generalis, conuenit enim

Detestatio non est actus alicuius virtutis specialis.

enim pluribus virtutibus: actus autem virtutis poenitentiæ proprius competit soli poenitentiæ. Porrò accipiendo poenitentiam largo modo, prout est punitio voluntaria, & est communis illis quatuor modis, potest dici actus poenitentiæ. Hinc COLLIGE. Quod in omnibus virtutibus est prosecutio objecti proprij, & fuga oppositi disconuenientis. V. G dilectio DEI super omnia, in charitate, est actus proprius charitatis, fuga verò, & detestatio peccati, quia est offensa Dei, est actus ejusdem virtutis pertinens ad fugam, sed quia est actus ei communis cum alijs virtutibus, sub hac ratione dicitur poenitentia sub modo detestationis. Secunda Pars patet: quia sola virtus appetitiua potest odire, & detestari, quia etiam sola potest amare, amare autem, & odire sunt effectus, & passiones appetitiuæ virtutis. Confirmatur. Si poenitentia accepta pro detestatione peccati esset virtus specialis, maximè hoc esset ideò, quia habet objectum secundùm rationem formalem diuersum ab omnibus alijs virtutibus particularibus, (quæ est illa particula, quatenùs peccatum est offensiuum DEI.) Sed ista ratio non est intrinseca virtuti poenitentiæ, sed accidentalis, & omnino extrinseca, scilicet ratione imperii charitatis: Ergo poenitentia sumpta pro detestatione peccati non est specialis virtus.

OBIICITI. Suarez. *Disputat. 3. Sectione 4.* Detestatio peccati potest habere diuersos fines, siue diuersas rationes formales objectiuas; (finis enim in moralibus est objectum distinguens,) potest ergò aliquis detestari actum peccati propter amorem, & dilectionem Dei, cui peccatum displicet, & tunc hic actus esset actus charitatis. Similiter si quis detestetur peccatum, vt per hanc detestationem consequatur DEVM, quem desiderat sibi esse bonum, est actus spei, & sic cum elicitur ab alijs virtutibus secundum finem, & motiuum illarum virtutum specialium. Subsumit Suarez. Actus iste detestandi peccatum, potest esse actus specialis virtutis, quia pari modo potest quis detestari peccatum, vt resarciat injuriam illatam DEO, qui est finis, ratio formalis poenitentiæ. Ergo hic actus potest esse actus particularis virtutis poenitentiæ, quia ab eius obiecto, siue fine, vel motiuo, elicitur. Confirmat ex Tridentino

Charitas imperat pœnitentiæ.

tino quod dicit *Sess. 14. cap. 2. Poenitentiam esse detestationem cum pio animi dolore.*

RESPONDEO. Objectio probat, quòd detestatio peccati non est actus vnius specialis virtutis, quod nos concedimus, sed vna quæq; virtus particularis ex motiuo suo particulari potest detestari peccatum. Quando subsumit Quòd pœnitentia potest detestari peccatum, quatenùs est injuria Dei, & quòd vt sic detestando resarcit injuriam Deo. DICO Quòd hæc non est ratio formalis objecti pœnitentiæ, quæ est virtus specialis, sed est relatio extrinseca actus pœnitentiæ, competens, quatenùs poenitentia est imperata â charitate, vel ad illam vltimatè refertur. Vnde fundamentum aduersariorum istud, quòd ratio formalis & finis poenitentiæ sit destructio peccati quatenùs est injuria Dei, & vt resarciat amicitiam Dei; falsum est. Ad Confirmationem ex Tridentino Respondeo quòd poenitentia est poenæ tenentia voluntaria, & quia detestatio peccati est poenæ tenentia, scilicet tristitiæ & doloris, ideò detestatio est poenitentia, non tamen Concilium definiuit, quod detestatio sit actus determinatus vnius specialis virtutis, quæ sit poenitentia, sed Scholasticis ad disputandum reliquit, dum modo dicamus poenitentiam esse dolorem de peccatis, siue hic actus sit vnius specialis virtutis, siue non.

Recompensatio injuriæ illatæ DEO, non est ratio formalis objecti pœnitentiæ.

Concilium quid sibi velit.

OBIICIT 2. Primarius actus virtutis pœnitentiæ est detestatio peccati, & secundarius actus vindicatio est, quod apertè docet S. Aug. lib. de vera & falsa pœnitentia c. 8. dicens. *Poenitentia est doloris vindicta puniens in se quod dolet commisisse.* Ergo cum ex dolore oriatur vindicatio, detestatio est primarius actus pœnitentiæ.

Vindicatio est primarius actus pœnitentiæ.

RESPONDEO. Nego primarium actum pœnitentiæ virtutis detestationem esse; sed vindicationem esse actum primarium poenitentiæ specialis virtutis. Ad S. Augustinum. Dico esse pro nobis, quia non dicit quod pœnitentia sit detestatio peccati; sed inquit, quod est vindicta puniens in se quod dolet commisisse: vnde detestatio non pertinet in recto, & vt actus primarius poenitentiæ, sed virtualiter, & vt conditio integrans actum vindicationis.

COLLIGE. Quando Concilia, & SS. Patres dicunt quod peccatores mouentur aduersus peccata per odium, & detestationem, non inde colligas quod detestatio sit actus virtutis poenitentiæ, sed loquuntur de odio & detestatione quæ est actus cujuscunq; virtutis maximè

detestatio,

deteſtatio, & odium eſt actus charitatis, quia ex motiuo charitatis & dilectionis Dei oritur.

Gratanter pœnam acceptare eſt actus virtutis.

Dico 3. Pœnitere tertio modo quod eſt gratanter acceptare pœnam; poteſt eſſe actus virtutis: porrò hic actus poteſt eſſe multarum virtutum; quarum quælibet eſt appetitiua. Prima pars patet. Quia talis actꝰ poteſt eſſe cõformis rectæ rationi. Secunda pars probatur. Quia quæcunq; virtus poteſt eſſe principium acceptandi, & volendi aliquod objectum, poteſt etiam inclinare, & eſſe principium ad acceptandum aliquid in ordine ad illud objectum. V. G. Sicut ex charitate amatur Deus, ita ex charitate poteſt acceptari pœna aliqua, in quantùm eſt reductiua in amicitiam Dei. Similiter ſicut ex virtute ſpei deſideratur Deus, vt bonum ipſi deſideranti, ita ex virtute ſpei acceptatur pœna, vt ordinatiua ad conſecutionem & poſſeſſionem hujus objecti. Item Sicut ex virtute timoris, timetur amiſſio vitæ æternæ, ita ex eodem timore acceptari poteſt pœna, quæ auertit, & excludit ipſam amiſſionem vitæ æternæ. Et ex hoc ſequitur quod actus ille non eſt vnius ſpecialis virtutis: ſed plurium. Tertia pars patet: Quia ſola virtus eſt appetitiua, quæ acceptat, & diligit. Ergo.

Ferre patienter pœnã eſt actus patientiæ.

Dico 4. Actus quartus pœnitentiæ patienter ferre pœnam, eſt actus virtutis, & virtutis patientiæ: cujus officium eſt confirmare animum contra triſtitiam, & pœnam.

ARTICVLVS III.

An iſti actus quatuor, vindicare peccatum, deteſtari; gratanter acceptare, & patienter ferre pœnam, ad delendum peccatum omnes omninò ſimul requirantur, & quis eorum ſit præſtantior?

Omnibus his 4. modis deletur peccatum.

Quantùm ad numerum Dico 1. Omnibus his quatuor modis deletur peccatum. Patet, quia per pœnitentiam deletur peccatum, præſertim per contritionem, vt per diſpoſitionem præuiam. Sed quiuis horum actuum poteſt eſſe contritio: Ergo quiuis actus eſt ſufficiens ad delendum peccatum. Ex quo ſequitur: quod contritio non eſt actus ſolius virtutis pœnitẽtiæ, ſed etiam virtutis generalis pœnitẽtiæ.

Sola deteſtatio eſt ſufficiens ad

Dico 2. Sola deteſtatio peccati, ſine vindicatione eſt ſufficiens ad delendum peccatum, non tamen ſequitur quòd ipſa ſola ſit actus pœnitentiæ

V

tentiæ delens peccatum: quia etiam per alios actus pœnitentiæ, deletur peccatum. Idem dicendum est de aliis actibus prædictis: vnde falsum est quòd actus detestationis antecedat actum vindicationis, quia vindicare peccatum est actus nobilior, & essentialior actus pœnitentiæ, quã sit detestatio pura & nuda, quia vindicatio includit virtualiter detestationem, non è contra.

Obiicit Soto *in 4. dist. 14. q. 2. art. 3.* Suarez. *disput. 3. Sect. 4.* Assignare istos quatuor modos in pœnitentia non est necessarium. Tùm quia talis multiplicatio confusionem parit; Tùm quia neq; docti, neq; rudes ejusmodi numeri, & ordinis actuum etiamsi diligenter attendant, recordantur. Tùm quia nulla ratione solida fulcitur hæc multiplicatio, ac proindè est voluntaria.

Bene assignati sunt isti quatuor modi.

Respondeo. Optima methodo isti quatuor modi assignati sunt, quia assignati sunt penès modũ volendi poenam: pœna verò voluntaria esse potest his quatuor modis. Ad primam Confirmationẽ dico quòd multiplicatio istorum actuum nullam parit confusionem, imò maximam dilucidationem, ità vt etiam quiuis etiã indoctus illorum discrimen percipere possit. Ad secundam Confirmationem patet, quia distinguuntur isti actus penès modum volendi pœnam.

Isti actus distinguuntur inter se.

Collige. Isti actus vindicare peccatum, & detestari distinguuntur ex propria ratione formali, quia vnus est magis voluntarius, quàm alius, nimirum vindicare quàm detestari. Deinde differunt per suas rationes formales, & conditiones.

Quantum *attinet ad prioritatem & præstantiam horum actuum quatuor?*

Vindicare est actus primarius.

Dico. 1. Vindicare peccatum est actus primarius, & supremus pœnitentiæ. Probatur. Tùm quia est actus proprius virtutis pœnitentiæ. Tùm quia vindicare tendit, & respicit rationem formalem objectiuam virtutis propriè dictæ pœnitentiæ, quæ ratio formalis est peccatum punibile propter obseruantiam legis, non autem respicit pro objecto peccatum in communi, vt est offensiuum Dei, ista enim relatio, vt est offensiuum Dei, non inest intrinsecè actui pœnitentiæ, sed extrinsecè quatenùs subordinatur charitati, à quà imperatur. Tùm quia vindicare est actus nobilior, & essentialior pœnitentiæ, quàm sit sola detestatio, vindicatio enim includit detestationem virtualiter, non è contra, detestatio enim potest esse absq; vindicta.

Collige

Qui actus causant tristitiam.

Collige. Quando dicimus vindicare esse actum primarium pœnitentiæ, non intelligimus via originis, quia vnus non originatur ab alio, & vnus potest esse sine altero, nimirum detestari absq; vindicare licet vindicare non possit esse sine detestatione, nam vindicare inclu-dit nolle peccasse, quod est detestatio peccati, sed intelligimus via perfe-ctionis, quia est perfectus ac proprius actus pœnitentiæ.

Dico 2. Duo ultimi modi pœnitendi, scilicet gratanter pœnam acceptare, & eandem patienter ferre, non causant tristitiam, sed suppo-nunt jam causatam in subjecto in quo sunt. Duo verò priores modi, ni-mirum, vindicare, & detestari peccatum, causant in pœnitẽte tristitiam: cognoscentes enim peccatum commissum esse offensiuum legis Diuinæ, mouemur efficaciter ad vindicandum tale peccatum, imperando intel-lectui, & voluntati, quæ sunt proximæ causæ tristitiæ vt ipsam tristitiam efficiant in punitionem peccati, vt lex seruetur.

Dico. 3. Major excellentia actuum vindicare, & detestari pec-catum respectu deletionis peccati, oritur ex intensiori actu ad quem na-ta est sequi tristitia. Ratio est, quia quô major, & intensior est actus aptus natus causare tristitiam, magis meretur, vt deleatur pecca-tum, & gratia infundatur. Ex his:

Collige. Detestatio peccati, & vindicatio mutuò se exce-dunt circa causationem tristitiæ, quia quandoq; detestatio causat tristi-tiam, vindicatio verò non; quandoq; vindicatio habet actu imperium intensissimum, vt causetur tristitia, & tamen tristitia non causatur pro-pter impedimenta, & sic ex parte actus nati apti causare tristitiam, vin-dicatio excedit detestationem, licet non sequatur tristitia.

Quando detestatio perfectior, quã vindicatio.

Dico 4. Si loquamur de istis quatuor actibus vniformiter, id est quatenùs omnes oriuntur ex vna virtute, vel ex quot vnus, ex tot, & alius, velle vindicare peccatum est perfectissimus omnium, quia habet magis de voluntario, vt dixi Articulo 4. Sect. 1. Si verò loquamur difformiter, ita vt vnus oriatur ex vna virtute, & alius ex pluribus; aut quod vnus eliciatur à virtute perfectiori quàm alius: tunc si vindicare eli-ciatur ex sola justitiá, & detestatio ex charitate, detestatio erit perfecti-or, quãm vindicatio: aut si detestatio eliciatur ex pluribus ijsq; perfe-ctioribus virtutibus, erit perfectior, quàm aliquis actus ex præfatis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum actus pænitentiæ, qui requiritur ad delendum peccatum mortale, debeat esse genitus à virtute, & formatus gratia?

NOTA. Doctor Subtilis *in 4. dist. 14. q. 2. § De secundo principali.* tria examinat. Primò. An pœnitere quod requiritur ad delendum peccatum mortale, necessariò sit actus alicujus vnius determinatæ virtutis. Secundò. An talis actus necessariò debeat prouenire ab aliqua virtute, jam genita. Tertiò. Quomodo actus pœnitentiæ quo deletur peccatum mortale, habeat se ad gratiam?

QVANTVM AD PRIMVM. RESPONDET. Quòd pœnitere, quod requiritur ad delendum peccatum mortale, non est necesse esse actum alicujus determinatæ virtutis, V. G. vindicatiuæ justitiæ quæ est virtus specialis. Probatur. Quatuor sunt modi pœnitendi, quorum vnusquisq; sufficit ad delendum peccatum mortale. Sed isti actus non sunt ejusdem virtutis, nam primus justitiæ; vltimus patientiæ, duo intermedii cujuscunq; virtutis appetitiuæ. Ergo actus requisitus ad delendū peccatum non est vnius determinatæ virtutis. Major Probatur ex Ezechiele capite 18. *Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, &c.* Vbi Propheta aperte dicit, peccatum remitti per pœnitentiam; pœnitentia autem est punitio voluntaria, quæ fit quatuor modis, vt dixi Articul. 4. Quæst. 1. Ergo quolibet illorum quatuor modorum remittitur peccatum.

DICES Peccatum non dimittitur per volitionem pœnæ, sed per nolitionem culpæ. Ergo. Isti tres modi præter secundum, nimirum detestationem, non dimittunt peccata.

RESPONDEO. Quòd in his quatuor modis includitur nolitio culpæ, nam dum quis vult pænam pro peccato, simul habet nolitionem peccati; quia nemo potest velle pœnam debitam pro peccato, & non odire peccatum.

Actus pœnitendi non est necesse vt sit virtutis alicujus.

QVANTVM AD SECVNDVM. Dicit non esse necesse, quod actus pœnitendi quo peccatum mortale deletur sit actus genitus ab aliqua virtute, quæcunq; illa sit. Probatur. Quandocunq; sunt actus duo æquè perfecti secundùm omnes circumstantias morales, ambo æqua-

bo æqualiter sunt DEO accepti, & grati. Sed sic est quod antequam virtus sit genita, potest haberi actus ita perfectè circumstantionatus secundùm circumstantias morales, sicut post adeptam virtutem. Ergo talis actus æquè erit gratus, & acceptus DEO, sicut actus ex virtute genitus, & ita poterit delere peccatum sicut actus ex virtute genitus.

QVANTVM AD TERTIVM PVNCTVM. Quomodo scilicet actus pœnitentiæ quo deletur peccatum mortale habeat se ad gratiam?

NOTA 1. Ordo qui seruatur in justificatione impii adulti juxta D. Subtilem est talis. 1. Supponit. Quod peccator post peccatum commissum manens in reatu peccati, dum incipit conuerti ad Deum, potest ex suis viribus naturalibus cum influentia communi Dei, considerare peccatum commissum, vt offensiuum DEI, & vt contra legem Diuinam, & vt auersiuum à DEO, & vt impeditiuum præmii, & vt inductiuum supplicii, & sub alijs rationibus. Habita hac consideratione. Voluntas duobus modis potest peccatum istud detestari. Vno modo sub aliqua vna istarum conditionum tantùm, vel aliquibus pluribus, non tamen sub omnibus. 2. Modo potest illud peccatum detestari sub omnibus circumstantiis moralibus debitis, qui motus, & detestatio vtraq; vocatur à D. Subtili attritio, & est dispositio, siue meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis: & motus iste debet certum tempus ex decreto Dei durare, in cujus vltimò instanti gratia infunditur, quantum autem sit istud tempus, non est certum: debet etiam habere certam intensionem, qua si careat non est perfectè circumstantionatus. Differentia verò est inter istos motus; quia non est certum ex voluntate Diuina, an detestatio primo modo, non perfectè circumstantionata, sit sufficiens dispositio ad delendum peccatum mortale, secundo modo motus est sufficiens dispositio; ista tamen dispositio, non præcedit tempore infusionem gratiæ, ita vt inter ipsam, & instans in quo infunditur gratia, mediet aliqua duratio temporis, sed præcedit tempore, quia ipsa fit in tempore, quo completo in instanti immediatè sequenti infunditur gratia, & attritio formatur; ita vt in illo instanti temporis adsint illa tria signa naturæ. In primo habetur attritio in esse completo, in genere moris, & naturæ: insecundo creatur gratia in anima ejus, qui justificatur. In tertio, actus ille formatur gratia inhærente animæ justificati, & inclinante ad motum, & actum illum.

Ordo justificationis.

Attritio est dispositio siue meritum de congruo.

Dispositio quomodo sit in tempore.

NOTA 2. Per motum hunc in genere moris, quem naturalem appellat,

Quid per

motum in genere motu intelligat appellat, non intelligit motum factum ex puris viribus naturæ, absq; auxilio gratiæ, vt aliqui D. Subtili tribuunt, sed falsò, quia hoc Pelagianum est, sed intelligit motum factum auxilio Diuinæ prouidentiæ specialis, quod auxilium Diuinum vocat influentiam communem, qua Deus per suam prouidentiam omnibus illud largitur, ideò videtur esse quodammodo naturale, quia à primo Motore omnibus hominibus tribuitur. Voluntas ergo humana mota auxilio Diuino, & illi assentiens facit actum dignum de congruo, vt Devs creet gratiam habitualem, in ipsa, & justificetur, qua gratia habituali creata homo justificatur; & si perseueret in bonis operibus, vel in illo opere bono, post gratiam habitualem acceptam, opera illa sunt meritoria Vitæ æternæ de condigno jam, non de congruo.

Nota 3. Quando D. Subtilis *in 4. dist. 14. q. 2. §. Ad huius intellectum* dicit: quod potest homo ex puris naturalibus cum communi influentia considerare peccatum commissum, vt offensiuum Dei, excludit tantùm gratiam habitualem, quia ibi inquirit, an dispositio præuia informis sufficiat, non autem excludit auxilium Dei, neq, asserit quòd vltima dispositio ad gratiam sit ex nobis, cum apertè gratiam Dei præuenientem admittat, vt in *1. d: 44. q. vnica. Num. 4. ait. Quemlibet peccatorem saluari posse, quia inquit potest Deus eum sua gratia præuenire.* Et in 4. dist. 20. q. vnica dicit ex S. Augustino. *Opus DEI esse non hominis poenitentiam fructuosam inspirare.* Et infra dist. 22. art. 2. ait: *Deum propter merita mortificata citiùs dare gratiam ad resurgendum.* Et in 2. Dist. 9. q. 2. num 14. ait. *Hominem non posse efficere vltimam dispositionem ad formam supernaturalem.* Hoc idem docet Quodlib: 17. art. 1. & alibi sæpè.

Vltima dispositio ad gratiam nō est ex nobis.

Gratia quo modo est forma Virtutum.

Nota 4. Gratia est forma aliarum virtutum, non quod eis det proprium esse formale, sed quia aliarum virtutum dirigat operationes in vltimum finem, & quia dat actibus aliarum virtutum, & operibus nostris bonis, acceptabilitatem, & dat illis vt sint meritum de condigno vitæ æternæ. Ille ergo actus dicitur formatus qui elicitur ab existente in charitate secundùm inclinationem charitatis seu gratiæ: Ille verò informis, qui licet sit moraliter bonus, non tamen elicitur secundùm inclinationem gratiæ.

Meritum aliud de condigno

Nota 5. Meritum aliud est de condigno, aliud de congruo. Meritum de condigno strictè, & in rigore, est actio libera cui debetur ex

justitia aliquod præmium: Ad hoc meritum requiritur dignitas operis, & personæ, & lex statuta de concessione præmii sibi respondentis. Meritum de congruo est actio libera, cui congruum est & par, vt aliquod præmium correspondeat; hæc autem congruitas contingit vel propter dignitatem operantis. V. G. alicujus justi pro peccatore orantis, qui dignus est vt sua oratio exaudiatur, vel propter legem à Deo statutam de concessione alicujus præmii. *gruo, aliud de condigno*

DICO I. Actus requisitus ad deletionem peccati mortalis, vt dispositio præuia, & vt meritum de congruo, non est necesse, quod sit formatus gratia. Patet ex Notandis quia talis actus præcedit remissionem peccatorum, & infusionem gratiæ. *Actus requisitus ad deletionem peccati non est necesse vt sit formatus gratia.*

DICO 2. Actus concomitans deletionem peccati mortalis, est formatus gratia: Probatur. Quia in illo instanti in quo peccatum deletur gratia inest, & consequenter actus requisitus, vt concomitans deletionem peccati, necesse est vt sit gratia formatus: nam vt dixi in primo Notando, in tertio signo actus ille continuatus, dicitur gratia formatus. DICES. Sequeretur ex hoc, quòd non per contritionem deleretur culpa, quia non est contritio, nisi in tertio signo naturæ, cum tamen in secundo signo deleatur. RESPONDEO. Quòd Deus disposuit dare gratiam huic homini per attritionem tanquam per meritum de congruo, non tamen dat in principio attritionis, oportet enim continuare attritionem per certum tempus à Deo institutum, quo transacto Deus statim dat gratiam, tanquam per meritum de congruo, quatenùs autem eadem attritio continuatur, vsq; in instans infusionis gratiæ, in quo instanti hic actus, accipit esse contritionis per istum actũ, & sic attritio fit contritio sine omni mutatione reali actus. Dicitur autem DEVS dare per istum actum gratiam, tanquam per dispositionem concomitantem. Si DICAS. Contritio sequitur remissionem peccati, Ergo non remittitur per contritionem peccatum? RESPONDEO. Concedi debet quod contritio deleat peccatum in sensu diuisionis, nam iste ille idem est motus informis, & formatus, informis est dispositio præuia remissionis culpæ: & sic dicitur contritio delere culpam: in sensu autem composito contritio, id est actus iste formatus gratia, non delet culpam, quia est natura posterior dimissione culpæ. *Actus concomitans deletionem peccati est formatus gratia.* *Quomodo contritio deleat peccatũ*

COLLIGE.

Collige. D. Subtilis *loco citato Num. 16.* dicit quòd in instanti præmiationis de condigno, non potest poni obex, in instanti verò præmiationis de congruo potest poni obex, & sic in termino meriti de congruo, potest aliquis non habere illud quod meruit, quia posuit obicem.

ARTICVLVS V.

Vtrum pœnitentia sit virtus supernaturalis, & infusa, vel naturalis & acquisita.

Virtus alia infusa, alia moralis.

Nota 1. Duplices esse virtutes Theologi affirmant: alias Theologicas, alias morales acquisitas. Virtus infusa est habitus, qui ab alia causa produci non potest, nisi à solo Deo: Acquisita verò virtus est habitus, cujus propria est causa exercitatio, & consuetudo, licet & talis habitus possit à Deo infundi, sed jam dicetur infusus per accidens. Porrò multi Thomistæ affirmant præter morales virtutes acquisitas, concedendas esse morales suapte natura, & per se infusas, quæ differunt à moralibus suaptè natura acquisitis, quam opinionem Medina *1. 2. q. 63.* artic. 3. dicit Sacris Scripturis, Conciliis esse consentaneam, adeò vt negare virtutes morales infusas sit ingens temeritas.

Differentia inter virtutes Theologicas & morales.

Nota 2. Virtutes Theologicæ differunt à moralibus objecto, materia, & fine, nam Theologicarum, objectum, materia, & finis, est Devs, moralium verò res ratione recta præscripta. Quod si dicas, obedientia, pietas, & Religio in Deum sunt virtutes ad mores pertinentes, & tamen habent Deum objectum, similiter pœnitentia, quâ Deo pro peccatis commissis satisfacimus. Respondeo. Prædictas virtutes non versari circa Deum tanquam circa proprium objectum: nã Religionis objectum est cultus, qui Deo debetur; pietatis honor, & reuerentia, quæ Deo defertur; obedientiæ obsequium, quod Deo præstamus, & quod ei tanquam Domino paremus: pœnitentiæ verò est actus, quo Deo pro peccatis charitatis impulsu, & imperio satisfacimus. Secundo. Differunt virtutes Theologicæ à moralibus: quia Theologicæ, Diuinæ regulæ innituntur, morales recta ratione diriguntur.

Religionis objectum cultus.

Non dantur virtutes infusæ morales.

Dico. 1. Præter virtutes infusas Theologicas, & morales acquisitas, non esse aliquas morales per se, & natura sua infusas à solo Deo. Ita D. Subtilis in 3 d 36. q. vnica § *Licet de istis virtutibus moralibus*, Henricus quodlib: 6. q. 12. Occam. in 4. d. 33. Basolus in 3. dist. 33 q. 2. & alii,

Probatur conclusio. Nulla adest necessitas ponendi has virtutes morales per se infusas. Ergo non sunt ponendæ. Antecedens probatur. Quia si essent necessariæ, vel essent necessariæ ex proportione effectus ad causam: vel ratione obiecti formalis: tandem ratione finis. Non primum: nam non est ratio quod virtutes Theologicæ: quæ sunt principia infusa efficiant alias virtutes morales à naturalibus, sed sufficit quòd alio modo eas dirigant, ac faciāt principia naturalia, quia alio modo secundùm fidē debemus exercere actū castitatis, temperantiæ, justitiæ, &c. Alio modo secundùm lumen naturale; atq; ita hæ virtutes morales infusæ, non sunt necessariæ propter cōplementū naturæ, quia morales naturales sufficiūt ad complementū naturę secundúm Esse naturale, Theologicę verò complent, secūdùm Esse supernaturale. Nō ratione obiecti formalis, quia cùm duplex sit obiectum, scilicet naturale, & supernaturale, ad vtrumq; sufficiēter disponitur homo, & simpliciter perficitur in se, & ad alia extra se, & ad Deum, per virtutes morales & Theol: vt D. subtilis probat *in 3. dist: 34.* Ergo non sunt admittédę virtutes morales infusæ. Instat Caietanus. Si ratio hæc Scoti valeret, sumpta ex parte obiecti, quia scilicet vnicū est obiectum supernaturale, ad quod virtutes Theologicæ sufficienter disponunt, & ordinant, & ideò non sunt ponendæ virtutes morales infusæ, sequeretur quòd non esset necesse ponere virtutes purè infusas Theolog: quia Fides, Spes, & Charitas acquisitæ, perficiunt nos in ordine ad Deum, nihil enim diligitur charitate infusa, quod non diligatur charitate acquisita. Sed consequens est inconueniens. Ergo. Respondeo. Ex fide habetur, non autem naturaliter est notum, dari in nobis virtutes infusas, vt probat Doctor Subtilis *in 1. dist: 17. & in 3. dist: 23.* Atqui ex fide non habemus virtutes infusas morales dari. Ergo non sunt ponendæ. Non ratione finis. Quia omnes actus virtutum moralium possumus ordinare ex charitate ad finem supernaturalem. Ergo virtutes infusæ morales sunt superfluæ. Respondet. Caietanus *2. 2. q 63. art: 3.* Quòd Fides, & Charitas, tendunt immediatè in finem, qui est Deus non in media, virtutes verò morales infusæ tendunt immediatè in media ad finem hunc consequendum. Contra Fides nostra, non solùm est immediatè de fine vltimo sed etiam est immediatè de mediis ad illum consequendum, vnde quod est de ratione vnius virtutis, non potest aliis tribui.

Obiiciunt. Deus in multis locis sacræ Scripturæ dicitur esse

author virtutum, vt Sapientiæ 8. *Sobrietatem enim & prudentiam docet, & iustitiam & virtutem.* id est fortitudinem. Ibidem dicitur: *Et vt sciui quoniam aliter esse non possem esse continens, nisi DEUS det.* Ergo virtutes morales à DEO infunduntur.

RESPONDEO: In primo testimonio sapiens ostendit sapientiam esse matrem virtutum moralium. In posteriori loquitur de continenda, & conseruanda sapientia, non autem de continentia virtutis castitatis, quæ est virtus moralis.

Pœnitentia virtus non est infusa.

DICO 2. Pœnitentia virtus, & actus eius secundùm se, & intrinsecè, non est infusus, nec supernaturalis. Ita D. Subtilis *in 4 dist: 14. q 2. ad vltimum.* Durandus *in 2. dist: 28. q 5.* Gabriel Biel. *in 4 dist. 14. q. 1.* & alii. Probatur 1. Virtutes supernaturales & infusæ sunt tantùm tres. Ergo pœnitentia non est virtus supernaturalis, nec infusa. Confirmatur; Quia quælibet virtus infusa, & actus eius habet immediatè pro obiecto DEUM. Atqui virtus pœnitentiæ & actus eius non habet immediatè DEUM pro obiecto, sed peccatum punibile, vt est contra legem DEI, & bonum commune. Ergo pœnitentia ex suo genere, non est virtus infusa. Neq; valet si dicas quòd pœnitentiæ actus habet quidem peccatum pro obiecto, sed vt est offensiuum DEI; non inquam valet, quia consideratio ista peccati, vt est offensiuum DEI, vt vltimi finis, pertinet ad actum Charitatis, non verò pœnitentiæ, vt dixi Articulo 2. Probatur 2. Omnis virtus, vel est Theologica, vel moralis: At pœnitentia non est Theologica virtus. Ergo est moralis. Atqui omnis virtus moralis est naturalis, & acquisita, non supernaturalis. Ergo pœnitentia est virtus naturalis, & acquisita, non infusa. Probatur 3. Ratio propter quam ponitur pœnitentia esse virtus infusa, est vt saluentur Scripturæ, & auctoritates Patrum, & Conciliorum, quæ dicunt poenitentiam esse à DEO, quas in obiectionibus afferemus. Sed optimè saluantur prædictæ authoritates secundùm opinionem nostram; nam licèt dicamus pœnitentiam esse naturalem & actum illius, tamen ad hoc vt actus iste pœnitētiæ sit fructuosus, & talis qualem Deus exigit ad delenda peccata; necesse est, vt procedat ex charitate & auxilio Diuino, quod Concilium Tridentinum *Sess: 6. c. 6.* indicat, addendo istam particulam (sicut oportet): Et sic non quælibet poenitentia est apta nata delere peccatum, sed illa solùm, quæ est cum relatione extrinseca ad charitatem; nulla enim virtus inclinat ad finem

finem vltimum, nisi mediante illa virtute, cuius est respicere finem vltimum per se, & immediatè, qualis est charitas, vna quæque tamen virtus est perfecta in sua specie.

Pœnitentia non habet Deum pro fine & obiecto intrinseco.

OBIICIUNT 1. Thomistæ illa est virtus infusa ex suo genere, quæ ordinat hominem ad amicitiam Dei, siue quæ habet Deum pro fine intrinseco. Sed pœnitentia est hujusmodi. Ergo. Minor probatur quia proprius actus pœnitẽtiæ est pœnitere de peccato tanquam offensa Dei, & reconciliare hominem cum Deo, & eum in ejus amicitiam restituere.

Respondeo: Nego minorem. Ad probationem dico: Pœnitentia si consideretur in se, & intrinsecè non habet Deum pro fine, & objecto, neq; amicitiam Dei, sed solùm extrinsecè, & ex relatione ad charitatem: & licèt poenitentia Euangelica, vt est particularis virtus moralis respiciat peccatum, vt est offensiuum Dei, non tamen respicit peccatũ vt est offensiuũ Dei, vt dilecti, & vt vltimi finis immediatè, sed quatenus est offensiuum Dei, vt est primus, & supremus legislator. Quod autem vltimatè reducatur in Deum, hoc non vrget, quia sic omnes virtutes morales reducuntur ad Deum, non tamen sunt infusæ, vel supernaturales.

OBIICIUNT 2. Ille est actus supernaturalis, qui viribus naturalibus acquiri non potest. Sed actus poenitentiæ est talis, quia necessarium est auxilium speciale Dei; ergo poenitentia & actus ejus est supernaturalis. Major patet ex notando. 1. Minor probatur ex SS. literis. *Joann: 6.* dicitur: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* 2. ad Timoth: 2. *Ne quando Deus det illi poenitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscat à laqueis diaboli.* S. Aug: *lib: 5.* contra Julianum, *cap: 3.* ait: *Nisi ipse dederit, quis aget poenitentiam?* CONFIRMATUR in Tridentino *Sessione 6 cap 6.* & *Canone 3.* dicitur: *Si quis dixerit sine praeuenienti Spiritus sancti inspiratione, atq; eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Hoc loco Concilium docet, eodem modo necessariam esse gratiam ad actum poenitentiæ, sicut ad actum fidei & charitatis. Ergo sentit eodem modo actum pœnitẽtiæ esse supernaturalem, sicut actum fidei, & charitatis.

Pœnitentia dupliciter consideratur.

RESPONDEO: Actus pœnitentiæ duobus modis consideratur. Uno modo: vt est actus poenitentiæ virtutis moralis nudæ, absque relatione extrinseca ad charitatem. Secundo modo: vt includit relationem extrinsecam ad Charitatem, & est ordinatus ad beatitudinem.

Primo modo est actus bonus moraliter, & hic viribus naturalibus haberi potest. Secundo modo à solo Deo inspiratur, & de isto loquuntur authoritates sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, non autem de primo, de quo nos loquimur. Ita & Concilium Tridentinum intelligit: non enim est par ratio de actu Fidei, Spei, & Charitatis, & de actu pœnitentiæ: quia illæ sunt virtutes Theologicæ, & supernaturales ex suo genere, at pœnitentia non est sic. Unde Concilium addidit hanc particulam (sicut oportet) vt indicaret de quo actu pœnitentiæ intelligat, nempe de illo, qui habet ordinem ad Charitatem, non autem de actu pœnitentiæ nudo.

Obiiciunt 3. Aliquis actus pœnitentiæ est vltima dispositio ad gratiam. Sed dispositio ad gratiam est supernaturalis. Ergo actus pœnitentiæ debet esse supernaturalis. Respondeo. Pœnitentia, quæ est sufficiens dispositio ad gratiam, est supernaturalis, sed cum relatione ad Charitatem, quæ competit meritò de congruò, vt acceptetur à Deo, Pœnitentia verò vt est virtus moralis nuda, non est dispositio congrua, neque sufficiens ad gratiam habitualem.

Virtutes ex duplici lumine generantur.

Dico 3. Sicut virtutes in nobis possunt generari ex duplici lumine, scilicet: naturali, & supernaturali; ita & virtus pœnitentiæ ex lumine naturali, & alia ex lumine supernaturali. Prima pars probatur, quod virtutes generentur in nobis ex lumine naturali, quia omnis virtus moralis appetitiua, habet regulam in intellectu, secundùm quam regulatur, virtus enim debet esse conformis rectę rationi: & ex hac regula generantur in nobis virtutes morales naturales, aliæ virtutes morales generantur in nobis ex lumine supernaturali. V. G. Omnia dimittenda sunt propter Christum. Prælatis obediendum est in omnibus licitis: & sic paupertas Euangelica, obedientia, castitas, &c. sunt virtutes morales, ex principiis ortæ, & veritatibus reuelatis. Dixi. Sunt virtutes morales, quia secundùm perfectam & rectam rationem, licèt non purè naturalem, ex more, id est: ex frequenti electione generantur in nobis: habita enim reuelatione quod paupertas voluntaria est medium ad vitam æternam, possum me velle exercere in paupertate, & sic & in aliis virtutibus.

Paupertas generatur ex lumine supernaturali.

Secunda pars probatur. Pœnitentia enim quæ dictat esse peccatum detestandum potest oriri, ; vel ex regula lumine naturali nota, vt ex hac: De peccato est displicendum, & ex hac regula pœnitentia orta, est vitus

moralis naturalis; vel ex regula lumine supernaturali nota, quæ dictat peccatum esse detestandum, in quantùm est offensiuum Dei, auersiuum à Deo, impeditiuum beatitudinis, inductiuum pœnæ inferni, & hæc regula est ex reuelatione Dei nota: ex qua pœnitentia orta est pœnitenti virtus moralis, sed non purè naturalis, sed Euangelica: est tamen moralis, quia potest naturaliter, & ex more, nempe ex frequentatis actibus generari in nobis. Ex hac regula, & veritate Euangelica, nobis reuelata: *Poenitentiam agite, &c.* Hinc.

Pœnitentia quando virtus Euangelica.

Collige. 1. Stando præcisè in actu virtutis pœnitentiæ Euangelicæ, actus ejus non elicitur propter amorem Dei, & talis actus non est meritorius, neque fructuosus quatenus verò includit relationem ad Charitatem est fructuosus; sed hæc relatio ad charitatem est extrinseca pœnitentiæ virtuti speciali.

Collige 2. Pœnitentia vt est virtus Euangelica, quæ detestatur peccatum, vt est offensiuum Dei, detestatur illud, non quatenùs DEUS est dilectus, sed quatenùs est supremus legislator, cui est obediendum: vnde licèt omnes virtutes Euangelicæ ordinentur ad charitatem, tamen habent etiam suos limites & fines.

Collige 3. Cùm dicitur actus pœnitentiæ fructuosus debet elici ex charitate, non intelligas, quòd debeat elici à charitate inexistente, id est: gratia habituali iustificante, sed quia debet elici ex motiuo charitatis, ita vt sit aptus natus generare habitum charitatis, cùm elicitur ex impulsu dilectionis Dei.

ARTICULUS VI.

An in statu innocentiæ fuisset Pœnitentia?

Nota. Doctor Subtilis tangit hanc difficultatem *in 4. dist: 14. q. 2. ad 3tium.* Ubi ponit duplicem modum dicendi. Primus est: Quòd in statu innocentiæ solùm fuissent illæ virtutes, quæ habent pro obiecto bonum; non autem illæ, quarum obiectum est malum. Sed virtus, quæ pro obiecto respicit malum, est in nobis supplementum defectus naturalis: cùm ergo in statu innocentiæ, nullus fuisset defectus naturalis, ideo ibi non essent prædictæ virtutes, quia non fuisset ibi necessitas habendi illas, & sic non fuisset ibi patientia, quia nec materia patientiæ. Tum quia

virtus versatur circa difficilè. Atqui in statu innocentiæ non fuisset facere bonum difficilè, quia non fuisset pugna inter rectam rationem, & virtutes sensitiuas. SECUNDUS MODUS dicendi est: Cùm virtus pœnitentiæ in prima sui significatione est iustitia vindicatiua, cuius munus est vindictam de reo sumere, siue reus sit ipsemet vindicans, siue alius, & sic possumus concedere in statu innocentiæ potuisse esse poenitentiam, non secundùm actum, sed secundùm habitum.

In statu innocentia fuisset pænitentia quod adhabitum.

Dico itaque: Secundus modus dicendi est probabilior. Probatur. Quia innocens & beatus, possunt habere habitum prompte vindicandi peccatum in alium reum Ergo potest manere habitus in illis vindicandi in seipso peccatum, si ipsi essent rei peccati: Poenitentia enim vt est virtus, est habitus vindicandi peccatum in reo. Jlla autem conditio in se, vel in alio est conditio accidentalis, quæ non variat rationem formalem habitus.

PETES I. *An in Christo Domino fuerit Poenitentia?*

Respondent aliqui fuisse quoad habitum, non quoad actum: quia conceditur hæc virtus manere in Beatis. Respondent alii & fortè meliùs. Neque quoad actum, neq; quoad habitum, nam stante vnione beatifica, & vnione hypostatica, de lege ordinaria, impossibile erat, quòd peccaret, ideo frustra poneretur in eo poenitentia.

SECTIO III.

Utrum pænitentia virtus sit tantùm vnius pœnæ inflictiua?

Videtur quòd sic:

1. Vnius culpæ, vna est pœna ordinatiua: quia & vnius deordinationis, vna est ordinatio. Sed virtus pœnitentiæ est inflictiua pœnæ, vt ordinet culpam. Ergo vni culpæ per pœnitentiam debet correspondere vna pœna, nulla enim pœna duplici pœna sufficienti punitur.
2. Pœnitentia est quædam iustitia particularis, scilicet vindicatiua. Sed iustitia reddit æqualè, pro æquali: vna autem pœna est æqualis vni culpæ, Ergo vni culpæ non debent ex pœnitentia infligi plures pœnæ.
3. Unius virtutis est vnicum obiectum, & vnicus actus. Sed pœnitentia est vnica virtus. Ergo debet habere vnicum obiectum, scilicet vnicam pœnam, & vnicum actum; & sic debet infligere vnicam pœnam, non plures.

NOTA

Nota. Cuicunque virtuti appetitiuæ correſpondet dictamen prudentiale, ſeu regula à quâ dirigitur in intellectu, quæ dictat voluntati, vt benè moraliter poſſit elicere actum virtuoſum, talis prudentia ſiue regula correſpondet etiam pœnitentiæ. Duplex autem regula, ſeu dictamen prudentiale reperitur, quod regulat voluntatem noſtram: quædam naturalis, ad cuius notitiam intellectus lumine naturali deuenire poteſt: quædam ſupernaturalis, ad cuius cognitionem non poteſt intellectus ex propriis viribus, ſed tantùm per reuelationem. Oportet ergo inueſtigare iſtam regulam, ſiue hoc dictamen rationis, ſecundùm quod pœnitentia virtus regulatur, & iuxta hoc iudicandum erit, cuius pœnæ, an vnius, vel plurium iſta virtus ſit inflictiua. Duplex autem hæc regula eſſe poteſt pœnitentiæ punitiuæ. Prima eſt naturalis, naturaliter nota, & eſt hæc: Diſplicendum eſt de peccato. Secunda eſt ſupernaturalis, ex reuelatione Diuina nota, vt hæc: Peccatum eſt deteſtandum, vt eſt offenſiuum Dei auctoris ſupernaturalis, & impeditiuum beatitudinis ſupernaturalis, & inductiuum pœnæ. Huic regulæ correſpondet in voluntate virtus pœnitentiæ, ſed non illa poenitentia, quæ eſt virtus moralis naturalis correſpondens priori regulæ, quæ eſt dictamen rectum rationis naturaliter notum.

Qualibet virtus appetitiua, habet regulam in intellectu.

Duplex pœnitentia regula.

Dico 1. Pœnitentia naturalis, quæ habet regulam naturalem, vnam tantùm pœnam infligit, ſcilicet diſplicentiam de peccato, ad quam diſplicentiam, ſequitur triſtitia in voluntate, quæ eſt vnica, & prima pœna. Ratio eſt quia regula, & dictamen rectum rationis, à quo illa regulatur, & ſecundùm quod gignitur, non dictat aliam poenam peccato eſſe infligendam.

Pœnitentia naturalis vnam pœnam infligit.

Dico 2. Pœnitentia habens regulam ſupernaturalem, ſcilicet Euangelica, eſt plurium pœnarum inflictiua, nempe illarum, quas ſua regula, quæ eſt reuelatio Diuina dictat, & præcipit; vt ſunt: Confeſſio, Contritio, Satisfactio, Jeiunium, Lachrymæ, Eleemoſynæ, Orationes. Probatur. 1. ex SS. literis Joëlis, *cap. 2.* dicitur: *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.* Ecce præcipitur Contritio. *Jacobi* 5. dicitur: *Confitemini alterutrum peccata veſtra.* Ecce præcipitur Confeſſio. Joëlis 2. dicitur: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & fletu, & planctu.* Ecce indicantur aliæ pœnæ. Et Matthæi 3. dicitur: *Facite dignos fructus poenitentiæ*, id eſt: orate, jejunate, Eleemoſynas date, vt exponit S. Aug. *libro de vera & falſa poenitentia cap.* 14. & 15.

Pœnitentia Euangelica plures pœnas infligit.

Probatur

Probatur 2. Poenitentia est iustitia punitiua, secundùm legem Diuinam. Atqui secundùm legem DEI oportet plures pœnas infligere, vt peccatum puniatur, vt constat ex authoritatibus sacræ Scripturæ citatis. Ergo poenitentia Euangelica, est plurium poenarum inflictiua.

DICES. Si esset aliqua pœnitentia, quæ regularetur regulis supernaturalibus, non esset virtus moralis; quia ad cuius cognitionem requiritur regula supernaturalis, est supernaturale. Sed pœnitentia Euangelica est talis, quia notitia quæ est regula eius non est naturalis. Ergo. Item quælibet virtus moralis, regulatur lumine naturali.

Respondeo ad 1. Nego sequelam. Ad probationem dico: Non sequitur ex hoc quòd Regula istius virtutis est tantùm ex reuelatione, vel fide nota. Ergo non est virtus moralis: quia iuxta Arist: *2. Ethic: cap:* 1. Virtus moralis dicitur esse ex hoc, quòd est ex more, & consuetudine generabilis. Atqui appetitus ex cognitione tam naturali, quàm supernaturali, potest exercere aliquos actus rectos, & generare in se habitum. Ergo. Ad aliud dico: falsũ est, quòd quæuis virtus moralis regulatur lumine naturali, multæ enim regulantur virtute supernaturali, vt: Paupertas voluntaria, obedientia, &c. quarũ finis non potest naturaliter attingi, quia ordinantur ad finem, sub ratione superiori, quàm cognitio huius status se extendat. Si dicas: Ergo virtutes Theologicæ erunt virtutes morales, quia per actus frequentatos possunt acquiri. RESPONDEO: Nego. Non enim habent obiectum aliquod Ens creatum, sed ipsummet DEUM, vt probat Doctor Subtilis *in 3 dist:* 23.

Virtus moralis quid?

Ad 1. in oppositum RESPONDEO: Quòd pœna quæ ordinat culpam, consideratur, vel in se, vel in ordine ad offensum. Primo modo est vna, quia vnius peccati vna est pœna. Secundo modo est multiplex, secundùm voluntatem illius offensi. Atqui in sacris literis habetur quod DEUS offensus requirat multiplicem poenam, propter peccatum.

Ad 2. similiter dico: Vna pœna est æqualis vni culpæ, in se concedo: in ordine ad offensum nego. Neq; licet attribuêre crudelitatem non acceptanti vnam pœnam: quia ille est crudelis, qui pœna æquali culpæ non est contentus. At nulla est pœna æqualis culpæ commissæ in DEUM. Ergo. Ad 3 RESPONDEO: Quòd vnico actu poenitentiæ, possunt imperari variæ tristitiæ, per vnicum enim actum vindicandi, siue imperandi punitionem potest aliquis imperare omnes punitiones correspondentes huic

huic culpæ. RESPONDENT aliqui, quòd poenitentia est vnica virtus genere, multiplex specie.

QUÆSTIO II.
De Pœnitentia, vt est Sacramentum.

PRÆsentem Quæstionem in duas Sectiones diuidemus. In prima inquiremus: Vtrum per Sacramentum Poenitentiæ deleatur culpa. In Secunda, vtrum ista tria, Contritio, Confessio, & Satisfactio, sint partes poenitentiæ Sacramenti.

SECTIO I.
Vtrum per Pœnitentiæ Sacramentum deleatur culpa?

In Quatuor Articulos diuiditur præsens Sectio.

In primo quæretur, vtrum Pœnitentia sit Sacramentum?
In 2. Quid sit Pœnitentiæ Sacramentum?
In 3. A quonam, & quando fuit institutum Sacramentum Pœnitentiæ?
In 4. Quomodo Sacramentum Pœnitentiæ sit necessarium?

ARTICULUS I.
Vtrum Pœnitentia sit Sacramentum?

Fuit error antiquitus excitatus à Montanistis, & Nouatianis, vt ex S. Cypriano colligitur *libro 2. Epist: 4.* S. Aug: *lib: de hæresibus, c. 38.* Nimirū nullum esse Sacramentum pœnitentiæ; qui error fuit à tot seculis damnatus, & in inferno sepultus: quem deinde Lutherus & Caluinus hisce temporibus excitârunt. Lege Bellarminū *lib: 1. de poenit: C. 2 & sequentibus.* Probant 1. Scholastici Doctores, desudant quærendo quid in Poenitentia sit Sacramentum; & nihil determinant, sed totum negotium hoc in opinionibus consistit. Ergo. 2. Sacramentum est signum visibile, juxta sanctum August: *Sermone, de Baptismo ad infantes.* At Pœnitentia non est visibilis: Contritio enim, Confessio, Absolutio, immo & Satisfactio non sunt visibiles. 3. Cognitio peccati facit magis abundare peccatum. Ergo non est de peccatis cogitandum, aut dolendum. *Opinio hæreticorum de pœnitentia.*

 dum.

dum. Consequentia patet, quòd optima pœnitentia est noua vita: non ergo de anteactis peccatis est cogitandum. Confirmant voce Græca; μετάνοια quæ sonat resipiscentiam. 4. CHRISTUS Dominus nihil impossibilè injunxit. Sed Confessio peccatorum, & enumeratio eorum est impossibilis juxta Psalmum: *Delicta quis intelligit?* Et alibi: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.* Ergo non datur Sacramentum pœnitentiæ. 5. Non minoris efficacitatis est contritio in noua lege, atq; fuit in veteri. Sed tunc per solam contritionem remittebantur peccata. Ergo & modò, aliâs iniquior esset conditio Ecclesiæ, cum tanto onere, quàm Synagogæ absque illo. 6. CHRISTUS Dominus nullius confessionem audiuit. Sed sine confessione peccata dimisit, paralytico; Latroni in cruce, Magdalenæ. Ergo, nec modò talis requiritur pœnitentia, qualem Catholici requirunt. 7. Non potest assignari locus, in quo CHRISTUS Dominus instituerit hoc Sacramentum; non Ioan. cap. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* Nam in his verbis inquiunt hæretici, non designatur symbolum, nec forma, sed solùm ibi designatur legatio Apostolis ad prædicandum Euangelium. 8. Malè assignatur definitio Pœnitentiæ à Catholicis, quòd sit secunda post naufragium tabula; nam nullus est, qui tantùm vnum naufragium faciat in tota vita sua. Ergo &c.

Psalmo 18. *Psalmo 37.*

Pœnitentia est Sacramentum. Definitio Sacramenti.

DICO 1. Pœnitentia est Sacramentum propriè dictum nouæ legis. Probatur. Sacramentum est signum sensibile ex institutione Diuina, efficaciter significans gratiam, vel effectum gratuitū, ordinatum ad salutem hominis viatoris. Sed Sacramentū Pœnitentiæ est tale. Ergo. Minor patet: quia Pœnitentia est signum sensibile: Absolutio enim & Confessio, auditu percipi potest. Deinde, est signum efficaciter significans, & efficiens gratiam ex institutione Diuina, ordinatum ad salutem hominis viatoris, quæ sunt cæteræ conditiones Sacramenti.

Confirmatur ex Concilio Tridentino, vbi hæc veritas *Sess. 14. Can. 1.* definita est, sic: *Si quis dixerit in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse verè, ac propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi DEO reconciliandis, à CHRISto Domino institutum, anathema sit.*

NOTA. Hæreticos admittere aliquas conditiones, siue particulas definitionis Sacramenti, tamen alio modo eas, quàm Catholici intelligunt.

ſignat. Deinde aliquas addunt, quæ nulla ratione pertinent ad Sacramentum. Admittunt iſtas nimirum, quòd Sacramentum ſit Symbolum, ſiue ſignum externum, ſed Caluiniſtæ iſtud ſignum volunt eſſe viſibile, & palpabile, & ideò non admittunt niſi duo Sacramenta, ſcilicet Baptiſmum, & Cœnam, quia iſta ſigna ſunt viſibilia. Sed Catholici dicunt Sacramentum eſſe ſignum ſenſibile; nam ſanctus Auguſt: qui in definitione Sacramenti vtitur vocabulo (viſibile.) Per viſibile intelligit ſenſibile, vt colligi poteſt. Ex libr. Confeſſionum, cap: 33. *Vide quid ſapiat, vide quid oleat, vide quid ſonet, &c.* Admittunt etiam iſtas particulas ſignificans gratiam, vel effectum gratuitum, ſed iſtam (efficaciter) tollunt: non enim volunt Sacramenta eſſe ſigna efficacia gratiæ vt Catholici rectè admittunt. Ponunt enim hæretici ſolùm duos effectus in Sacramentis, nimirum obſignare promiſſiones DEI, & eſſe teſtimonia noſtræ pietatis coram DEO, Angelis, & hominibus, & ſic conſequenter differunt in vltimis particulis, ſcilicet illis (Ordinatum ad ſalutem hominis viatoris.) Nam Catholici docent Sacramenta eſſe inſtituta ad producendam gratiam juſtificantem, quâ viator obtinet vitam ęternam, & liberatur à peccato. Hæretici verò volunt Sacramenta eſſe tantùm ſigilla quædam, quæ inſtar miraculorum confirment & obſignent promiſſiones, nimirum fidem ac illam excitent, ac nutriant, vt faciunt miracula, ex qua fide apprehenſa per prædicationem dicunt hominem juſtificari, per ſolam apprehenſionem fidei, quâ credant peccata ſibi eſſe remiſſa. Sed contra hanc poſitionem hæreticorum ſic arguo: Ignotiùs non adhibetur ad probandum notius. Si ergo Sacramenta adhiberentur tanquam ſigilla ad comprabandam prædicationem Verbi DEI, neceſſariò deberent eſſe notiora, & efficaciora ad perſuadendam fidem, quàm ipſa prædicatio, & Verbum DEI: Sigillum enim Regis notius ac efficacius eſt, quàm litteræ Regis, quæ illo obſignantur, & miraculum notius, & efficatius eſt ad faciendam fidem prædicatam ab aliquo, quàm ipſa prædicatio. Subſumo: Sed Sacramenta non ſunt notiora Verbo DEI, quod confirmantur ex eo, & in ſacra Scriptura colligitur numerus, & ſubſtantia Sacramentorum. Tum quia nuſquam in SS. literis Sacramenta dicuntur teſtimonia promiſſionum, vt fingunt hæretici, ſed deſcribuntur vt inſtrumenta juſtificationis ad Titum 3 Baptiſmus vocatur lauacrum regenerationis, & renouationis, & de Euchariſtia *Ioan: 6.* dicitur: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

Viſibile, id eſt ſenſibile.

Sacramenta ſunt ſigilla juxta hæreticos.

Ratio contra hæreticos.

Pœnitentia non est Baptismus.

Dico 2. Pœnitentia est Sacramentum distinctum à Sacramento Baptismi. Ita Trident: *Sess*: 14. *Can*: 2. Probatur quia Sacramenta propriè dicta distinguuntur penes duo, penes signum sensibile, & penes effectum. Atqui Baptismus est signum sensibile diuersum à Pœnitentia: quia Baptismus est ablutio facta in aqua naturali cum his verbis: *Ego te baptizo*, &c. Pœnitentiæ autem signum sensibile est absolutio ipsa Sacerdotis, & confessio pœnitentis. Sed hæc sunt diuersa signa sensibilia, Ergo. Deinde sunt diuersa signata, & effectus, nam licet in vtroq; Sacramento significetur gratia iustificans, diuerso tamen modo significatur: quòd Baptismus est signum gratiæ quatenus liberat à peccato originali, & actuali simul adultos, sed Pœnitentia est signum gratiæ iustificantis quatenus liberat hominem à peccato actuali commisso post Baptismum. Præterea In omnibus Sacramentis est propria materia, & forma: Materia est fundamentum signi, forma est relatio signi ad signatum, siue signatio gratiæ. Atqui ista fundamenta sunt diuersa in Baptismo & Pœnitentia, nam in Baptismo fundamentum est totum illud ablutio, & verba, & relatio, ablutionis animæ à peccato significatio: In Pœnitentia autem fundamentum sunt absolutio & actus Pœnitentis; Relatio est signatio absolutionis animæ à peccato, actuali commisso post Baptismum. Porrò secundùm Scholam S. Thomæ, in Sacramentis est etiam materia, & forma diuersa.

In veteri lege non fuit Sacramentum Pœnitentia.

Dico 3. In lege naturæ, & in lege scripta veteri non fuit Sacramentum Pœnitentiæ. Ita comuniter omnes DD. Ratio est Tum quia Trident: *sess*: 14. *c* 1. definit, Pœnitentiam non fuisse Sacramentum, ante Christi Domini aduentum. Tum quia Sacramentum est res aliqua sensibilis efficaciter, & infallibiliter producens gratiam iustificantem, Sed Poenitentia in antiqua lege non fuit talis res sensibilis, sed solùm Pœnitentiæ virtus, vel contritio interna, juxta illud: *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Et juxta illud Psalmi: *Cor contritum, & humiliatum DEUS non despicies.*

Joel: 2. Psalmo 50.

Dices: Judæi confitebantur peccata sua, vt patet *Leuitici cap: 5.* Numerorum cap: 5. *Confitebuntur peccatum suum.* Et *Matth: 3* legitur quòd *Judæi accedentes ad prædicationem Joannis Baptistæ, ab eo baptizabantur in Iordane, confitentes peccata sua.* Ergo fuit in veteri lege Sacramentum Poenitentiæ.

Respon-

RESPONDEO S. Chryſoſt: Homil: 10. in Matth: ait: quòd illa confeſsio fuit propter humilitatem, & erat figura Confeſſionis Euangelicæ, non autē collata vlli fuit poteſtas abſoluendi homines à peccatis.

Ad 1. Hæreticorum Reſpondeo Theologi vnanimi conſenſu tenent Sacramentum Pœnitentiæ eſſe verè Sacramentum, & contineri in hoc aggregato ex actibus pœnitentis & abſolutione, & hoc eſt de fide: Diſſentiunt verò in hoc quodnam ſit Sacramentum formaliter ex prædictis, & quod res tantùm, quæ ad Quæſtionem fidei nihil pertinent. *Theologi tenent Pœnitentiam eſſe Sacramentum.*

Ad 2. conſtat, quòd per viſibile intelligatur ſenſibile.

Ad 3. Diſtinguo Antecedens In eo qui voluptatem intuetur, concedo; in eo, qui fœditatem peccati, nego: Peccatum enim ſimile eſt locuſtis Apocalypſeos facie muliebri, & cauda ſcorpionis: ſi faciem cum homine carnali cernas, moueberis: ſi caudam ſcorpionis cum pœnitente, terreberis. Ad probationem Conſequentiæ Dico certum indicium veræ poenitentiæ eſſe, ſi emendatio vitæ ſequatur; nam ſi hodie peccata defleas, & cras ad eadem redeas, ſimilis es cani reuertenti ad vomitum, & ſui lotæ, ad volutabrum luti. Vocula Μετάνοια, ſeu reſipiſcentia licèt videatur reſpicere terminum ad quem, non excludit poenitentiam quæ ſonat terminum à quo. *Apocal. 9.*

Ad 4. RESPONDEO. Licèt ſit impoſſibilis enumeratio omnium delictorum venialium, non tamen peccatorum mortalium, quæ poſt diligentem conſcientiæ diſcuſſionem memoriæ occūrrunt, quorum autem non meminimus, ea DEUS abſterget gratia ſua, quâ per abſolutionis verba animam lauat.

Ad 5. RESPONDEO. Negando iniquiorem conditionem Eccleſiæ, quam Synagogæ. 1. Quia Iudæis per ſolam contritionem peccata remittebantur, quæ eſt difficilior, & incertior, nobis verò per Sacramentum cum attritione. Deinde DEUS adeſt ad confeſsionis moleſtiam pœnitentibus ſua gratia, per quam experitur peccator ſe pondere peccatorum exonerari, percipit animi quietem, gaudium ſpiritus, & conſcientiæ pacem: nam pœnitentium lachrymæ omnes corporis delicias vincunt. Tertiò. Quia verecundia pœnitentis confitentis multùm ad ſatisfactionem iuuat, à peccatis retrahit, &c. *Melior eſt conditio Eccleſiæ ob confeſſionem quàm Synagogæ.*

Ad 6. Nego conſequentiam. Tùm quia CHRISTO Domino cum hominibus degente nondum erat inſtituta Confeſſio. Tùm quia Chriſto Domino

Domino qui intima cordis arcana intuebatur, cófessione non erat opus. Tùm quia erat author gratiæ, & Sacramentorum, nullis Sacramentis alligatus, sed sine Sacramentis poterat dare gratiam.

Ad 7. Constabit Articulo tertio. Ad octauum dico: Pœnitentiam meritò dici secundam post naufragium tabulam: Nam *Apoc: 2.* dicitur: *Memor esto vnde excideris, & poenitentiam age, & prima opera fac.* Quibus verbis intelligimus eum, qui vestem innocentiæ in Baptismo acceptam amiserit, per pœnitentiam recuperare posse, & ideò hac metaphorâ, tabulæ secundæ post naufragium jure designatur.

Dices Apostolos non legimus exegisse enumerationem peccatorum. Ergo. Respondeo. Multa sumus certi Apostolos fecisse & docuisse, quæ non sunt scripta.

ARTICVLVS II.

Quid sit Pœnitentiæ Sacramentum, & quæ sit eius essentia?

1. Opinio asserit essentiam Sacramenti Pœnitentiæ esse solùm actus pœnitentis. Ita Sotus *in 4. dist. 14. q. 2. Articulo 1.* Sequitur Ricardus & alij. Probat 1. authoritate S. Thomæ qui *3. p. q. 84. articulo 1. ad 2. ait.* Quòd Sacerdos absoluendo dat complementum huic Sacramento. Ergo absolutio non est pœnitentia, nec pars ejus essentialis, Ergo soli actus pœnitentis. 2. Compositum artificiale, non supponit pro materia & forma, sed pro materia sola connotando formam. Sed Sacramentum Pœnitentiæ est compositum artificiale. Ergo. Tertio Denominatio Sacramentorum fit à materia vt patet de Baptismo. Sed materia in Sacramento Pœnitentiæ, sunt actus ipsius pœnitentis, scilicet pœnitere, de peccatis dolere, confiteri illa. Ergo.

2. Opinio asserit Essentiam Sacramenti Pœnitentiæ, constare ex actibus pœnitentis vt materia, & ex absolutione vt forma. Est *S. Thomæ 3. p. Q. 84 art: 1.* Sequitur Durand: *in 4. q. 14. q. 3.* Suarez: *disp: 18. Sect. 2.* Richardus, Cajetanus, & alij. Probatur. Omne Sacramentum constat ex materia, & forma; Atqui materia hujus Sacramenti sunt actus pœnitentis, & absolutio forma. Ergo hoc Sacramentum constat ex materia & forma.

3. Opinio

3. Opinio asserit totam Essentiam Sacramenti Pœnitentiæ consistere in sola absolutione, connotando actus poenitentis. Ita Doctor Subtilis *in 4. dist: 14. quæst: 4.* Major: *Q. 2.* Gabriel *ibidem, art: 2.* Almayn: *q. 4.*

NOTA 1. Licèt ad Sacramentum plura concurrant, non tamen omnia sunt Sacramentum, vt patet in Eucharistia, ad quam concurrunt verba consecrationis, cum materia panis, tamen species consecratæ sunt solùm Sacramentum: ratio autem quare cum de ratione Sacramenti sint res, & verba, & vtrumq; illorum non est Sacramentum, sed alterum tantùm, id prouenit ex natura ipsius Sacramenti, efficit enim quod significat, & ejus similitudinem gerit, cujus causa existit, & quia alterum illorum solùm gerit similitudinem gratiæ, cujus causa existit, ideo alterum tantùm, & non vtrumque est Sacramentum: vt in Baptismo sola ablutio, abluens corporis sordes gerit similitudinem gratiæ abluentis animam, & non verba, & ideò solùm ablutio facta sub præscriptis verbis, est Sacramentum Baptismi. *Non simul per res, & verba sunt Sacramentum.*

NOTA 2. Loquendo de materia integra propriè Sacramenti Pœnitentiæ, materia est actus poenitentis, & absolutio sacerdotis: forma verò est relatio illa rationis, scilicet significatio illa absolutionis animæ à peccato: Loquendo verò de materia impropriè & metaphoricè, ista ambo sunt ex parte signi sensibilis, & illud est materia, quòd est magis determinabile, & potentiale, & illud forma, quod est magis determinatiuum, & sic actus pœnitentis sunt materia, absolutio forma, quia est maximè significatiua effectus hujus Sacramenti, scilicet absolutionis à peccato, & actus pœnitentis ordinantur ad absolutionem. *Materia Pœnitentiæ, absolutio propriè.*

NOTA 3. Etiamsi materia & forma sint partes Essentiales Sacramenti, quia ex illis signum sensibile, quod est fundamentum Relationis integratur, tamen nō semper ex æquò & intrinsecè pertinent ad Sacramētum, sed quandoq; forma est circumstantia quædam ipsius fundamenti, quandoq; est pars integralis ipsius fundamenti, & ex æquo, eum re fundat relationem, verbi gratia in Sacramēto Eucharistiæ verba consecrationis, quæ sunt forma, non esse de Essentia Sacramenti Eucharistiæ, quia verba sunt in fieri, Sacramentum verò Eucharistiæ est in facto esse, & est permanens; neq; ex æquo fundant relationem, sed res sunt fundamētum, verba sunt circumstantia fundamenti, necessariò requisita ad hoc, vt fundent relationem signationis.

Dico

Absolutio & actus pœnitentis sunt de integritate Pœnitentiæ.

Dico 1. Accipiendo Essentiam Sacramenti Pœnitentiæ, pro integra, & perfecta ratione Sacramenti Pœnitentiæ, & eorum omnium, quæ ad illud necessariò requiruntur; Absolutio, & actus pœnitentis sunt de Essentia Sacramenti pœnitentiæ. Probatur ex Tridentino, *sess: 14. c. 3.* Vbi actus pœnitentis dicuntur partes pœnitentiæ, quatenus ad integritatem Sacramenti ex institutione Diuina pertinent. Quare D. Subtilis *in 4. dist: 16. q 1.* dicit actus pœnitentis necessariò requiri ad hoc, vt Sacramentum pœnitentiæ dignè recipiatur. Et subdit Confessionem esse simpliciter necessariam, nam Sacerdos non absoluit reum arbitrariè, nisi priùs præcedat in confitente Confessio, attritio, siue contritio. Ergo ex D, Subtili actus Pœnitentis sunt de integritate Sacramenti pœnitentiæ. Confirmatur Quia idem D. *dist: 14. Q. 4.* dicit: *Poenitentia est absolutio hominis poenitentis.* Sed ille est pœnitens, qui habet illos tres actus, scilicet, Confessionem, Contritionem, & Satisfactionem. Ergo ex D. Subtili actus pœnitentis, sunt de integritate Sacramenti pœnitentiæ.

Sola absolutio est pars Essentialis pœnitentiæ.

Dico 2. Sumendo Essentiam Sacramenti pœnitentiæ pro quidditate & Essentia formali & quidditatiua signi sensibilis, quod est fundamentum Relationis, significationis, absolutionis animæ à peccato, sola absolutio est Sacramentum pœnitentiæ, non autem actus pœnitentis. Ita D, *in 4 d. 14 q 4.* Probatur: Illud est de ratione formali & quidditatiua Sacramenti pœnitentiæ, quod est propriè pars signi & fundamenti sensibilis pœnitentiæ. Sed actus pœnitētiæ non sunt pars fundamenti, & signi sensibilis Sacramenti pœnitentiæ. Ergo Minor probatur signū sensibile siue fundamentum, super quod fundatur Sacramentū Pœnitentiæ. significat absolutionem animæ à peccato. Sed tale signum est absolutio pœnitentis, non actus ejus, quia gratia nō datur tempore confessionis, neq; satisfactionis; quia hoc Sacramentum non esset signum demonstratiuum, sed prognosticum gratiæ.

Sacramenta efficiunt, quod significant.

Confirmatur 1. Sacramentum Poenitentiæ efficit, quod significat. Sed actus poenitentis non significant remissionem peccatorum, Ergo sola absolutio est pars essentialis Poenitentiæ.

Minor probatur Quia Sacramentum Poenitentiæ est causa instrumentalis gratiæ Sacramentalis: sola autem abslloutio est talis; nam causa instrumentalis simul est cum suo effectu. Sed gratia Sacramèntalis non datur tempore actuum Poenitentis, sed solùm absolutionis,

tunc

tunc enim remittuntur peccata virtute clauium. Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata.* &c. Ergo.

DICES 1. Concilia Florentinum, & Tridentinum docent, omne Sacramentum constare ex materia, & forma. Sed si absolutio est totum Sacramentum vt vult Scotus non dabitur materia quæ sit pars hujus Sacramenti; nam actus pœnitentis qui à Concilijs dicuntur quasi materia, non sunt pars materialis absolutionis. RESPONDEO, Sacramentum Poenitentiæ dupliciter consideratur. 1. pro aggregato ex omnibus quæ ad ipsius integritatem requiruntur, & sic actus pœnitentis sunt de essentia Pœnitentiæ, sicut & intentio Sacerdotis. 2. Secundùm suam rationem formalem, & quidditatiuam, seu secundùm rationem fundamenti, & signi præcise, & sic sola absolutio est de essentia Sacramenti Pœnitentiæ: actus verò Pœnitentis sunt circumstantiæ necessariò requisitæ ad fundamentum vt sit signum efficax, & fundet illam relationem, quæ est formale Sacramenti. Vnde Concilia notanter appellant actus poenitentis esse quasi materiam, non propriè materiam, nam propriè materia est, ex qua aliquid fit cùm insit, hoc est quæ manet, & inest composito.

Sacramentum Pœnitentiæ dupliciter consideratur.

Actus pœnitentis sunt circumstantiæ necessariò requisitæ.

DICES 2. Sacramentum pœnitentiæ est constructio intransitiua, sicut ista creatura salis: & facit hunc sensum Sacramentū quod est Pœnitentia. Sed absolutio non est Pœnitentia. Ergo absolutio non est Sacramentum poenitentiæ. Assumptum patet quia absolutio non est actus pœnitentis, sed Sacerdotis; Pœnitentia autem est actus poenitentis, quia poenitere est poenam tenere. Quare inferunt aduersarii Scotum sibi contradicere asserentem, Poenitentiam esse absolutionem pœnitentis, cum tamen in prima Quæstione *Dist:* 14. dixerit: Poenitere, esse poenam tenere.

RESPONDEO. Si sit sermo de poenitentia virtute, est constructio intransitiua, si de poenitentia vt est Sacramentum, est constructio transitiua: nam hic genitiuus Sacramentum Poenitentiæ significat causalitatem, & transitum in aliud, scilicet ad Sacramentum: poenitentia enim, id est actus pœnitentis, sunt causa vt absolutio sit Sacramentū, & habeat efficaciam: nam vt ait D. Poenitentia quæ est poenæ tenentia, non est Sacramentum in se, sed via ad Sacramentum, scilicet ad absolutionem: Actus verò poenitentis sunt dispositiones & conditiones necessariò præ-requisitæ ad absolutionem in qua formaliter, & completiuè consistit Sacramentum poenitentiæ.

Sacramentum pœnitentiæ, est constructio transitiua.

Si instes Sacramentum Baptismi, est constructio intransitiua, Ergo & Poenitentiæ Sacramentum est intransitiua. RESPONDEO: Non est parsano, quia ablutio est fundamentum, & signum principale, significans ablutionem animæ à peccato, verba verò sunt circumstantiæ illius ablutionis sequendo secundam opinionem explicatam à D. *in.* 4. *dist.* 3. *q.* 1. Atqui in poenitentia hoc fundamentum est sola absolutio, actus verò poenitentis sunt circumstantiæ absolutionis complentes ipsam in esse perfecto fundamenti, & signi sensibilis.

Definitiones pœnitentiæ.

QVANTVM *ad definitionem Sacramenti Poenitentiæ?*

NOTA. Variè à DD. definiri Soto 4. *dist.* 14 *q.* 1. *a.* 1. sic definit *Poenitentia est Sacramentum remittendi peccata, quæ post Baptismum committuntur.* Sed hæc definitio est diminuta, vt mox patebit. Suarez *Disp.* 18 *sect.* 3. *n.* 9. assignat talem definitionem. *Sacramentum Poenitentiæ est compositum morale, seu artificiale constans ex actibus Poenitentis, & verbis Sacerdotis institutum ad significandam & conferendam gratiam remissiuam peccati post Baptismum commissi.* Verum quia in hac definitione desunt aliquæ conditiones requisitæ ad Sacramentum Poenitentiæ, non est sufficiens.

Soti. *Suarez.*

Doctor Subtilis.

DOCTOR itaque Subtilis ita definit: *Sacramentum Poenitentiæ est absolutio hominis poenitentis facta certis verbis, cum debita intentione prolatis, à sacerdote jurisdictionem habente, ex institutione diuina, efficaciter significantibus absolutionem animæ à peccato.* In hac definitione pro genere ponitur *absolutio*; nam absolutio est fundamentum, & res sensibilis, super quam fundatur relatio rationis, constituens hoc Sacramentum, quæ est significatio absolutionis animæ à peccato, vt constat ex institutione hujus Sacramenti, in qua designat CHRISTUS Dominus absolutionem pro fundamento, & signo hujus Sacramenti. *Quorum remiseritis, &c.* Deinde genus debet esse quid commune conueniens pluribus quod per differentias contrahitur ad definitum, & talis est absolutio. Prima differentia est (*Hominis poenitentis*) quâ distinguitur ab aliis absolutionibus, factis in aliis judiciis, in quibus nō attenditur poenitentia rei, sed innocentia. Præterea designatur materia proxima & remota hujus Sacramenti, scilicet actus poenitentis & peccata. Explicatur etiam subjectum circa quod versatur hoc Sacramentum, & dispositiones necessariò requisitæ ex parte sua, vt sit capax huius Sacramenti. Secunda differentia est: (*facta certis verbis*) per quam designatur forma absolutionis de qua inferius.

Explicatur definitio.

rius. Tertia differentia est : (*cum debita intentione prolatū*) vbi indicatur quòd Sacerdos debet proferendo verba habere intentionem faciendi, quod Christus Dominus præcepit. Quarta differentia est. (*à Sacerdote jurisdictionem habente*) in qua designatur Minister Poenitentiæ cùm conditionibus requisitis de quibus infra. 5. Differentia est (*ex institutione Diuina efficaciter, &c.*) per hanc differt ab omnibus aliis Sacramentis, etiam â Baptismo, quia in illo non fit absolutio à peccato, sed mundatio totalis à culpa, & poena.

PROBAT D. Subtilis hanc definitionem. Primò quòd non contineat aliquid impossibile, sed quidquid in illa ponitur est possibile, & vnum non repugnat alteri : nam possibile est Deum absoluere animam à peccato, & hoc profitemur in Symbolo Apostolorum. Deinde possibile est Deum instituere aliquod sensibile quod sit signum talis absolutionis. Tandem possibile est quod hoc signum sit efficax absolutionis, ita vt non solùm significet, sed etiam ex institutione Diuina sit signum certum, & verum, non dubium. Deniq; possibile est instituere certa verba pro hoc signo, quæ dum à quocunque ministro idoneo proferuntur cum debita intentione sit signum efficax talis absolutionis animæ à peccato. Secundo, probat esse congruum, & conueniens dari in rerum natura quòd sit signum talis absolutionis. Congruum enim est, esse aliquod signum sensibile signans hanc absolutionem animæ à peccato. Quia homo viator inquirit cognitionem rerum ex sensibilibus, ex quibus deuenit in cognitionem effectus inuisibilis gratiæ. Tùm quia congruum est, vt hoc signum sit practicum & certum, vt viator ardenter illud quæreret, & magis moueret ; & duceret intellectum in certitudinem, & magis inclinaret voluntatem ad recipiendum illud. Tùm etiam congruum fuit, vt hoc signum absolutionis interioris institueretur in verbis significantibus absolutionem, vt signum repræsentet signatum. Tùm etiam congruum est, vt hæc absolutio fiat à Sacerdote jurisdictionem habente, quia sententia à judice non suo lata nulla est.

Probatur definitio.

Congruentia.

Ad 1. *Primæ opinionis* nego absolutionem esse complementum Poenitentiæ, sed esse Essentiam Sacramenti poenitentiæ, vt vidimus. Ad 2. RESPONDEO : Falsum est compositum artificiale supponere pro sola materia : statua enim Cæsaris supponit pro ære, & pro figura Cæsaris, quæ est forma statuæ : in proposito verò est magis falsum, quia Sacramentum est compositum artificiale, intentionale, significans gratiam

Absolutio est Essentia Pœnitentiæ.

gratiam. Ergo hoc Sacramentum debet supponere magis pro illa parte, quæ est magis & principalius significatiua; hæc autem est forma in hoc Sacramento. Ad 3. Concedo hoc Sacramentum denominari ab actibus poenitentis, qui sunt quasi materia hujus Sacramenti: neque est necesse, quod denominatio fiat ab Essentia rei, quandoque enim fit à notiori, quandoq; ab effectu, quandoq; à circumstantia necessaria, vt hic in proposito, cum actus pœnitentis sint circumstantiæ necessariò requisitæ ad ipsum Sacramentum.

Ad fundamentum 2. Opinionis constat ex dictis, & Concilium Tridentinum fauet nobis, *sess. 18. cap. 3.* dicens præcipuam esse vim in verbis Ministri.

ARTICVLVS III.

A quonam, & quando fuit Sacramentum Pœnitentiæ institutum?

Pœnitentia instituta à Christo Domino. Dico 1. Sacramentum poenitentiæ fuit institutum à Christo Domino. Est de fide, definitum in Tridentino, *sess. 14. c. 1.* Probatur. Quia potestas instituendi Sacramenta est apud solum Deum, qui nedum potest instituere signum sensibile ad signandum gratiam, sed ipse solus potest facere, vt sit signum verum, & efficax, id est vt conferat gratiam, quam significat.

Ioannis 20. institutio Pœnitentiæ. Dico 2. Sacramentum poenitentiæ institutum est *Joannis 20.* quoad omnes partes, scilicet Contritionem, Confessionem, Absolutionem, &c. Quando Christus Dominus post Resurrectionem insufflauit in Discipulos, dicens: *Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ita Trident. *sess. 14. cap. 5.* Aretinus *in 4. dist. 17. q. vnica. artic. 6. conc. 2* ex Doctore Subtili ibidem. Quare sic probatur Christus Dominus, *Joann. 20.* facit ibi Apostolos judices ministeriales, & arbitros judicandi, & dimittendi peccata hominibus; sed non potest Iudex judicare de peccatis occultis peccatoris, nisi peccator illa manifestet. Ergo necessariò requiritur Confessio. Necessaria etiam est displicētia de peccato, alioquin peccator non esset dignus venia, juxta alia præcepta Domini, & regulas Euangelicas. Ergo requiritur contritio vel attritio ex parte pœnitentis ad hoc, vt sit capax absolutionis. Quòd autem ibi instituta sit forma absolutionis

apertè

apertè constat ex his verbis: *Quorum remiseritis, &c.* Præterea, quòd hæc institutio poenitentiæ sit institutio Sacramenti, patet quia hic est signum sensibile, nempe absolutio, & Confessio: est etiam infallibilitas & efficacia gratiæ DEI. Hinc colligitur hoc loco, institutum esse Ordinem sacrum quoad actum secundarium, nimirum potestatem esse concessam Apostolis, & legitimis successoribus eorũ absoluendi fideles à peccatis.

Ordinis actus secundarius est absolutio.

NOTA Hæreticos dicere in his verbis institutum esse aliquod signum sensibile cui est annexa promissio gratiæ absolutionis à peccato: tamen.

Error hæreticorum.

DICVNT. 1. His verbis Christum Dominum instituisse Apostolos legatos, & præcones ad annunciandum Euangelium, quod prædicent extraneis per Christum Dominum esse remissa peccata ijs, qui credunt Christo, id est iis qui credunt sibi per Christum remissa esse peccata, & sic nullum aliud requiri Sacramentum. CONTRA 1. Nulla hic fit mentio de ministerio verbi, neque prædicatione. Et licet priùs dixerit *Sicut me misit Pater, & ego mitto vos*; non intelligitur de missione ad prædicandum præcise, sed de substitutione in potestate, & auctoritate: nam Christus Dominus missus fuit & ad prædicandum, & ad remittendum peccata, quam etiam commisit Dominus Apostolis ministerialem: non enim dixit *Quorum annunciaueritis peccata esse remissa:* Sed dixit. *Quorum remiseritis.* Deinde falsum est quòd his verbis injunxerit Apostolis munus, quo fungerentur erga extraneos: quia verba Saluatoris nihil tale continent. *Quid enim ad me de his, qui foris sunt? inquit Apostolus 1. ad Corinth. 6.*

1. Ratio.

Refutatur error Hæreticorum.

2. Ratio.

DICVNT 2. His minister peccata dimittit, in quibus prædicando fidem excitat, quâ remissio ipsa apprehenditur, vt credant sibi remissa peccata per Christum Dominum. CONTRA. Hic est sermo de remissione peccati per collationem Spiritus sancti, nam ait: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis &c.* dat ergo authoritatem Spiritus Sancti Apostolis, vt remittant, vel retineant peccata. *Præterea* non dicit Dominus *Accipite Spiritum, vt illorum peccata in quibus per prædicationem fidem excitaueritis remittatis, & quorum fidem non excitaueritis, retineatis:* nullum enim est hic verbum de fide, sed solum de remissione ac retentione peccatorum. Ergo maxima est impudentia hæreticorum Sacram Scripturam ad sensum extortum trahere. *Prædicator* enim est instrumentum valdè remotum, excitatiuum tantùm. Deniq; istud

Hæretici deprauant Scripturas.

Non sola fides remittit peccata.

istud dictum quòd peccata dimittantur per solam fidem, est friuolum, & contra Euangelium dicente Christo Lucæ 13. *Nisi poenitentiam egeritis. &c.* Ergo vltra fidem veram requiruntur opera bona, & fructus pœnitentiæ. Hinc

COLLIGE 1. Sacramentum Pœnitentiæ non est institutum Matth: 16. *Tibi dabo claues regni coelorum.* Neque cap 18. *Quodcunq; solueris super terram &c.* Nam his locis non fuit data, sed vel promissa potestas absoluendi, vel collata facultas ferendi censuras, vt vult Medina, & Suarez, vel soli sancto Petro promissio.

COLLIGE 2. Pœnitentiæ Sacramentum, non est institutum à CHRISTO Domino post Resurrectionem, illis verbis Matth: 14. *Poenitentiam agite, &c.* Nam illa verba potiùs sunt intelligenda, de Pœnitentia virtute, quàm Sacramento.

COLLIGE 3. Ante sumptionem Eucharistiæ Apostoli, non præmiserunt Confessionem, quia nondum erat institutum Sacramentum Pœnitentiæ, per contritionem sufficienter se poterant disponere, etiam & Iudas si voluisset, potuisset.

COLLIGE 4. CHRISTUS Dominus ante Resurrectionem non remittebat peccata per Sacramentum poenitentiæ, cùm nondum esset institutum, sed suâ virtute.

ARTICVLVS IV.

Quomodo Sacramentum Pœnitentiæ sit necessarium?

Pænitentia est necessaria necessitate medii in re, vel in voto.

DICO 1. Pœnitentiæ Sacramentum est necessarium necessitate medij in re, vel in voto, illis qui mortaliter peccârunt post Baptismum, aliâs salutem non consequentur. Ratio est: Quia illud est necessarium necessitate medij in re, vel in voto, quo prætermisso in re, vel in voto salus nõ obtinetur. Sed prætermisso Sacramento Poenitentiæ in re, vel in voto salus non obtinetur ab illis, qui lapsi sunt post Baptismum. Ergo Sacramentum est necessarium necessitate medii in re, vel in voto illis, qui mortaliter peccârunt post Baptismum.

COLLIGE. In actu dilectionis DEI super omnia, & in actu contritionis continetur votum Sacramenti pœnitentiæ virtualiter.

Necessitas praecepti est necessaria.

DICO 2. Sacramentum poenitentiæ est necessarium necessitate præcepti. Colligitur apertè ex Trident: *sess: 14, cap: 2.* Probatur 1. Quia illud est

illud est necessarium necessitate præcepti, ex cujus culpabili omissione committitur peccatum. Sed ex omissione culpabili Sacramenti pœnitentiæ certo tempore committitur peccatum. Ergo Sacramentum est necessarium necessitate præcepti. 2. Baptismus est necessarius, non solùm necessitate medij, sed etiam præcepti. Ergo & Pœnitentia.

Collige 1. Peccata remittuntur per Sacramentum poenitentiæ in voto, cùm remittuntur per contritionem in ordine ad Confessionem; Nam qui contritionis actum elicit, tenetur adhuc eadem peccata, quorum remissionem per actum contritionis obtinuit subijcere suo tempore Sacramento pœnitentiæ: contritio enim non ita justificat, vt peccatorem liberum relinquat ab obligatione subijciendi peccata Sacramento pœnitentiæ, quamuis illorum peccatorum remissionem obtinuerit per contritionem.

Collige 2. Peccatorem qui non habet copiam confessarij, cui peccata confiteatur, non saluari cum sola attritione, quia non dicitur habere Sacramentum in re, vel in voto.

Votum pœnitentia sufficit.

Collige 3. Votum Sacramenti pœnitentiæ, quatenùs dicit propositum suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ, bonum esset vt esset explicitum, sufficit tamen implicitum: Ita communiter omnes Theologi cum sancto Thoma, & D. Subtili. Ratio est: Quia remissio peccati non est attribuenda contritioni sine voto Sacramenti, quod in illa concluditur. Sed votum quod includitur, in contritione est implicitum. Tùm quia nullum extat præceptum eliciendi propositum explicitum, sed sufficit implicitum. Ergo.

SECTIO II.

Vtrum ista tria: Contritio, Confessio, & Satisfactio, sint partes Sacramenti Pœnitentiæ?

Contritio. Confessio. Satisfactio, non sunt partes Essentiales pœnitentiæ.

Dico 1. Contritio, confessio, satisfactio, non sunt partes Essentiales Sacraméti poenitentiæ. *Probatur* 1. Sacramentum pœnitentiæ est absolutio hominis pœnitentis. Sed prædicta non sunt partes hujus absolutionis. Ergo non sunt, &c. Quòd verò contritio non sit pars pœnitentiæ nempe absolutionis, patet quia contritio est spiritualis, absolutio verò est sensibilis; quia consistit in verbis sensibilibus. Quòd neq; confessio est pars pœnitentiæ, cõstat, quia cõfessio est accusatio pœnitẽtis, absolutio verò est sententia

tentia judicis. Quod denique neque satisfactio, ex eo patet, quia satisfactio sequitur absolutionem, & est posterior illa. Probatur 2. Sola absolutio causat gratiam ex opere operato, vt constat. Ergo sola absolutio est Sacramentum. Sed contritio, Confessio, & satisfactio, non sunt partes absolutionis. Ergo non sunt partes Sacramenti pœnitentiæ. Hæc conclusio est D. *in 4. dist: 17, Quæst:* 1. Ocham, Majoris, & aliorum.

Pœnitentia consignificat actus Pœnitentiæ.

Dico 2. *Sacramentum pœnitentiæ*, supponit pro absolutione Sacerdotis, & non pro actibus poenitentis, licet illos consignificet. Probatur, quia Sacramentum pœnitentiæ est nomen connotatiuum, quod non supponit pro vtroq; simul, sed pro altero tantùm. Ergo licet consignificet actus pœnitentis præuios, vel subsequentes, supponit tamē pro absolutione: quod apertè ex Tridentino colligitur, vbi *sess. 14. cap:* 3. dicitur: *Docet sancta Synodus Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè eius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse. Ego te absoluo, &c.* Ergo in absolutione magis ratio hujus Sacramenti consistit, quàm in actibus pœnitentis.

Dices 1. Actus Poenitentis non sunt actus Pœnitentiæ virtutis, quia hæc est qualitas simplex, quæ nullas habet partes. Ergo sunt partes Sacramenti Poenitentiæ. Respondeo. *Pertinere* hæc tria ad integritatem *Sacramenti* Poenitentiæ, non autem esse partes essentiales ejus; multa enim pertinent ad integritatem, & perfectionem rei, quæ non sunt partes rei, sicut ad integritatem visus pertinet visio, cùm tamen non sit pars visus.

Dices 2. Actus poenitentis sunt materia hujus Sacramenti. *Sed* materia est pars ejus, cujus est materia. Ergo.

Respondeo. Actus poenitentis non sunt propriè materia, sed quasi materia, & sic nihil obstat quod non sit pars. Vndè ex hoc.

Actus Pœnitentis, sunt materia circa quam.

Collige 1. Doctor Subtilis non negat actus poenitentis esse materiam circa quam, sed negat cum Concilijs materiam esse ex qua constet Poenitentiæ Sacramentum: atq; ita actus poenitentis non sunt propriè materia, quia non manent cum Sacramento, nihilominùs pertinent ad integritatem hujus Sacramenti.

Dices 3. Ablutio quæ est materia Baptismi est pars Sacramenti. Ergo materia Sacramenti est pars ejus.

Respondeo. Quod Sacramenta significant, & causant gratiam,

nam, quæ etiam causatur à ministro, vt DEI vicario: quia ergo Minister Baptismi est minister ablutionis, sicut & formæ, ideò ablutio significat, & causat gratiam estq; pars Sacramenti: minister verò Sacramenti Pœnitentiæ, non ministrat actus pœnitentis, qui sunt materia, quare non significant, neq; causant gratiam.

DICES 4. Actus poenitentis pertinent ad integritatem hujus Sacramenti. Ergo sunt partes illius.

RESPONDEO Integritas est duplex substantialis; & accidentalis, & hæc consistit in assecutione finis, & hoc modo actus poenitentis requiruntur ad integritatem Sacramenti, quia requiruntur ad consecutionem plenariæ remissionis peccatorum, quantùm ad culpam, & pœnam, quæ finis est Sacramenti poenitentiæ. *Integritas duplex.*

DICES 5. Connotatiuum supponit pro materiali, & non pro formali, licet connotet illud. Ergo Sacramentum pœnitentiæ supponit pro actibus poenitentis qui sunt quasi materia. *Connotatiuum naturale supponit pro materiali, non supernaturale.*

RESPONDEO: Concedo Antecedens de connotatiuis naturalibus, vt est album, non autem de supernaturalibus, quia ista supponunt pro signo gratiæ, vt Baptismus supponit pro ablutione facta sub certa verborum forma, quæ est signum gratiæ, similiter Poenitentia pro absolutione, quæ est signum gratiæ.

QUÆSTIO III.

De Materia & forma Sacramenti Pœnitentiæ.

In duas Sectiones præsens Quæstio diuiditur: In prima, de materia Sacramenti Poenitentiæ inquiritur. In secunda de forma tractabitur.

SECTIO I.

Quænam sit Materia Sacramenti Pœnitentiæ?

Cum cuiuslibet Sacramenti sit duplex materia, nempe remota & proxima, proindè de vtraque agendum est in hac Sectione, & sic in 6. Articulos diuiditur. *Duplex materia Sacramenti.*

1. Quæ sit materia remota Sacramenti Pœnitentiæ?
2. An peccata venialia possint esse Sacramenti Pœnitentiæ materia?
3. Vtrum peccata dubia sint materia sufficiens huius Sacramenti?

4. An peccata semel dimissa possint esse materia Sacramenti Pœnitentiæ?
5. Vtrum possit quis absolui, qui vel nulla peccata habet, vel & si habet, nulla tamen confitetur?
6. Quænam sit Materia proxima hujus Sacramenti?

ARTICVLVS I.

Quæ sit materia remota Sacramenti Pœnitentiæ?

Materia remota Pœnitentiæ necessaria mortalia peccata.

DICO 1. Peccatum actuale mortale est materia remota necessaria, & propria hujus Sacramenti, post Baptismum commissum. Probatur 1. Illa est materia remota Sacramenti Poenitentiæ circa quam versatur materia proxima: Sed materia proxima qui sunt actus poenitentis, versatur circa peccata mortalia tanquam circa materiam destruendam. Ergo peccata sunt materia remota hujus Sacramenti. 2. Propter peccata mortalia institutum est hoc Sacramentum, & ideò appellatur secunda post naufragium tabula. Sed nemo naufragatur, nisi propter peccatum mortale, nam peccatum veniale stat cum gratia. Ergo.

Dimissa per contritionem sunt materia Pœnitentiæ.

DICO 2. Etiamsi contingat aliqua peccata dimitti per contritionem veram, tamen si ea non sunt explicata in confessione, manent vt materia necessaria ejusdem, si pœnitens illorum recordetur. Ratio est: Quia CHRISTUS Dominus voluit omnia peccata mortalia commissa post Baptismum dimitti virtute clauium. DIXI in conclusionibus: (sunt materia necessaria) non quod sine eis non possit confici Sacramentum, sed quòd illa nullo alio modo possint dimitti nisi per Sacramentum poenitentiæ in re, vel in voto.

Commissa ante Baptismum non sunt materia Pœnitentiæ.

DICO 3. Neq; peccatum originale, neq; peccata actualia commissa ante Baptismum; sunt materia necessaria, vel sufficiens hujus Sacramenti. Ratio est: quia hujusmodi peccata tolluntur per Baptismum. Tùm quia illa peccata sunt materia hujus Sacramenti, quæ subduntur jurisdictioni, & judicio Ecclesiæ, cùm hoc Sacramentum institutum sit per modum judicij. Sed hæc peccata non subijciuntur jurisdictioni, aut judicio Ecclesiæ, cùm homo, dum ea commisit non esset subditus Ecclesiæ, & Ecclesia non judicat de illis, qui foris sunt juxta illud. 1. ad Corinth: 5. *Quid mihi de illis, qui foris sunt?* Definita est hæc conclusio in Trident: *sess: 14. capite 2.*

ARTI-

ARTICVLVS II.

Vtrum peccata venialia possint esse materia Sacramenti Pœnitentiæ?

DICO 1. Venialia peccata non sunt materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ. Ita Trident: *sess: 14. cap. 5. & Can. 7.* Probatur. Tùm quia multis alijs medijs expiari possunt absq; hoc Sacramento. Tùm quia peccata venialia omitti possunt in Confessione absque peccato. Tùm etiam quia pœnitens habens plura venialia, potest aliqua confiteri, & alia reticere, si voluerit. *Venialia non sunt materia necessaria.*

DICO 2. Peccata venialia sunt materia sufficiens Sacramenti Poenitentiæ: ita, vt si quis illa sola etiam leuissima confiteatur, possit absolui sacramentaliter. *Sunt materia sufficiens.*

RATIO est, quia illa est materia remota Sacramenti Pœnitentiæ, circa quam versatur materia proxima, id est: actus pœnitentis. Sed actus pœnitentis versari possunt circa peccata venialia. Ergo peccata venialia possunt esse materia Sacramenti Poenitentiæ. Confirmatur ex Trident: *sess: 14 cap 5* Vbi dicitur: *Rectè & vtiliter, citraq; omnem præsumptionem in Confessione dicuntur.* Et ibidem *Canon: 7.* damnat anathematis contrarium docentes.

DICO 3 Possunt per accidens dari casus in quibus peccata venialia sint materia necessaria confessionis. 1. Si quis ex conscientia erronea, vel probabili dubio, aliquod peccatum veniale putet esse mortale. 2. Si quis existimet teneri se sub peccato mortali ad confitenda venialia. *Quando venialia sunt materia necessaria.*

QVÆRES Vtrum Ecclesia possit præcipere confessionem venialium?

RESPONDEO affirmatiuè cum sancto Bonauentura *in 4. dist. 17. Art: 15. q. 1.* Sancto Thoma *in 4. dist. 5. Art: 4. q. 5.* Syluestro, Nauarro, Suarez & alijs.

RATIO est quia Ecclesia potest plura præcipere ad vtilitatem fidelium: Ergo & confitenda venialia, licet non omnia, impossibile enim est omnia venialia reuocare in memoriam, & consequenter omnia Sacramento Pœnitentiæ subijcere. Hinc

COLLIGE, Consuetudo confitendi venialia præsertim ante ce-

lebrationem Missæ, & vsum Sacramenti Eucharistiæ est valdè laudabilis, conueniens, & vtilis, quàm vt loquitur Trident: *Sess. 14. cap: 5. Piorum hominum vsus demonstrat*, ac proinde non debent admitti homines seculares ad sacram Synaxim non præmissa confessione venialium etiam, cùm Concilium hoc indicare videtur, & consuetudo talis in Ecclesia semper fuisse ex historijs deducitur.

ARTICVLVS III.

Vtrum peccata dubia sint materia sufficiens, vel necessaria Pœnitentiæ?

Dubium duplex, iuris & facti.

NOTA. Dupliciter peccatum esse posse dubium. Primò, cùm est dubium juris, hoc est cùm constat à pœnitente aliquid factũ esse, sed dubitatur sitné illud peccatum. 2. cùm est dubium facti, hoc est cùm scitur esse peccatum, sed dubitatur an sit commissum à pœnitente.

DICO 1. Absolutè loquendo nullum peccatum dubium, est per se materia hujus Sacramenti Pœnitentiæ. Ratio est, quia hoc Sacramentum habet pro materia peccatum, quod verè est tale. Sed dubium est tantùm in nostra apprehensione, cùm ambigimus sit ne, an non sit?

Dubium mortale necessariò confitendum.

DICO 2. Quando est dubium an aliquod peccatum sit mortale, tunc necessariò est illud in confessione explicandum. Ratio est quia vnusquisq; tenetur confiteri peccata mortalia. At ista de quibus dubitat fortè sunt mortalia. Ergo vt minimùm propter periculum sunt confessioni subijcienda, aliâs homo exponeret se periculo æternæ damnationis, cùm illa peccata non possint aliter remitti, nisi per confessionem in re, vel in voto. Venialia tamen dubia non tenetur confiteri: quia si certa non obligatur, multominùs dubia.

Supra sola dubia non est absolutio danda.

DICO 3. Si quis nulla alia peccata confiteatur nisi dubia, tunc nullo modo potest dari absolutè absolutio; aliâs Sacerdos committeret sacrilegium: putant tamen aliqui posse dari absolutionem sub conditione: consultiùs tamen, & securiùs est Sacerdoti exquirere à tali pœnitente aliquod certum antiquum præteritum peccatum, mortale, vel veniale: Huc

Nota pro pueris.

COLLIGE I. Pueris nondum doli capacibus, qui ne venialia habent, non est danda absolutio Sacramentalis, sed per modum deprecationis dicatur, cum signo Crucis: *Misereatur & Indulgentiam &c.*

COLLI-

Collige 2. Si pœnitens post confessionem peccata, quæ vt dubia dixerat, deprehendat esse certa tenetur iterum, vt certa confiteri. Ratio est, quia non fuerunt debito modo explicata. Ergo ille defectus est supplendus.

ARTICVLVS IV.

An peccata semel dimissa possint esse materia Sacramenti Pœnitentiæ?

Dico 1. Peccata semel dimissa per confessionem non sunt necessariò in confessione explicanda. Ratio est, quia quæ semel sunt apud Devm dimissa, ea non indigent noua dimissione. Ita definit Benedictus XI. *in Extrauaganti* quæ incipit, *Inter cunctos, de priuilegiis.*

Dico 2. Peccata semel dimissa in confessione, sunt materia sufficiens ad iterandam absolutionem Sacramentalem, ideoque qui semel confessus iterum eadem peccata sola confitetur, potest denuò validè absolui. Est Soti *in 4. dist: 18.* Cajet: *Tomo 1. opusculorum. Tract: 5. qu. 4.* Nauarri *cap. 21.* Suarez *disputat: 18. Sect: 2.* Ratio est, quia circa hujusmodi peccata potest adhuc versari materia proxima, id est actus pœnitentis. Ergo, &c. Hanc conclusionem, dicunt esse contra Scotum Cajetanus, Suarez, & alij *in 4. dist: 18.* sed Doctor noster in responsione ad primum principale *Distinct: 18.* sic dicit: *Non dico quòd illicitum, vel impossibile sit iterari, sed tamen cum fructu isto, quem nunc habet, non est iterabile.*

Semel dimissa sunt materia sufficiens.

Dico itaque 3. Virtute clauium in iteratione confessionis, non remittitur aliqua pars temporalis poenæ peccati commissi, quæ soluenda remanebat. Ita Doct: loco citato. Probatur, Quia si per secundam absolutionem aliqua pars pœnæ debitæ remitteretur, posset aliquis toties confiteri idem peccatum, quousque post centesimam confessionem tota poena debita esset remissa. Sed hoc dici non debet, quia aliâs esset meliùs sæpius cõfiteri, quàm reddere poenam impositam, vel imponendam à Sacerdote pro peccatis. Confirmatur. Si quoties iteratur confessio de eodem peccato, semper aliquem fructum recipit. Ergo iterata plusquam centies multiplicem fructum adferet, & Confessarius deberet illum centies eadem audire, ne priuaret eum multiplici fructu; quod videtur ridiculum.

Virtute clauium non remittitur aliqua pœna temporalis sine motu in iteratione.

Obiicies. Nemo absoluitur, nisi qui est ligatus. Sed qui in prima confessione absolutus fuit à peccatis, non est ampliùs ligatus illis.

Ergo secunda & tertia confessione non potest absolui ab illis, aliàs esset forma falsa.

Respondeo: Qui semel est confessus peccata sua, & obtinuit veniam culpæ, tamen pœna æterna debita pro peccato, non est omninò ablata, sed est commutata in temporalem tantùm, potest denuo recurrere ad Sacerdotem, & velle denuo judicari de eisdem peccatis, & vt obtineat magis fructuosam absolutionem, debet habere majorem dispositionem, sed hoc non est præcisè virtute clauium, & Sacramenti, sed simul ex dispositione poenitentis. Ita Benedictus Papa loco citato; & sic propter erubescentiam frequentem, & majorem motum animi, ac detestationem peccatorum, dimittitur pars pœnæ, gratia augetur, &c. stante autem eadem dispositione in confitente, licet millies repeteretur confessio, & absolutio nullum fructum afferret, imò risui & contemptui exponeretur Sacramentum. Vnde.

Nota.

Propter majorem detestationem pœna diminuitur.

Collige 1. Non esse passim peccata dimissa, & confessa iteranda, præsertim sola, nisi adsit rationabilis causa nouæ deuotionis, vel desiderium confusionis.

Collige 2. Licet eadem forma non posset proferri supra eandem materiam proximam, absque Sacrilegio, benè tamen supra eandem materiam remotam, sicut ex eadem aqua in baptisterio plures possunt baptizari.

Forma non potest iterari supra materiam eandem proximam.

Collige 3. Reiterationem eorundem peccatorum esse salubrem, non præcisè vi clauium, sed ratione dispositionis poenitentis, scilicet ratione erubescentiæ, & majoris doloris, vel displicentiæ peccatorum. Ratio est quia qui fuit absolutus à peccatis in confessione recta, & ratificata in cælis, fuit commutata pœna æterna in temporalem, & hæc commutatio fuit justa & confirmata in cælis. Ergo, si eodem modo se habeat poenitens in confessione secunda sicut in prima, & non augeat motum, vel meritum, nullam illi afferret vtilitatem iteratio virtute clauium.

Dices. DEUS instituit hoc Sacramentum reiterabile super eadem peccata. Ergo instituit reiterabile cum fructu virtute clauium, & non solùm ex dispositione pœnitentis.

Respondeo: Sententia quæ est justa & ratificata, si nulla superueniente causa posset iterari, & mutari, jam non fuisset justa & recta, justitia enim consistit in æqualitate: si ergo in prima sententia fuit æqualitas, non

litas, non potest mutari, quia fieret inæqualis, & injusta. Quod si dicas Sacramentale judicium est virtuosum, & sic virtute clauium iterata Confessio est cum fructu.

RESPONDEO. Vel est virtuosum limitatè, vel illimitatè. Si primum, concedo, quia sententia habet vim transmutandi pœnam æternam in temporalem, non quamcunq; sed in illam quæ respondet dispositioni pœnitentis, quantò enim magis dolet de peccatis, tantò ei in minorem pœnam temporalem commutatur æterna. Si verò dicas illimitatè. Nego. Nam sententia justa quæcunq; debet correspondere meritis, vel demeritis confitentis, quæ habent certum statum. Ergo sententia vt sit justa, non potest extendere suam virtutem nisi secundùm merita confitentis.

DICES Per contritionem alicui dimittuntur peccata, quæ si confitetur verè absoluitur, Ergo & in proposito. RESPONDEO In prima remissione per contritionem non obtinuit totum beneficium, quod per Sacramentum illi obuenire poterat, quod in proposito casu tantùm obtinuit.

QUÆRES. *An poenitens possit aliqua peccata dimissa confiteri, & aliqua reticere?*

RESPONDEO affirmatiuè. Tùm quia hujusmodi peccata non sunt materia necessaria sed sufficiens. Tùm quia nullo jure constat pœnitentem teneri ad peccata semel ritè confessa iterum exponenda in confessione. Ita Sotus *dist. 18.* & alii. Addo cum Reginaldo *lib. 6. num. 98.* liberum esse pœnitenti partem peccatorum ritè confessorum manifestare hodie, & partem cras in distinctis confessionibus, siue confessiones fiant vni, & eidem Sacerdoti, siue diuersis, non enim sunt materia necessaria, sed sufficiens, vt in simili dixi de venialibus.

DICES Secunda absolutio peccatorum dimissorum est ejusdem rationis cum prima: Ergo si per primam sunt absoluta, non absoluentur per secundam: quia secunda absolutio est lata post sententiam latam rectam, & in cœlo ratificatam.

RESPONDEO Concedo secundam absolutionem esse ejusdem rationis cum prima, vi clavium, non tamen est ejusdem rationis respectu materiæ, scilicet respectu peccatorum, & pœnitentis, seu respectu dispositionis poenitentis.

ARTICV-

ARTICVLVS V.

Vtrum possit is absolui, qui vel nulla peccata habet, vel si habet nulla tamen confitetur?

Qui nullum omninò peccatum dicit non debet absolui.

Præsens difficultas potissimùm accidit in rudibus, qui accedunt ad confessionem nihil in particulari confitendo, sed tantùm dicendo se esse peccatores.

Dico 1. Is qui nullum omnino peccatum in Confessione aperit, nullomodo Sacramentaliter potest absolui, loquendo ordinariè, nam quid sit dicendum in extrema necessitate infra de integritate confessionis dicetur. Ratio conclusionis est, quia nullum potest esse Sacramentum sine propria materia. Sed peccata in confessione explicata sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ. Ergo

Remedium pro rudibus.

Dico 2. Remedium in talibus, qui nulla dicunt peccata in particulari, duplex est necessariò tenendum. 1. Vt tales ipsemet diligenter examinet pro conditione Personarum de peccatis practicis, vt de ebrietate, mendacio, otiosis verbis, malis imprecationibus, impatientiis, murmurationibus contra superiores &c. 2. vt si nihil in particulari possit extorquere, jubeat vt se accuset saltem de negligentia in Diuino seruitio, aut de non sufficienti præparatione ad Confessionem, de ingratitudine erga Devm, de verbis otiosis totius vitæ &c. & ita si horum se reos falsi fuerint, possunt Sacramentaliter absolui, quia tunc materiam sufficientem ministrant.

Dices 1. Potest Baptismus dari illi qui non contraxit peccatum originale, vt Beatissimæ Virgini. Ergo poterit etiam dari absolutio illi qui nullũ habet peccatum. Respondeo: Disparem esse rationem Baptismi & Pœnitentiæ, nam Baptismus est institutus & ad remissionem originalis peccati, & ad recipiendum characterem, quo consignantur tanquam stemmate, qui in familiam Christi Domini recipiuntur, & ideò Beatissima Virgo est baptizata.

Dices 2. Justificatus per contritionem est capax absolutionis. Ergo & ille qui nulla habet peccata. Respondeo. Concedo Antecedens, quia ille contritus obligatur ad confitendum. Nego verò Consequentiam; quia non dat materiam absolutionis. Quod si instes peccata dimissa, jam non sunt peccata, sicut & illa quæ nunquam fuerunt com-

Nota.

missa.

missa. Ergo. RESPONDEO. Quoad actualem existentiam par est vtrobiq; ratio, neutra enim verè existunt, tamen quoad rationem peccati est magna disparitas, quæ enim sunt dimissa verè participant rationem peccati præteriti; at quæ nunquam fuerunt illis nullo modo ratio peccati potest conuenire; vnde semel dimissa possunt materia nouæ absolutionis esse propter nouos actus poenitentis.

ARTICVLVS VI.

Quænam sit materia proxima huius Sacramenti?

DICO. Materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, nimirum Contritio, Confessio. & Satisfactio. Ita Trident: *Sess:* 14. *cap: 3.* &communis Doctorum. *Probatur.* Illa est materia proxima hujus Sacramenti, quæ est materia judicij emendatiui, & reconciliatiui, vt patet Ioannis 20. *Quorum remiseritis, &c.* Sed materia judicij emendatiui est accusatio, dolor, & satisfactio: necesse enim est vt se reus accuset, quod fit per confessionem: oportet vt habeat dolorem, aliâs esset simplex narratio, vel confabulatio, vel gloriatio in delictis: deniq; sicut in judicio injungitur pœna vt delinquens retrahatur in futurum à peccatis, & cæteri deterreantur, ita etiam in Sacramento pœnitentiæ injungenda est pœna satisfactoria, quam intelligo nomine satisfactionis. *Materia proxima actus Pœnitentis.*

QUÆRES 1. Qua de causa tres tantùm actus poenitentis, & non plures fuerint instituti pro materia proxima Sacramenti poenitentiæ. *Cur tres actus pœnitentis?*

RESPONDEO 1. Ideò quia hoc Sacramentum exercetur per modum judicij reconciliatiui, ad judicium autem reconciliatiuum, isti tres actus requiruntur.

RESPONDEO 2. Quia cùm DEVS offendatur, corde, ore, & opere. Corde per contritionem, Ore per confessionem, Opere per satisfactionem aliquomodo DEO satisfacimus.

QVÆRES 2. *Quinam ordo seruandus est circa actus recensitos?* *Ordo circa actus pœnitentis.*

RESPONDEO. Debet dolor antecedere absolutionem; similiter & confessio, non est autem omninò necesse vt dolor præcedat confessionem, potest enim esse in actu confessionis, vel post confessionem statim ante absolutionem potest elici. Satisfactio verò potest, vel ante, vel post absolutionem injungi, nisi timeatur fore, vt pœnitens obtenta absolutione, non sit accepturus justas pœnitentias.

SECTIO II.

Quænam sit forma Sacramenti Pœnitentiæ?

Præsentem Sectio: diuidemus in Articulos tres.

In 1. quæretur Quænam sit forma Sacramenti Pœnitentiæ; & quisnam sit sensus formalis ejus

In 2. Vtrum Pœnitentiæ Sacramentum sit validum, si contingat aliqua mutatio in verbis formæ,

In 3. Vtrum sit validum pœnitentiæ Sacramentum, quando in forma apponitur aliqua conditio.

ARTICVLVS I.

Quænam sit forma Sacramenti Pœnitentiæ, & quisnam sit sensus formalis ejus?

NOTA 1. Ad absolutionem Sacramentalem nullomodo sufficit actus Sacerdotis solùm internus. Ratio est Tùm quia omnium Sacramentorum debent esse actus externi & sensibiles. Tùm quia Sacramentum Pœnitentiæ ministratur per modum judicii ab homine, & homini, homines autem cum constent anima & corpore, non possunt inuicem agere per actus internos. Quare de essentia Sacramenti Pœnitentiæ est, vt voce humana proferatur. RATIO est Quia Christus Dominus id instituit illis verbis *Quorum remiseritis.* Tum quia Concilia id decreuerunt, & vsus perpetuus Ecclesiæ talis est, & fuit.

NOTA 2. Cum Sacerdotes facti sunt judices, & arbitri inter DEVM & Creaturam, ideò ipsi soli, & non laici habent auctoritatem ministerialem absoluendi â Christo Domino sibi datam, & sic peccata non dimittuntur, vt volunt Hæretici per fidem solam, seu fiduciam, quâ credat sibi quisq; peccata esse dimissa, sed dimittuntur per absolutionem Sacramentalem, â solis sacerdotibus, non vero ab vllo Laico, vt Lutherus volebat, quia talis auctoritas non est Laicis concessa.

Tridēt. Seß 14. c. 3.

DICO 1. Licet alii plura, alii pauciora verba, requirant ad valorem formæ Sacramenti Pœnitentiæ, tamen communis est sententia, ad essentiam Sacramenti Pœnitentiæ, sufficere, & omninò necessaria esse, ista verba, (*Ego Absoluo te.*) Ita Trident: *Seß.* 14. *cap.* 3. vbi dicitur Formā hujus Sacramenti sitam esse, præcipuè in his verbis, (*Absoluo te*). Probatur Quia forma hujus Sacramenti consistit in illis verbis, quæ significant effectum, ad quem Pœnitentiæ Sacramentum fuit institutum, nam Sacramenta significant, & significando efficiunt; sed effe-

Forma pœnitentia quæ.

ctus,

ctus, ad quem institutum fuit Sacramentum, optimè significatur per illa verba (*Ego Absoluo te*,) quia significatur remissio, & liberatio à peccatis commissis, & sic exprimitur Persona rei, & Persona Iudicis, & actus ejus.

CONFIRMATVR. Absolutio est ad instar actus judicialis, quo à Sacerdote, velut à Iudice sententia profertur: Cùm autem in actu judiciali, sententia sufficienter proferri possit, per hæc duo verba, *Te absoluo*, sequitur illa duo verba, sufficere in forma Sacramenti Pœnitentiæ. *Absolutio est instar actus judicialis.*

COLLIGE Pronomen (*Ego*) non spectare ad essentiam formæ: neq: ista [*à peccatis tuis*] quia verba (*Absoluo te*) prolata super confessionem peccatorum implicitè significant absoluià peccatis: non tamen sunt omittenda, etiam in articulo mortis, propter securitatem, quia aliqui tenent esse de essentia. *Nota.*

DICO 2. Licet variæ formæ, quo ad accidentalia à DD. tradantur, communis tamen est hæc, & idonea. *Dominus noster JESus Christus, qui est Summus Pontifex, te absoluat, & ego authoritate ipsius, absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, in quantùm possum, & tu indiges. Deinde. Ego te absoluo à peccatis tuis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti Amen.* Addenda est supplicatio nomine Ecclesiæ. *Passio Domini nostri JESU Christi, & merita B. Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, vel mali patienter sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, & in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ.* Hinc *Forma communis.*

COLLIGE 1. Addunt aliqui, post illa verba (authoritate ipsius, mihi licet indignissimo concessa): Addunt aliqui ab omnibus peccatis tuis, alij autem vocem (omnibus) omittunt, quod est arbitrarium. Addunt aliqui ad formam, à peccatis tuis, confessis, contritis, & non confessis, non contritis, oblitis &c. sed hæc additio est inepta, & imperitorum; hæc enim omnia sunt ridicula, & superflua imò falsa, vt per se patet.

COLLIGE 2. In omnibus confessionibus, præmittenda est absolutio ab excommunicatione, antè absolutionem à peccatis, siquidem nemo capax est absolutionis Sacramentalis excommunicatus: porrò ista vox (Suspensionis,) in solis clericorum Confessionibus addenda, vox (Interdicti) non est etiam omittenda supra laicos. *Absolutio ab excommunicatione præmittenda.*

Collige 3. Multos errores committi in formis antiquis scriptis, quas nescio vnde hauserunt, puto ex fonte ignorantiæ crassæ, quare illis non vtendum, quia ratio sacrilegij est timenda.

Absolutio Hæreticorum.

Absolutio Hæreticorũ.

Misereatur tui, &c. Indulgentiam, &c. Dominus noster JESVS Christus, qui est Summus Pontifex te absoluat, & ego authoritate eius, & Sanctæ Sedis Apostolicæ, mihi ad hoc peculiariter concessa, absoluo te à vinculo excommunicationis maioris, in quam propter Hæresim, vel (Schisma) incidisti, & ab omni vinculo, cuiuscunque excommunicationis, simulq; à Censuris, suspensionis, & interdicti, in quantùm possum, & tu indiges, & restituo te in gremium sanctæ Matris Ecclesiæ. Deinde ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.

Absolutio in Jubileo.

Misereatur, &c. Indulgentiam, &c. Dominus noster JESUS Christus, qui est Summus Pontifex, te absoluat, & ego authoritate eius, & Sedis Apostolicæ, cuius pro præsenti fungor, absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, maioris, & minoris, & à quibusuis participationibus, cum excommunicatis, & ab omnibus censuris Ecclesiasticis, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ, communioni, & vnitati fidelium. Et eadem authoritate absoluo te ab omnibus peccatis tuis plenariè. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Passio Domini &c. An autem possint Confessarij dispensare in irregularitatibus in Jubileis, dicetur infra de Indulgentijs, & irregularitate.

Notandum est præterea, formas, quas aliqui adhibent tempore Jubilei, esse sacrilegas, V. G. absoluo te, à casibus reseruatis, à transgressione mandatorum Dei, votorum tuorum, &c tales non debet adhiberi, quia sufficit dicere: *Absoluo te ab omnibus peccatis tuis*, Sufficit enim quòd habeat intentionem, à reseruatis, & non reseruatis absoluere pœnitentem.

Forma absolutionis pro die Cinerum, Portiunculæ, & in Festo Sancti Bernardini, in Ord: Min: Regul: obseru.

Dominus noster JESUS Christus, &c. Et ego authoritate tibi concessa, & mihi commissa, absoluo te ab omni vinculo excommunicationis maioris, &

ioris, & minoris, suspensionis, & interdicti in quantùm possum, & tu indiges. Deinde eadem authoritate, absoluo te ab omnibus peccatis tuis plenariè, in quantùm se prædicta auctoritas extendere potest. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Ita Hieron: à Sorbo in compendio Priuilegiorum, *verbo Absolutio.* §. 10.

Forma absolutionis in festo S. Catharinæ.

Auctoritate tibi concessa, & mihi commissa, absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, &c. Deinde Absoluo te plenariè ab omnibus peccatis tuis, in quantum huiusmodi auctoritas se extendere potest, & concedo tibi Indulgentiam plenariam, omnium peccatorum tuorum. In nomine Patris, & Filij, &c. Circa hanc formam absolutionis in festo sanctæ Catharinæ, aduerte, quòd valebat quamdiu Indulgentiæ Religiosorum non erant sublatæ à Paulo V. quas esse sublatas, contendit Laurentius de Portel in Dubijs Regularibus. Ita Hieronymus à Sorbo loco citato, refert talem absolutionis formam, pro festo sanctæ Catharinæ, quæ si sunt sublatæ indulgentiæ, sicut de facto sunt, non est dicendum, *concedo tibi* Indulg.

Nota 1. Laudabiliter ante formam absolutionis, præmittitur illa consueta supplicatio: *Misereatur tui, &c. Indulgentiam, &c.* qui tamen eam omitteret, non peccaret, sicut & illam, quæ formæ subijcitur: *Passio Domini nostri J E S V Christi, &c.* Præsertim si adesset rationabilis causa, V. G. multitudo pœnitentium, & abesset contemptus.

Nota 2. Pia est eorum Sacerdotum consuetudo, qui in initio Confessionis, dant benedictionem pœnitentibus, talem: *Dominus sit in corde tuo, & in labiis tuis, vt dignè & corde contrito possis confiteri peccata tua: In nomine Patris, &c.* Similiter, qui dicunt recedentibus post confessionem: *Vade in pace, & noli ampliùs peccare.*

Dico 3. Sensus adæquatus formæ Sacramentalis est: potestate judiciali mihi commissa, tibi remitto peccata per hoc Sacramentum, quod per se mediante gratia, quam efficit, remissiuum peccati est: patet quia hæc omnia virtute continet verbum, *Absoluo.* *Sensus formæ.*

Dico 4. Forma Sacramenti Poenitentiæ, non debet proferri per modum deprecationis. Patet, quia aliâs Sacerdos non haberet potestatem ministerialem, remittendi peccata, quod est contra dicta superius. Ergo. *Non debet dari forma per modum deprecationis.*

Dices. Si DEVS dedit Apoſtolis, poteſtatem dimittendi peccata, ſic etiam dedit eis Poteſtatem faciendi miracula. Sed faciebant miracula per ſupplicationem, dicendo, *Sanet te Dominus. In nomine JESV Chriſti ſurge, & ambula.* Actorum 3. Ergo forma abſolutionis eſt deprecatiua. Confirmatur. Leo Papa *Epiſtola 89.* quod refertur, *in capite multiplex de Poenitentia Diſt: 1.* vbi dicitur, quòd indulgentia Dei, niſi ſupplicationibus Sacerdotum obtineri nequit. Ergo, &c.

Respondeo: Nego paritatem, quia Apoſtolis non fuit data poteſtas faciendi miracula, ſicut fuit data miniſtrandi Sacramenta.

Respondeo 2. Poteſtas faciendi miracula, pertinet ad gratias gratis datas, ideò illa poteſtas, non dabatur permanenter, & intrinſecè, neq; ſemper habebat effectum, ſed ſolùm quando expediebat. At poteſtas abſoluendi, data fuit permanenter. Ad confirmationem dico: Abſolutio, poteſt dici largo modo ſupplicatio, quatenùs Sacerdos per abſolutionē impetrat à Deo id, quod intendit, & ideò ſubjungit, ante, & poſt abſolutionem ſupplicationes.

Abſolutio largo modo eſt ſupplicatio.

Nota 3. Si Confeſſario, ſiue in foro conſcientiæ, ſiue extra, data eſt poteſtas diſpenſandi, ſuper irregularitate, tunc poſtquam abſoluerit à peccatis, addat conſequenter: Et eadem authoritate, diſpenſo tecum in irregularitate, vel irregularitatibus, in quam, vel in quas, ob talem, vel tales cauſas (ſunt enim exprimendæ) incurriſti, & habilem te reddo; & reſtituo te executioni ordinum, & officiorum tuorum. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.*

ARTICVLVS II.

Vtrum Sacramentum Pœnitentiæ ſit validum, ſi contingat aliqua mutatio in forma?

Dico 1. Non eſt validum Sacramentum Pœnitentiæ, quoties in verbis formæ, contingit mutatio ſubſtantialis. Ratio eſt, quia adueniente mutatione ſubſtantiali, non cenſetur adeſſe forma præſcripta, cùm per mutationem ſubſtantialem, non ſubſiſtat ſenſus, & ſignificatio formæ, à Christo Domino intentæ: Sacramentum autem non eſt validum, non adhibita forma à Christo Domino præſcripta. Vnde non eſſet valida, ſi dicatur, *Abſoluat te DEVS,* quia non eſt per modum judicii: Similiter, non eſſet valida, ſi dicatur. *Jubeo te eſſe abſolutum.* Ratio eſt, quia ſententia in foro externo, non ſolet hoc modo pro-

Quando inualida eſt forma.

do proferri. Ergo neq; videtur forma absolutionis hoc pacto proferenda.

Dico 2. Quando mutatio in forma, est tantùm accidentalis, est valida. Ratio est, quia manet idem sensus, & eadem significatio, & consequenter, eadem forma.

Mutatio accidentalis non inualidat formã.

Collige Validum esse Pœnitentiæ Sacramentum, si loco verbi absoluo, dicatur remitto. Similiter quando constructio actiua, in passiuam mutatur, V. G. Absoluaris à peccatis tuis. Remittuntur tibi peccata tua. Absoluatur seruus Christi. Ratio est, quia in his non videtur adesse mutatio substantialis.

Collige D. Subtilis *in 4. d. 14. art. 2.* dicit non esse necessarium, ita præcisa verba in Sacramento isto, sicut in aliis, sufficit enim, quòd hic exprimatur actus, sententiæ absoluentis, sicut in judicio publico, non oportet esse verba limitata, in sententia ferenda: Subjungit tamen, quòd ista verba sunt apta, (*Absoluo te,*) & illis vtendum, quia est decretum Ecclesiæ.

ARTICVLVS III.

Vtrum sit validum Sacramentum, quando in forma ponitur aliqua conditio?

Dico 1. Validum est Sacramentum Pœnitentiæ, quando aliqua conditio de præsenti, vel de præterito apponitur, vt si dicatur. Si non es absolutus, ego te absoluo. Vel si Devs vult, vel si potes absolui, vel si ego possum te absoluere, te absoluo. Vel si habes peccatum ego te absoluo. Idem judicium est, quando Confessarius dubitat an formam protulerit. Si non es absolutus, ego te absoluo. Ratio conclusionis est, quia conditio de præsenti, vel de præterito, non est propriè conditio annihilans, neq; propriè suspendit actum, cum Sacerdos intendat absoluere de præsenti, si res ita se habeat, sicut exprimitur in conditione. Hæ tamen conditiones graui de causa, non leui suspicione apponendæ; aliâs peccabit Sacerdos, leui de causa apponendo.

Conditio de præsenti nõ inualidat, vel de præterito.

Dico 2. Conditio de futuro, nunquam est apponenda, aliâs Sacerdos peccabit mortaliter, & Sacramentum erit inualidum. Ratio est, quia vel Sacramentum est validum statim prolata forma, vel est validum adueniente conditione: Sed non potest esse validum statim prolata forma: Quia sensus hujus propositionis. *Ego te absoluo si feceris*

De futuro conditio nõ est apponenda.

si feceris restitutionem] est talis; Absoluam te tunc cùm restitueris? neq; potest esse validum adueniente conditione, quia ipse poterit mori, non impleta conditione, vel denuò in peccata incidisse. Tum quia actus pœnitentis, & absolutio, debent esse moraliter approximata, quòd hîc non est.

DEBET ergo Confessarius, absolutè pœnitentem absoluere, & tantùm illum obligare, ad conditionem implendam, quam si ille non impleuerit, peccabit quidem, sed tamen absolutio ejus fuit valida. Vnde non tenebitur repetere confessionem factam, sed solùm, debebit confiteri, se non satisfecisse obligationi à Confessario impositæ. Ita communiter omnes.

QUÆSTIO IV.

De contritione; & Attritione:

IN hac Quæstione inquirenda sunt præcipuè tria. Primò de Essentia Contritionis, & Attritionis, & differentia earum. Secundò. Quæ ad contritionem requirantur. Tertiò De præcepto Contritionis.

SECTIO I.

De Natura Contritionis & Attritionis?

Hæc Sectio in tres Articulos diuiditur.

In 1. Inquiretur. Quid sit Contritio & Attritio.

In 2. Quæ sit differentia, & Conuenientia, inter Contritionem & Attritionem.

In 3. Quomodo ex attrito fiat contritus.

ARTICVLVS I.

Quid sit Contritio & Attritio?

Cõtritio habet fundamentum in SS. literis. NOTA 1. Nomen Contritionis, habere fundamentum in SS. literis, quia corda peccatorum dicuntur dura, & lapidea, eadem verò post conuersionem ad DEUM appellantur contrita. Psalmo 50. *Cor contritum & humiliatum &c.* Et Psalmo 146. dicitur. *Qui sanat contritos corde*; qui modus loquendi, est metaphoricus, ducta similitudine, à

saxis

ſaxis & aliis rebus duris, quæ comminuta, facilè in omnem partem aguntur, cor enim peccatoris, durum ad Diuinas inſpirationes, & tardum difficileq; ad omnia bona, per pœnitentiam fit Deo obſequens, & ad bona opera promptum. &c.

NOTA 2. Contritio variè à DD. deſcribitur, à Soto *in 4. Diſt. 17. q. 2.* ſic. Contritio, eſt dolor pro peccatis, vt ſunt offenſa DEI, voluntariè aſſumptus, cum propoſito confitendi, vitamq; emendandi. Toletus *libro 3. cap 4.* ita; Contritio, eſt præteriti peccati, vt eſt offenſa DEI, voluntaria, ſupra omnia, deteſtatio cùm propoſito, ſupra omnia vitandi, & commiſſa confitendi. Concil: Trident: *Seſſ. 14. cap. 4.* ſic. Contritio, eſt dolor animi, ac deteſtatio, pro peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. *Definitio contritionis*

NOTA 3. Actus humanus juxta D. Subt: *in 4. Diſt: 17. q. 2. A. 2.* requiſitus ad deletionem peccati mortalis, poteſt eſſe duplex. Primus perfectè, & totaliter circumſtantionatus, circumſtantiis moralibus debitis, id eſt, vt ſit, ex genere ſuo bonus, id eſt circa objectum debitum, & conueniens; deinde debet eſſe circumſtantionatus circumſtantiâ finis, debet enim eſſe actus deteſtandi peccatum ex charitate, ſcilicet propter amorem ipſius DEI, quia peccatum, eſt offenſa DEI, & contra legem DEI: præterea iſte actus debet habere modum, ſcilicet ſuper omnia extenſiuè, & intenſiuè, ita vt magis debemus odiſſe peccatum, & illud nolle, quàm quodcunq; malum pœnæ: deniq; debet eſſe, cùm propoſito ampliùs non peccandi. Secundus actus qui non eſt perfectè, & totaliter circumſtantionatus, & hic vocatur à D. attritio; ille prior contritio. *Objectum debitum, finis ex charitate. Modus Propoſitum.*

DICO 1. Contritio, eſt deteſtatio voluntaria pro peccatis commiſſis, quatenùs ſunt offenſa DEI, ſuper omnia dilecti, cum ſpe veniæ, & propoſito ampliùs non peccandi, & confitendi, ac ſatisfaciendi voluntate vt minimùm virtuali. Conſtat ex notandis, & clariùs eluceſcet in ſequentibus. *Quid contritio?*

DICO 2. Attritio eſt actus imperfectus, id eſt bonus ex genere, non tamen omnibus circumſtantiis debitis, & requiſitis circumſtantionatus, ſed aliquæ deficiunt, non ex malitiâ, ſed ex inaduertentiâ intellectus vel omiſſione voluntatis ex infirmitate. Quare à Theologis, quinq; ſpecies aſſignantur attritionis. 1. eſt, quæ ponit circumſtantiam malam: V. G. cùm aliquis dolet de peccato, non quia eſt offenſa Dei *Multiplex attritio.*

ſed quia non poteſt ampliùs, propter illud peccatum peccare; & hæc attritio, non eſt digna nomine attritionis, imò eſt nouum peccatum juxta D. *in 4. diſt. 14. q. 2. a. 2.* 2. eſt cùm quis dolet de peccato, ſine propoſito relinquendi peccatum, & hæc indigna homine Chriſtiano. 3. Cùm quis dolet, & triſtatur de peccato, non tamen triſtatur de eo, ſuper omne malum creatum, ſed magis dolet de aliquo malo temporali, V G. carcere, vel amiſſione bonorum, neq; hæc eſt bona. 4. Cùm quis de peccato dolet, propter pœnas inferni præciſè, ita vt ſi non eſſet infernus, peccaret, non referendo illum dolorem vltimatè, in DEUM. 5. Cùm quis dolet de peccato, ſed non propter DEUM immediatè, ſed propter aliquam aliam cauſam, V G. propter timorem inferni, vel propter amiſſionem regni cœleſtis &c. non tamen vltimatè propter hoc, ſed vltimò refert dolorem in amorem DEI, cùm propoſito non peccandi, confitendi &c. & hæc bona eſt.

ARTICVLVS II.

Quæ ſit differentia, & conuenientia, inter Contritionem, & attritionem?

Quomodo contritio & attritio differunt.

Quantùm *ad differentiam.* Dico 1. Contritio & Attritio differunt. 1. In Circumſtantia finis: quia finis contritionis immediatus, eſt amor DEI, ideò illa deteſtatio peccati, quæ proximè, & immediatè eſt de peccato, vt eſt offenſa DEI ſuper omnia dilecti, vocatur contritio; illa verò deteſtatio peccati, quæ proximè, & immediatè non habet, pro fine dilectionem DEI, ſed timorem pœnarum, vel turpitudinem peccati, eſt attritio, non contritio: non tamen deficit abſolutè, quòad circumſtantiam finis, quia includit dilectionem DEI, ſaltem virtualiter. Vnde ſi non ordinaret aliquis, actum attritionis ad amorem filialem, ſed illum timorem pœnarum, pro vltimo fine ſibi conſtitueret, talis attritio, non eſſet vera diſpoſitio ad Sacramentum, quod apertè indicat Tridentinum *Seſſ. 14. c. 4.* docens, ad hoc vt deteſtatio peccati, propter timorem pœnarum ſit attritio vera, requiri propoſitum ampliùs non peccandi, cùm ſpe veniæ; ſpes autem veniæ, ordinatur ad charitatem, quæ eſt perfectio omnium virtutum. Ergo attritio ordinatur ad charitatem, & ab illa, vt à fine vltimo oritur. Hinc

COLLIGE Illa Opinio, quæ aſſerit attritionem veram, differre à contritione, ex hoc, quia attritio eſt ex viribus naturæ, repugnat

Con-

Concilio Tridentino *Seß* 14 *cap.* 4. vbi docet attritionem, quæ ex timore pœnarum innaſcitur, eſſe donum Dei, & impulſum Spiritus ſancti.

2. Differunt. Quia contritio, eſt actus, habens intenſionem vſq; ad terminum præfixum à Deo. Attritio verò caret debita intenſione. Hæc differentia, patebit ſequenti quæſtione. Art. 3. *2. differentia.*

3 Differunt. Quia contritio, eſt deteſtatio peccati, habens omnes circumſtantias debitas, & requiſitas, nempe debitum finem, & certam intenſionem, attritio verò, deteſtatio non perfectè circumſtantionata, ſed carens aliqua circumſtantia, vel ex inaduertentiâ, vel ex aliquâ aliâ cauſa, non culpabili, dum modò non ſit appoſita, circumſtantia mala. *3. differentia.*

Quantùm *ad Conuenientiam.* Dico Contritio, & attritio, perfecta, & vera conueniunt. 1. Quòd vtraq; eſt actus perfectus, & efficax ſecundùm ſubſtantiam, & in genere bonus. 2. Quòd vtraq; habet pro fine, dilectionē Dei ſuper omnia, (licet non eodem modo) cùm propoſito, ampliùs non peccandi, & cum ſpe veniæ. 3 Quia vtraq;, nullam apponit circumſtantiam malam. Hinc *Conuenientia inter contritionem & attritionē.*

Collige Attritio chriſtianâ & vera, includit virtualiter dilectionem Dei, & deteſtationem peccati ſuper omne deteſtabile, & propoſitum deſtruendi peccatum. Deducitur ſic. Omnis actus, qui eſt diſpoſitio ad gratiam, oritur ex charitate, & propter dilectionem Dei. At attritio eſt diſpoſitio ad gratiam, ſimul cùm Sacramento poenitentiæ. Ergo attritio, eſt actus ex charitate elicitus non formaliter ſed virtualiter. Major patet ex SS. literis, in quibus apertè dicitur, quòd illi actus tantùm, qui dilectioni Dei innituntur, ſunt diſpoſitiones ad gratiam. 1. Joan: cap. 3. dicitur. *Qui non diligit manet in morte.* 1. ad Cor: 13. *Sine charitate nihil ſum.* S. Aug: *de vera & falſa Poenitentia cap* 17. *Oportet enim quod poenitentia fructificet, ad hoc vt mortuo vitam impetret; ſcriptum eſt enim ſine charitate, neminem ſaluum eſſe.* Atqui certum eſt, quòd attritio fructificet, quia ſine ea Sacramentum, nihil prodeſt, cùm illa vero prodeſt ad vitam. Ergo attritio, eſt ex charitate. Ex hac conditione attritionis ſequuntur aliæ, nimirum deteſtatio peccati, ſuper omne deteſtabile, & propoſitum deſtruendi peccatum: qui enim deteſtatur peccatum ex charitate, debet deteſtari illud, ſuper omne deteſtabile; debet etiam habere propoſitum deſtruendi peccatum, & ampliùs non peccandi: alioquin confeſſio eſſet nulla. *Attritio includit dilectionē Dei virtualiter.*

ARTICVLVS III.

Quomodo ex attrito fiat contritus?

Varij modi explicandi quomodo ex attrito fiat contritus.

NOTA. Varios modos, varii excogitârunt, quomodo attritio fiat contritio. Quidam dicunt quòd eo modo, ſicut actus morales tranſeunt ab vna ſpecie in aliam, manente eadem ſubſtantia actus, vt actus dandi eleemoſynam, propter ſubleuandam neceſſitatem pauperis, poteſt mutari in actum vanæ gloriæ, ita ex attritione, fit contritio, mutata circumſtantia finis. Aliqui dicunt, ex attritione fieri contritionē per additionē actus exterior vt ſi quis deteſtaretur peccatū, propter Deum, non tamen deſereretoccaſionem peccati, ſi autē deſereret occaſionē peccati; jam ex attritione fieret contritio. Quidam verò dicunt, ex attritione fieri contritionem, per additionemactus charitatis, ad actum juſtitiæ.

Refutantur iſti modi.

CONTRA. Primus modus conatur probare, quòd actus morales, qui habent diuerſas circumſtantias, mutantes ſpeciem, poſſent fieri, vnus, & idem numero actus: quod eſt impoſſibile; quia quæ differunt ſpecie, non poſſunt eſſe idem numero, quia finis eſt diuerſus, qui in moralibus dat formale ſpecificum. V. G. quia facere eleemoſynam, propter ſubleuandam miſeriam proximi, eſt circumſtantia, quæ ponit actum illum, in genere virtutis, dare verò eleemoſynam propter vanam gloriam, eſt circumſtantia; ponens actum in ſpecie vitii. Ergo actus iſti nō poſſunt fieri vnus numero, nam licet materiale ſcilicet dare eleemoſynam ſit idem, formale verò nimirum finis eſt diuerſus; finis autem in moralibus dat ſpeciem. Certum itaq; eſt quod actus morales per circumſtantias mutantur, ac ita mutantur, vt mutent ſpeciem. Porrò, in ſecundo modo dicendi, non eſt perfectus actus virtutis, quia inuoluit velleitatem peccati. Tertius modus dicendi, non poteſt ſtare, quia actus diuerſarum virtutum, non poteſt eſſe vnus actus numero, quia actus vnus numero, ſicut & effectus, non poteſt prouenire à duabus cauſis totalibus diuerſis, effectus enim, diſtinguuntur numero, per cauſas efficientes totales, à quibus proueniunt.

Finis in moralibus dat ſpeciem.

Quatuor ſpecies attritionis chriſtianæ.

NOTA 2. Quatuor ſunt ſpecies attritionis chriſtianæ, vna eſt propter turpitudinem peccati. Alia eſt propter timorem pœnarum. Tertia eſt deteſtatio peccati, cum omnibus circumſtantiis requiſitis ad contritionem, ſed non debitè intenſa. Quarta eſt deteſtatio peccati imper-

imperfecta; propter carentiam alicujus circumstantiæ debitæ, ex aliqua causa non culpabili. Priores duæ species, sunt actus omninò diuersarum specierum à contritione, quia habent diuersos fines proximos, ideò nulla istarum, potest fieri contritio. De tertia, & quarta specie, est difficultas.

Dico 1. Attritio, quæ differt à Contritione, solùm penes intensionem, & remissionem fit contritio. Ita D. Subtil: *in 4. dist. 14. q. 2 num. 15.* Probatur. Quia magis, & minùs, non variant speciem, nam quod idem actus numero possit augeri manens idem, certum est: vnde qui dolet de peccato, propter Deum, super omnia dilectum, sed tamen non habet intensionem debitam, si actus ille continuetur, & intendatur vsq; ad debitum terminum, & gradum fit contritio. *Attritio per intensionem fit contritio.*

Dico 2. Illa attritio, quæ differt à contritione, ex omissione alicuius circumstantiæ requisitæ ad contritionem, ex inaduertentia voluntatis, vel intellectus, potest fieri contritio, apposita illa circumstantia, si illius recordetur, & illam aduertat.

Addo. Accipiendo attritionem, pro contritione perfecta, antequam sit formatâ gratiâ, postquam formatur gratiâ fit contritio: sed difficultas procedit, de contritione informi nondum formatâ gratiâ.

Dico 3. Homo ex attrito, fit contritus, virtute Sacramenti, non quòd attritio præcedens susceptionem Sacramenti, fiat contritio, quia licet aliqua attritio fieri possit contritio, vt paulò ante dictum est, tamen actus, qui est attritio, virtute Sacramenti, non fit contritio, nam secundùm substantiam, non mutatur ex vi Sacramenti, dictum est enim, quòd sunt actus diuersarum rationum, & specierum per se, ideò vnus, non potest esse alius numero, ideò debet intelligi metaphoricè, & per similitudinem, nimirum, sicut homo per contritionem, acquirit gratiam, ita homo, per attritionem, simul cum Sacramento, acquirit gratiam, ita vt attritio, virtute Sacramenti, habeat eundem effectum, quem habet contritio, & sic attritio virtute Sacramenti fit contritio, quia eundem effectum producit. Ex quo sequitur, quod gratia gratum faciens, non est de intrinseca, & essentiali ratione, contritionis, sed effectus dispositiuè ab ea causatus. Hinc Collige Ex attrito, fieri contritum, virtute Sacramenti Pœnitentiæ, nihil est aliud, quàm pœnitentem, cùm debitâ attritione, accedentem ad Sacramentum Pœnitentiæ, beneficio eiusdem, consequi gratiam sanctificantem, quam aliàs per contritionem consecutus fuisset. *Homo ex attrito quomodo fiat contritus virtute Sacramenti.*

Dolere quod non possim dolere, non sufficit.

PETES An ille dolor, quô quis dicit se dolere, quòd non possit habere dolorem de peccato, sit attritio sufficiens, ad Sacramentalem gratiam consequendam? RESPONDEO. Negatiuè. Probatur, Tùm quia sicut dolere, quòd non confitear, non est confiteri, ita dolere, quod non doleam, non est dolere. Tùm quia actus contritionis, & attritionis, objectum est peccatum. At verò talis doloris, de quo inquirimus, objectum solùm est carentia veri doloris de peccato. Ergo talis dolor, non est vera attritio.

SECTIO II.

De Requisitis ad Contritionem.

Hæc præcipuè, requiruntur ad veram contritionem: Primò Propositum efficax. Deinde certa intensio, & modus. Item Quòd debeat esse de omnibus peccatis, saltem in genere. ideò præsens Sectio in 4. Articulos diuiditur.

In 1. quæretur. An, & quale propositum requiratur ad contritionem?

In 2. Vtrum firmitas hujus propositi requirat, vt pænitens velit vitare omnia peccata, & occasiones peccandi?

In 3. Quantus dolor requiratur ad contritionem?

In 4. Quomodo contritio, respectu peccatorum, est concipienda?

ARTICVLVS I.

An, & quale propositum requiratur in contritione?

Requiritur propositum in Contritione.

DICO 1. Ad veram contritionem, requiritur propositum in posterum non peccandi. Ratio est, quia nequit esse verus dolor absolutus, & efficax, qualis debet esse contritionis de peccato, vt peccatum est, nisi excludat omnem voluntatem peccandi, & præteritam, & futuram. Et hoc propositum, debet esse ita efficax, vt pœnitens, nulla ratione velit peccare, & consequenter, sit paratus, quoduis potiùs pati, quàm mortaliter peccare, idq; velit absolutè, & sine vlla conditione. Tale propositum requirit Trid. *sess 14. cap 4.* ad attritionem, vt justificet cum Sacramento. Ergo multò magis, tale requiritur ad contritionem, quæ justificat sine Sacramento.

Per se loquendo requiritur propositum formale.

DICO 2. Propositum non peccandi in futurum, per se loquendo, est necessarium formale, ad veram contritionem, per quam remittatur peccatum, ita, vt is qui meminit vitæ futuræ, ac talis propositi, & tamen scienter illud omittit, sit indispositus ad obtinendum remissionem pecca-

nem peccati. Hæc conclusio, est D. *S. in 4. d. 14 q. 4.* quam Suarez putat esse securiorem ideoq; populo publicè proponendam, & explicandam. *Probatur 1.* Ex SS. literis, quæ duo requirunt ad contritionem, nimirum dolorem de peccatis, & propositum novæ vitæ. Isaiæ 1. *Lauamini, mundi estote, & quiescite agere peruersè.* Amos 5. *Diligite bonum, odite malum.* Ezech. 18 & 33 Ad Eph. 4. *Omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni genere maleficii abstinete.* Ratione Probatur. Non sufficit propositum emendandi vitam, sine dolore formali. Ergo nec dolor sine proposito formali. Antecedens constat, *ex Trident. loco citat.* vbi dicitur, non sufficere novam vitam, & cessationem à peccato, ad poenitentiam, sine odio & detestatione præteritorum. Consequentia patet. quia sicut in dolore, virtualiter includitur propositum, ita in proposito includitur dolor. Dixi in Conclusione (per se loquendo,) quia potest per accidens dari casus, in quo sine formali proposito, justificatur homo. V. G. quando aliquis, est ita vehementi dolore occupatus, vt illi inculpabiliter non veniat propositum, nec vita futura, & sic virtualiter includit propositum talis dolor.

Sufficit aliquando virtuale.

CONFIRMATVR *Sicut* sine Sacramento in re suscepto potest aliquis saluari, per solum votum ejus, quando impossibilitate illud suscipiendi, aut ignorantia inuincibili excusatur, ita poterit ad DEVM conuerti plenè, sine formali proposito, cùm hoc non magis ad justificationem sit requisitum formale, quàm Sacramentum in re susceptum.

ARTICVLVS II.

Vtrum firmitas hujus propositi requirat, vt pœnitens velit vitare omnia peccata; & omnes occasiones peccandi?

DICO I. Non sufficit ad firmitatem hujus propositi, & consequenter ad justificationem, per pœnitentiam, habere animum non committendi peccata antea commissa, sed requiritur voluntas, vitandi omnia alia. Ratio est, quia vera contritio ex charitate procedit, in qua includitur, votum seruandi omnia mandata DEI. Ergo & non peccandi, quocunq; genere peccati, præsertim mortali: vnde D. *in 4. d 17. q. 1. ad vltimum* dicit, possibile esse vitare, omnia peccata mortalia, cùm gratia DEI. De peccatis venialibus est difficultas, ideo,

Omnia peccata debet velle vitare mortalia.

DICO

Venialia aliqua requirunt propositum.

Dico 2. De peccatis venialibus, licet non sit necessarium absolutè, habere propositum illa vitandi, est tamen vtile, loquendo de illis, quæ proueniunt ex libera voluntate, non autem de illis, quæ proueniunt ex subreptione, & ex imperfecto consensu: quia hæc vitari nō possunt, sine priuilegio speciali; debemus tamen proponere, ad hibere omnem diligentiam illa vitandi, & attenuandi, quantùm fieri potest.

Occasiones duplices.

Dico 3. Potest pœnitens habere firmum propositum nō peccandi, etiamsi non habeat propositum vitandi, occasiones remotas; tenetur tamen habere propositum vitandi occasiones proximas. Pro intelligentia. Nota Occasiones peccandi remotæ, quibus homo consideratà suâ fragilitate, & cæteris circumstantiis, potest vti sine peccato; talis est auditio confessionum mulierum &c. Proximæ sunt, quibus, consideratis circumstantiis, hic, & nunc, non potest vti sine peccato, ita vt illis positis semper peccet, V. G. vsurâ, nicromantiâ &c. Deinde eandem occasionem, posse esse alteri proximam, alteri remotam, vt habitatio cum muliere iuueni, & seni. 1. pars Probatur. Quia aliàs deberemus exire, ex hoc mundo, cùm nihil sit in eo, quod non possit nobis esse occasio peccandi. 1. Corint. 5. 2. pars Probatur. Quia pœnitens, omne mortale tenetur vitare: proxima autem occasio peccandi mortaliter, si non vitetur, est peccatum mortale, ideoq; debebit velle illam vitare: cùm idem sit, velle dispositionem proximam ad peccatum, quod velle ipsum peccatum, quia velle proximam causam, est velle in causa effectum.

Proxima occasio peccati est peccatum.

Dico 4. Non est necessarium, ad perfectum propositum, singillatim discurrendo, de peccatis futuris, facere inductionem, animo illa vitandi, sed satis est de omnibus in genere, id facere. Ratio est quia tale propositum generale extendit suam virtutem ad omnia peccata singularia. Hinc

Propositum debet esse cum spe veniæ.

Collige Hoc propositum debet esse cum spe veniæ, quia sine illâ, non contingit venia. Vnde Pœnitentia Judæ, quæ fuit sine spe veniæ, nihil illi profuit, quia vt ait D. Subt. *d. 14 q. 1. ad 3.* non fuit ordinata, quia non fuit ex dilectione Dei, ex quâ oritur spes veniæ.

Propositum satis faciendi.

Collige 2. Necessarium est, etiam propositum satisfaciendi, saltem in voto. Ratio est, quia cum Pœnitentia contineatur sub justitia, & secundùm legem ordinariam, culpa tollatur per pœnam, & satisfactionem, debet pœnitens, habere propositum satisfaciendi.

ARTI-

ARTICVLVS III.

Quantus dolor requiritur ad contritionem?

NOTA I. Quantitatem doloris considerari, vel juxta intensionem, vel extensionem, ac proinde de quantitate doloris, ita esse discurrendum, sicut de quantitate amoris, sicut enim DEUS est super omnia diligendus, ita dolor de peccatis debet superare omnes dolores.

NOTA 2. Theologi alij, conueniunt circa intensionem doloris, cum D. Subtili in hoc, quòd requirant aliquam intensionem, non solùm appretiatiuam, sed etiam ex parte conatus potentiæ; differunt verò in hoc, quia volunt habere intensionem maximam, in comparatione ad alios dolores: D. verò subtilis, non definit, quanta esse debeat ista intensio, *in 4 dist. 14. q. 2. a. 2. Quæ quanta sit ignoramus nos, inquit, sed DEUS ipse scit.* *Intensio in contritione qualis?*

NOTA 3. Inter istum motum, qui est contritio, & gratiam, est quædam prioritas, & ordo naturæ tantùm, & sic negat D. continuationem contritionis, debere habere aliquam durationem in facto esse ante infusionem gratiæ; quòd patet, quia si esset necessarium, vt contritio continuaretur, per aliquod tempus, ante infusionem gratiæ, sequeretur, quòd aliquis posset habere contritionem, & tamen non habere gratiam, quòd est falsum: loquendo autem de contritione in fieri quatenùs nondum est in termino, habet contritio durationem, & continuationem aliquam temporis; quia est motus quidam, & aggregatio plurium actuum, intellectus & voluntatis, intellectus verò debet considerare peccatum, sub omnibus circumstantijs, & voluntas similiter; hæc autem omnia, certum est, non posse fieri in instanti. Ergo. *Contritio in fieri, & facto seu in termino.*

DICO I. In contritione, necessaria est aliqua intensio. Probatur 1. ex S. Augustino, *qui de vera, & falsa poenitentia c. 13.* dicit. *Omnes fructus suæ poenitentiæ, paruos habeat, nunquam credat sufficere, semper doleat, semper coram Domino erubescat, dolorem cum vita finiat.* In quibus verbis innuit, quòd pœnitens debet colligere vires, & magno conatu dolere, & licet habeat dolorem intensum, nunquam tamen sistat, & nunquam credat sufficere. Confirmatur, quia Sacra Scriptura, præcipit intensè, & amarè dolere pro peccatis. Hierem. 6. *Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum:* Vbi Glosa dicit, ita dolendum pœnitenti *Contritio requirit intensionem. Nota Locū.*

de peccatis, ficut nihil dolentiùs morte unigeniti. Et Isai 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Psal. 6. *Lauabo per singulas noctes &c.* Ioelis 2. *Scindite corda vestra &c.* Tùm quia Trid. *Sess. 14 cap. 4.* exigit odium vehemens, & ingentem detestationem peccati, Sed hæc fieri, fine aliqua intensione non possunt. Ergo. 2. ratione, Contritio, est actus à charitate imperatus, est enim detestatio peccati, propter amorem DEI, super omnia dilecti. Sed in amore DEI includitur intensio super omnia, debemus enim diligere DEUM intensivè, & extensivè. Ergo detestatio peccati, quæ est contritio, debet includere intensionem. RESPONDENT Contrarium opinantes, quòd intensio in dilectione DEI, super omnia, intelligenda est appretiatiuè, non verò secundùm intensionem. Contra Licet appretiatiuè, tamen includit aliquam intensionem, quia in præcepto dilectionis DEI, apponuntur illæ conditiones. *Ex toto corde, ex tota ánima &c. Deut. 6. Matt. 22.* Sed istæ particulæ significant, vt colligamus omnes vires nostras, & toto conatu feramur in amorem DEI, adeò quòd DEUS præcipit nobis, vt diligamus DEUM super omnia intensiuè, & extensiuè, id est appretiemus illum, super omnem rem creatam. Et insuper præcipit, vt totis viribus, & toto conatu, feramur in DEI amorem. Sed adhibere totum conatum, & omnes vires, est idem, quod elicere actum intensiorem, quem possimus. Ergo ad dilectionem DEI requiritur intensio actus præter appretiationem objecti.

Appretiatiuè includit intensionẽ.

Ad dilectionem DEI requiritur intensio actus.

DICO 3. Loquendo de contritione, quatenùs est in terminò, quò habito gratia formatur, sed de ipsa loquendo in fieri, non potest negari eam habere durationem aliquam, & continuationem temporis. Probatur. Quia est motus quidam, & aggregatio plurium actuum intellectus, & voluntatis. Patebit clariùs ex solutione objectionis.

Objectiones.

DICES S. Chrysost. lib. de reparatione lapsi, ait. *Quolibet breui tempore, non despicit Deus poenitentiam. S.* Leo Epist. 91. *Nec misericordiæ mensuras possum ponere, nec tempora definere, apud quem nullas patitur moras, vera conuersio.* Cælestinus Papa, ad Episcopos Galliæ cap. 2. inquit. *Vera conuersio mente potiùs quàm tempore metienda est, dicente Propheta. Si conuersus fueris saluus eris.*

Rejiciuntur.

RESPONDEO S. Chrysostomus loco citato, intendit dicere, quòd pœnitentia quæcunq;, etiam insufficiens, ad delendum peccatum, non amittat suam mercedem, vt bona temporalia, vel dispositionem ad

gra

gratiam. S. Leo dicit quòd Deus poteſt quemcunq; peccatorem citò conuertere, quia miſericordia ejus, non eſt alligata alicui determinatæ menſuræ, vel determinato tempori. Neq; per hæc verba, (*Apud quem nullas patitur moras, vera conuerſio*) intelligit conuerſionem fieri in momento, ſed ſolùm innuit, quod DEUS non eſt alligatus, vt certo tantùm tempore, & miſereri, & conuertere poſsit peccatorem, ſed quocunq; tempore. Aliæ authoritates, quæ adduci poſsunt, concludunt ſolùm, nullam durationem eſse de eſſentia contritionis, poſtquam eſt in termino, & in facto eſse ante infuſionem gratiæ, quod concedimus. Loquendo verò de contritione, non quatenùs eſt in termino, quò habito gratiâ formatur, ſed de ipſa in fieri, non poteſt negari eam habere durationem, & continuationem aliquam temporis, quoniam eſt motus quidam, & aggregatio plurium actuum intellectus, & voluntatis, neceſse enim eſt quòd intellectus, conſideret peccatum ſub omnibus circumſtantiis prædictis, & voluntas ſub eisdem, illud deteſtetur; ſcilicet, vt eſt offenſa DEI, & ſuper omnia, & cùm ſpe veniæ, & cùm propoſito ampliùs non peccandi, confitendi & ſatisfaciendi, ſed hæc omnia, non poſsunt fieri in inſtanti. Ergo. *Cur in contritione omninò debet duratio & intenſio actus eſſe.*

ARTICVLVS IV.

Quomodo contritio reſpectu peccatorum eſt concipienda?

DICO I. Probabilior eſt ſententia, & tuta in conſcientia, non eſse neceſsariam recogitationem, de vno quoq; peccato, ſed ſufficere deteſtationem, & recogitationem omnium peccatorum inconfuſò, & in generali. Ita D. Subt. *in 4. d. 15 q. 1. a. 3. §. Ex hoc patet.* Vbi dicit quòd contritio vna ſpecie, poteſt competere pluribus peccatis, diuerſarum ſpecierum, & quòd vna numero contritio, de pluribus peccatis in generali, poteſt competere pluribus peccatis numero. Probatur ratione Doctoris *ibidem a. 5.* Quia videtur ſufficere ad placandam offenſam, quòd ſatisfaciens, non intendat permanere in aliqua offenſa ampliùs, ſed omninò velit reconciliari offenſo, tunc enim de quacunq; offenſa dolet, de qua cogitat, & memoratur, & doleret de omnibus ſi recordaretur, & de quibus non recordatur actu, dolet virtualiter, quia non vult ampliùs vllam offenſam, nec petit dimidiam veniam, ſed totalem, *De vnoquoq; ſingillatim non requiritur contritio, ſufficiat in generali.*

& consequenter, pœnitentia generalis de omnibus sufficit. Confirmatur 1. Si de singulis peccatis, necessariò esset dolor concipiendus, sequeretur eum, qui multa millia peccatorum commisit, non posse intra breue spatium temporis, conteri de omnibus, & si sit in articulo mortis, atq; ita non posset saluari, quod est falsum. Confirmatur 2. Homo justificatur per vnum actum contritionis, juxta illud Ezech: 18. *Si impius egerit poenitentiam, ab omnibus peccatis suis, &c. Omnium iniquitatum ejus non recordabor.*

Locus Ezechiel.

Dices Requiritur confessio singulorum peccatorum. Ergo & contritio de singulis.

Respondeo. Nego consequentiam; quia Confessio fit per modum judicii, in quo manifestanda sunt singula crimina, vt reus absoluatur. Tùm quia integritas confessionis, est de jure Diuino, nullum verò jus apparet, quo fideles obligentur ad singulas de peccatis contritiones.

Collige Pænitentem qui se præparat ad Confessionem, satisfacere, si ante examen, aut facto examine, aut inter examinandam conscientiam, vno actu detestetur omnia sua peccata. Ita communiter DD.

Requiritur confusa peccatorum cōsideratio.

Dico 2. Ad justificationem obtinendam per contritionem, requiritur saltem confusa peccatorum commissorum consideratio, & detestatio. Ratio est quia Isaiæ 8. dicitur. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, qui locus explicatur, de recogitatione peccatorum, prærequisitá ad actum contritionis. Tùm quia contritio est actus voluntatis; voluntas autem non fertur in incognitum. Ergo ad contritionem, requiritur saltem, confusa peccatorum cognitio.

Quando requiritur distincta cognitio peccatorum.

Dico 3. Dantur nonnulli casus, in quibus tenetur pœnitens peccata sua, ante vel post contritionem, distinctè recogitare.

1. Quando post contritionem facienda est confessio, tunc enim necessarium est Examen conscientiæ. 2. Quando extat obligatio restitutionis faciendæ tunc enim debent diligenter singula sua peccata perpendere, quantùm opus est, ad integram restitutionem faciendam. Ita Aretinus *in 4. d. 14 q 3. a. 7.* 3. Quando remedium aliquod assumendum est, ad euitanda peccata.

Bonum est grauius pro grauioribus dolere.

Dico 4. Non est quidem necessarium, dolere grauius, pro grauioribus peccatis, tamen est salubre consilium, vt pro grauitate delicti, leuior, vel grauior, dolor concipiatur. Ratio est, quia vbi est majus moti-

motiuum deteſtationis, ibi debet eſse major deteſtatio. Sed vbi eſt majus peccatum, eſt majus motiuum deteſtationis. Ergo. Hæc concluſio intelligenda, ſi pœnitens, non faciat comparationem inter majus, & minus peccatum, nam ſi faciat, tenetur de grauioribus majorem deteſtationem elicere. Hinc

COLLIGE Qui actualiter multorum peccatorum mortalium recordatur, & tamen de vno tantùm, aut altero dolet, is non habet veram contritionem; quia non deteſtatur omnia, vnum verò abſq; alio, dimitti non poteſt.

SECTIO III.

De Præcepto Contritionis.

In hac Sectione duo examinabantur.

1. An cadat ſub præcepto contritio?
2. Quando obligat præceptum iſtud?

ARTICVLVS I.

An Contritio ſit ſub præcepto, & quali?

DICO I. Præceptum de contritione, quatenùs includit pœnitentiam virtualem, vel formalem, eſt de lege naturæ: quatenùs verò arctatur ad modum ſpecialem pœnitentiæ, quæ eſt confeſsio, eſt de lege poſitiua: 1. Pars probatur. Quia ante legem ſcriptam, nulla fuerunt præcepta DEI poſitiua, ideò illud tempus vocabatur jus naturæ. Sed pro illo tempore, fuit hoc præceptum de contritione. Ergo. Nam D. inquit *Diſt.* 17 *Q.* 1. *a.* 1. *de jure naturali eſt, vt aliquis pœniteat de malis.* Confirmatur. Præcepta de juſtitia, & charitate ſunt naturalia. Sed tale eſt de contritione: Ergo eſt naturale. 2. Pars conſtat quia modus, quo acquirimus gratiam DEI, poſt peccatum, non eſt ſolùm contritio, & pœnitentia formalis, ſed ſufficit virtualis, vt dilectio DEI ſuper omnia, confeſsio Martyrum &c. Ergo modus, & formalitas, iſtius præcepti, videtur eſse de lege poſitiua. Notandum tamen eſt quod juxta Doctorem, ſubſtantia hujus præcepti ſit de lege naturæ, declaratio tamen, & explicatio ſit de lege poſitiua; nimirum, vt fiat per confeſsionem.

De lege naturæ eſt contritio.

Eſt de lege poſitiua.

Nota.

DICO 2. Contritio non eſt neceſsaria homini, poſt peccatum mor-

mortale commissum, in lege noua, necessitate simpliciter medii ad salutem. Ratio est Tùm quia illud est necessarium necessitate medii, quò prætermisso, etiam inculpabiliter, & inuoluntariè, salus non obtinetur. Sed prætermissa contritione, potest aliquando salus obtineri, vt patet in homine justo, qui si repentè moriatur salutem obtinet sine contritione. Ergo. Tùm quia pœnitens cùm sola attritione, & Sacramento pœnitentiæ, sine contritione justificatur.

Dico 3. Contritio propriè sumpta, necessaria est necessitate Præcepti. Patet. Ezechielis 18 dicitur. *Conuertimini, & agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris.* Confirmatur Illud est necessarium, necessitate præcepti, quô culpabiliter prætermisso, non obtinetur salus. *Nisi poenitentiam egeritis simul omnes peribitis Luc. 13.*

ARTICVLVS II.

Quo tempore obligatur homo ad Contritionem?

Quo tempore obligat contritio.

Nota 1. Omnes in hoc conueniunt, quòd hoc præceptum de Contritione, cùm sit affirmatiuum, obligare ad semper, sed non pro semper, id est obligare tantùm, quando adest necessitas, ponendi actum præcepti in esse, verùm, quodnam sit tempus, quo occurrit talis necessitas, ita vt nisi ponatur, peccatũ mortale committatur, cõtrouersia est inter Theologos.

Nota 2. Tempus, in quô est necessitas ponendi in actu hoc præceptum, determinatur ex duplici radice: vel ex ratione intrinseca hujus præcepti: vel ex ratione extrinseca, & hæc est duplex: vel enim oritur ex jure positiuo determinante hoc tempus, vel ex aliquâ causâ accidentali, quæ cùm aderit tenetur quis conteri.

Sunt dies festi pro contritione.

Dico 1. Probabilis est sententia D. Subtilis asserentis, tempus determinatum contritionis à jure positiuo, esse dies festos. Ita D. *in 3. dist. 27. q. 1. §. Quantùm ad secundum dico.* Probatur 1. Quia illud præceptum Deuteronomii. Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, est præceptum, quod obligat ad ponendum in esse, pro aliquo tempore actum positiuum elicitum, dilectionis Dei super omnia. Sed istud tempus, inquit Doctor, fortè determinauit illud præceptum Diuinum, *Memento, vt diem Sabbati sanctifices:* Sabbatum autem, est idem quod dies festus.

Sabbatum dies festus.

Ergo dies festus est tempus determinatum ad contritionem. Confirmat D. ex exodi cap. 20. Vbi dum Deus præcipit sabbatum sanctificari, dicit

inter

inter alia: *vt maneat vnusquisq; apud se*, id est recolligendo se, & ascendendo ad DEUM, suum. Sed non potest quis, diligere DEUM, super omnia, nisi detestetur peccata commissa. Ergo. 3. Quia festa ad hoc ordinantur, vt homo in illis sanctificetur. Sed non potest sanctificari, nisi à peccato mundetur. Ergo. Denique ex Doctore loco citato, contra Suarez: supponendo, quòd vnusquisq; tenetur sæpè, sæpiùs, ad eliciendum actum dilectionis DEI in vita, non solùm in articulo mortis: quia nimis absurdum est dicere, quòd nunquam in tota vita occurrat tempus, ponendi in actu, hoc præceptum, quod est fundamentum totius legis Diuinæ, nisi semel, vel bis, cùm tempus adimplendi alia præcepta affirmatiua frequenter occurrat. Ergo necesse est assignare alia diuersa tempora, præter articulum mortis, in quibus vnusquisq; teneatur, ad hunc actum. Sed hæc non sunt alia nisi dies festi. Ergo. Non enim tempus annuæ Confessionis, vt vult Soto, quia hoc non includit contritionem necessariò, sed solùm obligat, ad Sacramentum pœnitentiæ, quod fieri potest cum attritione.

Tenetur homo ad actū dilectionis DEI. Suarez disp. 15. sect. 6.

Tempus annuæ confessionis non est pro contritione.

DICES 1. Præceptum cultus festorum, est de negatiuis, nimirum abstinentia ab opere seruili; alterum est positiuum scilicet Missam audire. Sed vtrumq; horum, potest fieri absq; contritione. Ergo.

Audire Missam est affirmatiuum.

RESPONDEO. Præceptum de cultu festorum, includit dilectionem DEI super omnia, quæ non potest haberi sine contritione. Túm quia nō essent isti actus boni moraliter, quia carerent circumstantia finis.

Cultus festorum includit dilectionem Dei.

DICES 2. Esset hoc nimis durum, & difficile, vt quolibet festo, eliciamus contritionem de peccatis. RESPONDEO Non esse quia sufficit contritio formalis, vel virtualis; Neq; Thomistis id, debet esse difficile, qui non requirunt in contritione intensionem, neq; etiam requiritur recognitio singulorum peccatorum, sed in genere. Ergo.

DICES 3. Præcepta non obligant ad finem, sed ad media. Sed dilectio DEI, est finis. Ergo &c. RESPONDEO Quòd dilectio DEI, est finis respectu aliorum præceptorum, quia omnia præcepta ex charitate, tanquam ex fine, habent suam bonitatem, respectu verò beatudinis est medium.

Dilectio DEI est finis respectu præceptorum, respectu beatitudinis est medium.

DICES 4. Præceptum de cultu festorum, & præceptum de pœnitentia, sunt distincta præcepta, quia vnum pertinet ad justitiam, alterum ad religionem, scilicet cultus festorum; nullum autem præceptum, obligat ad officia alterius. Ergo præceptum de cultu festorum, non obligat ad pœnitentiam.

Præceptum Religionis includit aliud.

RESPONDEO Præceptum Religionis, & consequenter de die festo, reducitur ad justitiam, vt docet D. Subtilis *in* 3. *dist.* 9. *q.* 1. *a.* 1. & subordinatur præcepto dilectionis Dei, virtute cujus, etiam includitur præceptum de contritione, quod etiam pertinet ad justitiam.

In articulo mortis contritio facienda.

DICO 2. Ex vi, & naturâ suâ intrinsecâ, hoc præceptum contritionis obligat in articulo mortis, & in omni casu, in quo est moraliter periculum mortis. Ratio est, quia præceptum hoc est affirmatiuum, & pro hac vita, non pro futura: oportet ergo vt aliquo tempore impleatur, in hac vita. Si ergo non sit adimpletum ante articulum mortis, saltem in articulo mortis adimpleri debet.

Primus casus quando tenetur contritionem homo facere.

DICO 3. In tribus casibus, ex accidenti obligantur homines, ad contritionem faciendam. Primus casus est. Quando aliquis ex officio tenetur ministrare, vel suscipere Sacramenta, & non habet copiam Confessarii, & habet conscientiam peccati mortalis: vel tenetur facere aliquod opus, quod propter sanctitatem suam, requirit statum gratiæ in Ministro operante, neq; potest sine nouo peccato, exerceri in statu peccati mortalis. Porro hæc obligatio, non oritur ex præcepto Contritionis, sed ex præcepto, de dignè tractandi res sacras, & Sacramenta, excepto Sacramento SS. Eucharistiæ, illud enim conficere, non debet in peccato mortali existens, nisi præmittat Confessionem, & hoc ex præcepto Diuino, si potest confessionem facere, si non potest, ad actum Contritionis omninò obligatur.

Secundus casus.

Secundus casus est tempore magnæ tentationis: aliqui autem dicunt, in tali casu, non esse præceptum sed consilium, quod multò probabiliùs est, quia cùm auxilio Dei, potest homo vincere omnem tentationem, & se conuertere ad Deum, sine gratia habituali.

Tertius casus.

Tertius casus est. Quando commune malum Reipublicæ imminet, omnes tenentur ad contritionem, vt malum Deus auertat, quia, qui non habet contritionem de peccatis, ponit impedimentum, ne oratio communitatis exaudiatur.

PETES I. *An præceptum contritionis obliget quoties peccata memoriæ occurrunt?*

RESPONDENT Cajetanus *in* 3 *p. q* 84. *art:* 8. Soto *in* 4. *dist.* 14. *q.* 1. *art.* 9. Suarez *Disp.* 15. *Sect.* 4. negatiuè. Probant primò, quia hac de re nullum extat præceptum, nec Diuinum, nec naturale. Item præceptum pœnitentiæ, semel obligat tantùm, circa eadem peccata. Ergo non obligat quotiescunq; memoriæ occurrit peccatum.

DICO.

Homo obligatur ad detestationem peccati quoties menti occurrit.

Dico. Homo obligatur ad detestationem peccati quotiescunq; memoriæ occurrit. Ita D Subtilis *in 4. dist. 49 q. ex latere.* §. *Præterea in bonis.* Vbi ait, *Actu intelligens Deum, & nullo modo diligens, peccat: similiter actu cogitans peccatum, & sine omni displicentia, peccat.* Et *dist. 45. q. 3. ad 3.* S. Thomas *3. p. q. 84. articulo 8.* dicit. *Quod semper debet homini displicere, quòd peccauit:* quia inquit *si homini placeret peccasse, jam hoc ipso peccatum incurreret.* Ergo si debet, toto vitæ tempore homini peccatum displicere, sequitur, quòd & tunc, dum illius recordatur. Neq; valet Responsio Cajetani, Negatiuè, non autem contrariè, seu positiuè, quia purè negatiua retractatio peccati, non parit dolorem. At inquit ibi, S. Thomas. *Displicentia causat dolorem.* Ergo. Ad rationem in oppositum primam, dico esse præceptum naturale. Ad 2. Dico præceptum contritionis, obligat semel ad pœnitentiam, pro venia obtinenda, semper verò obligat ex vi præcepti dilectionis Dei, quæ non patitur secum, vt quis habeat deliberatè, id est sciens, & animadvertens, cogitationem de peccato, quod est injuria Dei, & illud non habeat odio, nec detestetur.

Collige prima opinio est communior, secunda antiquior, & securior.

Petes 2. *An homo teneatur statim conteri, quando commisit peccatum.*

Probabile est teneri peccatorem ad contritionem quando peccatorum recordatur.

Respondeo Cùm alicui post peccatum occurrit memoria peccati, probabile est, teneri eum, ad contritionem illius. Probatur 1. Quia si tenetur homo quotiescunq; recordatur peccati ad contritionem. Ergo etiam cùm primum recordatur de peccato commisso statim debet cōteri, quia etiam tunc recordatur. Aduerte hic quòd recogitatio peccati, alia est deliberata, quando voluntas, ex electione, cogitat de peccato commisso, aut si ex accidenti euenit recordatio peccati, voluntariè, & deliberatè sistit in cognitione illius: alia est indeliberata, cùm quis cogitat de peccato, non deliberatè, sed vel ex primis motibus, & raptim transit, vel quando voluntas, illam cogitationem non apprehendit, tanquàm de objecto malo, sed speculatiuè se habet circa illud objectum, vel de eo cogitat occasione alicuius alterius rei. Quando ergo dixi, hominem obligari, ad præceptum contritionis, intelligo de cogitatione deliberata, & practicè occurrente, non autem de cogitatione indeliberata, vel speculatiuè occurrente. Et ratio est, quia omni-

omninò irrationabile videtur, quòd aliquis diligat Deum, & cogitet de peccato deliberatè, quod est injuria Dei. nam si peccatum jam est dimissum, qui non tristatur de eodem occurrente, non seruat fideliter pactum contractum cum Deo, per dimissionem peccati, si verò peccatum non est dimissum, & occurrat modo prædicto, non seruat fidelitatem in dilectione Dei. Hæc opinio est antiquorum Doctorum.

Dices. Ex eo, quòd quis non statim pœnitet, non augetur peccatum, vt V. G. qui homicidium commisit, homicida manet, neq; fit noua injuria Deo: Ergo.

Respondeo Quod fit noua injuria Deo, quia non odit peccatum, quod est injuria Dei, nec se gerit fideliter, in dilectione illius, fidelis enim dilectio, & fœdus requirit, vt actu detestemur injuriam, & offensam dilecti, & multò magis Dei, vnde ista dilatio contritionis, habet annexam offensam Dei.

Ad contritionem non requiruntur doloris sensibilis indicia.

Petes 3. *Vtrum requirantur, ad veram Contritionem, suspiria, lachrymæ, & alia similia doloris sensibilis indicia?*

Respondeo Negatiuè. Ratio est, quia contritio consistit in detestatione peccati, quæ prouenit à voluntate odio habente, omne peccatum, contra Deum commissum. Tùm quia cùm lachrymæ, & suspiria, non sunt in nostra potestate, durum id esset, à nobis exigere.

Petes 4. *Vtrum requiratur attritio, respectu peccatorum venialium?*

Respondeo. Concilium Trident: *Seß. 14. cap. 4.* Ad valorem Sacramenti pœnitentiæ requirit dolorem, tanquam materiam necessariam Sacramenti. Ergo & respectu peccatorum venialium, aliàs si nullam detestationem respectu venialium eliceret, sacrilegium committeret, quia materiam, formæ absolutionis non subministraret, materia enim Sacramenti pœnitentiæ proxima, sunt peccata contrita, vel attrita.

QVÆSTIO V.
De Confessione.

Præsenti Quæstione inquiremus. Primò de Essentia, Necessitate, & Præcepto Confessionis. 2. Quinam teneantur homines confiteri. 3. Quid sit confitendum, & de integritate Confessionis. 4. Quænam conditiones requirantur ad Confessionem. 5. Quando est iteranda Confessio 6. Quibus de Causis excusentur fideles à Confessione: ideò præsens Quæstio in 6. Sectiones diuiditur.

SECTIO I.
De Eſsentia, Neceſsitate, & Præcepto Confeſsionis.

Præſentem Sectionem diuidemus in 4. Articulos.

In 1. reſoluemus, Quid ſit confeſsio;
In 2. Vtrum Confeſsio Sacramentalis ſit neceſsaria.
In 3. Quo jure præcepta ſit Confeſsio.
In 4. Quid circa præceptum confeſsionis determinatum ſit ab Eccleſia.

ARTICVLVS. I.
Quid ſit Confeßio Sacramentalis?

NOTA Nomen Confeſsionis, in ſacris literis multipliciter vſurpatur. Primò pro fidei profeſsione, quæ eſt Martyrum, Matthæ: 10. *Qui me confeßus fuerit &c.* 2. Pro laude Diuinâ, & gratiarum actione, Matt: 11. *Confiteor tibi Pater Domine cœli, & terræ &c.* Et Pſal. 117. *Confitemini Domino, quoniam bonus &c.* 3. Pro Confeſsione peccatorum, quæ duplex eſt. Quædam interna, quæ ſoli Deo fit, vt Pſalm. 31. *Confitebor aduerſum me injuſtitiam meam Domino.* Quædam verò eſt externa: quæ fit hominibus: & hæc iterum ſubdiuiditur: vel enim fit hominibus humilitatis cauſa, de quâ illud intelligitur, Jacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata veſtra*, vel fit coram Sacerdote, abſolutionis obtinendæ gratia, vt Actorũ 19. dicuntu Chriſtiani acceſiſſe ad Apoſtolos, *confitentes, & annunciantes actus ſuos:* & de hac in præſenti diſputamus, quam ex S. Thoma *in 4. diſt. 17. q. 3. art. 2* deſcribit Suarez Diſputatione 21. Sectione 1. ſic *Confeßio eſt legitima accuſatio propriorum peccatorum, coram Sacerdote, locum Dei in judicio Sacramentali tenente, ad veniam peccatorum, per virtutem clauium, obtinendam.* *Nomen confeßionis multiplex.*

DICO itaq;. Confeſsio eſt accuſatio Sacramentalis legitima, de peccatis propriis, facta coram Sacerdote ſuo, ad eorum veniam impetrandam. Eſt communis Theologorum, *in 4 diſt. 17.* (*Accuſatio*) ponitur loco generis, confeſsio enim Sacramentalis, non eſt quæcunq; propalatio peccati, V. G. ad jactantiam, vel aliquid ſimile, ſed accuſatio ad pænam ſubeundam. Reliquæ particulæ, ſunt differentiæ. Ponitur (*Sacramẽtalis*) ad differentiam contritionis quæ eſt confeſsio, coram Deo, & aliarum confeſsionum, non Sacramentalium. Dicitur (*legitima*) ad differentiam *Definitio confeßionis. Explicãtur particulæ Confeßionis*

 tiam

tiam illarum confeſsionum, quæ non habent requiſitas conditiones confeſsionis de quibus infra. Dicitur (*de propriis peccatis*) ad differentiam Confeſsionis laudis, in qua, non accuſamus nos, ſed Deum laudamus. Dicitur (*facta coram Sacerdote,*) ad differentiam confeſsionum, factarum coram aliis judicibus criminalibus. Dicitur (*Adveniam impetrandam,*) ad differentiam pænalium confeſsionum, quæ præcisè ordinantur ad punitionem, non ad veniam.

QVÆRES I. *Vtrum ſit de neceßitate Confeßionis, vt fiat ore pœnitentis?*

Poteſt fieri Confeßio, nutu vel ſignis.

DICO I. Non eſt de abſoluta neceſsitate Sacramenti Pœnitentiæ, vt confeſsio fiat verbis: Poteſt enim ex cauſa rationabili, ſine peccato fieri confeſsio, per ſcriptum, aut aliquos nutus, & ſigna, quæ ſufficienter exprimant peccata Sacerdoti. Prima pars patet, Quia inſtitutio Chriſti Domini, non aliud requirit, quàm vt peccata, manifeſtentur Sacerdoti. Sed hoc fieri poteſt, præter ſermonem; & iſta eſt praxis Eccleſiæ, vt poſitos in articulo mortis, cenſeat eſse abſoluendos, ſi loqui non poſsint, dummodo ſigno, vel nutu aliquo, dolere ſe ſignificent. 2. Pars conſtat quia talia ſigna, poſsunt eſse ſufficientia indicia, accuſationis humanæ, ex cauſa rationabili, V. G. ex impotentia, vtendi voce humana, aut nimiâ verecundiâ.

DICO 2. Etſi nullum extet præceptum, aut Diuinum, aut humanum, de confeſsione voce humana facienda, tamen, quia conſuetudo Eccleſiæ talis eſt; ideò Sacerdos grauiter peccaret, ſi confeſsionem exciperet, ſine juſta cauſa, per alia ſigna, prætermiſsa voce humana. Ita communiter Doctores.

DICO 3. Poteſt pœnitens, peccata ſua exprimere per interpretem, præſente Sacerdote. Ratio eſt, quia & hac ratione, ſufficienter manifeſtat conſcientiam ſuam.

Debent eſſe præſentes pænitens & Sacerdos.

QVÆRES 2. *Vtrum de neceßitate ſit Confeßionis, vt Sacerdos, & Pœnitens, ſint ſibi inuicem præſentes?* RESPONDEO, Clementis VIII. decretũ eſt, Anno D. 1602. de hac re, Confeſsionem inter abſentes, eſse illicitam, & ſic non eſt valida forma, prolata in abſentem pænitentẽ. Ratio eſt. Tùm quia, ſi verba formæ in rigore accipiantur, diriguntur ad perſonam præſentem & eadem neceſsariò voce humana proferenda ſunt. Tùm quia perfecta notitia, cauſæ pœnitentis, requirit ejus præſentiam, quia poſset accidere, vt pænitens, qui Confeſsario abſenti peccata, per

nunci-

nuncium, vel per literas detexit, tunc, cùm ille daturus esset absolutionem, mutet voluntatem, aut actualiter peccet. Vnde in nullo casu, etiam extremæ necessitatis, licet absenti pænitenti, dare absolutionem Sacramentalem, etiamsi pænitens, præsenti Confesario fuerit confessus, & velit illi dare absenti absolutionem, nihil faceret, & censuram Excommunicationis soli summo Pontifici reseruatam incurreret. Aduerte, Quòd hæc præsentia pœnitentis, & Sacerdotis, non requiritur physica, sed moralis, & sic potest dari absolutio homini existenti in carcere, in cubiculo, vel per portam, & tempore pestis, in campo, longiusculè distanti, dummodò possint inuicem colloqui, & vnus alium audire. *Sufficit præsentia moralis.*

ARTICVLVS II.

Vtrum Confeßio Sacramentalis sit neceßaria?

Dico Confessio homini peccatori, est necessaria, necessitate medii, & necessitate præcepti ad salutem consequendam. Probatur 1. à D. Subtili *in 4. dist. 17.* tali ratione, quâ Concilium Tridentinum vtitur, *Seß. 14 cap. 5.* Ex illo loco Joan: 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis &c.* habetur; à Christo Domino, immediatè datam esse potestatem Apostolis, & in eis omnibus Sacerdotibus, dimittendi peccata, ministerialiter, & arbitratiuè. Sed non poterant Apostoli, neq; illis succedentes, possunt arbitrari, & judicare in causa ignota, neq; condignam pœnam illis injungere. Ergo ex institutione hujus authoritatis sequitur, necessarium esse, ut peccata, de quibus debent judicare, & arbitrari, eis manifestentur. Atqui hoc non potest fieri, nisi mediante confessione. Ergo ex illa collatione potestatis arbitrariæ Sacerdotibus, in causa peccati, obligatur peccator ad confitendum Sacerdoti. Hæc ratio probat confessionem medium esse necessarium ad salutem, facta suppositione hac, quòd quicunq; primam gratiam amisit, tenetur facere, quantùm in se est, vt illam recuperet, & hoc virtute illius præcepti. *Diliges Dominum Deum tuum*: & virtute illius, *Diliges teipsum &c.* Atqui, qui peccauit mortaliter, amisit primam gratiam, potest verò illam recuperare, per Sacramentum pœnitentiæ, quia ad hunc effectum, hoc Sacramentum, est institutum. *Joan 20.* Ergo ex illa potestate, data Sacerdotibus per institutionem Sacramenti pœnitentiæ, factâ suppositione, il- *Confeßio est neceßaria neceßitate medii & præcepti.*

lius præcepti. *Diliges Dominum Deum &c.* elicitur necessitas confessionis.

Dices I. Est alia via, & medium delendi mortalia peccata, vt contritio. Ergo non est necessaria confessio. Respondeo Contritio, licet sit medium optimum, non tamen ita certum, & ita facile, sicut confessio, non enim est certum, an aliquis habeat perfectam Contritionem, ideò, exponeret se periculo moriendi in peccato, qui negligeret confessionem, contritio enim perfecta includit in voto confessionem, & susceptionem Sacramenti pœnitentiæ: itaq; est omninò necessaria necessitate medii confessio ad salutem, in re, vel in voto.

Confeßio est necessaria necessitate medii. & præcepti in re vel in voto

Dices 2. Confessio hæc Sacramentalis, non habet exemplum, nec Christi Domini, nec Apostolorum. Item non habet vllam promissionem in verbo Dei. Item Gratuitæ condonationi, substituit meritum enumerationis, & satisfactionis. Item exigit rem impossibilem, juxta illud, *Delicta quis intelligit?* Ad primum patet institutio confessionis à Christo Domino, *Joan. 20.* Tempore Apostolorum fuit in vsu, *Actorum 19.* Ad 2. constat. Ad 3. Dico, Licet Deus gratis dimittat, vult tamen, vt & nos aliquid faciamus, juxta illud S. Aug. *Qui fecit te, sine te, non justificabit te sine te.* Ad 4. Respondeo Confessio exigitur eorum, quæ memoria tenet, præmissa diligentia humanæ infirmitati possibili.

ARTICVLVS III.

Quo jure seu præcepto præcepta sit Confeßio Sacramentalis?

Lex duplex naturæ & positiva.

Nota. Lex, alia est naturæ, alia positiua. Lex naturæ est lumen, & cognitio boni, & mali, æqui, & justi, quam vnusquisq; habet, naturaliter innatam, & insertam à Deo conditore naturæ. Lex positiua, est lumen directiuum, operationum nostrarum practicarum, ab aliquo institutum.

Lex naturæ non præcipit confeßionem.

Dico I. Ex præcepto legis naturæ, nemo tenetur ad confitendum peccata Sacerdoti. Ita D. *in* 4. *dist. 17.* Probat sic. Quidquid est de jure naturæ, pro quocunq; statu fuit. Sed præceptum confessionis non fuit in lege naturæ, neq; in lege Mosaica. Ergo confessio Sacramentalis secreta, non est de jure naturæ. Vnde authoritates Sacræ Scripturæ, dum loquun-

loquuntur de confeſsione, loquuntur de confeſsione ſoli Deo, non de confeſsione facienda homini, vel loquuntur de confeſsione generali, vt Danielis 2. *Tibi Deus Patrum noſtrorum confiteor, teque laudo.*

Lex Eccleſiaſtica non præcepit cõfeßionem.

Dico 2. Confeſsio non eſt præcepta lege Eccleſiaſtica. Probat D. Subt: Eccleſia non attentaſset, tàm arduum præceptum imponere omnibus Chriſtianis, niſi eſset præceptum Diuinum. Ergo non eſt Eccleſiaſticum. Tùm quia non poteſt oſtendi locus, vbi ab Eccleſia imponatur tale præceptum. Non in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio Tertio, quia ante illud tempus, fuit in vſu confeſsio, vt patet per S. Auguſt. qui vixit ante illud Concilium, octingentos annos, qui prædicauit, & docuit Confeſsionem, eſſe ſummè neceſsariam, *in libro de vera, & falſa poenitentia.*

Confeßio Sacramentalis jure Diuino præcepta.

Dico 3. Confeſsio Sacramentalis eſt præcepta lege Diuina poſitiua, etiam ante determinationem Eccleſiæ, ac proinde D. Subtilis *in 4. diſt. 17.* dicit: *Rationabiliùs eſt tenere, quòd confeßio, cadat ſub præcepto Diuino.* Dicit *Rationabiliùs*, non quòd dubitet, ſed quia videbat illo tempore, eſse contentionem inter Doctores, & nulla adhuc erat determinatio Eccleſiæ. Hæc concluſio eſt de fide, & definita in Concilio Tridentino *Seß. 14. cap.* 5. Probari poteſt. Primò ratione allata, pro concluſione præcedentis Articuli, quæ videatur ibi. Probatur 2. per Euangelium Joannis 20. *Quorum remiſeritis*, vbi hoc præceptum, promulgatum à Chriſto Domino, Apoſtolis. ab Apoſtolis verò promulgatum eſt Eccleſiæ, absq; vlla ſcriptura, ita vt certum ſit, ex iſtis verbis haberi neceſsitatem confeſsionis Sacramentalis, accedente traditione Eccleſiæ, & hac ratione, vtitur Tridentinum loco citato. Hinc

Collige 1. Confeſsionem, non Pontificum, neq; Conciliorum decretum eſse, ſed Chriſti Domini Præceptum, eo enim ipſo, quòd Sacerdotes, judices, & arbitros inſtituerit, vt abſoluerent, ligarent, &c. obligauit etiam ex altera parte peccatores, vt ſe accuſarent, qui enim intendit finem, intendit, & media.

Objectio Caluini.

Collige 2. Confeſsionis ſecretæ, & Sacramentalis, eſse vſum vetuſtiſsimum, quod & Caluinus fatetur, *lib. 3. inſtitut. cap. 4. §. 7.* negat tamen eam, eſse de jure Diuino, vel à Chriſto Domino, inſtitutam. vnde,

Obiicit. Si auricularis Confeſsio, eſset de jure Diuino, non potuiſset lex illa abrogari ab Epiſcopo, præſertim pio, & docto. Sed in Eccleſia Conſtantinopolitana Nectarius Epiſcopus, vſum confeſsionis auricularis

cularis ex Ecclesia abstulit, & prohibuit, & eum secutæ sunt Ecclesiæ orientales, usq; ad tempus Sozomeni. Ergo.

Reijcitur ut falsa.

RESPONDEO. Quòd Nectarius, non abstulit aliquid, quod pertinet ad Confessionis substantiam, sed solùm abstulit pœnitentiarium publicum (vt constat ex Sozomeno *lib. 9. c. 32.* Nicephoro *lib. 19. cap. 13.* & vsum pœnitentiæ publicæ, & reliquisse homines in suo arbitrio, vt facerent pœnitentiam publicam, si vellent, non verò cogendos esse ad illam. Atq; hinc patet, quòd Vsu fuerit confessio secreta, à qua ortum habuit, publica, quæ publica fuit abrogata per Nectarium, iustis de causis, quas citati Historici, longo sermonem enarrant.

QVÆRES *Quo tempore, obligantur homines ad Confeßionem?*

Non obligãtur peccatores ad statim confitendum.

DICO 1. Non obligatur peccator, statim post commissum peccatum ad confessionem, etiam si adsit opportunitas loci, & temporis, & Confessarii, sed solùm tenetur habere propositum confitendi. Ita D. Subtilis, *in 4. dist: 14. a 3.* Ratio est, quia præcepta pœnalia, non sunt amplianda. Hinc.

COLLIGE S. Bonauentura *in 4. d. 17.* dicit, Religiosos teneri confiteri, non ex vi præcepti, sed ex vi status Religionis, statim post commissum peccatum. Sed hæc opinio, est nimis rigorosa, quia Religiosus, ratione status, non obligatur, nisi ad id, quod in votis continetur.

In articulo mortis.

DICO 2. Quilibet fidelis, obligatur ad Confessionem, in articulo, & periculo mortis. Ratio est, quia peccatori existenti in peccatis mortalibus imminet periculum æternæ damnationis, quod vt euadat, tenetur remedium adhibere, quale remedium est confessio. Ergo Ex quo sequitur 1. Quòd homo in periculosis morbis, obligatur ad Confessionem, sub peccato mortali. Similiter, qui aggreditur actus arduos, & periculosos, vt belli, nauigationis periculosæ: vel qui postea, non est habiturus occasionem confitendi. Sequitur 2. Medicos obligari, juxta mandatum Pii V. vt moneant infirmos ad confessionem, non quidem per se, sed per alios, suauiter, ne infirmi turbentur rigorosa monitione.

DICO 3. Ante sumptionem Eucharistiæ, necessaria est peccatorum confessio. Patet ex 1. ad Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat &c.*

ARTICVLVS IV.

Quid circa præceptum Confeßionis decretum sit ab Ecclesia?

NOTA

Nota Ecclesia potuit statuere, & facere præceptum Confessionis, quia data est illi potestas suprema, à Christo Domino in Petro, *Pasce oues meas. Tibi dabo claues regni coelorum:* nam licet ipsemet Christus Dominus omnia Sacramenta instituit, & vsum ipsorum præcepit, tamen non definiuit omnes circumstantias, vt tempus, locum, modum &c. sed hæc reliquit Ecclesiæ, secundùm exigentiam loci, & temporis.

Dico 1. Præceptum Confessionis, ante articulum mortis, jure Diuino obligat, quod tempus determinauit Eccelesia, vt saltem semel in anno. Ratio est, quia præceptum confessionis, est affirmatiuum. Atqui præceptum affirmatiuum, est indeterminatum, & obligat ad aliquando, istud autem aliquando, determinauit Ecclesia. Porro Religiosi saltem semel in mense obligantur ad confessionem. *Ecclesia determinauit tempus confeßionis.*

Dico 2. Ecclesia præcepit, vt adulti fideles, qui ad annos discretionis perueniunt, peccata sua confiteantur, saltem semel in anno, quòd si negligant, debent priuari sepulturâ Ecclesiasticâ, non ipso facto, sed per sententiam judicis. Ita habetur in jure *de poenitentiis, & remißionibus, Cap. Omnis utriusq; sexus.* Patet ex Trident. *Seß. 14. cap. 5. & Can. 8.*

Collige 1. Qui eodem anno prætermittit confessionem, & communionem, duo peccata mortalia committit, quia violat præcepta diuersa, de re diuersa. Porro annuæ confessionis computatio, fieri debet à tempore Paschatis, ad aliud Pascha. Ita Henr: *lib. 4. cap. 4.* Syluester *Verbo Confeßio 1. num. 2.* Suarez *diß. 36. sect. 3.*

Collige 2. Præceptum Ecclesiasticum annuæ confessionis, non est simpliciter, sed quoad determinationem temporis: quia Ecclesia solùm determinauit tempus, non verò absolutè confessionem.

Collige 3. Ille, qui præterito anno confessionem prætermisit, ex præcepto annuæ confessionis, tenetur hoc anno præsenti, quam primùm confiteri ex præcepto. Ratio est, quia annus, non præfigitur ad finiendam, sed ad solicitandam adimpletionem præcepti confessionis: sicut debitor non soluens tempore determinato, non excusatur ab obligatione soluendi, elapso termino; nam terminus, non fuit suppositus ad finiendam obligationem solutionis, sed ne solutio diutiùs differretur. Ita Nauar. *cap. 21 num. 45.* est communis. *Non confessus, post pascha tenetur confiteri statim.*

Collige 3. Ille, qui non est confessus in periculo mortis, cùm haberet conscientiam peccati mortalis, non tenetur postea post sublatum periculum, statim confiteri. Ratio est, quia præceptum Confessionis

in articulo mortis obligat, vt occurratur periculo damnationis: sublato verò periculo mortis, non est periculum damnationis.

SECTIO II.

Quinam teneantur homines confiteri?

Baptizati ad confeßionem obligātur.

DICO 1. Soli peccatores, vsum rationis habentes, in mortale peccatum lapsi post Baptismum, tenentur Sacramentaliter confiteri. Ratio est, quia peccata mortalia non possunt aliter expiari, nisi per confessionem, vel per contritionem in ordine ad confessionem. Vnde.

COLLIGE Hoc præceptum obligat hæreticos, apostatas &c. & pueros cujuscunq; ætatis, dummodo capaces sint peccati mortalis, sunt autem capaces, si vsum rationis habeant, cognoscantq; peccatum, quod commiserunt; nam vt dicit Doctor *in 4. dist. 17 q. vnica.* Per adultum, non est intelligendus, qui talem, vel talem habet ætatem, sed ille qui habet jam ætatem, in qua cognoscit, quid sit justum vel injustum, contra legem DEI, in multis enim ante consummatam ætatem, malitia supplet ætatem. Vnde ponit Doctor breuem regulam ad id cognoscendum. Quando aliquis instructus, & interrogatus ordinatè, percipit distinctè, quid sit justum in lege Diuina, idq; faciliter potest cognosci, si ad interrogationes ordinatas, ordinatè respondeat, sicut alius jam perfectæ ætatis. Ita Concil. Trid. *Seß. 14. cap. 5.*

Adultus quis.

Regula D. Subt:

DICES. Pueri non obligantur ad sumendam Eucharistiam, ante annos discretionis, licet sint doli capaces. Ergo neq; ad confessionem faciendam?

RESPONDEO. Dispar est ratio de Eucharistia, & Pœnitentia; quia non tanta est necessitas Eucharistiæ, quanta Pœnitentiæ. Tùm quia major reuerentia debetur Eucharistiæ, quàm pœnitentiæ. Hinc

COLLIGE Pueros, qui ante annum duodecimum non confitentur, non esse puniendos eâ pænâ, quâ puniuntur cæteri. Ita habetur *cap. 1. & 2. de delictis puerorum.* Quod si puer anni duodecimi, percutiat clericum, ipso facto incurrit excommunicationem, quia talis pœna ipso facto incurritur, illa verò comminatoria.

Papa obligatur ad confeßionē.

DICO 2. Papa tenetur ad Confessionem, & hoc non solùm jure Diuino, nam legibus Diuinis est subjectus: verùm etiam præcepto Ecclesiastico, quod fideles obligat ad confessionem annuam. Ratio est

2. Partis, quia licet ex vi coactiua, non sit subditus legibus Ecclesiasticis, nihilominùs ex vi directiua, & ex honestate, & propter euitandum scandalum; tenetur ad obseruantiam legum propria authoritate constitutarum. Ita Henriquez *lib. 1. de Poenitentia cap. 3. num. 2.* Aretinus *Dist. 17. q. vnica, articulo 1. in secundo principali articulo.*

Dices Nullus Sacerdos habet jurisdictionem supra Papam. Ergo.

Respondeo Sacerdos absoluens Papam, habet jurisdictionem ab ipso Papa, ita vt, licet potestas eligendi Confessarium ex parte Pontificis sit à jure Diuino, tamen jurisdictio transfertur in Confessarium, medio Pontifice. Vnde S. Thomas *in 4. dist 19. q. 1. a. 3.* ait Pontificem vt peccatorem subjici, vt vicarium autem Christi, dare jurisdictionem supra seipsum, in illo foro. Similiter idem Pontifex concedens plenarium indulgentiam, lucratur ipsam, & ipse.

Dico 3. Infideles, aut Cathechumeni, non obligantur ad Sacramentalem confessionem. Ratio est, quia hoc Sacramentum institutum est per modum judicii. Sed Ecclesia, non exercet judicium, nisi in eos, qui priùs per Baptismi januam, ingressi sunt Ecclesiam, vt patet ex Trident: *Sess. 14. cap. 2.* Ergo infideles, non obligantur ad confessionem: Debent tamen instrui ante Baptismum. *Infideles nō obligantur ad Confessionem.*

SECTIO III.

Quid sit confitendum, & de distinctionibus peccatorum.

Præsens Sectio diuiditur in 9. Articulos.

In 1. inquiremus Quid sit peccatum, & quæ peccata tenentur fideles confiteri

In 2. Quæ sit differentia inter peccatum mortale, & veniale?

In 3. Quo pacto cognoscere possimus, quæ peccata sint mortalia, quæ venialia?

In 4. Quomodo peccatum sit in cogitatione, & aliis actibus externis?

In 5. Vtrum Circumstantiæ necessariò sint confitendæ?

In 6. Vtrum numerus peccatorum necessariò sit in confessione exprimendus?

In 7. Quomodo peccata tam interna quàm externa distinguuntur?

In 8. Vnde numerica peccatorum distinctio desumitur?

In 9. Vnde specifica peccatorum distinctio desumitur?

ARTICVLVS I.

Quid sit peccatum, & quæ peccata teneantur fideles confiteri?

Quid sit formaliter peccatum.

SVPPONE I. Quidnam sit peccatum, subtiliter examinat Doctor in 2. d. 35. § *Ista quæstiones.* Et quodlibetica 18. a. 3. dicens. *Peccatum formaliter, est priuatio boni:* & hoc dictum probat Doctor authoritate S. Aug. Tractatu 1. in Joannem cap. 1. Super illud, *Et sine ipso factum est nihil.* Vbi ait. *Videte, ne sic cogitetis, quia nihil aliquid est; solent enim multi malè intelligentes, sine ipso factum est nihil, putare aliquid esse nihil. Peccatum quidem, non per ipsum factum est; & manifestum est, quia peccatum, nihil est, & nihil faciunt homines, cum peccant.* Item in Enchiridio cap. 11. ait. *Quid est aliud, quod malum dicitur, nisi priuatio boni? Nam sicut corporibus animalium, nihil est aliud morbis, & vulneribus affici, quàm sanitate priuari.* Et lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 9. inquit. *Mali enim natura nulla est, sed amißio boni, mali nomen accepit.* Et lib. 2. contra Epistolam Fundamenti cap. 35. ait. *Quod dicimus malum, nihil est aliud, quàm corruptio boni.* S. Basilius homil. 9. ait. *Malum boni priuatio est.* S. Ambr. lib. de paradiso cap. 8. *Quid est peccatum, nisi legis Diuinæ præuaricatio, & coelestium inobedientia præceptorum.* Ex his authoritatibus habetur, quod *peccatum sit formaliter priuatio rectitudinis debitæ in esse.* Ergo dicere peccatum formaliter esse quid positiuum, est contradicere SS. Patribus; qui peccatum asserunt esse priuationem meram, quia dicunt peccatum non esse aliquid neq; Ens, sed nihil. Confirmat Doctor. Illa est ratio formalis peccati, quâ positâ, actus, est peccatum, & quâ ablatâ, actus non est peccatum. Sed sic est, quòd positâ debitâ rectitudine actus, actus non est peccatum. Ergo priuatio debitæ rectitudinis, est ratio formalis peccati. Minor probatur. Quia sicut actus, est formaliter bonus, quando est conformis rationi: ita formaliter est malus, quando est contra rectam rationem, & debitâ caret rectitudine. Atqui carentia hæc debitæ conformitatis ad agens superius, est carentia, & priuatio. Ergo essentia, & ratio formalis peccati est carentia, & priuatio. Suppositum istud ex quo pendet tota vis in hac ratione, est clarum: quia si in potestate agentis inferioris sit, se conformare agenti superiori, & non conformat se, peccat: vnde istud non conformare se, est peccatum: quia peccans, potuit concordare se legi Superioris agentis, & discordare: ille ergo actus, qui est in potestate discordantis, & per hoc est voluntarius, est formaliter peccatum; quia

Peccatum est priuatio rectitudinis.

si ille

si ille esset concors regulæ superiori, non esset peccatum. Ergo in illo actu, præcisa ratio peccati, est priuatio illius concordiæ. Hæc ratio probat, peccatum esse priuationem, & priuationem concordiæ debitæ ad agens superius, quæ est rectitudo debita.

SVPPONE 2. Secundùm omnes Theologos duo esse in peccato: scilicet auersionem à DEo, & conuersionem ad creaturam: nam cùm quis facit peccatum, conuertit se ad creaturam, & auertit se à DEO; quia magis diligit, & vult creaturam, quàm diligat, & velit DEVM, prohibentem illi conuertere se tali modo ad creaturam. Porro inquit Doctor Subtilis *in 2. d. 35.* quod auersio à fine vltimo, alia sit formalis, alia virtualis. Vide ibidem. *Duo sunt in peccato.*

Ex his colligit Doctor, Quòd essentialis ratio peccati, est in auersione, vel formali, aut virtuali ab vltimo fine; nam sicut virtus essentialiter consistit in rectitudine actus, ad regulam superiorem, ita peccatum, In carentia istius rectitudinis. Non ergo conversio ad creaturam, est quid formale pertinens ad peccatum: nam si talis conuersio, non sit prohibita à regula superiori, nempe DEO, non est peccatum, sed pro tanto est peccatum, quia est prohibita, potiùs ergo conuersio pertinet ad materiale peccati, non ad formale. *Ratio peccati est in auersione.*

SVPPONE 3. Vnum peccatum, aliô grauius inquit Doctor Subt: est illud, quod ex genere suo opponitur rectitudini meliori, illa autem est melior rectitudo, quæ est immediatior, & proximior fini vltimo, cæteris paribus. *Peccatum quod est grauius.*

DICO itaq; 1. Peccatum formaliter, est priuatio rectitudinis debitæ in esse. Patet ex notandis. *Ratio formalis peccati.*

DICES. Ratio formalis peccati, consistit in offensa, & injuria DEI. Et juxta S. Aug. lib. 22. contra Faustum. cap. 27. *Peccatum est dictum, factum, concupitum, contra legem Dei æternam.* Ergo peccatum formaliter, non consistit in priuatione rectitudinis debitæ.

RESPONDEO Si formale in peccato, est non conformitas ad legem, & non conformare se DEO, est inobedientia, & offensa Dei, sequitur, clarum esse, peccatum vt peccatum, esse offensiuum Dei. & hæc injuria, vel offensa est veluti passio, & proprietas peccati, quatenùs peccator Deum offendit; illiq; injuriam facit. Ad authoritatem S. Augustini Respondet Doctor in 2. dist. 35. ad 1. Cum dicit S. Augustinus. *Peccatum est dictum, factum, &c.* explicat materiale peccati, cum dicit, *contra legem,* expli-

explicat formale. Vbi illud contra, intellige priuatiuè, non contrariè; Ergo ex hac authoritate habetur, quòd ratio formalis peccati, est carentia conformitatis in actu ad legem Dei.

Omnia mortalia debet homo confiteri.

DICO 2. Omnia peccata mortalia, post Baptismum commissa, de quibus memoriam habuerit (diligenti examine facto,) tenetur peccator simul in eadem confessione confiteri. Probatur Quia omnia mortalia post Baptismum commissa, sunt materia necessaria confessionis, ita quòd sunt necessariò confitenda, quia hoc remedium, institutum est à Christo Domino ad remittenda mortalia.

ARTICVLVS II.

De differentia, inter peccatum mortale, & peccatum veniale?

Quid peccatum mortale. Peccatum veniale.

NOTA 1. Theologi inter varias diuisiones peccatorum, ponunt & hanc *in 2. dist.* 42. peccatum actuale, aut est mortale, aut veniale Peccatum mortale, est illud, quod priuat animam gratia Dei, facitq; eam inimicam Dei, & dignam pœnâ æternâ: vt constat ex multis locis sacræ scripturæ. Ad Rom. 1. *Qui talia agunt, digni sunt morte.* Ad Gal. 5. *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Peccatum veniale est illud, quod non est ita graue, vt auferat gratiam, & faciat hominem inimicum Dei neq; est causa damnationis æternæ, sed stat cum gratia, & amicitia Dei, licet sit aliqualis offensa Dei. Et de hoc peccato dicitur Ecclesiastici 10. *Non est, qui non peccet.* Prouerb. 24. *Septies in die cadit justus.* S. Joann. Epist. 1. cap. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus &c.* Sed hæc, non possunt verificari de mortalibus, Ergo de venialibus. Tùm quia certum est, peccata non omnia esse æqualia. Ergo alia sunt majora, alia minora.

Differentia inter mortale & veniale juxta aliquos.

NOTA 2. Licet certum sit, quòd peccatum mortale, & veniale differant, ex propria natura, tamen vnde hæc differentia oriatur, quòd mortale inferat mortem animæ spiritualem, veniale verò non: varios modos assignant Theologi. Quidam dicunt, Peccatum mortale differre à veniali, quia mortale est contra præceptum & legem, veniale verò, non contra, sed præter legem. Sed hæc opinio stare non potest: quia omne peccatum veniale, est actus moraliter malus, Atqui omnis actus moraliter

liter malus, repugnat rectæ rationi, consequenter est contra legem Dei, saltem æternam. Tùm quia surripiens V. G. vnum obolum, peccat, quia facit contra præceptum. *Non furtum facies*, Tùm quia veniale, si esset præter, & non contra legem DEI, sequeretur, quòd veniale esset actus indifferens. Quidam dicunt mortale, & veniale in hoc differre, quia mortale est contra finem, veniale contra media. Hanc opinionem refutat D. Subtilis *in 2. dist. 21. q. 1. §. Dico ergo.* Vtrumq; tam peccatum mortale, quàm veniale, potest esse circa finem, & circa media ad finem. Ergo hæc differentia est nulla. Antecedens patet, quia actus odii, non plenè deliberatus, & odium Dei, sunt circa Deum, qui est vltimus finis. Ergo peccatum veniale, & mortale sunt circa finem. Similiter furtum magnum, & furtum paruum, sunt circa creaturas, quæ ordinantur ad vltimum finem. Ergo.

NOTA 3. Veniale peccatum, triplex communiter statuitur. *Primò* ex genere, id est, quod ex natura sua, & ex objecto, circa quod versatur, ex fine, & ex paruitate materiæ, semper est veniale, & tale vt tale, nunquam fit mortale, etiamsi sint infinita, vt verba ociosa &c. 2. genus peccati venialis, est ex imperfectione actus, seu ex imperfectione deliberationis, & advertentiæ. 3. genus, ex leuitate materiæ, V. G. qui furatur tres grossos, non peccat, nisi venialiter, quia leuitas materiæ, excusat à mortali. *Veniale triplex.*

NOTA hic diligenter, quòd non in omnibus paruitas materiæ excusat à mortali, vt in contemptu DEI, in materia Simoniæ, in materia luxuriæ, in materia perjurii, in materia infidelitatis, seu incredulitatis, in actu odii Dei; in his enim prædictis, leuitas materiæ, non excusat à mortali, quia in talibus materiis, reperitur integra ratio injuriæ, & offensæ. *Non in omnibus paruitas excusat.*

DICO 1. Peccatum veniale, per hoc differt à mortali, quia mortale fit contra præceptum, & veniale contra consilium. Hanc conclusionem acriter Thomistæ impugnant, sed absq; vlla ratione, Doctor enim Subtilis *in 2. d. 21. q. 1.* quando hanc conclusionem protulit, hoc etiam prænotauit: nempe, Legem Diuinam, in sacris literis, & à Sanctis Patribus, dupliciter capi. Vno modo pro regula Diuina, obligante ad aliquid absolutè, siue illud sit vtile, siue necessarium ad finem legis. Alio modo, pro regula Diuina, obligante ad aliquid necessarium ad finem legis, sine quo finis legis, haberi non potest. Similiter consilium. Vno modo *Differentia inter mortale & veniale.* *lex dupliciter capitur.*

Consilium duplicitèr. modo sumitur pro monitione, libera ab obligatione legis primo modo sumptæ. Alio modo capitur consilium pro monitione, libera ab obligatione legis, secundò modo sumptæ, non tamen ab obligatione legis, primò modò sumptæ. Quare, quod est contra consilium, primò modo acceptum, peccatum esse nequit, cum ab omni obligatione liberum esse possit, & sic contra illud agere, nullum est peccatum, vt 1. ad Corinth. 7. dicitur, *Qui Matrimonio jungit virginem suam, benè facit.* Agere verò contra consilium secundo modo sumptum, peccatum esse potest; nam licet qui sic agit, non agat contra legem secundo modo sumptam, obligantem ad aliquid necessarium ad finem obtinendum, agit tamen contra legem primo modo acceptam obligantem ad aliquid absolutè, à qua deuiare, peccatum est. Quando itaq; D. Subtilis docet, peccatum veniale, esse contra consilium, accipit consilium secundo modo, pro monitione, libera ab obligatione ad aliquid necessarium ad finem legis, sine quo finis legis, haberi non potest, non tamen accipit consilium, pro monitione, libera ab obligatione legis primo modo acceptæ: quia peccatum veniale, semper est contra id, quod lex præcipit absolutè, & consequenter, est contra id, quod homo tenetur facere.

Quomodo mortale & veniale sit contra legẽ. Dico 2. Peccatum mortale, est contra legem, quatenùs statuit, ac præcipit aliquid, tanquam necessarium ad consequendam vitam æternam: peccatum verò veniale, est contra legem, quatenùs statuit, ac præcipit aliquid, non vt necessarium, sed vtile, & conducens ad vitam æternam, minimè tamen liberum à legis obligatione. Ita Doctor *in 2. d. 37. q. vnica.* Cùm ergo peccatum mortale, sit contra aliquid necessarium ad vitam æternam, sequitur, quòd cum nullo peccato mortali, potest stare charitas. Peccatum verò veniale, cùm non sit contra aliquid necessarium ad vitam æternam, sed contra vtile tantùm, à legis tamen obligatione non liberum, charitatem Dei non excludit.

Dico 3. Peccatum, dicitur vniuocè de mortali, & veniali. Patet quia formalitas peccati, est carentia rectitudinis debitæ actui. Sed hæc ratio competit tam mortali, quàm veniali, licet per prius mortali, quàm veniali. Ergo.

ARTICVLVS. III.

Quo pacto cognoscere possimus, quænam peccata sint mortalia, quænam venialia?

Dico

Quomodo cognoscatur mortale, & veniale.

Dico, Tres vias assignant Doctores. Prima est ex Sacris literis: illa enim opera, quæ in sacris literis, abominabilia, execranda, Deo exosa, mortem inferre, à regno Dei excludere dicuntur, hæc pro mortalibus habenda sunt: vt sunt homicidia, adulteria, opera carnis &c. quæ verò talibus censuris grauibus non notantur, pro venialibus reputantur, vt illud Proverb. 10. *In multiloquio non deerit peccatum.* Et illud Matth. 5. *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio;* talia enim sunt venialia, non mortalia. Secunda Regula est, Quando ex sacris literis colligi non potest, quæ peccata sint venialia, quæ mortalia, quia multa sunt peccata, contra leges humanas, Pontificum, & Principum, tunc temporis recurrendum est, ad Ecclesiæ traditionem, & consuetudinem Doctorum ejus. Et ea quæ homines pii, & docti, pro talibus habent; Quod si inter authores est dissensio, an sit mortale vel veniale? sicut aliqui dicunt, non adimplere promissum, de re leui juratum, esse peccatum veniale, aliqui dicunt mortale. In talibus casibus, judicandum, qui firmiorem rationem, & magis solidum fundamentum attulerit: quòd si vtraq; opinio probabilis, quam voluerit, tutò sequi poterit. Tertia Regula est, Ex lumine naturali, quando aliundè constare non potest, secundùm quam viam, sit regula generalis ista. Illa peccata, quæ leuiter lædunt Deum, vel proximum, arbitrio prudentis viri, pro venialibus habenda sunt: quæ verò grauiter, pro mortalibus: Sicut enim ratione naturali, aliquando constat euidenter, aliquos morbos esse graues, aliquos leues, ita ratione naturali, aliquando constat euidenter, aliquas offensas esse graues, aliquas verò leues.

1. ex Scriptura Ezech 18. ad Ephes. 5. ad Gal. 5. Matth. 12.

Ex consuetudine Ecclesiæ

Sotus

Caiet.

Ex lumine naturali.

Nota 1. Licet leuitas materiæ excusat à peccato mortali, non tamen in omnibus, vt dixi præcedenti Articulo, imò non excusat leuitas in blasphemiis, in fractione sigilli Confessionis. Deinde excusat indeliberatus consensus. Porrò ad perfectum, & directum consensum, duo requiruntur. 1. Perfecta intellectus aduertentia, absq; vlla perturbatione, vel passione, vel ignorantia inuincibili; vnde si aduertentia intellectus nulla sit, nullus est consensus; si verò aduertentia sit aliqua, sed imperfecta, poterit esse aliqualis consensus, non tamen sufficiens ad peccatum mortale. 2. Motus, consensus, & approbatio voluntatis: Si enim voluntas, volitione efficaci, complacet sibi in aliquo objecto inordinato, est peccatum mortale, si autem non sibi complacet in eo, nec delectatur, signum est clarum, quòd ei non consentit. Hinc sequitur, quod

Indeliberatio excusat. Ad Consensum quæ requiruntur.

Ex duplici

capite consensus oritur quod ex duplici capite, consensus oriatur perfectus, & deliberatus. 1. ex aduertentia intellectus, cùm aduertit objectum esse malum, turpe, & prohibitum. 2. ex pleno consensu voluntatis: plenus autem consensus voluntatis est, quando voluntas, habitâ plenâ cognitione objecti mali, prohibiti, duobus modis potest se gerere circa volitionem illius, nimirum, vel volendo illud efficaciter, volendo objectum, & imperando media ad illud obtinendum, vel volendo illud inefficaciter, nempe volendo illud, si esset sibi possibile, & hæc volitio, est quoq; plena, & sufficit ad actum peccati. E contra, consensus imperfectus est, ex defectu aduertentiæ intellectus, & ex defectu consensus voluntatis.

Plenus consensus.

Imperfectus Consensus.

Nota 2. Quando voluntati, offertur ab intellectu, objectum aliquod inordinatum, vt actus luxuriæ inordinatus, & voluntas circa illud objectum suspendit actum, & negatiuè se habet, sinit tamen intellectum versari in illius consideratione, nec illam avertit, cùm tamen posset, voluntas peccat. Ita Doctor Subtilis *in 2. dist. 42. q. 1. §. Ad istas quæstiones.*

ARTICVLVS IV.

Quomodo peccatum sit in cogitatione, & in aliis actibus externis?

Peccatum formaliter est in voluntate.

Nota 1. Ex D. Subtili *in 2. dist. 42.* Quòd malitia primò, & formaliter sit in voluntate, teste S. Augustino, 3. de libero arbitrio. Vbi inquit, *Causa primò peccandi est voluntas: nihil enim est peccatum, nisi quod est in potestate facientis, & nihil est in potestate facientis, nisi quod est in potestate voluntatis ejus, quia nihil, præter hoc, est imputabile.* Et 12. de Ciuitate Dei cap. 8. ex professo probat, defectus omnes, & malitias, oriri à voluntate. Ergo peccatum, solùm est in voluntate, in aliis vero rebus in quibus est peccatum, est solùm mediante actu voluntatis. Confirmatur. Quia omnis alia causa in vniuerso, præter voluntatem naturaliter agit. Ergo nulla propter suam actionem, est vituperabilis, sicut nec laudabilis. Ergo in nulla sua actione sic per se consideratâ, est peccatum. Ex his duabus rationibus concludit D. Subtilis loco citato, quòd malitia, & peccatum non potest esse primò, & formaliter in cogitatione, sermone, & opere exteriori, sed est primò, & formaliter in actu voluntatis.

In actu exteriori est

Nota 2. Etsi peccatum non possit esse formaliter, nisi in voluntate, tamen materialiter, potest esse in cogitatione, sermone & opere

exteriori; Vnde S. Anselmus lib. de *conceptu* & peccato originali cap. 4. dicit; *Quòd voluntas est motor in toto regno animæ, & omnia ei obediunt:* Sicut ergo voluntas, tenetur habere rectitudinem in actu suo, ita tenetur habere illam in actibus exterioribus, ad quos cooperatur, vt motor. Quare, sicut mouendo potentias inferiores ad actus bonos, actus illarum sunt boni, bonitate participatâ, ita mouendo malè illas, earum actus non sunt recti, sed mali, voluntas enim, tenetur illis dare rectitudinem. Ex quo fundamento D. Subtilis colligit, quòd nullus actus, potest esse malus, etiam materialiter, nisi sit imperatus ab actu voluntatis formaliter malo.

materialiter.

Cogitatio aliqua est in potestate voluntatis.

DICO I. Cogitatio aliqua, est in potestate voluntatis. Probatur. Quia si cogitatio non esset in potestate voluntatis, intellectus semper staret in cogitatione objecti perfectissimi, neq; voluntas posset avertere illum à cogitatione talis objecti, quod videmus experientia esse falsum. Sequela patet, quia perfectius agens, circa idem objectum agit fortiùs, & impedit minus perfectum agens. V. G. si ignis, & aqua. agant circa idem objectum, ignis impediet actionem aquæ, data proportione. Sed causæ producentes intellectionem, sunt naturales, nimirum objectum, & intellectus agens, & possibilis Ergo posito objecto nobiliori præsente intellectu fortiùs mouebit intellectum, quàm moueat objectum ignobilius, atq; ita, semper detinebit intellectum, in contemplatione sui, & sic non poterit auerti ab eo.

DICES. Intellectio, & cogitatio, præcedit actum voluntatis, voluntas enim non fertur, nisi in præcognitum. Ergo videtur quòd cogitatio, non sit in potestate voluntatis,

Duplex cogitatio.

RESPONDEO Duplex est cogitatio. Vna prior, & antecedens actum voluntatis, alia posterior, & consequens. Prior, non est in potestate voluntatis: quòd patet, ex authoritate S. Augustini, qui *libro de libero arbitrio cap. 15* dicit. *Non est in potestate nostra quin visis tangamur.* Sciendum est, quòd prænominata cogitatio præcedens, appellatur primus motus. Porro motus primo primi sunt, juxta multos Theologos, qui inopinanter, & subitò, ante omnem considerationis actum, in nobis insurgunt: vel secundùm aliquos, qui ex aliqua corporis perturbatione oriuntur Motus secundò primi sunt, qui primis motibus succedunt Doctor Subtilis ibidem ita hanc doctrinam exponit. Quòd motus, seu intellectus, seu sensus, vel præcedunt actum deliberatiuũ voluntatis, vel subsequũtur: priores dicuntur primi motus, posteriores dicuntur motus secundi. Atq; hinc

Motus primò primi.

Motus secundò primi

hinc ſequitur, quòd delectationes, quæ ſunt in voluntate, tanquam primi motus, tunc ſunt peccatum, quando ipſa voluntas condelectatur appetitui ſenſitiuo; quia illi non ſunt ſine actu rationis, & voluntatis præcedente; cùm enim voluntas ſe delectat in objecto illicito, ſibi præſentato, à potentiis inferioribus, ſignum eſt, quòd conſentit quia ſi non conſentiret in illud, eniteretur cogitationem illius expellere, quod non faciendo, ſignum eſt eam aſſentire, & ſic actus illi non præcedunt, ſed ſubſequuntur actum voluntatis, & ſic ſunt peccata. Poſterior verò cogitatio illa, quæ ſubſequitur actum voluntatis, eſt in poteſtate voluntatis, & poteſt imperari à voluntate.

Quando cogitatio eſt peccatum mortale.

Dico 2. Quando voluntas imperat cogitationem, alicujus illiciti, quâ vult, quòd objectum ſit ſibi præſens, ad continuandam delectationem, & complacentiam in illo, ſi illud cogitatum ſit illicitum, in complacentia plena, eſt peccatum mortale. Hanc concluſionem probat D. Subtilis ex S. Aug: *12. de SS. Trinit: cap. 1.* Vnde

Nota diligenter.

Collige Quando cogitatio delectabilis, eſt de objecto prohibito, tanquam ſi objectum ſit præſens ſibi, vt delectetur in illo, tanquam objecto, eſt talis peccaminoſa cogitatio; ſi verò ſit delectatio, & complacentia de cogitatione, non de objecto prohibito cogitato, propter aliquem honeſtum finem, propter ſcientiam, vel propter deteſtationem peccatorum, talis cogitatio, non eſt peccatum.

Quomodo peccatum eſt in ſermone ex operatione.

Dico 2. Peccatum in actibus aliarum potentiarum inferiorum, vt in ſermone, & in operationibus non eſt formaliter, ſed materialiter. Probatur Recta ratio dictat, actus humanos, debere eſse circumſtantionatos rectè, rectitudine ſibi debitâ, rectitudo autem debita potentiis inferioribus, eſt rectitudo participata à voluntate, ſunt enim recti, vel mali, ſecundùm quod voluntas, quæ eas mouet, eſt recta, vel mala: ſiue objecta ſint ſpiritualia, ſiue ſenſualia. Porrò in actibus purè naturalibus, nullum peccatum eſse poteſt.

ARTICVLVS V.

Vtrum Circumſtantiæ, neceſſariò ſint in Confeſſione exprimendæ?

Circumſtantia quid ſit

Nota 1. Circumſtantia dicitur id, quod circumſtat actum; quaſi conditio quædam extrinſeca, non pertinens ad ſubſtantiam actus pecati,

ſed aliquomodo attingens illum. Porrò circumſtantiæ ſunt in quadruplici differentia. Aliæ ſunt impertinentes, quæ nec augent, nec minuunt peccatum, quales ſunt furari ante prandium, vel poſt prandium, dextrâ, vel ſiniſtrâ manu, occidere gladio, vel frameâ, fuſte, vel lapide; & hæ vocantur adiaphoræ, ſeu indifferentes. Aliæ minuentes notabiliter, vt quòd aliquis metu, furto rem aliquam abſtulit, vel ebrius fuit, vel jurauerit &c. Aliæ ſunt, quæ intra eandem ſpeciem augent grauitatem peccati notabiliter, vt ſi quis alterum occidat, exquiſitis tormentis. Aliæ ſunt mutantes ſpeciem peccati, vt de veniali mortale, vel è contra, de mortali, veniale, V. G ſi quis ex inadvertentia, ex primo motu, impingat alicui alapam; vel quæ nouam peccati ſpeciem addunt, vt eſt circumſtantia voti caſtitatis, in peccato luxuriæ, aut circumſtantia loci ſacri in furto, aut homicidio.

Circumſtātiæ quadruplices. *Indifferentes.* *Minuentes* *Aggrauantes.* *Mutantes ſpeciem.*

NOTA 2. Circumſtantiæ, ex quibus poteſt augeri, vel minui peccatum, vel illi noua ſpecies addi, ad has ſeptem reuocantur, quæ hoc verſu exprimuntur.

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, Quomodo, Quando.

Quot circumſtantiæ?

Particula *Quis* pertinet ad conditionem, & Qualitatem Perſonæ, ſopatrantis delictum, V. G. an ſit adſtrictus voto caſtitatis, conjugatus, ſolutus, conſanguineus &c. Particula *Quid* pertinet ad Quantitatem, vel conditionem objecti, vel materiam, circa quam peccator exercuit ſuam actionem; V. G qualis conditionis ſit Perſona, cum qua peccatur, vel an aliquis multùm, vel modicùm furatus ſit, rem ſacram, vel profanam, &c. Particula *Vbi*, denotat circumſtantiam pertinentem ad locum, an in loco ſacro? Particula *Quibus auxiliis*, denotat circumſtantiam Perſonæ, cùm quis vtitur conſortio, in patrando delicto; V. G. ſi quis ad ſolicitandam fœminam, vtatur aliquo mediatore, hunc enim conſtat, nouum committere peccatum, cum ſit cauſa ruinæ proximi. Particula *Cur?* reducitur ad finem, propter quem actui noua ſpecies malitiæ tribui poteſt, V. G. ſi quis furetur pecuniam, ad adulterandum, hic enim duo peccata committit, cùm finis diuerſam ſpecie malitiam habeat ab ea, quàm habet actus furti ex ſua natura. Particula *Quomodo*, ſpectat ad modum, quo delictum committitur, nam circumſtantia modi, poteſt aliquando ſpeciem malitiæ variare, V. G. auferre rem alienam domino neſciente, eſt furtum: ſciente verò, & renuente, eſt rapina. Particula *Quando*, denotat tempus, quæ mutat ſpeciem peccati aliquando; V. G. celebrare poſt pran-

Quis. *Quid.* *Vbi.* *Quibus auxiliis.* *Cur.* *Quomodo.* *Quando.*

prandium, aut bis in die jejunii comedere, aut seruilia opera, in die festo præstare.

Circumstãtiæ mutantes speciem, necessariò confitendæ

Dico 1. Circumstantiæ, necessariò sunt in confessione explicandæ, quæ mutant speciem. Ratio est, quia in confessione aperienda sunt, omnia peccata mortalia, quantùm moraliter fieri potest. Sed non aperiuntur omnia peccata, tacitis circumstantiis mutantibus speciem, cùm hujusmodi circumstantiæ, peculiarem habeant malitiam, & deformitatem. Vide *Trident: Sessione* 14. *cap.* 5.

Collige Hæc, circumstantiarum mutantium speciem peccati, explicatio, etiam in actibus purè internis locum habet.

Minuentes non necessariò confitendæ.

Dico 2. Circumstantiæ minuentes malitiam, ita tamen, vt non desinat esse peccatum mortale. V. G. si quis sit debilis capitis, & facilè inebriatur, non sunt necessariò exprimendæ: quia tales potiùs excusant, quàm accusant, cùm tamen sit hic locus, & tempus accusandi. Porrò circumstantiæ extrahentes à mortali, ad veniale, necessariò exprimendæ. Ratio est, quia grauiter deciperetur Confessarius in suo judicio, V.G. si quis dicat se occidisse hominem, & non addat in defensione inculpabili.

Aggrauantes quando confitendæ.

Dico 3. Circumstantiæ aggrauantes, ita, vt tamen non extrahant ab ordinario modo peccandi, non sunt necessariò in Confessione explicandæ: quia in ipso peccato simpliciter narrato sufficienter includuntur: Porro grauiter aggrauantes, quæ nimiùm augent deformitatem peccati, vt si quis occidat aliquem exquisitis tormentis, probabiliùs est, & tutiùs, illas esse explicandas in confessione. Ita Alensis. Richardus. Major. Suarez. Ratio est quia extraordinariis peccatis, extraordinaria satisfactio est imponenda.

Dico 4. Circumstantiæ adiaphoræ, nunquam sunt in Confessione explicandæ. Ratio est, quia sunt impertinentes ad augendam, vel minuendam, malitiam peccati.

Circumstantia Quis mutans speciem est confitenda.

Quantùm ad Circumstantiam Quis. Dico 1. Quando est circumstantia Personæ talis quæ mutat speciem peccati, necessariò est in confessione exprimenda. V. G. si peccat carnaliter Sacerdos, vel Religiosus, is committit sacrilegium in specie luxuriæ. Pari ratione si quis in magistratu positus, aliena peccata non corrigat, peccabit contra justitiam, cùm aliàs peccâsset contra charitatem tantùm.

Quæres *An religiosus Sacerdos, peccans carnaliter, teneatur dicere,*

tere, se esse religiosum, & Sacerdotem? Aliqui affirmant, aliqui negant. Vtrumq; probabile.

Dico 2. Vir, non tenetur in Confessione dicere, se Virginem fuisse; in fæmina autem, aliqui omninò affirmant, quòd sit exprimendum ab illa, an fuerit Virgo, nec ne? alii verò negant; præsertim si ipsa fœmina consentiat in peccatum, & sic non differt stuprum, à simplici fornicatione. Ita Sotus *in 4. dist: 18. q. 2. a. 4.* Suarez *Disp. 22. Sect. 4.* Sanchez *lib. 19. cap. 17.* Ratio est, quia stuprum, non differt specie à fornicatione, sed solùm ratione grauioris incommodi, quia corrupta, difficilius potest elocari. *Virginitatis circumstantia an confitenda.*

Nota De incestu dico illos gradus necessariò esse explicandos in Confessione, qui ab Ecclesia prohibentur ad quartum gradum. *Nota de incestu.*

Collige Confessarium, qui carnaliter cognouit pœnitentem, non teneri in confessione exprimere, se copulam cum pœnitente habuisse; nam tale peccatum non est incestus, modo confessarius non solicitauerit pænitentem in confessione, aut non sit talis, cui ex officio, incumbat onus procurandæ salutis, tunc enim peccaret ratione specialis circumstantiæ. Similiter si Persona peccans, sit persona publica, quandoq; habebit ejus peccatum, annexum scandalum, quòd actus alterius peccati non habebit. Porro circumstantia Quis, non mutans speciem, non est confitenda; dummodò non sit notabiliter aggrauans.

Quantùm ad Quid. Dico 1. Quantitas peccati, necessariò est in confessione explicanda. Ratio est, quia confessarius debet informari, quid, & quomodo ablatum, sit restituendum, tunc enim confessarius, debet judicare, an possit absoluere, & quomodo restitutio facienda: vel si data sit excommunicatio, contra aliquod furtum. *Quantum explicandum est.*

Dico 2. Qualitas peccati mutans speciem, est necessariò in confessione explicanda, vt si quis, rem sacram furetur, vel clericum percutiat; Duplex autem res Sacra dicitur. Primò propter consecrationem vt Calix, Casula, Secundo propter custodiam, quia scilicet, res aliqua concredita est custodiæ Ecclesiæ. Hæc conclusio, extenditur ad omnia alia, quæ jure Ecclesiastico possidentur: ista enim sunt sacra, per annexionem ad jus Ecclesiasticum. Vnde *Qualitas explicanda. Duplex res sacra.*

Nota Non esse exprimendam circumstantiam loci, si quis in templo furetur rem, non pertinentem ad possessionem, vel custodiam Ecclesiæ. V. G. si aliquis alicui surripiat crumenam, aut aliquid simile: quia tunc

tunc non committitur sacrilegium, cùm non auferatur res commissa custodiæ Ecclesiæ.

Circumstantia loci explicanda quando.

Quantùm ad Vbi. DICO 1. Circumstantia loci, est tunc necessariò in confessione explicanda, quando actio fit directè contra sanctitatem loci, id est, quando aliquod peccatum, pugnat primò contra puritatem ejus, quatenùs est deputatus ad continendas, & custodiendas res Sacras. 2. Si peccatum sit, contra loci sacri immunitatem. Quare nota. Certi sunt casus in jure expressi, quibus loci sanctitas violatur. 1. Quando intra Ecclesiam, vel cæmeterium sanguis humanus effunditur, vel aliquis sine effusione sanguinis occiditur. Aduerte violata Ecclesia; violatur cæmeterium, non è contrà. 2. Si infidelis, vel excommunicatus, denunciatus, in Ecclesia sepelitur, vel cæmeterio. 3. Quando Ecclesia, per Episcopum publicè excommunicatum, consecratur. 4. Si quis extrahat per vim, aliquem ex loco sacro, præterquàm in casibus à lege permissis. 5. Committere peccatum carnis in Ecclesia, siue pollutionem publicam facere, vel notoriam.

Casus quibus Ecclesia violatur.

DICO 2. Ad hanc circumstantiam spectat, si quis celebret in loco profano, sine facultate vel priuilegio.

COLLIGE Si quis cogitet furari rem aliquam profanam, existens in templo, non est sacrilegus, si verò rem sacram cogitet, etiam extra templum, auferre, est sacrilegus mentaliter.

Quibus auxiliis.

Quantùm ad Circumstantiam, Quibus auxiliis. DICO 1. Quando aliquis ad peccandum vtitur, auxilio hominum, quos ad id non induxit, non tenebitur hanc circumstantiam confiteri. Quando verò sunt inducti ab eo, tenebitur confiteri. Hæc enim inductio ad peccandum, est scandalum actiuum. Ratio est, quia tunc noua malitia scandali accedit.

DICO 2. Nunquam est necessariò explicanda, circumstantia concausæ, quæ non sit homo, ordinariè loquendo, V. G. instrumenta, quibus quis vtitur ad peccandum, siue sint animata, siue non sint animata, nisi sint specialiter prohibita. Ratio est, quia ejusmodi non afferunt specialem peccato deformitatem.

Cur?

Quantùm ad Cur. DICO 1. Esse confitendam, hanc circumstantiam, V. G. si quis propter inanem gloriam prædicet, aut oret: quia finis est malus, licet medium nullam malitiam habeat.

DICO 2. Quando tam finis, quàm media, sunt mala, vtrumq; est con-

confitendum. V. G. si quis furatur propter adulterari &c. Ratio est, quia distinctæ sunt malitiæ.

Dico 3. Quando verò finis ex se, non est malus, medium autem ad illum est malum, tunc satis est confiteri ipsum medium per se loquendo: per accidens est necesse.

Quantùm ad Circumstantiam, Quomodo. Dico 1. Modi illi explicandi, ex ignorantia, malitia, infirmitate, si adesset notabilis contemptus; aliàs non: quia sic transferret veniale in mortale; multùm enim refert, an aliquis peccauerit, ex ignorantia inuincibili, vel crassa, & ex vehemente tentatione, an ex malitia: Similiter an ex contemptu, vel non? contemptus enim, mutat speciem peccati, & quandoq; ex veniali, facit mortale. *Quomodo*

Dico 2. Intensio actuum interna, cùm sit difficilis explicatu, non debet necessariò in confessione explicari, & vt plurimùm ex actibus exterioribus dignoscitur.

Dico 3. Consuetudo peccandi juxta aliquos est necessariò confitenda, juxta aliquos non: ratione tamen remedii dandi, est explicanda omninò.

Quantùm ad Quando. Dico 1. Quando præceptum speciale præscribit certum tempus, quô mandatur, vel prohibetur aliquid, est necessariò in confessione explicanda circumstantia temporis. V. G, jejunium tali die omissum, vel Missa die festo, &c. *Quando*

Dico 2 Circumstantiam diei festi, putant addere aliqui specialem malitiam cuiuis peccato, tali die commisso, (V.G. inebriari, fornicationem committere, &c.) ideoq; necessariò in confessione explicandam. Ita S. Thom. *2. 2. q. 122. a. 4 ad 3.* Sanctus Bonauentura. D. *Subtilis* vt dixi *disp. 4. q. 3. a. 2.* Recentiores negant.

ARTICVLVS VI.

Vtrum numerus peccatorum sit necessario in Confessione exprimendus?

Dico 1. Tenetur homo jure Diuino, omnia, & singula peccata mortalia confiteri, quorum habet memoriam, siue illa per solum actum internum fuerint commissa, siue in externum prodierint. Ratio est, quia judex, non minùs debet scire multitudinem, quàm diuersitatem peccatorum. Ergo. Hinc, *Numerus peccatorum explicandus.*

Examen.

COLLIGE. 1. Pœnitens, antequam accedat ad confessionem, tenetur adhibere diligentiam ad reuocandum peccata in memoriam, aliàs confessio esset nulla. Ita Tridentinum *Seß. 14. cap. 5. Can. 7. & 8.*

Diligentia qualis in examine.

COLLIGE 2. Non requiritur ad hoc examen, summa, quæ possit fieri ab homine diligentia, neq; extraordinaria, ac proinde, non obligatur ad peccata scribenda tunc; cum illa committit, vel ei in mentem veniunt, etsi enim hoc memoriæ subsidium bonum sit, tamen nemo ad illud tenetur. Ratio est, quia nemo tenetur periculo se exponere manifestandi peccata. Sed scriptura, est instrumentum ex se manifestatiuum. Ergo.

COLLIGE 3. Tanta diligentia debet adhiberi in examine conscientiæ, quanta à viris prudentibus in re magni momenti adhibetur, spectari tamen debet in hoc casu conditio hominum.

DICO 2. Non sufficit ad integritatem confessionis, aperire peccata in confusò, dicendo sæpiùs se tali, vel tali genere peccati peccâsse. Ratio est, quia Tridentinum addit vocem (*singillatim*) significando, singula mortalia esse aperienda. Tùm quia integritas confessionis hoc requirit, vt omnia dicantur, quæ sunt, & prout sunt, in conscientia.

Historicè peccata non exprimantur.

DICO 3. Non est necesse, vt singula peccata per se, & quasi historicè narrentur, V. G. furatus sum in tali loco, cum tali modo, sed satis est dicere furatus sum bis, vel ter, hoc, vel hoc, si furtum sit ejusdem speciei. Ratio est, quia hoc sufficit ad judicium morale rectè expediendum.

Certum pre incerto dicatur.

DICO 4. Si pœnitens factâ morali diligentia, nihilominùs certum numerum scire non potest, tunc si illi occurrat numerus, qui plus minùsuè à certo, putatur distare, tunc tenebitur illum in confessione explicare dicendo, decies, plus minùs. Ratio est, quia hoc sufficit, ad ferendum morale judicium de peccato, & quia talis pœnitens facit, quod moraliter est possibile. Vnde qui sic est confessus, non tenebitur postea confessionem repetere, etiamsi illi ocurrat certior numerus: *ita communiter Doctores.*

Si non potest numerus explicari, status, & consuetudo peccandi explicanda.

DICO 5. Quando pœnitens, non potest numerum peccatorum explicare, etiam verisimilem, tunc tenebitur explicare saltem statum, vel consuetudinem peccandi, idq; sufficiet Ratio est, quia tunc faciet, quod moraliter possibile est, & quia ex tali confessione, potest Confessarius, de statu pœnitentis judicare. Ad hunc autem statum hæc potissimè

ſimè ſpectant. 1. Explicatio ſpecie distinctorum peccatorum. 2. Tempus quo pœnitens in peccato perſeuerauit. 3. Frequentia peccandi, diſcurrendo per dies, hebdomadas, menſes, annos, plus minuſuè, in die, bis, vel ter, aliquando ne ſemel &c. Deniq; cum quibus Perſonis frequentiùs peccauit &c.

DICES *Delicta quis intelligit?* dicitur Pſal. 18. Ergo impoſsibilis eſt enumeratio peccatorum. RESPONDEO Licet ſit impoſsibilis enumeratio peccatorum venialium ſine quibus non viuitur, poſsibilis tamen eſt mortalium, quæ ſolùm ſunt materia neceſſaria confeſsionis.

QVÆRES I. *Vtrum Confeßarius, teneatur poenitentem examinare?* *Quando Confeßarius tenetur examinare.*

RESPONDEO Non teneri, ſi probabiliter judicet pœnitentem integre confeſſum fuiſse ſua peccata, tunc enim existimare debet ſuam interrogationem inutilem, & oneroſam fore. Si verò Confeſsarius credat, pœnitentem defectu examinis, non integrè confeſſum fuiſse, debet illum dimittere ad diſcutiendam perfectiùs conſcientiam (ſi non adſit periculum mortis, nam in tali periculo debet Confeſsarius eam diligentiam adhibere, quam ipſe pro circumſtantia temporis, & qualitate Perſonæ judicauerit expedire, eaq; adhibita beneficium abſolutionis impendere, ne *Pœnitens* in ſtatu damnationis moriatur). Vel certè, debet ipſe per interrogationes, defectum ſupplere examinis, habita ratione qualitatis, & ſtatus Perſonæ, quod tamen cautè eſt faciendum, ne ſuis interrogationibus, ſcandalum præbeat Pœnitenti, & peccare doceat, quare priùs quærat in generali, donec aliquod veſtigium, vel ſignum, à Pœnitente, deſcendendi ad particularia accipiat. *Cautela pro Confeßario.*

QVÆRES 2. *Vtrum in Generali Confeßione debeant omnia peccata exprimi?*

RESPONDEO. Si ob aliquem defectum confeſsio fiat Generalis, vel quia ante, non integrè confeſsus fuit, vel non purè, debent omnia peccata exprimi; ſi verò ex deuotione, quia cum majori contritione accedit, vel propter majorem ſecuritatem, conſcientiæ, vel propter majus meritum, quod vult faciat, exprimat, vel omnia, vel aliqua ſaltem. Hinc

COLLIGE. Non debent Confeſsarii permittere frequenter iterare confeſsiones Generales, ſufficit enim bis, vel ter in vita, quare, ſi aliqua Deuotula, velit frequenter id facere, à Confeſsario eſt redarguenda, & diligenter inquirendum cui confeſsa, quod ſi aliquot vicibus viro pru- *Nota.*

denti, & docto, silentium ei imponat, ne repetat, potiùs orationi sit intenta, vel meditationi.

ARTICVLVS VII.

Quomodo peccata tàm interna, quàm externa distinguantur?

In actu morali duo sũt.

NOTA ex Doctore *in Quodlibetica 18. a 2.* In actu morali esse duo. Primùm est bonitas, vel malitia moralis. Secundùm est imputabilitas, propter quam aliquis de actu bono laudatur, & de malo vituperatur. Hæc autem duo insunt actui, sed non ab eodem formaliter, nam bonitas inest ex ratione, ille enim est actus bonus, quî est conformis rectæ rationi, ille malus, qui est difformis. Imputabilitas verò, inest actui, ex libera potestate agentis; actus enim malus, non imputatur alicui ad demeritum, nisi actus ille, sit in potestate libera suæ voluntatis, ad faciendum illum, vel non faciendum, similiter & actus bonus ad meritum: necessariis enim non meremur, nec demeremur.

Vnde inest bonitas.

Imputabilitas unde.

Vnde bonitas vel malitia actus.

DICO 1. Accipiendo bonitatem, & malitiam propriè, quæ est conformitas actus ad rectam rationem, vel difformitas ad eandem, dicendum est quòd actus interior, & exterior, habet eam formaliter, non autem denominatione exteriori tantùm. Probatur. quia vterq; actus, est natus elici conformiter, vel difformiter rationi rectæ, ideò cum actus exterior, qui est circa debitam materiam, & cum debitis circumstantiis, est actus bonus formaliter: cùm verò caret debitâ materiâ, siue objecto, & debitis circumstantiis, est malus, quia caret conformitate debitâ ad rectam rationem. Idem dicendum est, de actu interiori, qui etiam habet præscriptam regulam à recta ratione, circa quod objectum debeat elici & quomodo, vnde sine actu exteriori potest esse bonus, vel malus. Sciendum tamen est in rigore loquendo, quòd malitia primariò insit actui exteriori, quia maximè recta ratione prohibetur actus exterior; & quodam modo ratione illius prohibetur actus interior; imputabilitas verò primò inest actui interiori quia ille immediatè est in potestate liberæ voluntatis: & hoc est, quod dicit D. *in 2. dist. 42. quòd malitia inest primò actui voluntatis, & mediante illo in aliis.*

DICO 2. Malitia ex fine, est in actu interiori formaliter, in exteriori verò denominatione extrinsecâ. Patet, quia actus exterior, potest esse secundùm se bonus, & conformis rationi rectæ, tamen ex actu interiori,

fit

fit contrarius rectæ rationi, V. G. cum quis facit Eleemosynam, propter vanam gloriam. Hine

Colligе Malitiam, & peccatum differre, quia malitia dicitur actus ille, qui caret conformitate ad rectam rationem; siue sit voluntarius, siue non; peccatum verò vltra malitiam moralem, addit imputabilitatem ad pœnam, quia actus malus, non est peccatum propriè, nisi sit voluntarius.

Malitia & peccatum differunt.

Dico 3. Actus interior, & exterior, considerati secundùm subordinationem, & annexionem naturalem, quam habent ad inuicem, pro vno habentur. Patet quia actus exterior, naturaliter subordinatur actui interiori, à quo pendet in esse, & actus interior pendet ab exteriori, tanquam ab vltimo complemento, & objecto suo.

Actus interior & exterior connexionem habent.

Dico 4. Quoties actus voluntatis repetuntur, circa idem objectum prohibitum, totidem peccata committuntur actu, etiamsi aliquis cesset ab actu interiore peccati, conuertendo se ad alia, sine retractatione illorum actuum, tamen deinde ad eosdem reuertatur, inchoando actum, per nouam voluntatem. Ratio est, quoties voluntas repetit eandem volitionem occidendi, semper est nouus actus, & est interruptio moralis, & sic ille actus, est nouum peccatum, etiamsi minimum spatium temporis intercedat in tali interruptione.

Dico 5. Quando actiones plures externæ, sibi sunt subordinatæ, ex naturâ sua malæ, V. G. in peccato carnis, tactus oscula, & alia præcedentia vsq; ad consummationem actus, tunc vnum duntaxat peccatum committitur, qui actus consummatus, sufficiet solus in confessione exprimendus. ita Nauar. c. 6. n. 7. Ratio est quia omnes actiones hujusmodi externæ, etiamsi ex objectis suis sint malæ, tamen deriuantur ex vna voluntate, & ordinantur ad idem opus consummandum, quasi præambula.

Collige Tactus impudicos, oscula, quæ consequuntur peccatum carnis, necessario in confessione exprimenda: Ratio est, quia non pertinent jam ad illum turpem actum, neq; subordinantur illi, sed adduntur ex malitia, operantis, sunt enim tales actus principia noui peccati. Est Bonacinæ *de poenitentiæ Sacramento disp.* 5. *q.* 5. *Sect.* 2. *punct.* 3. §. 3. Suarez, Vasquez, contra Nauar: *cap.* 6. *num*: 7. Henriquez *lib.* 5.

ARTICVLVS VIII.

Vnde numerica peccatorum distinctio, desumatur?

Ex actibus interruptis multiplicantur peccata.

Dico 1. Tot ſunt numero peccata, quot ſunt actus voluntatis moraliter interrupti. Probatur Quia ſicut ad vnitatem motus, requiritur vnitas temporis, ita ad vnitatem peccati vnitas temporis requiritur. Sed quando actus moraliter ſunt interrupti, non eſt vnum tempus, ſed diuerſa. Ergo quando actus voluntatis ſunt moraliter interrupti, non eſt vnum numero peccatum, ſed plura. Vnde

Actus voluntatis quando interrumpitur.

Collige 1. Actus voluntatis tunc moraliter interrumpitur, quoties nec formaliter nec virtualiter manet. Vnde habens animum furãdi, & interjecta aliqua mora, furatur, duplex peccatum committit, quia prior intentio furandi virtualiter, non durat in aliquo opere externo ad furtum ordinato, vt ſuppono, aut in opere externo furti ob moralem interruptionem. Qui verò ex eodem impetu iræ, vel odij eadem conuitia repetit vnum numero peccatum committit, quia prior voluntas perſeuerat, & prius peccatum videtur moraliter continuari, cum ſubſequentibus.

Conuitia multa an vnum peccatum.

Collige 2. An verò multa peccata committat, qui eodem tempore, injurias diverſæ rationis in aliquem profert, V. G. appellando eum furem, adulterum, perjurum &c? Duplex eſt opinio Doctorum. Quidam dicunt, vnum peccatum committi à tali. Quidam, vt Azor *lib. 4. q. 5. & 6. & alij*, dicunt plura peccata committi?

Collige 3. Tunc actus voluntatis, dicitur moraliter non perſeuerare: quando circa vnum, vel plura objecta actus ſucceſsiuè verſantur: vel quando poſt primum actum, elicitus eſt dolor de tali actu, & habita eſt contraria voluntas: vel per ſomnum vnus, & alius actus interrumpitur, vel deniq; quando inter vnum, & alium actum, tantùm temporis interponitur, vt prudentis arbitrio, cenſeantur actus moraliter interrumpi.

Ex objectis peccata multiplicantur.

Dico 2. Peccata numero diſtinguuntur, per multiplicationem objectorum, circa quæ actus ſucceſsiuè verſantur: Ratio eſt, quia non ſolùm phyſicè, ſed etiam moraliter, reputantur duo actus completè diſtincti. Hinc

Collige Quòd Nauar: *in Summa cap. 6. num. 18.* dicit, non tot eſse numero peccata, quot ſunt objecta, circa quæ vnus, & idem actus eodem tempore verſatur, ſi ſint plura objecta ejuſdem rationis. Porrò percutiens vno actu plures, aut pluribus detrahens, plura peccata committit, ſi ſunt objecta diuerſæ rationis, quia plures ſunt injuriæ.

Dico

Dico 3 Qui alium inducit ad peccatum, intendens ipſius ruinam ſpiritualem, vel etiam non intendens ruinam, ſed tamen cooperans peccato alterius, peccat duplici peccato, & hoc partim ratione ſcandali, partim peccat eo peccato, quod ab altero committitur: nam qui eſt cauſa peccati, reus eſt illius peccati.

ARTICVLVS IX.

Vnde ſpecifica, peccatorum diſtinctio deſumitur?

Dico 1. Peccata non diſtinguuntur ſpecie, vel numero, per ordinem ad diuerſa præcepta, quibus aliquid præcipitur, vel prohibetur ex eodem motiuo. Probatur; quia ſequeretur deſiderium rei alienæ & furtum rei alienæ, eſse peccata ſpecie diuerſa eum prohibeantur diſtinctis præceptis; furtum enim prohibetur ſeptimo, deſiderium verò rei alienæ, præcepto decimo. Sed deſiderium rei alienæ, & furtum rei alienæ, non ſunt peccata ſpecie diſtincta. Ergo diſtinctio peccatorum, non deſumitur à diſtinctione præceptorum. Vnde peccatum V. G. vſuræ, eſt vnum ſpecie, & aliquando vnum numero, ſi vno actu committatur, quamuis tribus præceptis adverſetur, naturali, Diuino, & humano, quia quando præcepta ex eodem fine, ſeu motiuo, ſeu intuitu, ejusdem virtutis feruntur, non diſtinguunt peccata ſpecie. Hinc *Peccata non diſtinguuntur ſpecie per ordinem ad diuerſa præcepta.*

Collige 1. Ille qui non jejunat feria quarta, quatuor temporum in quadrageſima, vel feria ſexta, in qua incidit vigilia, vnum tantùm peccatum committit, non duo, quia hæc præcepta plura, non præcipiunt jejunium, ex diuerſo motiuo, & ex diuerſa virtute, ſed ex motiuo temperantiæ. Porrò Frater Minor, non jejunans feria ſexta, in quam incidit vigilia ex præcepto ſeruanda, committit duo peccata. Vnum contra præceptum Eccleſiæ, latum ex motiuo virtutis temperantiæ, aliud contra votum, quod ex motiuo religionis emittitur. Vide Rodericum *Tom. 2. q. 101. art. 8. in fine.* *Plura præcepta quando cauſant.*

Collige 2. Sacerdos committens peccatum carnis, ex parte ſui duo peccata committit, quia actus Venereus prohibitus eſt Sacerdoti, ex variis præceptis, ex diuerſo motiuo conditis, ex motiuo ſcilicet, & virtute caſtitatis, & ex motiuo Religionis, nempe voto.

Dico 2. Loquendo de peccatis, quoad formale eorum, diſtinguuntur *Peccata* [illegible]

distinguuntur penes carentiam rectitudinis.

tur penes carentiam rectitudinis debitæ, seu per ordinem, ad diuersas specie perfectiones quibus priuant, Ita D. Subtilis *in 2. dist: 42. & 45.* Ratio est, quia priuatio specificatur à forma, cujus est priuatio. Ergo peccatum, specificatur à rectitudine, quâ priuat. Si ergo rectitudo, & perfectio, quâ peccatum priuat, sit diuersæ speciei, sequitur etiam, peccata distingui specie, per ordinem ad hujusmodi perfectionem, & rectitudinem, quâ priuant.

Dico 3. Loquendo de peccatis, quoad materiale, distinguuntur specie, penes objecta, circa quæ versantur. Ita D. Subtil. *loco citato.* Ratio est, quia actus distinguuntur penes objecta, actus autem peccati quoad substantiam, est materiale peccati. Ergo

Peccata oris cordis & operis quomodo distinguuntur.

Dico 4. Peccata quæ complentur in corde, ac voluntate, differunt specie, à peccatis, quæ perficiuntur, & consummantur in ore, vel opere. Patet, quia talia peccata, sunt priuationes perfectionum speciei diuersarum, alia enim est perfectio, quâ priuat odium, alia quâ conuitium, alia quâ homicidium.

Dico 5. Peccata cordis, & oris si considerentur ut sunt origo, & principium, seu dispositio ad peccatum operis, non distinguuntur specie. Patet quia opponuntur eidem virtuti, & priuationem perfectionis, & bonitatis ejusdem speciei includunt. Vnde propositum furandi, est ejusdem speciei cum furto; similiter desiderium fornicationis, cum fornicatione.

Collige Vnus actus physicus, includit plures species morales malitiarum, V, G. occisio clerici, includit duas malitias: vnam injustitiæ, quatenùs occiditur homo, alteram sacrilegii, quatenùs occiditur, homo Deo dicatus.

SECTIO IV.

Quænam conditiones requirantur ad Confessionem.

1. Hic quæram. Quænam conditiones sint requisitæ ad Confessionem?
2. Vtrum confessio debeat esse integra?
3. Vtrum non confiteri ea quæ homo facit contra conscientiam, erroneam, dubiam, & scrupulosam, pugnet contra integritatem confessionis?

4. Vtrum

4. Vtrum confeſsio debeat eſse fidelis?
5. Vtrum confeſsio debeat eſse obediens, ſeu parere parata?

ARTICVLVS. I.

Quænam ſint conditiones ad Confeßionem requiſitæ?

Nota 1. Sexdecim conditiones confeſsionis enumerantur, quæ his verſiculis deſcribuntur.

Sit ſimplex, humilis confeßio, pura, fidelis,
Atq; frequens, nuda, & diſcreta, libens verecunda.
Integra, ſecreta, & lacbrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans. & ſit parere parata.

Nota 2. Prædictas conditiones, non omnes eſse neceſsarias ſimpliciter ad confeſsionem, ſed ſolùm ad meliùs eſse, quæ autem ſint omninò neceſsariæ, dicunt Theologi, quod hæ. 1. Vt ſit integra. 2 Vt ſit fidelis. 3. Vt ſit lachrymabilis. 4. Vt ſit obediens. D. Subtilis præter prædictas, aſsignat aliam *in 4. diſt.* 17. nimirum vt ſit ſecreta: de non neceſsariò requiſitis in 1. Articulo, de neceſsariò requiſitis, in ſequentibus dicetur. *Neceßariæ conditiones confeßionis.*

Dico 1. Confeſsio debet eſse ſimplex, ita vt ſuperflua prætermittantur, & amputentur inutilia, non enim diutiùs immorandum eſt in confeſsione, neq; debent circumſtantiæ impertinentes confiteri, neq; à Confeſsario requiri; Hinc confundantur illi Confeſsarii, qui vnam Perſonam per tot horas in confeſsione detinent, cùm interim triginta poſſent expedire. *Confeßio debet eſſe ſimplex.*

Dico 2. Confeſsio debet eſse humilis, ita vt Pœnitens peccata ſua, cum humilitate fateatur, & cum debita corporis compoſitione V. G. genibus flexis, & aperto capite, niſi aliud ſuadeat neceſsitas, vel infirmitas. *Humilis.*

Dico 3. Confeſsio debet eſse pura, id eſt, vt non fiat ob finem prauum, maximè mortalem, ſed potiùs ſpe remiſsionis obtinendæ, & placandi Deum; ſi verò confeſsio fiat ob finem venialiter malum, non caret ſuo fructu. *Pura*

Dico 4. Confeſsio debet eſse frequens; non quidem ex præcepto, ſed ex conſilio, ob magnas vtilitates, & vberes fructus. *Frequens.*

Nuda. Dico 5. Confeſsio debet eſse nuda, id eſt non palliata, neq; verborum obſcuritate, aut nimiâ elegantiâ, velata.

Diſcreta. Dico 6. Confeſsio debet eſse diſcreta, id eſt cùm diſcretione, ſicut omnis actus virtutis, ſcilicet debito tempore, loco, modo, & confeſſor cum delectu debet eligi, qui ſciat diſcernere inter lepram, & debita remedia conferre; Deniq; diſcretio etiam in hoc conſiſtit, vt cautè confiteatur, adhibendo verba honeſta pudica, non deſcendendo ad ſingula non neceſsaria.

Libens. Dico 7. Confeſsio debet eſse libens, id eſt voluntaria, excludendo inuoluntarium.

Verecunda. Dico 8. Confeſsio debet eſse verecunda: fructuoſum enim eſt, de peccatorum ſuorum fæditate erubeſcere interiùs, & exteriùs, apud Confeſsarium, cùm erubeſcentia, proſit ad remiſsionem pœnæ. Hinc collige peſsimè illos Confeſsarios facere, qui ſtatim pœnitentem increpant aſperè, & vel qui trahunt capillos pœnitentis, nam tales retrahunt pœnitentes à fideli, & integra confeſsione.

Accelerata. Dico 9. Confeſsio debet eſse accelerata, id eſt, vt quamprimùm peccata ſua peccator confiteatur. Tùm ne maneat in ſtatu damnationis, ſeu periculo. Tùm vt bona ipſius ſint meritoria.

Fortis. Dico 10. Confeſsio debet eſse fortis, ita vt pœnitens, non permittat ſe tentationibus ſuperari ad omittendam confeſsionem, vel ad aliquid præ pudore, vel timore in confeſsione prætermittendum.

Accuſans. Dico 11. Confeſsio debet eſse accuſans, ita vt Pœnitens ſe accuſet, ſibiq; imputet peccata, non excuſet, neq; laudet, ſi voluntariè conſenſit in illa.

ARTICVLVS II.

Vtrum Confeßio, debeat eſſe integra?

In quo ſita eſt integritas Confeſſionis. Dico Ad integritatem confeſsionis ſpectat, vt pœnitens omnia peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſsa ſingillatim confiteatur, quãtum moraliter ſcire poteſt, etiamſi ſint occultiſsima, & ſolùm interno actu commiſsa, aliâs ſi aliquod peccatum mortale omitteretur ſcienter, vel circumſtantia mutans ſpeciem, confeſſio eſſet nulla. Ita Trid. *Seß.14. cap.5. & Can.7.* Ratio eſt, quia cùm Sacerdotes, ſint à Chriſto Domino veri judices conſtituti, non poſsunt aliter ferre ſententiam, niſi ſingula peccata intelligant, de ignotis enim non poteſt judicium ferri.

Notandum porrò hic est, peccata explicanda esse in confessione, quoad species morales, nam sciendum est, diuersam esse speciem physicam peccati, à specie morali, potest enim accidere, vt vnus sit actus physicus, & tamen includat plures species morales malitiarum, V. G. occisio clerici est vnus actus physicus, quia perinde occiditur clericus, ac laicus, loquendo physicè, & tamen sunt duo actus morales, vnus injustitiæ, quatenùs occiditur homo, alter sacrilegii, quatenùs occiditur homo DEO dicatus.

Diuersa species physica & moralis.

QVÆRES 1. *An sufficiat Confeßio integra formaliter, & non integra materialiter.*

DICO 1. Affirmatiuè. Pro intelligentia. NOTA Integritas confessionis materialis, est tunc, quando omnia peccata dicuntur, quæcunq; sunt in conscientia pœnitentis: formalis verò, cum aliqua dicuntur, aliqua verò ob certam, & justam causam reticentur. Et maximè propter has. 1. ob periculum vitæ, cum jam aliquis est in articulo mortis, & non potest omnia peccata enumerare. 2. ob periculum vitæ confessarii, vt cùm timet ne peste inficiatur, aut à Tyranno occidatur, si diutiùs prolonget confessionem. 3. Quando est simile periculum sociorum, vt si instet naufragium, insperatus belli conflictus, aut incendium domus, quâ non pateat egressus, &c. Ratio igitur Conclusionis. Quia possibile est hoc Sacramentum à Christo Domino institutum eo modo, quo expediret illis. Atqui non semper est possibile omnia peccata explicare. Ergo

Integritas materialis.

Integritas formalis.

DICO 2. Excusat ab integritate Confessionis materiali, periculum morale, si ipsi pœnitenti immineat. Ratio est quia præceptum de integritate confessionis materiali, est Diuinum positiuum. Sed hæc præcepta Diuina positiua, non obligant cum graui periculo morali, vt patet, quòd die festo, possint se homines ab hostibus defendere, & Missam omittere, &c. Vnde si aliqua Persona timeret ob integritatem confessionis, ne solicitaretur à Confessario ad peccatum, aut si præuideret grauem propriam infamiam, eo quòd certò, vel valdè probabiliter crederet, non verò suspicaretur, Confessarium non seruaturum sigillum confessionis, tunc non teneretur integrè materialiter confiteri. Notat tamen Doctor *in 4. dist. 17. ad. 2.* potiùs talis differat confessionem, si commodè possit, donec habeat copiam idonei confessarii; dummodò non sit leuis suspicio, aut dubium.

Periculum morale excusat ab integritate materiali.

In graui morbo ſufficit materialis confeßio.

Dico 3. Quando aliquis eſt in proximo periculo mortis, ita, vt non poſsit omnia peccata enumerare, propter morbum grauem, & mortem imminentem, in tali enim caſu ſufficeret vnum, vel aliqua peccata confiteri, & Confeſsarius, tenetur eum abſoluere, dummodò omnium diſplicentiam habeat. Vnde Confeſsarius poteſt abſoluere, exiſtentes in naufragio, audito ſaltem vno peccato, etiamſi non omnia ipſorum peccata mortalia audierit, imò poteſt, audito à ſingulis vno peccato, omnes ſimul abſoluere dicendo. *Ego vos abſoluo à peccatis.* Ratio eadem quæ pro prima concluſione.

Nota.

Collige 1 Si quis omittat aliquod peccatum, ex ignorantia inculpabili (V. G. aliquis in pueritia commiſit peccatum, & reticuit illud, ignorans ſe teneri ad confeſsionem) vel ex obliuione inculpabili, dicitur integrè confiteri formaliter, licet non materialiter, dum modo tàm ignorans, quàm obliuiſcens, exprimat poſtea peccata omiſſa in alia confeſsione, nec tenetur iterum repetere priora peccata, ſemel ritè confeſſa.

Collige 2. Confeſsarius, qui aliquem defectum commiſit in confeſsione, quem non poteſt explicare, niſi ſuo confeſsario manifeſtet peccatum complicis in confeſsione auditum, excuſatur à tali defectu confitendo, ſi neceſsitatem habeat confitendi, nec copiam habeat alterius Confeſsarii, cui ſit ignotus complex. Ratio aſsignabitur Quæſito ſequenti ad ſecundum ſecundæ opinionis.

Conditiones dimidiationis.

Collige 3. Vt in praxi licitè poſsit ejusmodi dimidiatio vſurpari, debent concurrere hæc. 1. Vt ſit periculum grauis nocumenti. 2. Vt illud periculum ſit probabile, & rationabile, non leuis ſolùm ſuſpicio. 3. Vt non poſsit alius Confeſsarius haberi, cui, ſine periculo omnia aperire poſset. 4. Vt ſit neceſsitas confeſsionis faciendæ, vel propter periculum mortis, vel propter implendum præceptum annuæ Confeſſionis, vel propter neceſsitatem communicandi, vel ſacrum faciendi.

Quæres II. *Vtrùm ob confeßionis integritatem, liceat complicem in eadem manifeſtare?*

1. Opinio negatiua.

Nota Quod in hac difficultate, duplex ſit opinio. Prima negans id eſse licitum. Ita Nauar: *cap. 7. num. 3.* Cajetan. *in Summa Verbo Confeßio.* Viguerius *in Summa cap 16.*

2. Opinio affirmatiua.

2. Opinio affirmat, non ſolùm licere, ſed etiam obligari pœnitentem, in caſu propoſito, facere confeſsionem integram, cum reuelatione com-

complicis. Tenet S. Thom. *in 4. dist. 16.* Sequuntur Thomistæ. Soto *dist. 18. q. 2. art. 5.* Durandus *ibid: q. 4.* Richardus *dist. 21. art. 5. q. 2.* Tribuitur D. Subtili *in 4. dist. 21. q. 2. num. 16.* §. *De quid.* Vbi dicit. *Non tantùm peccata confitentis, sed etiam circumstantias, & personam complicis cadere sub sigillum.* Supponit ergo poſse in confeſsione reuelari personam complicis. Sequitur Suarez *tom: 4. disp. 34. Sectione* 2. citans multos authores.

Dico itaq; vtraq; opinio probabilis à grauiſsimis authoribus judicatur, cùm vtraq; graues authores & rationes efficaces pro se habeat. Prima tamen opinio à multis probabilior judicatur, maximè extra articulum mortis quia in articulo mortis, non erit occaſio alia integrè confitendi. Atq; ita, poteſt quiuis tenere opinionem primam, quòd nec licet, neq; tenere pœnitentem complicem reuelare, sed poſse confeſsionem dimidiare, vel alteri Confeſsario, qui non nouit pœnitentem confiteri, vel mutare veſtitum, vel aliquam artem adhibere. Quod ſi hæc non placeat, tenere poterit qui voluerit secundam opinionem. Vnde multi ex recentioribus putant probabiliorem eſse opinionem secundam; nam putant delictum alterius occultum, manifeſtari poſse vni, vel duobus amicis. Ergò multò magis Confeſsario.

Vtraq; opinio est probabilis.

Qværes III. *An confiteri partialiter diuersis confeßariis, pugnet contra integritatem confeßionis?*

Nota. Dupliciter poteſt aliquis diuerſis confeſsariis, diuersa peccata confiteri. Primò. Si quis vni confeſsario, aperiat mortalia aliqua, & aliqua mortalia grauiora reticeat, & reseruet alteri confitenda. Secundò. Quando aliquis mortalia omnia confitetur alteri, ad ordinarium verò accedit cum ſolis venialibus.

Diuersa diuersis confiteri dupliciter contingit

Dico 1. Si quis priore modo occultet mortale peccatum, (cùm ei non immineat vllum damnum, nec ſpirituale, nec corporale) coram ordinario, etiamſi habeat animum aperiendi illud alteri, peccat mortaliter contra integritatem confeſsionis. Ratio eſt quia vnum peccatum, non poteſt dimitti, abſq; alio, vt docet D Subt. *in 4. dist. 17. q. 1.* Ergo ſi quis confiteatur aliqua peccata vni confeſsori, & alia omittat, abſolutio Sacerdotis non valet, & pœnitens non conſequitur remiſsionem peccatorum: nam Sacerdotes ſunt veri judices, qui non poſsunt aliter ferre ſententiam, niſi ſingula peccata intelligant, de ignotis enim judicium ferri non poteſt. Adducit D. Subt. authoritatem S. Auguſtini contra

Mortalia nō licet dimidiare.

tales, qui libro de vera, & falsa pœnitentia, inquit. *Quidam enim vni celant, quod alij manifestandum curant, quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere, & semper veniâ carere, ad quam credunt per frusta totam peruenire.*

Venialia & mortalia, licet dimidiare.

Dico 2. Si quis confiteatur vni prius omnia mortalia, postea accedat ad ordinarium cum venialibus, non facit contra integritatem Sacramenti per se. *Probatur.* Quia sic agere, non est diuidere confessionem, sed est pluribus, plures confessiones facere: nemo autem tenetur, coram eodem confessario repetere peccata, quæ coram alio ritè est confessus. Confirmatur Quia in tali facto, nulla grauis injuria irrogatur Sacramento, peccatum tamen veniale in hoc facto interuenit.

Per accidens dimidiare est mortale.

Collige. Per accidens hoc modo diuidere confessionem, potest esse peccatum mortale. Primò Si quis determinatè esset paratus, peccatum mortale potiùs tacere, quàm ordinario suo confessario aperire, si alium non haberet. Secundò Si ejusmodi pœnitens permaneret, in aliqua occasione peccandi mortaliter, eamq; occultaret ordinario, tunc enim esset defectus integritatis debitæ, non ex eo capite, quòd is sit confessus alteri, sed ex eo quòd ordinario suo, non dicat omnia, quæ ad ipsum juuandum sunt necessaria.

ARTICVLVS III.

Vtrum non confiteri ea, quæ homo facit contra conscientiam erroneam, dubiam, & scrupulosam pugnet contra integritatem Confessionis?

Conscientia quid?

Nota 1. Conscientia propriè, juxta D. Subt. in 2. *dist.* 39. est notitia judicatiua, vel adhæsiua, actualis, vel habitualis acquisita, conclusionis deductæ ex principiis practicis vniuersalibus dictans in particulari, aliquid benè, vel malè, moraliter agendum, vel actum esse. Dicitur (notitia) quia pertinet ad intellectum, non ad voluntatem. Dicitur (Adhæsiua) quia non sufficit, quòd sit apprehensiua.

Collige 1. Conscientiam propriè significare dictamen rationis, quo recta ratio, dictat aliquid faciendum, vel fugiendum esse.

Synderesis quid?

Collige 2. Synderesis est habitus principiorum practicorum: conscientia verò est habitus conclusionis practicæ, cujus actui, actio recta, debet conformari in agibilibus, ita D. Subt. *in 2. dist. 39. q. 2. num. 4.*

Nota

Nota 2. Conſcientiam eſse multiplicem. Rectam, erroneam, dubiam, probabilem, & ſcrupuloſam. Conſcientia recta, eſt illa, quæ dictat, & judicat, quod eſt verum. Erronea, quando judicat, & credit id, quod eſt bonum eſse malum, & malum bonum, vt ſi quis judicaret feria 6. veſperi parùm panis ſumere, eſse peccatum mortale. vnde ideò dicitur erronea, quia contingit cùm errore intellectus. Dubia eſt illa, quæ neq; aſsentit, neq; diſsentit ſed anceps manet, & in æquilibrio. Probabilis eſt illa, quæ aſsentitur, & adhæret vni parti, ſed cùm timore & formidine partis oppoſitæ, quâ timet partem oppoſitam eſse veram. Scrupuloſa eſt illa, quæ vni parti adhæret cum formidine partis contrariæ, orta ex leui motiuo, & minùs ſufficienti fundamento.

Conſcientia recta

Erronea

Dubia

Probabilis

Scrupuloſa

Dico 1. Cùm conſcientia erronea, obliget ad faciendum id, quod ipſa conſcientia faciendum dictat, per modum præcepti, & non ſolùm per modum conſilii: conſequenter, faciens aliquid contra conſcientiam erroneam & ſi hoc non confitetur, facit contra integritatem confeſsionis. Prima pars à D. Subt. *in 2. diſt. 39 q.* 2. Probatur 1. authoritate S. Pauli ad Rom. 14. vbi inquit *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* id eſt, ſecundùm Gloſsam. Omne quod eſt contra conſcientiam, peccatum eſt. Ratione probatur 1. Quia quotiescunq; voluntas facit actum malum, ſeu contra rectam rationem, & prohibitum aliquâ lege, peccat. ſed cùm voluntas facit actum illum quem conſcientia dictat eſse malum, licet per ſe non ſit malus errat, & facit malum, quia eſt malum per accidens. Probatur 2. Quia bonum, vel malum, non imputatur noſtræ voluntati, quia in ſe ſit bonum vel malum, ſed quia proponitur voluntati, vt bonum, vel ut malum. Vnde voluntas redditur culpabilis, & imputatur illi ad peccatum, quia apprehendit malum eſse malum, & tamen vult facere illud, (ſi verò adſit ignorantia, non peccat,) & apprehendit bonum eſse bonum, & faciendum, & tamen non vult illud facere. Quare cùm ratio, & conſcientia judicat, aliquem actum, qui eſt bonus, eſse malum, & eſse fugiendum, voluntas tenetur illud fugere, quia ſibi proponitur, vt malum. Similiter, ſi judicat aliquem actum malum, eſse bonum, & eſse proſequendum, tenetur illi obedire, quia proponitur, vt bonum, & eſt bonum per accidens, licet in ſe, non ſit bonum.

Conſcientia erronea obligat.

Dices Nullus tenetur ad malum. Ergo conſcientia erronea, non obligat ad faciendum, quod dictat, alioquin ad malum obligare videretur.

Re-

Ad malum materialiter aliquando obligamur.

Respondeo Nullum teneri ad malum formaliter, ad malum verò materialiter, aliquando teneri, præsertim, quando conscientia erronea est inuincibilis, & dictat aliquid esse faciendum, quod reipsâ malum est, cùm non cognoscat illud esse malum, & ignorantia inuincibilis excusat à peccato; conscientia verò vincibilis, non excusat à peccato, sed obligat, ne fiat contra id, quod ipsa conscientia dictat, hoc autem eueniet ipsam deponendo; cùm in nostra potestate sit conscientiam vincibilem deponere. Hinc

Magis obligat conscientia erronea quàm præceptum superioris.

Collige 1. Eum qui facit aliquid, quod non est peccatum, putans ex conscientia erronea esse peccatum, peccare, nisi deponat conscientiam erroneam.

Collige 2. Conscientia inuincibiliter errans, magis obligat, quàm præceptum superioris, secùs, si conscientia vincibiliter erret.

Collige 3. Qui facit aliquid, contra conscientiam erroneam falsò credens esse peccatum, committit peccatum, illius speciei, quam conscientia apprehendit, quia censetur habere affectum, ad peccatum talis speciei. V. G. qui expuit in pauimentum templi, credens committi peccatum irreuerentiæ, & sacrilegii, committit peccatum sacrilegii, si reipsa expuat in terram. Secunda pars constat ex præcedenti Articulo.

Conscientia dubia obligat.

Dico 2. Qui cum conscientia practicè dubia, aliquid operatur, peccat, peccato ejusdem speciei, cujus est peccatum, de quo dubitat. Probatur Tùm quia qui facit aliquid dubitans esse turpe, & malum, censetur quantùm in se est, velle malum, vult enim illud ea ratione, quâ ipsum apprehendit. Tùm quia operans cum dubio peccandi, exponit se periculo peccati, de quo dubitat, qui autem exponit se periculo peccati, peccat, juxta illud Eccl. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Vnde D. Subt. *q. 2. Prologi in responsione ad vltimum*, Regulam hanc tradit, quâ homo se gerere debeat in re dubia, an sit peccatum mortale, *Debet abstinere ab ea, & expectare, quousq; veritas pateat, aliundè.* Hinc

Regula pro dubiis.

Collige. Eum qui dubitat, num votum Deo fecerit, vel quidpiam jurauerit, aut alteri promiserit, posse tutò judicare, se non vouisse, neq; jurâsse, neq; promisisse, in his, enim vel similibus casibus, melior est conditio possidentis, ita Sotus *lib. 2. de justitia q. 3.* Sanchez *lib. 2. disp. 41. num. 32.* Multi alii tenent, in his, & aliis dubiis, tutiorem partem esse eligendam.

Dico

Dico 3. Licitum eſse agere, contra ſcrupulum, & conſcientiam ſcrupuloſam, & conſequenter agens, & hoc non confitens, non facit contra integritatem confeſſionis. Probatur. Quia in ſcrupulo homo ſolet judicare actum eſſe honeſtum, vel propabile eſſe, quòd ſit honeſtus omnibus penſatis, hoc autem ſufficit, vt non peccet. Addunt aliqui Doctores, non ſolùm eſſe licitum, & laudabile, agere contra ſcrupulum, ſed etiam obligatorium, cùm nimirum, aliquis graue damnum, ex hujusmodi anxietatibus, & ſcrupulis, quod plerumq; contingit, incurreret.

Contra ſcrupulum licitum eſt agere imò obligatorium.

Quæres I. *Quando ſcrupuloſus animus cognoſcatur, & quæ ſint cauſæ ſcrupulorum?*

Nota 1. Scrupulus, eſt leuis quædam ſuſpicio, aut exiſtimatio, orta ex leuibus fundamentis, quâ quis credit aliquid eſſe peccatum, quod reuera non eſt: Dicitur ſcrupulus metaphoricè, eò quod conſcientiam pungat, & cruciet inſtar lapilli exigui, in calceo latentis, qui pedem lædit, & vexat.

Scrupulus quid?

Nota 2. Scrupulos aliquando eſſe, circa peccata præterita, vt cùm quis angitur, an integrè, vel cum dolore, vel propoſito debito, peccata confeſſus fuerit, ad cor reuocando dubia, & anxietates, num quis tentationi conſenſerit, de luxuria, inuidia &c. Item anxietates in oratione, in ſacro, an attentus fuerit, an integrè dixerit, an intentionem habuerit. Aliquando circa peccata in futurum cauenda, vt cùm dubitatur paſſim, an hoc vel illud liceat facere. Aliquando aliqui ſcrupulis vexantur dubitantes, an non ſint excommunicati, irregulares, an ſint verè baptizati, confirmati, ordinati, an fecerint votum &c. in his & ſimilibus, cùm eſt aſſenſus, & judicium ſaltem probabile pro vna parte, pro alia verò leuis ſolùm ſuſpicio cum timore, & anxietate, ſcrupuli ſunt, & conſcientia ſcrupuloſa.

Circa quid oriuntur ſcrupuli.

Dico 1. Scrupuloſum ex eo cognoſci, quòd in vna aliqua materia, vel in pluribus, ſæpè dubitat, abſq; ratione, vel ex leui aliqua conjectura, ſeu indicio, & motiuo.

Scrupuloſus quis

Dico 2. Ex multis cauſis ſcrupuli oriuntur. Primò ex ignorantia, per quam homo, nequit diſcernere, verum à falſo. 2. Ex ſcientia, vel ingenii acumine, quibus excitat difficultatem, ſed non habet principia, ſufficientia ad eam reſoluendam. 3. Ex melancholia, per quam homo timidus efficitur, timetq; vbi timendum non eſt. Quare ſcrupu-

Cauſæ ſcrupulorum.

losus in aliena causa optimè, & sine formidine judicat, in sua verò causa, minimè. 4. Ex suggestione dæmonis, cujus proprium est laqueos, & angustias in animam inducere. 5. Ex nimia maceratione corporis, vt ex jejuniis, vigiliis, quæ ita cerebrum exsiccant, vt mentem conturbent, scrupulosq; pariant. 6. Ex consuetudine, exemplo, & conuersatione cum scrupulosis. 7. Ex superbia, quæ sicut omnis peccati fons meritò nuncupatur, ita etiam aliquando, & scrupulorum. Deniq; ob pœnam alicujus peccati, vel ob salutem, & majus bonum hominis, Deus interdum vexari animum ejus permittit.

Remedia cōtra scrupulos.

QVÆRES II. *Quæ sunt remedia contra scrupulos?*

RESPONDEO Multa à Doctoribus assignantur. Primum est, vt si ex causa naturali scrupuli oriantur, talis causa auferenda, sublata enim causa, tollitur effectus. Quare si oriantur ex melancholia, & nimia maceratione, occurrendum melancholiæ, & macerationi. 2. remedium est, oratio propria humilis, vel aliorum, nam omne donum optimum desursum est, à patre luminum. 3. Est vt confessarius pœnitenti, qui scrupulis vexatur, præcipiat, ne credat aliquid esse mortale, seu mortaliter se peccasse, seu se consensum præbuisse, nisi hoc ipsi omninò constet, nam scrupulosus, qui se nouit scrupulosum, rationabilem habet causam, opinandi illos esse scrupulos. Addo, aliquem posse aliquando ita scrupulis agitari, vt ei consulendum sit, ne credat aliquid esse mortale, aut se mortaliter peccâsse, nisi hoc ipsi ita constet, vt hoc valeat asserere cum juramento. 4. est, vt scrupulosus, stet dictis Confessarii, vel superioris, vel alterius probi, & docti viri, illiq; obediat, talium enim virorum, consilium & maximè pii, & docti confessarii, sufficientem præbet rationem deponendi scrupulos. Refert Azor *lib. 2. c. 20. q. 6.* scrupuloso cuidam amicum post obitum apparuisse, à quo cùm de iis, quibus angebatur scrupulis sententiam rogaret. responsum accepit. *Vade, & consule viros bonos & doctos, & eorum monitionibus, & consiliis acquiesce.* 5. Remedium, vt scrupulosus calcet eam viam, quâ scrupulis in animam aditus patet; vnde si quis tali scrupulo vexetur, quòd expuere in terram, vel loqui in necessitate cùm hominibus sit peccatum, sæpiùs expuat, & loquatur. 6. Vt scrupulosus paruipendat argumenta, quæ nascuntur ex scrupulis, nec ad scrupulosos, vel eorũ rationes attendat. 7. Vt scrupulosus teneat Regulas generales. V.G. peccatum mortale non esse, nisi vbi est aduertentia plena rationis, & consensus perfectus, vt dixi præcedenti *Sect. 1. art. 3.* Deinde quòd possit tutò teneri opinio probabilis, relicta probabiliore.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Confeßio, debeat eße fidelis?

DICO 1. Confeſsio debet eſſe fidelis, id eſt, vera, & ſine mendacio: Ratio eſt, quia Confeſsio non eſt integra, cùm mendacium in Confeſsione committitur. *Confeßio debet eße fidelis.*

DICO 2. Non inualidatur confeſsio per hoc, quòd aliqua non neceſſaria, ſed vera admiſceantur. Ratio eſt, quia hoc non obſtante ſunt omnia requiſita ad ſubſtantiam, & effectum hujus Sacramenti, poteſt tamen in hoc caſu committi peccatum veniale ob irreuerentiam.

DICO 3. Si in confeſsione admiſceantur, vera quidem, ſed non neceſſaria, & conjuncta cùm peccato mortali, vt ſi aliquis detrahat alicui in confeſsione mortaliter, confeſsio illa erit inualida. Ratio eſt quia hoc Sacramentum eſt inualidum, quoties in illo actuale mortale peccatum committitur. Sed hic, & in tali caſu committitur. Ergo &c. *Detractio admiſſa in Confeßione inualidat illam.*

DICO 4. Peccat mortaliter, qui confitetur peccatum veniale, quod non commiſit, ſi illud ſolùm ſit materia abſolutionis. Ratio eſt quia tunc ex defectu materiæ, fit ſacramentum nullum, culpâ pœnitentis. *Qui mortale confitetur quod non commiſit peccat.*

DICO 5. Qui peccatum mortale, quod reuera non commiſit, falsò ſibi affingit, illudq; confitetur, peccat mortaliter, & inualidum reddit Sacramentum. Ratio eſt, quia in tali caſu perniciosum committitur mendacium, cùm Confeſſarius in re graui decipiatur. Hinc

COLLIGE 1. Poſſet eſſe vel ſolùm veniale peccatum, affingere aliquod mortale in confeſsione, idq; per accidens. V.G. ratione ignorantiæ, vel bonæ fidei, vt accidit in ſimplicibus, & deuotis, qui putant ſe rem benè facere, ſi plura dicant, quàm commiſerint. Ratio eſt, quia ſicut in aliis materiis ignorantia inuincibilis, & bona fides à peccato excuſat, ita & in hac materia Confeſsionis. Ita Suarez *diſp.* 22. *Sect.* 10. *Affingere ſibi mortale quando non eſt peccatum.*

COLLIGE 2. Si in confeſsione admiſceatur aliquod falſum, ſed nullo modo pertinens ad materiam illius, non inualidatur confeſsio.

DICO 6. Qui vel omitteret vltrò peccatum mortale, nunquam antea in confeſsione abſolutum, vel de eo rogatus à Confeſſario negaret, is peccaret peccato ſacrilegii, & faceret Sacramentum inualidum. Ratio eſt, quia non faceret integram confeſsionem: ſecùs de venialibus.

Nota.

COLLIGE Quando peccator non recordatur peccati mortalis, quod commiſit cujusnam ſpeciei fuerit, tenetur illud in communi confiteri,

fiteri, dicendo qualecunq; & quotiescunq;, certum si scit, in communi certum; dubium, si dubium, si autem ei species illa certa, venerit in mentem, tenebitur iterum illam confiteri.

Quæres vtrum sit de necessitate Sacramenti secreta confessio?

Confessio secretò facienda.

DICO 1. Confessio per se loquendo, facienda est secretò. Ratio est, quia hoc rationi est consentaneum, & non alienum à præcepto Diuino, & naturali, vt ait Trident. *Sess. 14. cap. 5.* nam publicare peccata sine justa causa, videtur juri naturæ aduersari. Tùm quia vsu receptum est, vt Confessio secretò fiat, & soli Sacerdoti. Ergo.

DICO 2. Confessio secreta, non modo est laudabilis, sed etiam ista conditio Secreta, est de essentia confessionis, ita vt si omittatur, confessio publica non est Sacramentalis, id est obligatoria, seu quæ obliget pœnitentem; Nam non quæcunq; confessio, sed sola secreta, potest cadere sub hujusmodi præcepto. Ergo sola confessio secreta, est de institutione hujus Sacramenti. Ergo sola confessio secreta est sacramentalis. Antecedens probatur. Præcepta legis Diuinæ positiuæ, non destruunt, nec tollunt, præcepta legis naturæ, sed illa confirmant, & declarant. Sed confiteri peccata publicè, est contra legem naturæ, quia vnusquisq; tenetur tueri famam suam, & contra charitatem erga seipsum. Ergo confessio, quæ est Sacramentum institutum à Christo Domino, est confessio secreta, non publica: Minor patet, quia licet aliquando propter majus bonum, possit negligi fama, non tamen licet, reuelare ordinariè peccata sua.

Institutio Pœnitentiæ vult esse secretam.

COLLIGE Neminem teneri ad Confessionem per interpretem, vt ait D. *in 4. d. 17.* quia talis confessio, ex natura sua posset venire in publicum, & sic non est Sacramentalis; & hoc maximè verum est, quando timetur interpretem, non esse idoneum secretarium: & in tali casu, si non possit alio modo, confiteri, confiteatur soli DEO, cum proposito confitendi confessori idoneo, oportunitate oblatâ. Aut certè dicendum est, quòd confessio per interpretem est secreta, quia interpres tenetur ad sigillum, sicut Sacerdos. Confirmatur 1. ex Tridentino *Sess. 14. cap. 5.* vbi dicitur. *Non esse Diuino præcepto mandatum, nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, vt delicta præsertim secreta, publica essent Confessione aperienda.* Ergo sola Confessio secreta cadit sub præceptum. Confirmatur 2. Sicut Sacerdos obligatur ad secretum confessionis seruandum, sub peccato mortali, ita etiam ad audienda peccata secretò; ita habe-

habetur *in jure in cap. vtriusq; sexus:* vbi soli Sacerdoti præcipitur, peccata esse aperienda. Hinc Nauarrus in *caput Sacerdos de poenitentia Dist. 6. numero 109.* damnat Sacerdotes, qui plures simul pueros audiunt, vel alios confitentes, si sint sacramentaliter absoluendi.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Confeßio debeat eße obediens; seu parere parata?

DICO Confessio talis esse debet, vt pœnitens paratus sit morem gerere, & obedire Confessario, in his, in quibus tenetur obedientiam præstare, vt in vitandis occasionibus, in restitutione facienda &c. Ratio est, quia in judicio emendatiuo, necesse est, vt reus paratus sit læso satisfactionem exhibere. Sed pœnitentiæ Sacramentum exercetur per modum judicii emendatiui. Ergo pœnitens debet esse animo paratus ad satisfaciendum DEO, quem suis læsit criminibus. *Confeßio debet esse obediens.*

NOTA. Hæc conditio, inquit Doctor, sic intelligitur, non quòd accedens ad Confessionem, teneatur habere voluntatem suscipiendi pœnitentiam à Sacerdote pro peccatis suis, quia inquit, si pœnitens habeat istas conditiones, nimirum displicentiam de peccato, & propositum abstinendi, & propositum recipiendi pœnam iuffigendam pro peccatis suis à Deo, hic, vel in Purgatorio, licet non vellet recipere vllam pœnitentiam sibi oblatam à Sacerdote, esset citiùs absoluendus, quàm repellendus; sed debet intelligi sic, quòd habeat propositum obediendi Confessori in seruando, vel soluendo illam satisfactionem, quàm voluntariè suscipiet ab ipso impositam, ita vt peccet mortaliter, si nollit illam jam acceptatam seruare, & si confiteretur sine hoc proposito, confesio esset nulla.

SECTIO V.

Quando est iteranda Confesio?

DICO I. Ex defectu Pœnitentis, iteranda est Confesio. I. quando Pœnitens culpabiliter mortaliter, non confitetur integrè, vel reticendo voluntariè peccatum mortale, aut non præmittendo debitum examen conscientiæ, aut cùm confitetur Sacerdoti dormienti, vel surdo. 2. Quando ali- *Quando iteranda est Confeßio.*

do aliquis non habuit debitum dolorem. 3. Quando Pœnitens non habet animum deserendi statum,& occasionem proximam peccandi mortaliter. 4. Qui voluntariè priùs absoluitur à peccatis, quàm ab excommunicatione, excommunicatus enim priuatur susceptione Sacramentorum, secùs dicendum, si absq; culpâ suâ, priùs absoluatur à peccatis quàm ab excommunicatione. 5. Quoties mortaliter peccat in actuali susceptione Sacramenti. 6. Qui majorem numerum peccatorum mortalium, malâ fide expressit, tenetur repetere confessionem. Ratio conclusionis est, Tùm quia Christus Dominus instituit, & præcepit confessionem fieri integrè, saltem formaliter. Sed in prædictis casibus, deficit integritas formalis. Ergo. Tùm quia illa non est vera, & valida confessio, in qua committitur mortale sacrilegium, & in qua desideratur dolor debitus. Sed in prædictis casibus hoc committitur. Ergo. Hinc

Nota diligenter.

Collige Qui aliquod peccatum mortale in Confessione prætermisit, putans non esse mortale, etiamsi fortè ob ignorantiam vincibilem, non fuerit excusatus à mortali, quando peccatum commisit, excusatur ab iteranda Confessione, satisfacitq; repetendo peccata prætermissa. Ratio est, quia ignorantia, quæ respectu actus peccati fuit vincibilis, possit esse inuincibilis, respectu omissionis in confessione, vt patet de numero omisso peccatorum, & circumstantiis.

Collige 2. *Pœnitens* qui cogitur Confessiones repetere, non semper tenetur omnes, & singulas, maximè illas quas bona fide fecit, præmisso examine.

Ob defectũ Confessarii quando iteranda confessio.

Dico 2. Ob defectum Confessarii, iteranda est Confessio, quoties Confessarius deficit in essentialibus. 1. Si careat Jurisdictione, sine qua sententia lata, & judicium vsurpatum, non subsistit. 2. Si non habeat debitam intentionem. 3. Si non vtatur forma à Christo Domino determinata. Inde

Collige Sacerdotem ordinatum, verè tamen non baptizatum, non validè absoluere, quodlibet enim Sacramentum, præsupponit Baptismum tanquam januam omnium Sacramentorum.

Collige 2. Confessio facta Sacerdoti excommunicato vitando, valida est, qui tamen communi errore, & titulo colorato, præsumebatur legittimus Confessarius, in illo loco, vbi facta est confessio; quia Ecclesia supplet jurisdictionem, quam supplere potest, vt ex lege *Barbarius* constat, *ff. de officio pratoru.*

Col-

COLLIGE 3. Qui confitetur distinctè omnia peccata Sacerdoti rudi, bona fide, etiamsi post confessionem, cognoscat eum nesciuisse distinguere inter peccata mortalia, & venialia, non tenetur confessionem repetere, dummodo Sacerdos habuerit facultatem absoluendi. Ratio est, quia talis obtinuit absolutionem Sacramentalem, ab habente facultatem absoluendi, & plenè sua peccata, vt suppono, manifestauit, nec obicem posuit valori Sacramenti. Ita Sylu: *Verbo confeßio.* Corduba, & alii.

DICES Qui confitetur rudi, perinde ac si dormienti, & surdo; Sed his non valet. Ergo nec rudi valebit. RESPONDEO, vera est major, si sit rudis adeò, vt nulla omninò ratione agnoscat grauitatem peccati, secùs dici debet, si Sacerdos aliqua ratione cognoscat peccati grauitatem, licet in particulari, nesciat discernere, & distinguere species in particulari.

COLLIGE 4. Qui confessionem invalidam iterat, tenetur omnia peccata repetere, quoties confessio iteratur apud distinctum Confessarium: secùs dicendum, si apud eundem, modo iste Confessarius, aliquo modo saltem inconfusò, & in generali recordetur status pœnitentis, & peccatorum ejus, vel Pœnitentiæ injunctæ. Ratio est, quia vt Confessarius judicet, & Sacramentalem absolutionem impendat, debet causam, & omnia delicta cognoscere, cum sententia, non sit ferenda, causa non cognita. *Ita communiter omnes.* *Qui iterat inualidam, tenetur omnia peccata reiterare.*

SECTIO VI.

Quibus de causis excusentur fideles à Confessione?

DICO 1. Excusantur fideles ab obligatione confessionis, quoties absolutè, aut sine graui detrimento, nequeunt sua peccata confiteri, V. G. qui non habet, neq; habere potest copiam Confessarii, aut qui timet reuelationem peccatorum, aut aliud graue detrimentum, etiam famæ. Ratio est, quia nemo tenetur ad impossibile, neq; Christus Dominus aut Ecclesia, obligat cum graui incommodo: *Quando excusatur homo de Confessione.*

DICO 2. Si Pœnitens non potest aliter confiteri, quàm per scripturam (vt si Pœnitens careat lingua, vel confessarius sit surdus, aut Pœnitens non possit nutibus, aut alia ratione, quàm per scripturam, explicare peccata sua) si commodè id facere potest, & sine vllo detrimento famæ, vel alicujus rei, tenetur per scripturam confiteri, quoties instat præceptum Dei, vel Ecclesiæ confitendi. Ratio est, quia qui tenetur ad finem, *An per scripturam possit fieri confessio.*

nem, tenetur & ad media ordinaria, & commoda conducentia ad talem finem. Ergo &c. Notandum tamen hîc eſt, hanc concluſionem eſſe veram quando confitens per ſcripturam eſt præſens, non quando eſt abſens, quia abſenti non poteſt dari abſolutio, vt eſt Decretum Clementis VIII. Poſſet enim pœnitens mutari à bono propoſito in malum, vel interim aliud peccatum committere mortale, & ſic non eſſet in ſtatu, quo abſolutio valeat.

Per interpretem quādo confeßio obligat.

DICO 3. Eum qui nonniſi per interpretem confiteri poteſt, excuſari à præcepto confeſſionis, etiam in articulo mortis, niſi fortè pœnitens in tali euentu nequeat actum contritionis elicere. Probatur. Quia fideles non obligantur ad confeſſionem publicam, vt conſtat ex Trident. *Seß. 14. cap. 5.* ſed ſolùm ad confeſsionem ſecretam, & auricularem. Sed Confeſsio, quæ fit per interpretem, non eſt ſecreta. Ergo.

QVÆRES I. *Vtrum ſigna contritionis, vel deſideratæ Confeßionis ſufficiant ad abſolutionem Sacramentalem?*

Signa data à pœnitente quæ ſunt materia ſufficiens abſolutionis.

DICO 1. Certum eſt apud omnes Theologos, abſolutionem illi ægro dandam eſſe, qui in præſentia Sacerdotis, dedit aliquod ſignum in ſpecie peccati: immo, etiamſi nullum in ſpecie peccatum explicet per ſignum, ſed ſolùm in genere, danda eſt illi abſolutio ſub conditione, *Abſoluo te ſi poſſum, vel ſi hæc ſigna, ſunt ſufficiens materia Sacramenti Poenitentiæ.* Ratio 1. partis eſt, quia vt voce humana fiat Confeſſio, non eſt de eſſentia Pœnitentiæ. Ergo poteſt fieri per nutus. Notandum tamen eſt, vt æger exiſtens in articulo mortis explicet, vel voce, vel nutu aliquod peccatum in ſpecie, ſaltem veniale, curare debet Sacerdos; quod facilè Confeſſarius conſequetur, ſi roget pœnitentem de verbis ocioſis, mendacio, negligentia in oratione, & ſuggerat illi, vt annuat capite, vel manum Sacerdotis comprimat, aut pectus percutiat &c. 2. partis ratio. Quia ſigna contritionis, manifeſtant contritionem de peccato. Sed ſigna in genere, ſunt ſigna contritionis. Ergo.

Nota caſum

DICO 2. Poteſt dari illi ægro abſolutio, qui in abſentia Sacerdotis, vel voce, vel nutu petiit confeſsionem, etiamſi tunc cùm venit Sacerdos, jam ſenſuum, aut vſu rationis, ſit priuatus, dummodò eum, id voluiſse teſtentur aliqui fide digni, & non conſtet ab eo hanc voluntatem fuiſſe retractatam. Ita Suarez *Diſp. 23. Sect. 1.* Zambranus, Toletus & alii. Ratio eſt, quia in tali caſu, verè datur materia abſolutionis, præſertim ſi aliquod peccatum ſpecificauit coram teſtibus: vel etiamſi nullum in ſpecie,

ſpecie, ſed ſolùm in genere ſpecificauerit, danda eſt illi abſolutio ſub conditione; vel ſub intellecta, vel expreſſa.

In mutorum Confeßionibus quid faciendum?

QVÆRES II. *Quid in mutorum confeßionibus faciendum.*

DICO 1. In articulo mortis de mutis, idem judicium ſit, quod de aliis dictum eſt, ſuperiori Quæſito, nimirum ſatis eſſe demonſtrare ſigno peccatum aliquod, vel in ſpecie, vel in genere.

DICO 2. Extra Articulum mortis, non ſufficit muto declarare ſe eſſe peccatorem in genere, ſed requiritur, vt in ſpecie, ſaltem aliqua peccata explicet. Ratio eſt, quia multa peccata per nutus exprimi poſſunt, cùm multa ſubtilia tales exprimere valeant. Quòd ſi nutus confeſſarius, non intelligat, adhibeat interpretem, in articulo mortis, quem ad ſeruandum ſigillum obliget. Quodſi non ſit interpres, nec confeſſarius nutus intelligat omnes, abſoluendus eſt mutus ſaltem tempore præcepti, quia impotentia loquendi, excuſat ab integritate materiali confeſſionis. Idem dicendum de eo, qui loquitur eo idiomate, quod à Confeſſario, non benè percipitur, modo non ſit alius Sacerdos, qui ſciat illud idioma.

QVÆSTIO VI.
De Satisfactione Sacramentali.

PRæſens Quæſtio in quatuor Sectiones diuiditur. In 1. tractabitur de ſatisfactione in communi, & in particulari. In 2. de obligatione Confeſſarii, circa pœnitentiam injungendam. In 3. de obligatione Pœnitentis reſpectu Pœnitentiæ recipiendæ, & adimplendæ. In 4. de poteſtate Confeſſarii, circa commutationem Pœnitentiæ.

SECTIO I.
Quid ſit Satisfactio:

Sectio hæc diuiditur in Articulos 5.

In 1. quæretur, vtrum remiſsâ culpâ per abſolutionem *Sacramentalem*, remaneat pœna exoluenda per ſatisfactionem?

In 2. Quid ſit ſatisfactio *Sacramentalis*, & an reconciliet DEo?

In 3. Vtrum cuilibet peccato actuali mortali, correſpondeat ſatisfactio propria?

In 4. Vtrum opus, per quod ſit ſatisfactio debeat eſſe pœnale?

In 5. Vtrum habens plura peccata, poſsit ſasisfacere pro omnibus, vel tantùm pro vno, & non alio?

ARTICVLVS. I.

Vtrum remissa culpa per absolutionem Sacramentalem, remaneat pœna exoluenda per satisfactionem?

Error Lutheri.

Negat Lutherus, nam inquit Christus Dominus abundè satisfecit pro omnibus, in sua passione, & sic facit illi injuriam, qui aliam satisfactionem dicit esse necessariam, aliâs ejus satisfactio, esset insufficiens: ex qua hæresi, nata est alia, tollens purgatorium. Pro intelligentia.

Culpa à pœna distinguitur.

Nota. Culpam à pœna, necessario distingui, quod apertè colligitur ex SS. literis, Threnorum *1. Patres nostri peccauerunt, & non sunt, & nos iniquitates eorum portauimus.* vbi iniquitas sumitur pro pœna; quod ex capite 18. Ezech. elucescit; *Filius non portabit iniquitatem Patris.* His accedit illud, Exod. 28. *Portabitq; Aaron iniquitates eorum quæ obtulerunt, & sanctificaverunt filii &c.* Clarum est hujus rei exemplum 2. Reg. 12. vbi legitur, Dauid peccâsse, quia fecerat inimicos blasphemare nomen Domini.

Manet sæpè soluenda pœna.

Dico itaq; Per absolutionem Sacramentalem, non semper remittitur tota pœna, sed plerumq; manet tota soluenda temporalis, per satisfactionem. Probatur 1. ex Tridentino *Sess. 6. cap. 14.* vbi statuitur differentia inter Baptismum, & Pœnitentiæ Sacramentum, quòd in Baptismo semper cum culpa, remittatur tota pœna; at per Sacramentum Pœnitentiæ, non semper, ideoq; imponitur satisfactio. Probatur 2. Exemplis sacræ scripturæ, Dauid post dimissam culpam, petit *Psal. 50.* vt ampliùs mundetur à peccato, & deleatur ejus iniquitas: idq; hoc petiit, post dictum sibi per Prophetam, *Dominus transtulit peccatum tuum.* Moyses *Num. 20.* propter incredulitatem est punitus, vt non introduceret filios Israel, in terram promissionis. Zacharias, Pater S. Joannis Baptistæ Luc. 1. propter incredulitatem, mutus effectus, vsq; ad circumcisionem pueri. Magdalenæ quoq; dictum est, Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum:* quo in loco juxta aliquos, non loquitur de remissione culpæ; quia gratis justificatur homo, ad Rom. 3. Ad fundamentum Lutheri Dico. Negando nos injuriam inferre, nostris satisfactionibus, satisfactioni Christi Domini, sufficientissima enim fuit illius satisfactio, à qua habent nostræ satisfactiones virtutem; non enim vt hæretici arbitrantur, Christus Dominus liberauit nos suâ passione, ab omni obligatione satisfaciendi nostris propriis operibus, sed effecit hoc suis meritis, vt opera nostra, ejus meritis innitantur, non solùm, quia per illum habemus virtutem satisfaciendi, sed etiam, quia nostra satisfactio, propter

Nota contra hæreticos Merita Christi Domini ad quid?

ipsum

ipsum acceptatur, & vt rationem justitiæ participet, in ejus satisfactione fundatur.

Dices 1. Debito soluto, non opus est solutione. Sed Christus Dominus pro nobis sufficienter soluit. Ergo non est necessaria nostra solutio.

Respondeo Ad Majorem. Debito soluto, non est opus solutione, sed solutionis factæ, applicatione, & acceptatione: Licet ergo Christus Dominus, hoc pretium pro omnibus persoluit, tamen Pater æternus, pro his tantùm illud acceptat, qui se Filio suo per Sacramenta, & bona opera conjungunt: sicut igitur pharmacum à medico paratum, non prodest infirmis, nisi sumatur, ita & passio Domini in Sacramentis inclusa, nisi per Sacramenta adhibeatur.

Dices 2. Christus Dominus sine satisfactione, absoluit paralyticum [a] Magdalenam, [b] Adulteram, [c] Latronem, [d] Ergo Sacerdotes, non debent assignare satisfactiones, nam Christus Dominus est exemplar propositum ad imitandum Sacerdotibus. Respondeo. Nego antecedens, quia Publicanus sanatus, grabatum humeris gestauit, non veritus minas Pharisæorum. Magdalena quoq; verecundo ingressu in cænaculum Pharisæorum, lachrymis, quibus Domini pedes rigauit, capillis quibus tersit, & vnguento, quo vnxit, vehementiq; dolore, quo sacros Domini pedes osculabatur, satisfecit. Adulteram quoq; non legitur expressè Dominus absoluisse, sed mortis pœnâ non condemnâsse. Sed dato, quòd ex illis verbis *Vade, & jam ampliùs noli peccare*, colligatur eam absolutam à Domino fuisse, non tamen sine omni satisfactione, quia magno rubore, & metu fuit affecta. Latro pœnâ crucis, actu intensissimo fidei & amoris Diuini satisfecit. Vnde negatur & consequentia; quia ad potestatem Christi Domini pertinebat, Sacramenta instituere, virtutem Sacramentorum sine Sacramentis conferre, peccata sine absolutione dimittere, & simul pœnam cum culpa auferre, Sacerdotum verò potestas, est alligata Sacramentis, ideò debent Pœnitentiam assignare.

a. *Matt.* 9.
b. *Luc.* 7.
c. *Joan.* 8.
d. *Mat.* 26.

Christus Dominus sine Sacramẽtis, potuit virtutem Sacramentorum conferre.

Dices 3. S. Ambrosius *lib.* 10. *in Lucam. cap.* 96. ait de pœnitentia S. Petri: *Lachrymas ejus legimus. satisfactionem non legimus.* Ergo non est necessaria satisfactio.

Respondeo S. Ambrosius loco citato, nomine satisfactionis, non pro operibus Pœnitentiæ, sed pro defensione, seu excusatione sui, vtitur; vt ex verbis ejus colligitur, dicentis: *Non invenio quid dixerit, inue-*

nio quòd fleuerit; Deinde. An illæ lachrymæ triduanæ, imò vsq; ad mortem, non fuerunt satisfactio?

Dices 4. Peccata gratis dimittuntur merito Passionis Christi Domini. Ergo non opus est satisfactionibus nostris, quæ obscurant virtutem crucis.

Respondeo. Nego Consequentiam, nam & gratis remittuntur peccata, & per satisfactiones nostras: gratis quidem, quia per Sacramenta redimus cum Deo in gratiam, quæ ex meritis Christi Domini, efficaciam habent: tùm quia opera justorum, non ex se, sed ex passione Domini vim habent merendi, & satisfaciendi. Per satisfactiones nostras, ex eo, quia nostra sunt opera, quibus cum auxilio Dei satisfacimus pro peccatis: non ergo obscuratur Crux Christi, satisfactionibus nostris, sed illustratur, vt potè tantam vim habens, & tam ampla merita, vt etiam operibus justorum, virtutem satisfaciendi conferat. Sicut sol, eò est illustrior, quò luce suâ lunam, & stellas, ad lucendum terris illustrat.

Non obscuratur Crux Christi nostris satisfactionibus.

Dices 5. Satisfactiones nullibi leguntur in sacris literis, sed sunt inuentiones Episcoporum, & Monachorum, vt pecuniam iis congregent. Ergo.

Respondeo Nego Antecedens, Danielis 4. dicitur. *Peccata tua Eleemosynis redime.* Ad Rom. 6. *Sicut enim exhibuistis membra vestra, seruire immunditiæ, & iniquitati ad inquitatem, ita nunc, exhibete membra vestra, seruire justitiæ.*

ARTICVLVS II.

Quid sit satisfactio Sacramentalis, & an reconciliet DEO?

Satisfactionis definitio in communi.

Nota I. *Satisfactio est redditio, voluntaria, æquivalentis aliàs indebiti.* Ita Doctor *in 4. dist 15. q prima: a. 1.* Dicitur (*redditio*), non enim satisfactio, est datio absoluta, nam ista particula satis, dicit commẽsurationem (ad aliquod præcedens,) correspondentem, & sic satisfactio, importat relationem ad aliquod præcedens commissum, vel acceptum. Dicitur (*voluntaria*) quia si esset inuoluntaria, esset satis passio, qualis est in inferno, quia inuoluntariè pœnas soluunt. Dicitur (*æquiualentis*) quia satisfactio pertinet ad justitiam commutatiuam, quæ exigit æqualitatem rei ad rem, istud enim aduerbium (*satis*) importat æquam correspondentiam ejus, quod redditur, ad illud pro quo redditur siue in-

bene-

beneficiis, siue in pœnis. Ex quo sequitur, quòd minus reddens pro peccato, quàm justitia Diuina exigat, licet injunctum à Confessario impleat, non satisfacit, quamuis aliquam pœnam peccato suo debitam soluat, soluturus plus in futuro. Dicitur (*Aliâs indebiti*) id est, non aliundè obligati, nam si id, quod redditur, sit aliâs obligatum, ipsum æquiualens quod redditur, non esset satisfactio ex naturâ rei, nam secundùm justitiam, non esset correspondens isti, sed alii, pro quo aliâs deberetur. *Nota.*

NOTA 2. Satisfactio strictè sumpta, ita à Doctore definitur. *Satisfactio est operatio exterior laboriosa, vel poenalis, voluntariè sumpta, vel voluntariè tolerata, ad puniendum peccatum, commissum à se, & hoc ad placandam Diuinam offensam.* Dicitur *operatio exterior*, per quod excluditur operatio laboriosa interior, & passio eam concomitans, vt est contritio, & tristitia eam sequens: Per actum exteriorem, intelliguntur actus, qui fiunt corporalibus membris positiuè, vt peregrinatio, disciplinatio, eleemosynarum distributio, vel priuatiuè, vt jejunium, abstinentia, silentium, vbi nihil agitur, sed ab actione cessatur. Dicitur (*poenalis*) quia operationes exteriores delectabiles, non habent rationem satisfactionis. Dicitur (*voluntariè assumpta,*) quia si non esset voluntaria, non esset Deo accepta. Dicitur (*ad puniendum peccatum, & ad placandum Deum*) quia hæc punitio, propriè præsupponit remissionem culpæ, & commutationem pœnæ æternæ, satisfactio enim ad remissionem pœnæ temporalis ordinatur, in remissione enim peccatorum, pœna æterna, in temporalem commutatur. Ex quo colligitur, quòd satisfactiones, non ponuntur ad delendam culpam, & reconciliandum hominem Deo, sed supponunt hominem, jam gratis reconciliatum esse Deo, per mortem Christi Domini, ponuntur autem ad recompensandam pœnam temporalem, relictam à Deo, soluendam pro culpis dimissis, & hoc in virtute passionis Christi Domini: hæc autem punitio vocatur castigatio, purgatio, pœnitentia, &c. *Satisfactio Pœnitentiæ.* *Satisfactio non est ad delendam culpam.*

NOTA 3. Satisfactio in communi, differt à satisfactione strictè sumpta. 1. Quia satisfactio in communi consistit in oratione, jejunio, & Eléemosyna, & in contritione, & confessione, in quibus non consistit satisfactio strictè. 2. Quia satisfactione generali satisfacimus pro peccato, & ratione culpæ, & ratione pœnæ, etiam temporalis; at verò satisfactione stricta solùm satisfacimus pro pœna temporali. 3. Quia satisfactio generalis, non est pars pœnitentiæ, sed omnes ejus partes complectitur, *Differunt satisfactiones in communi, & stricta.*

ctitur, satisfactio verò strictè sumpta à contritione, & confessione: distinguitur, & est pars pœnitentiæ.

Requisita ad satisfactionem perfectam.

NOTA 4. Ad Satisfactionem perfectam quatuor requiruntur. 1. vt illud opus, per quod aliquis satisfacit, æquiualeat injuriæ, offenso illatæ. 2. vt iste valor sit ab eo, qui satisfacit, & non sit ab illo cui satisfacit; nam si talis valor sit ex eo solùm, quòd sic acceptatur ab eo, qui injuriam passus est, non est satisfactio rigorosa. 3. requiritur, vt satisfaciens, satisfaciat ex propriis. 4. ex aliâs indebitis. vnde si aliquis deberet alicui equum, & inferret illi injuriam, non satisfaceret illi per equum aliâs debitum. Porrò satisfactio imperfecta est, cui aliqua ex his conditionibus deest.

Quomodo in satisfactione est æqualitas.

DICO 1. Satisfactio pro peccatis, non est æqualitas pœnæ ad culpam condigna, æstimando valorem, juxta dictamen strictæ justitiæ: æstimando verò valorem, secundùm voluntariam acceptationem DEI, est æqualitas in satisfactione. 1. para patet, quia secundùm strictum justitiæ rigorem nulla temporalis actio, vel passio, condigna est peccato, & offensæ Diuinæ; posset enim DEVS pro quolibet peccato, quo offenditur summum, ac infinitum bonum, justè exigere pœnam æternam, duratione infinitam; nulla enim est pœna ita mala, quantùm malum est offensa. Vnde potiùs toleranda foret, omnis mors pœnalis, & annihilatio, quàm committenda esset, quantalibet parua offensa in DEVM. 2. pars constat, quia si DEVS ex suâ misericordiâ determinauit, tantam pœnam acceptare, pro satisfactione talis peccati, talis satisfactio, habet æqualitatem secundum acceptationem. Vnde Concil. Trid *Sess 14 cap. 9* ait, *Magnum esse Diuini amoris argumentum, quòd nostras satisfactiones acceptet.* Confirmatur. Peccator, virtute *Passionis* Christi Domini adjutus, potest satisfacere, & reddere DEO æquiualens, pro peccato suo. Ergo ex acceptatione Diuinâ.

Nota peccator.

Satisfactio reconciliat Deum.

DICO 2 Satisfactio reconciliat peccatorem DEO. Probatur ex SS. literis: *Jonæ vltimo*, Niniuitiæ jejuniis, & precibus, placauerunt DEVM, ne subuerteret eorum ciuitatem, *Daniel cap. 4* dat consilium Regi, vt peccata sua Eleemosynis redimat. *1. Petri cap. 4.* S. Petrus ibi dicit, quòd justi judicabuntur, at in quo judicabuntur, si culpam non habent, & sint justi, relinquitur ergo, vt judicentur circa pœnas temporales, an illis satisfecerint, S. *Paulus 1. ad Corinth 5. tradidit fornicarium Sathanæ*, id est, excommunicauit, videns pœnitentiam, dimisit illi pœnam illam temporalem, quæ erat pœna excommunicationis. vide Epist. *2. ad Cor. cap. 2.* Ratio est, quia Deus est placabilis, & misericors. Ergo reconciliari potest.

Justi in quo judicantur.

A R.

ARTICVLVS III.

Vtrum cuilibet peccato actuali mortali, correspondeat satisfactio propria?

Dico 1. Non est necessarium, vt vnicuiq; peccato numero, respondeat propria vna satisfactio, secundùm numerum: Neq; est necessarium, vt vnicuiq; peccato, secundùm speciem, respondeat vna satisfactio secundùm speciem, sed pluribus peccatis, secundùm numerum, sufficit vna satisfactio numero, & pluribus peccatis secundùm speciem, potest satisfacere vna satisfactio speciè. *Vna satisfactio sufficit pro pluribus peccatis.*

Probatur, quia sicut vna contritio, sufficit ad deletionem multorum peccatorum specie, & numero. Ergo & satisfactio, præsertim interior, quæ potest ita intendi, vt sit totalis satisfactio, & quoad culpam, & quoad pœnam, per intensam enim contritionem, aufertur totaliter reatus omnis pœnæ: plus enim Devs acceptat cordis affectum, quàm exteriorem actum, juxta illud Gen. 4, *Respexit DEVS ad Abel*, (id est, ad cor ejus) *& ad munera ejus.*

Dices actus detestationis, peccati cujuslibet, est actus specialis virtutis, contrariæ peccato, vt actus detestationis superbiæ, est actus humilitatis, actus detestandi peccatum luxuriæ, est actus castitatis, & sic de aliis. Ergo cùm quodlibet peccatum, sit alicujus determinatæ speciei. Ergo cuilibet peccato, correspondet actus determinatæ virtutis, saltem in specie.

Respondeo. Licet diuersorum peccatorum specie, sint contritiones diuersæ specie, non tamen actus contritionis habitæ, de peccato vnius speciei, vt Dei offensiuo, est alterius speciei, ab actu contritionis habitæ de peccato alterius, cujuscunq; speciei, similiter vt Dei offensiuo, hoc enim modo, ejusdem virtutis, secundùm speciem sunt contritiones, omnium peccatorum, quantumcunq; distinctorum specie, nimirum charitatis, eadem enim virtus, quæ inclinat ad diligendum, inclinat etiam, ad abstinendum omne sibi ingratum. Sed charitas est inclinans ad diligendum Devm. Ergo & ad respuendum omne peccatum quod est sibi ingratum *Peccatum sub duplici respectu respuitur.*

Dico 2. Vt satisfactio sit plena, atq; sufficiens, ad remittendam culpam, & pœnam debitam, debet habere tot gradus, quot gradus sufficerent ad satisfaciendum pro illis peccatis, aliâs, si esset diminuta & partialis, non sufficeret. Patet ex se.

Dico

Dico 3. Vni peccato, possunt correspondere, plures satisfactiones, siue totales, siue partiales. Quòd totales patet, quia non est peccatum, quòd non possit remitti, per solam contritionem, maximè intensam ita vt remittatur culpa, & soluatur omne debitum pœnæ, illius culpæ. Quòd partiales, constat, quia potest esse aliqua contritio remissa, non ad remittendum omnem pœnam, sed solùm culpam, tunc residuum, id est, remissio pœnæ, supplebitur per opera pœnalia, quæ supplent imperfectionem contritionis, vt quando quis habet displicentiam remissam de peccatis, & flagellatur pro illis, jejunat, &c. Ex quo sic arguitur: contritio plena, & semiplena, ac opera pœnalia, differunt specie. Ergo Ejusdem peccati, sunt diuersæ satisfactiones, differentes specie; quòd differant specie patet, quia habent diuersa objecta specie. Hinc

Ejusdem peccati possunt esse diversæ satufactiones.

Collige, Cuilibet peccato correspondet propria satisfactio, non tamen ita propria, vt huic peccato, non possit alia satisfactio correspondere, sed ita propria, vt de facto pro tunc, hoc peccatum, non habeat aliam satisfactionem.

ARTICVLVS IV.

Vtrum opus, per quod fit satisfactio, debeat esse opus pœnale?

Satisfactio fit per opus pœnale.

Dico 1. De ratione satisfactionis est, quòd fiat per aliquem actum pœnalem. Probatur ratione Doctoris *in 4. dist. 15. q. 1. a. 3.* Quia satisfactio fit, ad corrigendam culpam, quæ non corrigitur, nisi per pœnam. Confirmatur Quia satisfactio, est actus justitiæ, quo pœnitens vindicat, & punit in se Diuinam injuriam. Sed vindicta fit propriè per pœnam. Confirmatur 2. Illi sunt digni fructus Pœnitentiæ, quibus vera satisfactio expletur. Sed talia sunt pœnalia. Ergo.

Opera pœnalia sunt triplicia.

Dico 2. opera bona pœnalia, seu passiones voluntariæ, in quibus potissimum consistit satisfactio, reducuntur, vel ad actum interiorem displicentiæ, qui est contritio, vel ad passionem, tristitiam consequentem. Deinde reducuntur ad actum exteriorem confitendi peccatum, quod est valde pœnale, vel passionem concomitantem scilicet verecundiam: 3. ad actionem, vel passionem simpliciter exteriorem, nempe macerationem carnis, quæ fit jejunio, disciplinâ, eleemosynâ, &c.

Dico 3. Licet ordinariè satisfactio debeat fieri per opus pœnale, tamen aliquando, potest fieri per actum feruentissimum dilectionis Dei super

ſuper omnia. Patet, quia talis actus eſt pœnitentiæ virtualis, vel quia ex eo pullulat, actualis pœnitentia, vel quia, vt dicit Doctor, in acceptione Diuina, æquiualet pœnitentiæ actuali; nam poteſt Deus actum magnum charitatis acceptare, pro punitione debita vni culpæ, quia licet non ſit propria punitio, id eſt actualis, vel formalis pœnitentia, eſt tamen majus bonum, & magis DEO reddens honorem, quàm eſſet propria ejus punitio, vel pœna peccato correſpondens.

Opera delectabilia non ſunt ſatisfactoria.

DICES 1. Multa opera delectabilia, ſunt meritoria gratiæ, & gloriæ ſi referantur in Deum, juxta illud 1. ad Corinth. 10. *ſiue comedatis, ſiue bibatis, omnia in gloriam Dei facite.* Ergo hujuſmodi opera ſunt ſatisfactoria.

RESPONDEO Nego Conſequentiam, quia ſatisfactio, eſt actus recompenſationis injuriæ, quæ debet fieri per contrarium, & ideò ſatisfaciens, debet ſe priuare, aliquo delectabili, quæ priuatio eſt malum pœnæ: meritum autem, non eſt actus recompenſationis, ſed obſequii, ideò non requiritur, quòd ſit pœnalis.

DICES 2. Quantò opus procedit ex majori charitate, tantò magis eſt ſatisfactorium: charitas enim non extenuat, ſed auget ſatisfactionem, & tamen eſt minùs pœnale, quia libentiùs fit.

Actus charitatis eſt pœnalis.

RESPONDEO Juxta tertiam concluſionem. Addo, quia eſt punitio boni temporalis, vtilis aut delectabilis, ideò etiam eſt pœnale, quia quantò quis diligit Deum, tantò magis priuat ſe bono vtili, vel delectabili ſeparante eum ab hoc amore: vnde ad ſatisfactionem requiritur, quòd ſatisfactio fiat per opus ex ſuo genere, vel ex natura ſua pœnale, non autem requiritur, quòd ſit actus ingerens nobis pœnam, & triſtitiam; quare liberalis, & ditiſſimus, ſatisfacit per Eleemoſynam, & temperatiſsimus, per jejunium, & tamen neuter his actibus contriſtatur. Et ſic opus pœnale intelligitur, aut ratione operis, aut ratione operantis, non oportet verò, quòd ſatisfactio fiat, per opus pœnale, ratione operantis, nam frequenter opera, ex ſuo genere poenalia, ratione feruentis charitatis in operante, ſunt ei delectabilia.

Nota.

Opus pœnale debet eſſe ratione operis, & operantis.

ARTICVLVS V.

Vtrum habens plura peccata, poſſit ſatisfacere pro vno, & non pro alio?

DICO 1. Homo perſeuerans in propoſito alicujus peccati mortalis, non

non potest pro peccato satisfacere. *Patet*, quia si perseuerat in proposito peccati mortalis, est DEI inimicus, si autem DEO satisfacit, est DEI amicus, quia illi reconciliatur, aliâs esset simul DEI amicus, & inimicus, quòd repugnat. Confirmatur. Quia non potest vnum peccatum remitti, sine alio in habente plura, nam peccatum mortale, non remittitur sine gratia. Sed gratia, & peccatum, stante lege, sunt opposita. Ergo non potest pœnitens satisfacere de vno, & non de alio, quia non remittitur vnum absq; alio.

Potest satis fieri pro vno peccato, & non pro alio actualiter.

DICO 2. Si homo non perseuerat in proposito peccati mortalis, potest satisfacere pro vno peccato, absq; eo, quòd satisfaciat actu, vel expressè pro alio. Patet, quia sicut potest considerare vnum peccatum, non considerando aliud, ita potest conteri de vno, absq; eo, quòd expressè conteratur de alio.

DICO 3. Quando homo expressè satisfacit pro vno peccato, habitualiter, vel virtualiter, satisfacit pro alio. Patet, quia si illud peccatum memoriæ occurreret, de illo quoq; expressè contereretur. Tùm quia, qui conteritur de vno peccato, quatenùs est offensa DEI, consequenter, virtualiter dolet de omni offensa, quæ est contra DEVM à se commissa: atq; ita dicit Doctor, quòd vna satisfactio pro vno peccato, potest separari à satisfactione pro alio, quoad effectum, non tamen quoad affectum, saltem in habitu, vel virtute. Inde.

Minima gratia sufficit ad remissionem omnium peccatorum.

COLLIGE. Gratia minima sufficit, ad remissionem omnium peccatorum mortalium, quia omnis gratia gratificat, id est facit hominem DEO gratum, & dignum vitâ æternâ, idcirco enim appellatur gratia gratumfaciens.

DICO 4. Si fiat sermo, de satisfactione reconciliante DEO, non potest fieri de vno peccato, & non de alio, vt constat ex præcedentibus conclusionibus; si autem sit sermo quoad pœnæ solutionem, potest fieri satisfactio de vno peccato, & non de alio: quia pœna est diuisibilis, tàm intensiuè, quàm extensiuè. Tùm quia diuersæ pœnæ diuersis peccatis determinantur, etiam abinuicem separabiles, vt majores, majoribus peccatis, minores, minoribus: V. G. auaro injungitur satisfactio, Eleemosyne pro auaritia, eidem oratio pro superbia, potest priùs implere Eleemosynam, quàm orationem. Ergo potest pœna vni peccato debita, solui absq; solutione pœnæ alteri peccato debitæ.

Pœna est diuisibilis.

SECTIO II.
De Obligatione confessarii, circa Pœnitentiam injungendam.

Præsenti Sectione examinabitur.

1. *Vtrum* Confessarius teneatur imponere condignam pœnitentiam?
2. Quam metam seruare, in assignanda pœnitentia teneatur?
3. Vtrum conuenienter opera satisfactoria assignantur illa tria, jejunium, oratio, & Eleemosyna?

ARTICVLVS I.
Vtrum Confessarius, teneatur imponere condignam satisfactionem?

Dico 1. Per se loquendo, tenetur Confessarius condignam, vel saltem aliquam imponere pœnitentiam. Ita Tridentinum Sess. 14. cap. 8. dicens. *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantùm Spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & poenitentium facultate, salutares, & conuenientes poenitentias injungere.* Ratio est, quia vt judex inter Devm, & hominem, tenetur æquitatem seruare. Tùm quia vt medicus, debet curare morbum ægri, quòd fit per pœnitentiam satisfactoriam. *Tenetur Confessarius imponere poenitentiam.*

Dico 2. Non est obligatus Confessarius, ad imponendam semper pœnitentiam sub præcepto, sed potest interdum ex rationabili causa, per modum consilii dicere Poenitenti, si hoc, vel illud feceris, cedet tibi virtute Sacramenti, ad remissionem poenæ; quæ poenitentia potest fieri per applicationem infirmo, aut extremè pauperi, vel afficiendo supplicio, potest Confessarius dicere, vt illa ipsa, loco poenitentiæ sustineat.

Dico 3. Potest per accidens absoluere Confessarius poenitentem, nulla satisfactione imposita. Ratio est, quia cùm satisfactio, non sit pars essentialis, non est omittendum Sacramentum, ob ejus defectum rationabilem: Possunt autem esse duæ causæ justæ, non imponendi poenitentiam. 1. Impotentia poenitentis, vt si morti vicinus sit, & nihil omninò facit, tàm internè, quàm externè. 2. Si confessarius ex certis signis, in ipsa Confessione intelligat poenitentem satisfecisse, in tali casu, leuem saltem poenitentiam injungat. *Per accidens potest omitti poenitentia.*

Petes *Quando est imponenda Poenitentia Sacramentalis?*

DICO 1. Etsi nulla sit obligatio, quâ sub peccato teneatur confessarius, priusquàm absoluat pœnitentem, injungere, tamen laudabiliùs est, & securiùs, Pœnitentiam imponere antè absolutionem. Ratio est. Tùm quia sic meliùs, ratio justitiæ seruatur; Tùm quia conueniens est, vt pœnitens, saltem proposito, satisfaciat priusquàm absoluatur, Ita Angelus *verbo Confeßio 5. num. 2.*

DICO 2. Potest ex justa causa, immo aliquando debet cofessarius, non absoluere pœnitentem, nisi priùs impleuerit pœnitentiam in præcedenti Confessione impositam, præsertim si eam sæpiùs, & sine legittima causa ex mera negligentia omiserit. Ratio est, quia talis pœnitens propter ejusmodi pœnitentiæ neglectum, posset esse malè dispositus, ad sequentem absolutionem. Ita Suarez *Disp. 18. Sect. 7.*

ARTICVLVS II.

Quam metam teneatur confeßarius seruare, in aßignanda Pœnitentia? Seu Quanta debeat imponi Sacramentalis satisfactio?

NOTA 1. Fabulosum est illud, vt notat Faber Fauentinus, Suarez & alii, quòd aliqui tradunt, olim in Ecclesia, pro singulis peccatis mortalibus, pœnitentiam septennem imponi solitam: Et licet extent aliqui Canones pœnitentiales, in quibus, aliquibus peccatis grauissimis, septem annis, pœnitentia injungitur, non tamen hæc regula pro quolibet peccato mortali est seruanda: præterea istas pœnitentias, non constat pertinuisse ad forum interius, sed ad forum potiùs externum, quia fiebant ad ædificationem Ecclesiæ, sæpè enim imponebatur depositio, vel priuatio alicujus Ecclesiasticæ dignitatis, vel quid simile.

Septennes pœnitentiæ quid;

NOTA 2. Quantitas, & qualitas pœnitentiæ injungendæ, pro peccato, relicta est arbitrio confessarii, vt deducitur per *Caput Mensurans de poenitentia dist. 1.* vnde dato, quòd illæ septennes Pœnitentiæ, pertinerent ad forum conscientiæ, patet assignatas fuisse per modum regulæ magis directiuæ, quam coactiuæ ad eas pœnas seruandas; & concesso, quòd essent præceptiuæ, quando ardor fidei, & zelus Christianus vigebat, modò jam non sunt in vsu, & tota pœnitentia, in arbitrio Confessarii est posita, vt constat ex loco citato Tridentini, in primo Articulo.

Diffi-

Difficultas ergo tota est, quomodo Sacerdos se gerere debeat, vt æquam, & justam satisfactionem imponat, ne clauis erret, in dimittendo pœnam temporalem.

Prima Opinio asserit, satisfactionem respondentem pœnæ temporali, consistere in indiuisibi. Ita Suarez *Disp 38. Sect. 5.* citatur Alensis *4 parte q 80.* sed nihil tale inuenitur apud eum. Fundamentum hujus opinionis est. Quia in Diuino judicio, omnia sunt definita in pondere, & mensurâ, neq; in illo est latitudo rigorosi, vel medii pretii. Sed hoc judicium, quod facit Sacerdos in imponendo pœnitentiam Poenitenti, est judicium Diuinum, quamuis per homines exerceatur. Ergo Sacerdos, tenetur imponere poenitentiam, correspondentem poenæ temporali, juxta strictum rigorem justitiæ.

Secunda Opinio negat in indiuisibili consistere poenam, vt est commissa Sacerdoti. Ita Doctor *in 4. dist 15. q. 1. Et Dist. 19. q. unica.*

Pænitentia aßignanda non arctatur ad indiuisibilitatē.

Dico 1. Et si apud Deum, & in reipsa, poena temporalis secundùm strictum rigorem, respondeat culpæ, quæ in indiuisibili consistit, tamen vt committitur judicio Sacerdotis, non arctatur ad hanc indiuisibilitatem, sed datur latitudo, intra quam poenitentia imposita, satisfacit secundùm justitiam toti poenæ, licet illi non sit adæquata, sed vel excedat, vel excedatur, & ratificatur in coelis. Probatur 1. Si ad hoc, vt tota poena temporalis dimittatur, necesse est, quòd adæquata poena, vsq; ad indiuisibile, imponatur à Sacerdote poenitenti, sequitur, quòd Sacerdos non sit arbiter judex inter Deum, & poenitentem. Sed hoc dici non potest, Ergo. Consequentia Probatur. Nulli committitur potestas arbitrandi in aliqua causa, cujus arbitrium nunquam erit ratum, propter quamcunq; diligentiam possibilem adhiberi ab ipso, sed tantùm à casu, vel per miraculum speciale. Sed per quamcunq; diligentiam possibilem adhiberi à Sacerdote, non potest pertingere ad illud indiuisibile poenæ, quò Deus judicat peccatorem esse dignum. Ergo si attingat, hoc erit ex miraculo, vel casu. Neque valet Responsio Suarez, quòd res ipsa habebit effectum, prout in re fuerit conformis legi Diuinæ, & mensuræ, à Deo positæ. Non inquam valet, quia quilibet homo, poterit sibi imponere poenitentiam judicio humano sibi conuenientem, hæc enim si secundùm judicium Diuinum fuerit adæquata, tollet omnem poenam, sin minùs, tollet poenam sibi respondentem, & res ipsa habebit effectum, prout in re fuerit conformis legi, & mensuræ Dei, sed hoc vi-

detur derogare auctoritati Sacerdotis, cui Dominus dedit potestatem ligandi, soluendi, & verè cognoscendi, & sententiandi in causa peccati, inter DEUM, & peccatorem. Probatur 2. Frustra facti fuissent Sacerdotes Judices peccatorum, nam eorum sententia solutionis, & obligationis, vt est ab illis nihil valeret, sed solùm, quatenùs legi Diuinæ, & poenæ taxatæ à DEO, esset conformis indiuisibiliter, & quamuis à Sacerdote esset lata, tamen in re effectum haberet, non vt ipse sententiauit, sed secundùm mensuram judicii Diuini, & poenæ ab eo taxatæ, quæ judici humano est incognita. Probatur 3. Nullus constituitur arbiter inter partes, sub hac conditione, quòd præcise arbitretur ad voluntatem vnius partis, & hoc maximè, quando non potest judex arbiter deputatus, noscere determinatè voluntatem illius partis, sed in judicio pœnitentiæ, partes sunt, DEVS, & peccator, inter quos est Sacerdos arbiter. Ergo Sacerdos non obligatur, ad arbitrandam illam poenam præcisè, quam DEVS infligeret, maximè cùm non possit sibi constare de voluntate DEI, quoad hoc præcisè.

Sacerdos est arbiter.

In omni commutatione est aliqua latitudo.

COLLIGE. Sicut in aliis commutationibus, commutatio habet aliquam latitudinem, ita vt non respiciat indiuisibile, sed medium rectæ rationis, ita justitia punitiua, quæ est commutatiua poenæ temporalis, debitæ culpæ, non respicit necessariò gradum indiuisibilem poenæ, correspondentem huic culpæ, sed ibi est aliqua latitudo, infra quam poena, minor non sufficit, & vltra quam poena major, non est imponenda, & clauis ligans extra totam hanc latitudinem, vel citra, vel extra, errat, & tunc meritò poena, quæ soluitur in terris, non soluitur in cœlis, id est, in cœlis non ratificatur. Sed clauis ligans intra hanc latitudinem, non errat, & ideò arbitrium Sacerdotis ratificatur in cœlis.

Non pro libito imponenda est pœnitentia.

DICO 2. Licet poenitentia assignanda, sit in arbitrio Confessarii, non ita tamen, vt pro libito, possit imponere quamcunq; vult, sed tenetur considerare grauitatem peccatorum, dispositionem poenitentis, & seruatâ ratione justitiæ, debet imponere poenitentiam proportionatam culpæ, & vt sit in remedium, ad abstinendum in futurum. Ratio est, quia vicarius est judex DEI. Ergo debet aliquam æquitatem inter partem læsam, & lædentem, constituere. Vnde rectè Tridentinum *Sess. 14. cap. 8.* præcipit, vt Confessarii salutares, & conuenientes poenitentias, injungant, ne forrè peccatis conniueant.

Notent Confessarii.

Pro vno peccato, diuer-

DICO 3. Potest Confessarius, pro eodem peccato, pro diuersis circumstantiis, & Personis, diversas poenitentias imponere. Dixi (*pro diuersis*

uersis circumstantiis, & Personis:) quia V. G. est poenitens infirmus, vel jam moriturus, vel quia Confessarius aduertit poenitentis fragilitatem, & defectum feruoris, putatque per majorem pœnitentiam, deterrendum à confessione inposterum facienda. Ratio est, quia in hoc Sacramento magis attenditur salus, & emendatio poenitentis, quàm satisfactio pro poena temporali peccatis debita. Quare rectè Nauarrus *cap 26 num. 19. & 20.* docet, quando imponitur minor poenitentia, quàm deberet imponi, monendum esse ea de re pœnitentem, tùm, vt ille vltrò, postea assumat aliquas poenitentias: tum ne de leuitate satisfactionis, æstimet culpæ leuitatem, faciliusq; in peccata relabatur. *sa possunt imponi pœnitentiæ.*

DICO 4. Ex exemplis in Sacris literis, (vt Nabuchodonosor, David, & ex antiquis Canonibus) potest deduci probabiliter, alicui peccato mortali competere poenam septem annorum. Patet, quia Nabuchodonosor pro peccato superbiæ, septem annis grauissimam poenam luit: similiter David *2. Regum. 24.* *Pœnitentia septennis.*

Addo, justis de causis, & propter peccata grauiora, posse assignari poenas, non solùm septem, sed etiam decem, vel plus annorum. Hinc

COLLIGE. Istas esse poenitentias falsas, quæ sine rationabili causa minores justis imponuntur à Confessariis, vel ob ignorantiam, vel ob amicitiam, vel ob aliquem minùs justum respectum. *Notent Confessarii.*

Ad Fundamentum contrariæ opinionis Respondeo. Quòd licet apud DEum, poenitentia adæquatæ poenæ temporali consistat in indiuisibili, tamen inquantùm commisit hoc judicium Sacerdoti, qui humano more judicat, noluit adæquatam poenitentiam consistere in indiuisibili, sed habere latitudinem quandam, secundùm prudens judicium Confessarii, quem fecit arbitrum inter se, & peccatorem, ideò licet Sacerdos exerceat Diuinum judicium, non tamen exercet, nisi vt arbiter.

PETES *Suntne aliqua causa, ob quas leuior poenitentia est assignanda?*
RESPONDEO Esse multas. 1. Infirma poenitentis dispositio tam animi, quàm corporis. 2. Magnitudo contritionis, quæ poenam diminuit. 3. Indulgentia plenaria, tunc enim leuior est poenitentia assignanda. Ita Nauar. *cap. 25. num. 21. & alii.* Porrò morituris, saltem aliquis bonus motus imperetur: valde infirmo magna pœnitentia non est imponenda, sed inculcanda, vt si conualuerit illam impleat. *Ita Theologi in 4. dist. 20.*

A R.

ARTICVLVS III.

Vtrum conuenienter aßignantur opera satisfactoria illa tria, nimirum, jejunium, oratio & Eleemosyna?

Opera satisfactoria.

DICO 1. affirmatiuè. Patet quia satisfactio, prout est opus exteriùs, vel passio, distinguitur contra actum interiorem mentis, scilicet detestationem, vel passionem, nempe tristitiam sequentem, & contra actum oris scilicet confessionem, & passionem concomitantem; consistit in his tribus operibus, scilicet oratione, jejunio, & Eleemosyna, & in passionibus voluntariis, concomitantibus ista tria opera. Quod sic ostenditur, quia ad orationem reducitur, quidquid pertinet ad partem contemplatiuam, vt sunt Meditationes, scripturarum lectiones; studium Theologicum, verbi DEi auditiones, Disputationes, errorum impugnationes, &c. Ad jejunium reducuntur, omnia corporis maceratiua, ordinata ad reprimendam carnis rebellionem, vt sunt vigiliæ, disciplinæ, mortificationes, & quæcunq; corporis afflictiones. Ad Eleemosynam, reducuntur opera misericordiæ corporalis, propter DEum impensa, & quæcunq; erogationes bonorum temporalium, in pias causas. Porrò sufficientia istorum trium desumitur. Primò in ordine ad radices peccati, juxta illud *1. Joan. 2. Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ:* ideò concupiscentiæ carnis, correspondet jejenium, concupiscentiæ oculorum, Eleemosyna, & superbiæ vitæ, oratio; & hoc generaliter loquendò. Secundo desumitur sufficientia in ordine ad effectum, & hæc secundùm proprietatem; quia omne opus poenale satisfactorium, vel ordinat nos ad DEum, & sic est oratio; vel ad nos ipsos, & sic est jejunium, per quod corpus nostrum maceramus; vel ad proximum, & sic est Eleemosyna: juxta illud, ad Titum 2. *Sobriè, & justè, & piè vivamus.* sobriè ad nos ipsos, justè ad proximos, & piè ad DEum. Deniq;, potest sumi sufficientia istorum trium, ex parte bonorum nostrorum, tria enim bona habemus, juxta Aristotelem *1. Ethic. cap. 10.* bona fortunæ, bona corporis, & animæ. De bonis fortunæ satisfacimus per Eleemosynam, de bonis corporis per jejunium, de bonis animæ per orationem. Ergo conuenienter assignantur ista tria opera satisfactoria.

Sufficientia istorum triũ desumitur. Primò ex radice peccati. 2. in ordine ad effectum. 3. ex parte bonorum nostrorum.

Pœnitentia debet re-

DICO 2. In casibus particularibus, debet Sacerdos imponere poenitentiam, quæ peccato, quô poenitens peccauit, de congruo correspondeat

deat in particulari, V, G. luxurioso imponatur jejunium, superbo humiliationis actus, &c. &c. *spondere peccato.*

Notandum tamen est hic, quòd in his casibus, requiritur discretio Sacerdotis, vt non imponat alicui pœnam disconuenientem, V. G. infirmo, qui peccatum carnis commisit, non imponatur jejunium; sed imponatur ei aliqua, quæ sit ei possibilis: similiter pauperi non imponatur Eleemosyna, nec longa oratio, quia his vacare, non potest.

Opus assignatum debet esse bonũ & liberum.

Dico 3. Opus, quòd à Confessario imponitur, debet esse moraliter bonum, & liberum, non coactum. Ratio est, quia homo non satisfacit pro poena, nisi opus pœnale exhibeat bonum, & liberum. Ergo tale est injungendum poenitenti, à confessario in satisfactionem. Vnde D. Subtilis in definitione satisfactionis, quam retulimus. *q.* 1. *art.* 2. dicit, satisfactionem, esse operationem exteriorem laboriosam voluntariè assumptam. Ita Concilium Trident. *Sess.* 14. *cap.* 14 *& 18.*

Petes. *An per opera poenalia, quæ quis necessariò patitur possit satisfieri DEo pro peccatis?* Respondet D. Subt. affirmatiuè *in* 4. *dist.* 15. *q.* 1. §. *De secundo dico*, dicens, *vel est passio, seu poena voluntariè tolerata.* Ergo flagella quæcunq; sunt satisfactoria, si voluntariè tolerentur. Sequitur Nauar. *cap.* 3. *num.* 4. Suarez *disp.* 37. *sect.* 7.

Quæres I. *An per opera aliâs debita possit satisfactio fieri?* 1. opinio affirmat. Ita Soto *in* 4. *dist.* 19 *q.* 2. *a.* 1. Ledesma *q.* 14. *a.* 1. *dub* 5. Suarez *disp.* 37 *Sect.* 4. citans multos DD. Ratio est, quia opus quod habet augendi gratiam, habet etiam virtutem satisfaciendi pro pœna temporali. Sed opus præcepti auget gratiam, & est magis meritorium, quàm opus supererogationis. Ergo. Confirmatur. Eleemosyna, vel jejunium factum ex præcepto sunt magis meritoria, quàm extra præceptum. 2. opinio negat, est D. Subt. *in* 4. *dist.* 15. *q.* 1. Tribuitur S. Bonauenturæ ibidem *p.* 2. *a.* 1. *q.* 3. Sequitur Richardus, & antiquì Thomistæ, vt Capreolus & Paludanus. Et regulariter non debet per opus aliâs debitum impleri nisi aliquando infirmitas aliud suadeat pœnitentis.

Opera aliâs debita non debent imponi.

Dico itaq; opera satisfactoria, non debent imponi illa, quæ sunt aliâs præcepta; vel alio titulo debita. Probatur 1. Quia nemo potest eodem pretio satisfacere, duplici debito. Sed opus præcepti, est nobis debitum ratione præcepti, opus verò satisfactionis, est nobis debitum ratione peccati commissi, siue ratione justitiæ vindicatiuæ. Ergo per opus præcepti, non possumus satisfacere debito, ad quod tenemur ratione

justitiæ vindicatiuæ. Ergo per opus præcepti, non possumus satisfacere debito, ad quod tenemur ratione justitiæ vindicatiuæ. Major patet ex definitione satisfactionis: *Satisfacere enim est, reddere æquale debito*; non fieret autem æquale, si id quod redditur, esset aliâs debitum. V. G. si aliquis debeat alicui ratione mutui 10. florenos, & ratione emptionis 10. florenos, non potest satisfacere vtriq; debito, reddendo decem, sed debet reddere viginti, ita & in proposito. Probatur 2. Ista conditio in satisfactione, (*vt fiat ex aliàs indebito*) habet locum, non tantùm in debito justitiæ, V. G. quando diuersa præcepta, habent diuersas rationes, ob quas actum aliquem præcipiunt, sed etiam in debito aliarum virtutum; nam si quis est debitor ratione justitiæ centum, vt ratione emptionis, & eidem est debitor ratione gratitudinis, vel obedientiæ decem; si quis soluens Principi centum, ratione emptionis, non solueret debitum ratione gratitudinis, vel obedientiæ, ad quod etiam obligauit Princeps, quia hic non esset æqualitas, sed lucrum ex parte satisfacientis, & damnum ex parte creditoris, ita in proposito. 3. Satisfactio, est pars pœnitentiæ, quæ est debita, ratione virtutis justitiæ. Ergo illa non soluitur, per exhibitionem poenæ alio titulo debitæ, eidem justitiæ, quale est opus præcepti.

Ad Argumenta in oppositum per hanc distinctionem Respondeo, Aliud est quærere, An omne opus meritorium sit satisfactorium? aliud, an poenæ debitæ pro culpa, satisfieri possit per opus poenale præcepti? Primum rationes oppositæ concludunt; Secundum non probant; quia per opera præcepta aliâs, non fit satisfactio, pro pœna debita, ratione justitiæ vindicatiuæ, seu satisfactionis poenitentialis.

QVÆRES II. *An pœnitentia publica, possit imponi pœnitentibus?*

Pro occultis, non imponenda pœnitentia publica.

DICO 1. Pro peccatis occultis, non licet imponere poenitentiam publicam, hoc est talem, vt per eam posint alii venire in cognitionem peccati, aut conjicere illam poenitentiam à Confessario, propter graue aliquod peccatum esse impositam. Porrò in tribus casibus, licet assignare poenitentiam publicam. 1. Quando poenitentia est nota, sed poenitens ignotus, vt disciplinam facere, velato vultu in sacco. 2. Si pœnitentia imponatur, quæ solet sæpè sponte suscipi, vt est oratio, jejunium, &c. 3. Quando est talis poenitentia, quæ communiter, pro leuibus peccatis solet imponi, vt est tunsio pectoris, osculum terræ. Ratio est conclusionis, quia sic reuelaretur sigillum Sacramenti.

DICO

Dico 2. Pro peccatis publicis, licet imponere poenitentiam publicam juxta multos Doctores. Ratio est, quia ita expedit ad ædificationem Ecclesiæ, & satisfactionem, neq; tunc frangitur sigillum, quia procedit ex consensu poenitentis; vnde homicidæ, in die Coenæ Domini, publicè agunt poenitentiam. Tùm quia id expressè insinuat Tridentinum *Sess. 14. cap. 8.* etiam de interiori foro. *Publica pro publicis peccatis.*

Qvaeres III. *An satisfactio differat à restitutione?*

Respondeo Siue accipiatur satisfactio generaliter, siue specialiter, non est restitutio: Ita D. Subt: *in 4. dist. 15. q. 2. a. 4.* Primò quia satisfactio est actio, per quam compensatio fit injuriæ alicui personæ illatæ. Restitutio verò est actio, quâ res aliena domino proprio redditur. 2. Quia satisfactio est quid generaliùs: omnis enim restitutio est satisfactio, non è contra. 3. Quia satisfactio respicit personam, restitutio verò rem. 4. Quòd satisfactio non solùm homini, sed etiam Deo fit, eiq; præcipuè. Restitutio verò tantùm homini. 5. Quòd satisfactio est poenitentiæ pars, restitutio verò non, sed est præambulum.

SECTIO III.

De obligatione Pœnitentis, circa pœnitentiam recipiendam, vel receptam.

In hac Sectione examinabitur.

1. *An* pœnitens, teneatur pœnitentiam acceptare?
2. An pœnitens teneatur pœnitentiam acceptatam implere; & Quando?
3. An in statu gratiæ?
4. An per se, vel per alium, possit illam implere?

ARTICVLVS I.

Vtrum Pœnitentes teneantur, pœnitentiam acceptare?

Duæ sunt hac in re sententiæ. 1. Negat, quàm sequitur Medina, Gabriel, Sylu: Nauar: Armilla (tribuitur Doctori) qui omnes dicunt non teneri pœnitentem ad satisfactionem acceptandam, vel implendam, eò, quod nemo teneatur, in hac vita, pro pœna temporali satisfacere, sed possit hoc differe ad alteram vitam. Alia est opinio contraria multorum Theologorum.

Pœnitens debet acceptare pœnitentiam.

Dico 1. Pœnitens tenetur poenitentiam tolerabilem, & humanæ fragilitati accommodatam acceptare. Est communis. Constat ex Tridentino *Sess. 14. cap. 8.* Probatur 1. Quia Sacerdos tenetur pœnitentiam imponere. Ergo Pœnitens tenetur illam acceptare. 2. Quia poenitens tenetur parere Judici rectè judicanti, juxta illam conditionem Confessionis, vt *sit parere parata.* Sed judex est, & arbiter Confessarius, qui Pœnitentiam imponit. Ergo. 3. Sacerdos absoluit, tanquam Dei minister. Sed Devs sæpè illo modo absoluit à culpa, retinendo aliquam pœnam soluendam. Ergo & Sacerdos absoluens à culpa, potest obligare ad pœnam.

Dico 2. Opinio asserens, non teneri poenitentem, ad acceptandam poenitentiam, non est improbabilis, neq; contra fidem. Fauet D. *in 4. dist. 15. q. 1. Art. 2. num. 14. Et dist. 19. num. 27.* dicens, quòd poenitens, duobus modis potest se habere respectu Sacerdotis: nam, vel se submittere vult illi, quantùm ad omnia, scilicet quoad absolutionem à culpa, & à pœna totali; vel solùm, quoad absolutionem à culpâ, non autem quoad absolutionem à pœna totali; si hoc posteriori modo, inquit Doctor, non expedire talem repellere, sine absolutione à culpa. Probatur 1. Quia talis nolens acceptare pœnitentiam, supponitur esse sufficienter dispositus, & habere verum dolorem, & firmum propositum, non peccandi. Deinde habet voluntatem implendi pœnitentiam, sed non inflictam sibi ab hoc iudice. Ergo habet omnia requisita ad contritionem. Confirmatur. Isaiæ 42. dicitur *Arundinem quassatam, non confringet, & linum fumigans, non extinguet,* vbi per arundinem quassatam, & linum fumigans, peccator intelligitur. Probatur 2. Vnusquisq; potest renunciare juri suo. Sed quòd homo possit in hâc vita, per pœnalia opera, satisfacere pro peccatis suis, est priuilegium Diuinum, & opus magnæ misericordiæ in fauorem hominum concessum vt non affligantur, tam diris pœnis purgatorii. Ergo homo potest renunciare huic suo juri, & velle satisfacere in purgatorio. Hinc

Nota.

Nota.

Collige. Licet hæc opinio in secunda conclusione allata, non sit improbabilis, non est tamen de facili ponenda in vsu; quia difficile est inuenire aliquem, verè pœnitentem, qui, vel tantillum pœnitentiæ nolit acceptare. Vnde si quis nolit, Pater noster, recitare vel ter nomen Jesvs, non esset absoluendus, quia talis, non videtur esse benè dispositus.

Col-

Collige 2. Posse poenitentem, absq; mortali peccato, ante acceptam absolutionem à Confessario, ad alium recedere, si Confessarius nolit pœnitentiam mitigare; non enim in hac parte Confessario obedire tenetur, nisi quatenùs ab ipso intendit absolutionem acceptare.

Collige 3. Falsò Doctori Subtili imponitur, quòd ipse asseruerit, Sacerdotem non posse imponere pœnitentiam pœnitenti, cùm nullibi hoc dicat, sed solùm ait, pœnitentem non necessariò teneri, ad acceptandam pœnitentiam à Sacerdote sibi injunctam, & loquitur de poenitentia totali, & adæquata, vt colligitur ex locis paulò ante citatis. *Vindicatur D. à calumnijs.*

Dices 1. Sacerdotibus, integrum est commissum judicium de peccatis. Sed ad integrum judicium pertinet, impositio pœnitentiæ. Ergo &c.

Respondeo. Si hæc ratio esset vera, teneretur Sacerdos, semper imponere pœnitentiam adæquatam, cùm tamen ex rationabilibus causis, possit imponere non adæquatam, sed modicam, vt dictum est *S.* præcedenti. Dicimus ergo, teneri Sacerdotem, imponere pœnitentiam, & obligare ad illam pœnitentem, si pœnitens velit illam acceptare, sed si nolit, posset absolui.

Dices 2. Ita est præceptum de satisfactione, sicut & de Confessione. Sed ad confessionem peccator obligatur. Ergo & ad satisfactionem. Confirmatur 1. Quia Sacerdos, & pœnitens, tenentur integritatem Sacramenti facere. Sed satisfactio pertinet ad integritatem. Ergo. Minor patet, quia sicut Sacerdos tenetur ad pœnitentiam imponendam, propter integritatem Sacramenti, ita pœnitens ad acceptandam, propter eandem rationem: vnde in Jure *Capite statuimus de Maledicis* habetur, quòd blasphemo, qui noluerit poenitentiam acceptare, interdicatur ingressus Ecclesiæ. Ergo non acceptare poenitentiam, est peccatum mortale. Confirmatur 2. Concilia dicunt Florentinum, & Tridentinum, *Sess.* 14. *cap.* 8. In Sacerdotibus non solùm esse potestatem absoluendi, sed etiam ligandi. Ergo potest poenitens obligari ad satisfactionem. Confirmatur 3. Judex potest obligare reum ad poenitentiam sibi impositam, & Poenitens tenetur ei obedire, quia Confessio debet esse obediens. Confirmatur 4. Poenitentia non solùm est castigatio, sed etiam medicina pro cauendis peccatis in futurum. Ergo poenitens, potest obligari ad hanc medicinam, pro cauendis peccatis futuris.

Respondeo. Negando paritatem, quia ista sunt diuersa, Con-

 fessio,

fessio, & Satisfactio. Ad 1. Confirmationem. Nego Minorem loquendo de satisfactione in re, & vt injungitur à Sacerdote; alioquin moribundo, non posset dari absolutio à culpa, cùm pœnitentiam, non possit acceptare. Ad probationem Minoris Dico, teneri Sacerdotem imponere, si poenitens velit acceptare; Canon Juris citatus, loquitur de poenitentia publica, & in foro exteriori. Ad 2. Confirmationem Dico, Concilia loquuntur, Sacerdotes habere potestatem poenitentiam imponendi, non verò dicunt teneri poenitentes ad acceptandam poenitentiam, ista enim sunt diuersa. Ad 3. Confirmat: Dico Posse Judicem obligare reum ad poenitentiam, si reus velit eam acceptare, sed si velit ad supremum appellare Judicem, cum sua poenitentia, non potest eum inferior Judex impedire. Porrò conditio illa Confessionis (*Obediens*) intelligitur, postquam pœnitens poenitentiam acceptauit, tenetur illam implere. Ad 4. Confirmationem Dico, quòd medicinalem tenetur acceptare, non medicinalem verò non obligatur, si velit ad supremum judicem appellare.

Concilia non dicunt teneri pœnitentem acceptare.

ARTICVLVS II.

An pœnitens teneatur pœnitentiam acceptatam implere, & Quando?

Peccat mortaliter pœnitens acceptando, & non implendo.

Dico 1. Pœnitens peccat mortaliter, non adimplendo pœnitentiam acceptatam grauem; siue grauis illa fuerit injuncta pro mortalibus, aliàs non confessis, siue pro mortalibus aliàs confessis: siue etiam pro venialibus. Est ferè communis, excepto Cajetano, sed in hoc grauiter notatur ab aliquibus, quia putant hoc esse de fide. Ratio est conclusionis, quia faciens in re graui, contra obligationem, peccat mortaliter. Tùm quia hoc spectat ad justitiam, & religionem. Ergo omittens peccat mortaliter. Dixi (pro peccatis mortalibus aliàs confessis, & venialibus) quia, si & pro talibus peccatis, rationabili de causa, assignatur pœnitentia, & pœnitens illam acceptat, tenetur illam implere, non tamen Sacerdos debet, pro præfatis peccatis grauem pœnitentiam assignare.

Leuis assignata non obligat sub mortali.

Dico 2. Qui non adimplet pœnitentiam leuem, non peccat mortaliter, etiamsi pœnitentia injuncta fuerit pro mortalibus. Ratio est quia sicut in aliis leuitas materiæ, ita & hic excusat, V. G. tria, vel vnum Pater noster, &c. Hinc

Collige. Probabilis est sententia Medinæ, asserentis, pœnitentem

tem non peccare mortaliter, omittendo grauem pœnitentiam, quam Sacerdos injunxit solùm sub veniali implendam: longè tamen probabiliùs est, non posse poenitentiam grauem injungere, sub veniali implendam: non enim in potestate Confessarii est, actionem suam coarctare prout voluerit, sed juxta institutionem Sacramenti.

Quantùm ad tempus pœnitentiæ implendæ? DICO I. Quando Confessarius determinat tempus implendæ poenitentiæ, intra illud debet impleri; non tamen peccabit poenitens mortaliter, si differat in aliud tempus; imò nec venialiter, modo adsit rationabilis causa dilationis. Ratio est, quia præceptum cadit directè, & per se in substantiam operis, in tempus verò, tanquam in circumstantiam accidentalem. Ergo mutare illud tempus præscriptum, impletionem poenitentiæ nonnihil differendo, modo non adsit nimia dilatio, non est peccatum mortale, quia est leuitas materiæ. *Determinato tempore est implenda.*

DICO 2. Si poenitens intra tempus præfixum, poenitentiam non adimpleuit, tenetur adhuc elapso eo tempore poenitentiam adimplere. Ratio est, quia tempus non fuit præfixum ad finiendam obligationem, sed ad solicitandam, & non ad differendam absq; justa causa. Ergo transacto præscripto tempore, adhuc in poenitente perseuerat eadem obligatio ad satisfactionem DEO, pro poenis debitis. Inde *Non impleta determinato tempore debet tamen statim post impleri.*

COLLIGE. Potest fieri aliquando, vt poenitentia alligetur tempori, & terminus justa de causa apponatur, ad finiendam obligationem. V. G. Confessio qualibet hebdomada, vel jejunium tali, vel tali die.

DICO 3. Quando Sacerdos nullum certum tempus præfixit poenitentiæ, censendus est præcepisse vt poenitentia prima commoditate fiat. Ratio est, quia hæc censetur rationabilis voluntas confessarii, vt poenitens quam primùm satisfaciat DEO. Hinc

COLLIGE. Si poenitens poenitentiam grauem, & valdè diu differat, mortaliter peccabit: quia facit contra intentionem Confessarii & finem Sacramenti: quanta autem dilatio requiratur ad peccatum mortale, judicio prudentis ex circumstantiis, judicandum est. *Ita communiter DD.* *Diu differre non licet.*

DICO 4. Non tenetur poenitens implere poenitentiam, ante obtentam absolutionem, quando poenitentia est vindicatiua, nulla enim cogit necessitas ex parte poenitentis, quia debet credere poenitenti, quòd illam implebit: secùs est judicandum de poenitentia medicinali, quia hac in re tenetur Confessario obedire, quando ita ipse judicauit ad ipsius bonum expedire.

QVÆ-

Oblitus pœnitentiæ quid facturus.

QVÆRES I. *Quid sit faciendum ei, qui oblitus est pœnitentiæ sibi injunctæ in Confessione?* Respondent aliqui vt Richardus, *in 4. D. 17. a. 2. q. 8.* Syluester *Verbo Confessio 6. q. 3* teneri secundò eadem peccata confiteri, vt aliam poenitentiam pro illis accipiat; sed opposita sententia, est communior & verior, quæ est Nauarri *cap. 9. num. 17.* Soto *dist. 20.* Roderici *tom. 1. cap. 56. num. 8.*

Oblitus pœnitentiæ, non tenetur peccata secundò confiteri.

DICO I. Oblitus suæ poenitentiæ, non tenetur secundò eadem peccata confiteri ob nouæ poenitentiæ impositionem. Ratio est, Tùm quia prior confessio, & absolutio fuit valida, remisitq; culpam, & poenam æternam, sine vlla dependentia, à futura satisfactione. Ergo etsi satisfactio postea non impleatur, tamen nulla erit obligatio, iterum confitendi. Tùm quia illa repetitio Confessionis, non est necessaria ad remissionem poenæ temporalis, quia hæc alia ratione etiam in hac vita obtineri potest, per aliàs spontaneas satisfactiones; & poenitens absolutè, non tenetur, pro ea in hac vita satisfacere, vt dictum est; optimè tamen faceret, si præcipua peccata confiteretur.

Nota

DICO 2. Si per negligentiam crassam, & dilationem nimiam, oblitus est aliquis pœnitentiæ sibi impositæ, ne tunc quidem tenetur iterare Confessionem, sed satis erit, vt peccatum illud negligentiæ, & dilationis confiteatur, vnâ cum aliis postea commissis. Ratio eadem est, quæ & prioris Conclusionis. Securiùs aliqui judicant, vt grauiora repetantur, vt Sacramentum sit perfectum, & integrum. Inde,

COLLIGE. Si obliuio statim accidat, post datam poenitentiam, & crederet Sacerdotem esse ejus memorem, teneretur, si posset, ab eo petere, quid injunxisset, præsertim quando poenitentia est grauis.

QVAERES 2. *An pœnitens, possit injunctæ sibi pœnitentiæ, satisfacere per susceptionem indulgentiæ plenariæ?*

Per susceptionem Indulgentiæ satisfacit pœnitentiæ.

RESPONDEO. Posse, modo reipsa suscipiat indulgentiam, respondentem satisfactioni pro pœnis, debitæ, Ratio est, quia poenitens per susceptionem indulgentiæ plenariæ, satisfacit pro peccatis, vt constabit ex definitione Indulgentiæ plenariæ *Disp. 9.* Ergo poenitens non tenetur ampliùs satisfactionem sibi injunctam adimplere: sicut enim debitor, non tenetur creditori soluere debitum, quod sibi condonatum, & remissum est, à Creditore, ita neq; poenitens, tenetur DEO satisfacere pro poena aliàs debita, cujus remissionem obtinuit per indulgentias. Hinc

COL-

Collige. Hoc dictum, est verum in pœnitentia vindicatiua, non verò quæ datur in remedium, & præseruationem à peccatis, quia indulgentia, non ita præseruat à peccatis, sicut opera pœnalia. Addo, rarò omittendas pœnitentias etiam vindicatiuas, ob susceptionem Indulgentiarum, quia id integritas Sacramenti videtur exigere, & majus meritum expoſcere, vt pœnitentia assignata adimpleatur.

ARTICVLVS III.

An pœnitens teneatur implere pœnitentiam, in statu gratiæ?

In hac difficultate, sunt duæ graues opiniones. 1. asserit quod existens in peccato mortali, impleat quidem præceptum de integritate Sacramenti, & satisfacit præcepto Sacerdotis, non tamen satisfacit pro pœna temporali, coram Deo: ita S. Thomas *in 4. dist. 15. q. 1. a. 5.* Sanctus Bonauentura. Richardus eadem Distinctione: communis ferè Thomistarum, sequitur Suarez *disp. 37. sectione 2. & multi alij.* 2. opinio est D. Subtilis *in 4. dist. 15. q. 1. a. 4. §. De Quarto dicitur* asserens, non solùm satisfacere integritati Sacramenti, & præcepto Sacerdotis, sed etiam obligationi pro pœna temporali, coram Deo. Sequuntur omnes sui discipuli. & Major *ibidem q. 1.* Gabriel *Dist. 16. q. 2. a. 3. dub. 3.* Medina *Tract. 3. q. 5. Dubio vltimo.* Nauarrus, maximè *in Manuali capite 3.* vbi multas rationes adducit post Tridentinum Concilium. Angelus *verbo Pœnitentia num. 14.* *Duplex opinio.*

Dico 1. Per pœnitentiam expletam in peccato mortali, satisfit & integritati Sacramenti, & præcepto Sacerdotis, & soluitur pœna temporalis. Probatur 1. Quando aliquis soluit, quantùm debet, satisfacit, siue sit amicus, siue inimicus. Sed peccator existendo in peccato mortali satisfacit, & soluit, quantum debet. Ergo satisfacit. 2. Probatur opposita opinio, præbet occasionem peccatoribus, majoris obstinationis; quòd repugnat Diuinæ bonitati, & misericordiæ, cujus viæ, ducunt ad bonum, non ad malum. Sequela Majoris exemplificatur, V. G. Petrus hodie suscipiat, pro pœnitentia jejunium trium dierum, cras recidiuet in peccatum mortale, & de illo non pœnitens, secundo die jejunat, quia sibi fuit impositum, quæro, an jejunium secundæ diei sit aliqua satisfactio, an non? si sic? habeo intentum; si non Ergo est occasio inducendi Petrum ad non jejunandum tertio die, & sic ad nouum peccatum, *Soluitur pœna temporalis extra statum gratiæ.*

non adimplendi poenitentiam injunctam, & acceptatam. Quòd autem asserendo jejunium illud secundæ diei, non esse satisfactorium, sit occasio inducendi Petrum, ad non jejunandum tertia die. Probatur, quia non alio fine jejunat, nisi vt eo satisfaciat, pro poena temporali suorum peccatorum, cognito autem hoc fine frustraneo, (quia juxta oppositam sententiam, opus illud poenale jejunii, nihil valet,) cessat occasio jejunandi, & accedit occasio transgrediendi præceptum dictum, & consequenter faciendi peccatum nouum, vt dictum est. Probatur 3. vel opus satisfactorium, factum in peccato mortali, est opus bonum, & dignum acceptatione Diuinâ, vel non. Si neges: Ergo quis, faciendo opus poenale, ex suo genere bonum, & dignum acceptatione Diuinâ, V. G jejunando, faciet peccatum, quod est impium: vel faciet opus indifferens, & nullius valoris; & hoc non, quia actus ille satisfactionis, est actus obedientiæ virtutis, facit enim opus illud jejunii, in quantùm illud est sibi impositum, tanquam pars satisfactionis: actus verò virtutis obedientiæ, est laudabilis, & ex suo genere bonus, & dignus acceptatione. Ergo est satisfactorius. 4. Quod DEVS semel condonauit, non retractat. Ergo pœna illa temporalis, pro peccato imposita, potest secundùm justitiam tolli, & solui per opus pœnale factum in peccato. 5. Cum quis exigit ab aliquo, pœnam aliquam debitam, si ille soluat pœnam illam debitam, siue sit amicus, siue inimicus, satisfacit.

DICES 1. Nulla remissio, nec culpæ, nec pœnæ, fieri potest, nisi in virtute passionis Christi Domini, quia ipse nos à culpa, & à pœnâ liberauit. Sed peccatori existenti in mortali, non applicatur passio Saluatoris Ergo non potest satisfacere.

Peccator soluit virtute gratiæ præteritæ.

RESPONDEO. Nego Minorem, soluit enim virtute passionis Christi Domini, & virtute gratiæ ejus satisfacit, quæ aderat, quandò ei culpa dimissa fuit; virtute enim gratiæ, tunc justificantis peccatorem, acceptata fuit pœna temporalis soluenda, ideò in quocunq; statu illa soluatur, sufficit.

DICES 2. Tridentinum *Sess. 14. cap. 8. & Can. 13.* definit satisfactionem hanc, non esse opus nostrarum virium, sed esse opus gratiæ datæ per Christum Jesum, à quo omnis nostra est sufficientia. Cùm igitur satisfactio, sit fructus gratiæ Christi Domini. Ergo opera satisfactoria debent esse opera facta in gratia.

Mens Concilii.

RESPONDEO. Concilium ibi loquitur de auxilio gratiæ necessario

rio nobis ad eliciendum opera bona, quod negabant Pelagiani, non de gratia gratum faciente, de quâ nunc loquimur, & hoc verum esse patet ex textu, refutat enim temeritatem hæreticorum modernorum, qui dicunt has satisfactiones, tollere meritum Christi Domini.

Satisfactio in peccatò mortali non est reconcilians.

Dico 2. Hæc satisfactio, est tantùm secundùm quid. Patet, quia non est placans, neq; reconcilians, & per illam soluit quidem pœnam, sed non meretur? Has conclusiones, vt clariùs elucidet, D. Subtilis loco citato, ponit tria dicta. 1. Si quis impleat satisfactionem, sibi ab Ecclesia impositam, claue non errante in charitate, meliùs facit, quia non tantùm soluit pœnam, sed etiam meretur. 2. Si eam adimpleat extra charitatem, soluit quidem pœnam, sed non meretur gratiam, neq; gloriam. 3. Si pœna, & satisfactio, exigitur ab eo extra charitatem, soluitur pœna, licet ipse non soluat, & vltra hanc, non exigitur pœna vlterior, & hanc appellat satispassionem.

Nota dicta Doct. Subt.

Collige ex 2. Dicto Doctoris Subt. Si quis magnam partem satisfactionis sibi impositæ, impleuit in peccato mortali, & post iterum pœnitet de peccato nouo, non est sibi iteratò pœnitentia imponenda pro peccato de quo satisfecit, licet extra charitatem, sed tantum de nouis peccatis.

Dices. Opera nostra, nullius sunt valoris extra gratiam Dei, apud Deum, juxta illud Prouerb. 15. *Victimæ impiorum abominabiles Domino, vota justorum placabilia.* Ergo vt habeant valorem, necesse est, quòd illum, accipiant à gratia Dei.

Opera facta extra gratiam sunt satisfactoria.

Respondeo. Nego opera facta extra gratiam, esse vllius valoris, licet non sint meritoria, benè tamen satisfactoria. Ad authoritatem Prouerbiorum dico, *victimas impiorum esse abominabiles DEO*, id est, non acceptas, nec meritorias vitæ æternæ.

Dices 2. Si peccator, posset facere extra gratiam pro poenis debitis, vel illa satisfactio esset de condigno, vel de congruo. Non 1. Quia sicut nullus potest de condigno, sine gratia mereri, ita nec satisfacere. Non 2. Quia lex generalis est, vt quòd sine charitate fit, nihil fit. Respondeo Esse satisfactionem de condigno, quia innititur gratiæ gratum facienti, non præsenti, dum satisfacit, sed præteritæ, quâ ei fuit remissa culpa, cui talis poena debebatur.

Collige. Juxta doctrinam D. S. An bona opera, facta in peccato mortali, aduenìente gratiâ, reuiuiscant quoad effectum satisfaciendi ex

ex opere operantis, nullum est dubium, quia supponit non fuisse mortificata.

QVÆRES *An satisfactio, habeat aliquem effectum ex opere operato?*

Satisfactio habet effectum in opere operato.

DICO I. Habet. Ratio est, quia si satisfactio Sacramentalis, nullum effectum haberet virtute clauium, & ex speciali applicatione passionis, Christi Domini, non esset majoris virtutis, & efficaciæ, quàm satisfactio non Sacramentalis, quod est absurdum, frustra enim esset instituta à Christo Domino.

Satisfactio habet effectum in absolutione.

DICO 2. Satisfactio habet hunc effectum, cùm Sacerdos absoluit pœnitentem. Ratio est, quia cùm pœnitens est rectè dispositus, sacerdos remittit illi virtute clauium, non solùm culpam, & pœnam æternam, sed etiam aliquid pœnæ temporalis, & hoc semper verum est, siue Sacerdos assignat pœnam adæquatam, siue inadæquatam, aliâs impotens absoluere adæquat[illegible]m, careret hoc beneficio.

Satisfactio non confert gratiam habitualem ex opere operato.

DICO [illegible]. Satisfactio, non confert gratiam habitualem ex opere operato, confert tamen augmentum gratiæ habitualis; confert etiam remissionem pœnæ temporalis; confert etiam auxilium aliquód præseruans, seu adjuuans ad fugienda peccata.

QVÆRE II. *Vtrum opera satisfactoria, quæ procedunt ex meliori, & feruentiori a[illegible]u, sint magis satisfactoria?*

Opus quadruplex exterius.

NOTA. In operibus satisfactoriis, quadruplex est opus exterius, nempe liberale, pœnitentiale, Indulgentiale, & Suffragale. Liberale, quod quis facit, ex propria voluntate. Pœnitentiale opus, quod injungitur à Sacerdote. Indulgentiale cui ex concessione Prælati, annexa est aliqua indulgentia, V. G. visitare aliquam Ecclesiam, &c. Suffragale opus est, quod facit vnus, pro alio. Porrò opus exterius, procedit ex interiori, opus autem interius, potest esse æquale, vel inæquale, in diuersis, procedens ex majori, minori, vel æquali feruore charitatis.

DICO I. Si opus interius, sit in diuersis æquale, & opus exterius in singulis est liberale, opus exterius, est æqualiter meritorium; & idem judicium esto, si opus exterius æquale in singulis, est pœnitentiale, vel indulgentiale. Si verò opus interius in diuersis sit æquale, sed opus exterius, in vno pœnitentiale, in alio verò indulgentiale, vel liberale, magis meretur opus pœnitentiale, quàm liberale, vel suffragale, ratione clauium.

DICO 2. Si opus interius sit inæquale in pluribus, & opus exterius, in vno sit pœnitentiale, in alio indulgentiale, in tertio suffragale, in quarto li-

to liberale, semper plus meretur operans intensiori conatu, & charitatis feruore, non tamen magis satisfacit, nam non attenditur valor satisfactionis, nisi ex opere operato, id est, ex opere, exteriori. Ergo vbi est opus exterius æquale, hujusmodi opera, æqualiter sunt satisfactoria supposito quòd fiant propter bonum finem. *Opus ex majori charitate magis satisfactorium.*

ARTICVLVS. IV.

An pœnitens teneatur per se pœnitentiam adimplere, vel an possit id per alium præstare?

NOTA. Præsens difficultas duobus modis intelligi potest. 1. An pœnitens sine consensu Confessarii, possit per alium poenitentiam implere. 2. an saltem ex consensu Confessarii, id sit licitum, & validum?

DICO 1. Sine Confessarii voluntate, non potest pœnitens, per alium implere pœnitentiam. Ratio est, Tùm quia hæc satisfactio, imponitur virtute clauium à Sacerdote pœnitenti. Ergo obligatur ad illam personaliter, cùm sit obligatio personalis, quæ adimplenda est per seipsum. Tùm quia pœnitens adimplere debet, quod sibi præceptum est à Confessario. Sed pœnitenti, præceptum est à Confessario, vt pœnitentiam per seipsum impleat. Ergo.

Aduerte. Si Confessarius injungat pœnitenti aliquod opus sub disjunctione, vt vel per se, vel per alium absoluat, pœnitens satisfacit, faciendo vt alter præstet opus præscriptum; ita enim adimplet præceptum Confessarii. Ita Bonacina. *de pœnit. d. 5. q. 5. Sect. 3. puncto 4. num. 12.*

DICO 2. Non potest per alium impleri pœnitentia medicinalis; potest verò satisfactoria, seu vindicatiua ex rationabili causa, cum consensu Confessarii. Ita Suarez *disp. 38. sect. 9.* Henriquez *lib. 5. cap. 20. num. 7.* Bonacina *loco citato num. 14.* Dixi (non potest medicinalis) quia, vt inquit Sanctus Bonauentura *in 4. dist. 20. p. 2. a. 1. q. 1. Morbus, non recipit purgationem, & curam, ex purgatione aliena*, non enim exstinguitur in te concupiscentia, si alius pro te jejunet, vel disciplinam faciat. Dixi (potest verò satisfactoria, seu vindicatiua) quia potest vnus soluere pro alio pœnam, nam omnes fideles glutino charitatis fiunt vnum, & sic vnus pro alio potest satisfacere. vnde ad Galath. 6. dicitur. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Sed satisfactio est onus. Ergo & de illo quoq; potest intelligi dictum Apostoli.

Dixi (ex rationabili causa) nam istæ causæ in hoc passu sunt obseruandæ. 1. Quòd poenitens non possit per se satisfacere, quia infirmus est. 2, vt ille qui pro alio satisfacere vult, sit dignior, id est, sanctior. 3. vt hæc commutatio fiat justè, debet commutari in majorem, quàm sit poenitentia imposita poenitenti, quia plus facit poenirentia in Persona propria, quàm in aliena, quia est magis voluntaria, ideò, qui pro alio satisfacere vult, majorem poenitentiam subire debet. & Sacerdos tenetur illi majorem imponere. Porrò non debet Confessarius sine justa, & necessaria causa, talem modum satisfaciendi imponere: quia non est in vsu in Ecclesia, neq; est conueniens Sacramento poenitentiæ, quod mortificationem ipsius poenitentis requirit.

Quæ causæ sint, vnus pro alio satisfacere potest.

Cautio.

Dico 3. Certum est per modum instrumenti, posse impleri poenitentiam operâ alterius, V. G. Eleemosyna potest dari per famulum, vel potest aliquis permittere se castigari ab alio. Ratio est, quia tunc Eleemosyna, vel flagellatio, fit virtute, vel voluntate Causæ principalis, nisi forte Confessarius imponeret Eleemosynam propriâ manu distribuendam, propter ædificationem aliorum.

Potest impleri pœnitentia per modum instrumenti per alium.

SECTIO IV.

De Potestate Confessarii circa commutationem Pœnitentiæ.

Mutatio pœnitentiæ fit dupliciter.

Nota Mutatio, vel ablatio pœnitentiæ impositæ duobus modis fieri potest.

1. Per interpretationem, quòd prior pœnitentia non teneat, & clauis errauerit, in ipsa imponenda; vel quòd pœnitens factus est impotens ad illam pœnitentiam faciendam; vel quòd actus non est conueniens, nec possibilis moraliter.
2. Per solutionem illius obligationis, licet illa obligatio teneat, & duret.

Claritatis gratia, præsens Sectio partitur in 4. Quæsita.

In 1. Resoluetur, An Confessarius Pœnitentiam à se impositam possit commutare?

In 2. Vtrum Sacerdos par, possit ab altero pari impositam pœnitentiam commutare?

In 3. Vtrum superior possit immutare pœnitentiam, ab inferiore impositam?

In 4. Vtrum inferior possit commutare pœnitentiam, per superiorem impositam?

Quæres I. *An Confessarius pœnitentiam à se impositam possit commutare?*

Dico

Dico I. Potest Confessarius, ex vi ejusdem Confessionis mutare, vel tollere poenitentiam, à se impositam, modo poenitens ad eum recurrat, intra adeò breue tempus, vt & ille peccatorum meminerit, & moraliter possit idem judicium existimari. Ratio est, quia sæpè ita expedire potest ad bonum animarum, & quia hæc res pensanda est moraliter, juxta prudens judicium.

Dico 2. Licitè potest Confessarius mutare, vel tollere poenitentiam, in vna Confessione à se impositam, si poenitens eadem peccata confiteatur. Ratio est, quia judicium licet circa idem peccatum iterare. Ergo & poenitentiam nouam imponere.

Dico 3. Nullo modo potest licitè, aut validè, idem Confessarius, poenitentiam à se datam, Sacramentaliter tollere, vel commutare, extra Sacramentum: in Confessione verò potest, dummodò poenitens ad Confessarium recurrat, intra tempus adeò breue, vt moraliter existimari possit, Sacerdotem omnia peccata memoria rectè retinere.

Extra Sacramentum Confessarius non potest.

Qværes II. *An Sacerdos par possit ab altero pari, pœnitentiam impositam commutare?*

Dico 1. Non potest vllo modo extra Confessionem, vnus Sacerdos tollere, vel commutare pœnitentiam Sacramentalem, sacramentaliter ab alio Sacerdote æquali sibi impositam. Ratio est, quia potestas clauium Sacerdotalium, est tantùm Sacramentalis. Ita Syluest. *Verbo Confessio, q. 27.* Bonacina *de pœnitentia disp. 5. q. 5. Sect. 3 punct. 4.*

Dico 2. Potest Sacerdos, auditâ eorundem peccatorum Confessione, mutare poenitentiam, quam alius par imposuerat. Est Syluestri *Verbo Confessio 1. q. 27.* Angeli *verbo Confessio 6. num 4.* Nauar. *in Manuali cap. 26, num. 21.* sequitur Suarez. *Disp. 38. Sect. 5. num 3.* citans multos alios. Probatur, quia potestas clauium, data est in fauorem poenitentium, ideò potest sæpiùs de eadem causa judicari, & à diuersis; & abjecto priori judicio, potest stare secundo. neq; fit vlla injuria priori Sacerdoti: quia ex illa antecessione judicij, nullum acquirit jus ille Sacerdos prior, sed poenitens manet in sua libertate, sicut priùs, vt alium adire possit, & nouum judicium expetere in sua causa.

Collige Licita est commutatio poenitentiæ etiam in multò leviorem, vbi necessitas, & vtilitas proximi postulat, vel impotentia poenitentis.

Qværes III. *An superior possit commutare pœnitentiam ab inferiore impositam.*

Re-

Superior potest.

RESPONDEO affirmatiuè, intra, non extra Sacramentum. Ratio est; Tum quia impositio pœnitentiæ Sacramentalis vt pars integralis, pertinet ad sententiam Tribunalis Sacramentalis, ideoq; neq; imponi, neq: immutari potest, nisi in ipso Tribunali, aliàs inualidè imponitur, & inualidè immutatur. Tum quia si Sacerdos æqualis, potest pœnitentiam commutare, ab æquali impositam, multò magis de superiore id est dicendum; & licet quoad potestatem Ordinis sint æquales, tamen superior excedit inferiorem potestate Jurisdictionis, quæ maximè valet ad dimittendam satisfactionem debitam.

Aduerte hîc esse dubium inter DD: An Confessarius possit commutare pœnitentiam ab alio impositam, non auditâ confessione eorum peccatorum, pro quibus imposita fuit: quia omnis actus judicialis supponere debet cognitionem Causæ, circa quam versatur. Ita *Suarez disp. 38. sect. 10. num. 8.* Affirmant alii, quod verum puto, si peccata grauiora aliqua intiment pœnitentes: aliàs non suaderem, juxta rationes supra citatas.

QVÆRES IV. *An inferior poßit commutare pœnitentiam à superiore impositam?*

Inferior potest.

RESPONDEO Si pro peccatis communibus à superiore pœnitentia, est iniuncta nullum est dubium, quin inferior possit commutare in foro Sacramentali. Dubium autem est inter DD. An scilicet, Confessarius commutare possit pœnitentiam impositam pro reseruatis, si ipse non habeat jurisdictionem, absoluendi reseruata. Negat Suarez *vbi supra.* Affirmat Vasquez *tom. 4. q. 94. art. 2. d. 3. n. 9.* cujus sententiam multi recentiores dicunt esse probabiliorem. Ratio est, quia sicut per absolutionem peccata non ampliùs manent reseruata, ita nec pœnitentia pro illis imposita, manet reseruata. Tum quia superior præsumitur rationabiliter velle, quod expedit saluti poenitentis.

Per indulgentias remittitur pænitentia.

COLLIGE Per indulgentias remittitur poenitentia injuncta, in quantùm est satisfactoria, non inquantum est medicina. Ratio est, quia indulgentiæ non dantur in destructionem, sed in ædificationem animarum; tollere autem remedium, seu medicinam curatiuam animæ, esset magnum detrimentum animarum. Vnde intentio concedentis indulgentias, non est eas tollere, in quantùm sunt medicinæ, neq; ad hoc habet potestatem, sed solùm inquantùm sunt vindicatiuæ. Hinc sequitur, quòd cùm poenitentiæ, quæ modo injunguntur, sint valde tenues,

& vix

& vix sufficiant pro medicina, per susceptionem indulgentiarum, non licere illas omittere.

PETES *Vtrum pœnitens possit propriâ auctoritate, pœnitentiam in æquale opus, aut in meliùs commutare?*

RESPONDEO. Negatiuè. Ratio est. Tùm quia sicut præcepto jejunii, non satisfacit, qui aliquod aliud opus exhibet, ita non satisfacit præcepto poenitentiæ, qui propriâ auctoritate, aliquid aliud præstat. Tùm quia, commutatio pœnitentiæ, est actio Sacramentalis, & est actus jurisdictionis, qui fit à Confessario, tanquam à Superiore: Pœnitens autem, non potest in se actionem jurisdictionis Sacramentalis exercere, cùm nullus sit sibi superior. *Pœnitens non potest authoritate propriâ commutare poenitentiam.*

DICES. Votum, potest auctoritate propriâ, in opus æquale, aut melius, commutari. Ergo etiam poenitens, potest commutare poenitentiam, in opus æquale, vel in melius. RESPONDEO. Nego Consequentiam. Ratio Disparitatis est. Tùm quia commutatio voti in melius, non semper est actus veræ jurisdictionis, sicut est commutatio poenitentiæ. Tùm quia sicut vouens suâ voluntate se obstrinxit, & obligauit, ita etiam potest obligationem in opus æquale, vel in melius commutare. Tùm quia in voto id attenditur, quod magis vergit in honorem DEI, in pœnitentia verò, non solùm id spectatur, verumetiam quod magis conducit poenitenti, juxta prudentis Confessarii judicium. Hinc

COLLIGE. Facta commutatione poenitentiæ, liberum est poenitenti eligere, quam poenitentiam voluerit, siue primam, siue secundam: commutatio enim poenitentiæ, fit in fauorem poenitentis, poenitens autem cedere potest juri, & fauori suo.

QVÆSTIO VII.

De Effectibus Sacramenti Pænitentiæ.

SAcramentum Pœnitentiæ hos effectus parit. Primò remittit peccata. Secundò remittit pœnam debitam peccatis. Tertiò confert irreuocabilitatem peccatorum. Quartò recuperat gratiam, virtutes amissas, & merita.

SECTIO I.

De effectu Sacramenti Pœnitentiæ circa remissionem peccatorum.

In hac Sectione hæc quæ sequuntur examinabuntur.

1. Vtrum per Sacramentum Pœnitentiæ, remittatur culpa mortalis, & venialis?
2. Vtrum per Sacramentalia remittantur venialia?
3. Vtrum pœnitentiæ actus, sit prior infusione gratiæ?
4. An infusio gratiæ, & remissio culpæ, sit vna mutatio, vel duæ?
5. Vtrum prior sit expulsio culpæ, vel infusio gratiæ?
6. An peccatum de potentia Dei absoluta, possit remitti absq; infusione gratiæ?
7. Quid sit Justificatio, & quænam sint causæ Justificationis nostræ?
8. Vtrum Pœnitentia, facta in extremis, valeat?
9. Vtrum post hanc vitam, possit peccatum dimitti quoad culpam?

ARTICVLVS I.

Vtrum per Sacramentum pœnitentiæ remittantur peccata mortalia, & venialia; & infundatur gratia?

Pœnitentia delet mortalia. DICO 1. Sacramentum delet, & remittit peccata mortalia. Probatur 1. ex Sacris literis. Joannis 20. dicitur. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* quæ verba intelliguntur in propriâ significatione, cùm nullum inde sequatur inconueniens. Matth 18. dicitur *Quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Probatur Ex Conciliis. In Florentino dicitur, *absolutionem à peccatis, esse effectum hujus Sacramenti.* Et in Tridentino *Sessione* 14. *cap. 3.* habetur, effectum hujus Sacramenti, esse reconciliationem cum DEO. Sed reconciliatio cum DEO, fit per absolutionem peccatorum, cùm homo quamdiù in statu peccati mortalis existit, sit inimicus DEI. Ergo effectus hujus Sacramenti, est absolutio peccatorum. Præterea idem Concilium dicit, pœnam æternam, vnà cum culpa remitti, per Sacramentum Pœnitentiæ, vel Sacrementi votum. Probatur 3. De fide est, omnia Sacramenta nouæ legis, conferre gratiam habitualem, gratia autem habitualis, incompossibilis est, cum omni peccato mortali, & delet omnia peccata mortalia, (*de potentia DEI ordinaria*) nisi ponatur obex; nam homo per gratiam, constituitur amicus DEI, & hæres gloriæ cœlestis: peccatum verò mortale, efficit hominem DEO inimicum, & reum pœnæ æternæ. Ergo cùm gratia confertur, peccatum mortale remittitur.

DICO

Dico 2. Pœnitentia, est sufficiens ad delenda peccata, toties, quoties homo paccauerit, si peccatori applicetur pœnitentia, post peccatum. Patet ex rationibus allatis pro prima Conclusione. Tùm quia Matth. 18. dicitur, *Non dico tibi septies, sed vsq; septuagies septies.* Tùm quia quotiescunq; pœnitentia applicatur, non est minoris virtutis, & efficaciæ vltima vice, quàm antea. *Pænitentiæ non est terminus.*

Dico 3. Sacramentum Pœnitentiæ, non potest vnum peccatum mortale remittere, sine alio. Patet ex Tridentino Concilio *Sess. 6. c. 7.* & *Sess 5. can. 5.* Ratio est, quia peccator, non justificatur sine receptione gratiæ habitualis, gratia autem habitualis, de potentiâ Dei ordinariâ, non est compossibilis cum peccato mortali; primarius verò effectus gratiæ est, facere amicum Dei, filium Dei & hæredem regni cœlestis. Ergo non potest remitti vnum peccatum mortale, absq; alio, alioquin, posset aliquis esse amicus Dei, & ejus inimicus, filius Dei, & filius diaboli; quæ sunt absurda. *Vnum mortale non potest dimitti sine alio.*

Dico 4. Sacramentum Pœnitentiæ, confert gratiam habitualem Patet quia omnia Sacramenta conferunt gratiam. Sed Sacramentum pœnitentiæ est verum Sacramentum, vt probatum est disputatione tertia. Ergo Sacramentum pænitentiæ, confert gratiam. Hinc

Collige. Sicut Lazarus, qui est typus pœnitentis, priùs à Christo Domino fuit viuificatus, deinde traditus Apostolis soluendus, ita pœnitens priùs â Deo per gratiam excitantem viuificatur, deinde formaliter, & perfectè à Sacerdote, in Persona Christi Domini per Sacramentum Pœnitentiæ viuificatur. Porrò Decem leprosi priùs sanati, quam ad Sacerdotes remissi, non sunt figura Sacramenti Pœnitentiæ, sed potiùs eorum qui extra Sacramentum justificantur, per contritionem, quos constat adhuc teneri Sacerdotibus confiteri peccata illa, quorum remissionem per contritionem obtinuerunt. *Lazarus typus pænitentis.*

Dico 5. Pœnitentia, sufficiens est ad delenda peccata mortalia, licet grauia & hoc loquendo de pœnitentia, vt est virtus, & vt est Sacramentum. De Poenitentia virtute constat. Psal. 50. *Cor contritum, & humiliatum DEVS non despicies.* Ezechielis 18. & 33. *Si impius egerit pænitentiam &c.* De Pœnitentia vt est Sacramentum, constat, quia certum est, Sacramenta conferre gratiam habitualem. Sed gratia habitualis non datur, si peccata non omnia mortalia dimitterentur. Ergo &c. *Omnia peccata remittuntur per pænitentiam.*

Venialia remittuntur per Sacramenta.

Dico 6. Peccata venialia, remittuntur per Sacramentum Pœnitentiæ. Probatur Tùm quia peccata venialia, possunt esse materia Sacramenti Pœnitentiæ, vt constat ex supra dictis. Peccata autem, quæ sunt materia Sacramenti pœnitentiæ, posita attritione supernaturali, delentur per Sacramentum pœnitentiæ, Joan. 20 *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Tùm quia peccata venialia remittuntur per alia Sacramenta. Ergo etiam per Sacramentum poenitentiæ, quod directè institutum est ad remissionem peccatorum. Quod venialia remittantur per reliqua Sacramenta; Patet per inductionem: nam Baptismus tollit omnem pœnam, & culpam, ita vt baptizatus, si moriatur statim post Baptismum, nullâ interpositâ morâ, euolat in cœlum, vt definitum est in Tridentino, *Sess 6. cap. vltimo.* Si autem Baptismus non remitteret peccata venialia, adultus baptizatus, non statim euolaret in cœlum, si suscepto Baptismo statim moreretur, cùm pœna peccatis venialibus debita, luenda sit in purgatorio, si debita satisfactio præstita non fuerit in hac vita. Deinde in Eucharistia, vt constat ex Trident. *Sess. 13. cap. 2.* Præterea in extrema vnctione, vt colligitur ex Trident. *Sess 14. c. 2.* Deniq; in omnibus aliis Sacramentis: nam homo attritus, & benè dispositus, si bona fide recipiat Sacramenta, obtinet remissionem peccatorum mortalium. Ergo multò magis cum attritione supernaturali, recipiet remissionem peccatorum venialium, quæ magis remissibilia sunt. Ita communiter Doctores, S. Thomas *3. p. q. 87. art. 3.* D. Subt. *in 4. dist. 14. & dist. 17. q. vnica.*

Petes I. *Vtrum peccata venialia, deleantur per Sacramenta, ex opere operato?*

Pœnitentia ex opere operato delet venialia.

Dico. Per Sacramentum Baptismi, & Poenitentiæ, delentur peccata, tàm mortalia, quàm venialia, ex opere operato. Patet ex Concilio Florentino, in decreto Eugenii IV. vbi dicitur. *Effectum Baptismi, esse remissionem omnis culpæ originalis, & actualis.* De pœnitentia constat ex Concilio Trident. *Sess. 14. c. 5.* Ergo hæc Sacramenta, habent virtutem remittendi peccata etiam venialia, ex opere operato, hoc est ex vi, & virtute, à Christo Domino illis communicata, in ordine ad prædictum effectum.

Petes 2. *An peccata venialia, deleantur per actum contritionis, & dilectionis.*

Dico I. Per contritionem perfectam, & vniuersalem de omnibus pecca-

peccatis venialibus, delentur omnia venialia. Est communis Doctorum. Patet, quia contritio sufficit ad delenda mortalia. Ergo & ad venialia; quia talis actus, habet sufficientem oppositionem cum venialibus.

Dico 2 *Peccata venialia, delentur per dilectionem* Dei *perfectam. Patet* quiâ talis actus, habet cum peccatis venialibus sufficientem oppositionem. Ergo.

Dico 3. Peccata venialia, non solùm delentur per actum contritionis, sed etiam attritionis, etiam sine Sacramento Pœnitentiæ, in hominibus in gratia Dei existentibus. Quia talis actus, ita est proportionatus ad merendam veniam peccati venialis, sicut ad merendum augmentum gloriæ. Sed ad meritum gloriæ sufficit, si habeat conditiones requisitas. Ergo & ad illud. *Attritio delet venialia.*

ARTICVLVS. II.

Vtrum per Sacramentalia remittantur venialia?

Nota. Nomine Sacramentalium, intelligitur res, vel actio sacra, quâ obtinetur remissio peccatorum, quæ Sacramentalia, hoc versiculo describuntur.

Orans, tinctus, edens, confeßio, dans, benedicens. *Sacramentalia quæ & quot?*

Per verbum *Orans*, intelligitur oratio Dominica, aut oratio publicani, cum tunsione pectoris. Per verbum *tinctus*, intelligitur aqua benedicta. Per verbum *edens*, Panis benedictus. Per verbum *Confeßio*, intelligitur illa confessio, quæ fit ante Missam. Per verbum, *dans*, Eleemosyna, vel opera misericordiæ. Per (*Benedicens*) intelligitur benedictio Episcopi vel Abbatis.

Dico 1. Probabiliùs est, peccata venialia, non remitti per Sacramentalia ex opere operato; sed ex opere operantis. Est S. Thom. 3. p. q. 87. a. 3 vbi ait. *Per Sacramentalia non remitti venialia absolutè, sed inquantùm sunt cum aliquo bono motu detestationis peccatorum.* Est etiam D. Subt. in 4. dist. 21. q. 1. §. *Si iste modus non placet.* vbi dicit. *Peccatum veniale in ista vita remitti potest, non tantùm per pœnam interiorem, vel exteriorem, quia illa non est neceßaria ad hoc, sed per aliquem actum magis Deo acceptum, quàm peccatum veniale, displiceat &c.* Requirit ergo D. Subt. ad delendam culpam venialem, actum boni liberi arbitrii, qui actus est ex opere operantis. Ergo venialia, non delentur per Sacramentalia, ex opere operato. Item in Argumento principali quarto dicit. *Quòd veniale potest deleri per minimam pœnam, vt per aspersionem aquæ benedictæ;* quàm asper- *Venialia non remittuntur per Sacramentalia ex opere operato*

aſperſionem ſupponit eſſe pœnam voluntariam. Ergo ex opere operantis, non ex opere operato.

Probatur 1. Sola Sacramenta inſtituta à Chriſto Domino, habent efficaciam ſuam ex opere operato. Sed Sacramentalia non ſunt inſtituta à Chriſto Domino, ſed ab Eccleſia. Ergo non habent efficaciam ex opere operato, Eccleſia enim non habet poteſtatem inſtituendi aliqua inſtrumenta, quæ ex opere operato tollant peccata venialia, quia hæc authoritas, non poteſt colligi, nec ex ſcriptura, nec ex traditione Eccleſiæ, neq; ex principiis reuelatis. Ergo. Probatur 2. In peccato veniali, eſt quædam auerſio. Ergo non remittitur ſine actuali conuerſione, & conſequenter ad ejus conuerſionem, non ſufficiet vſus Sacramentalium, ſed requiritur motus.

Vnde hoc habent Sacramentalia.

Dico 2. Sacramentalia, dum remittunt venialia ex opere operantis, habent hoc ex inſtitutione, vel promiſſione Chriſti Domini, vt conſtat ex illis verbis orationis Dominicæ, *Et dimitte nobis debita noſtra*, qualem vim habet etiam Eleemoſyna, juxta illud Luc. 11. *Date Eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis.* vel ex oratione Eccleſiæ, quæ meretur exaudiri à Deo, vt hæc Sacramentalia conſecrata, vel benedicta ab Eccleſia, vim habent impetrandi Diuinum auxilium, quô homo excitetur ad tales actus, per quos peccata venialia deleantur. V.G. Confeſſio generalis ante Miſſam, eſt bonum opus, cui ſi correſpondeat bonus actus interior, eſt fructuoſus, & meritorius ex opere operantis, inquantùm aliquis cùm Sacerdote Confeſſionem illam facit, inquantùm verò abſolutio fit à Sacerdote, eſt oratio, quæ virtute Eccleſiæ, habet efficaciam per modum impetrationis. Hinc.

Collige 1. Ille qui accipit errore, aquam non benedictam, putans eſſe benedictam, non obtinet remiſſionem venialium; quia remiſſio venialium obtinetur per Sacramentalia:

Collige 2. Poſtquam quis peccauit venialiter, manet in illo virtualis deordinatio, quouſq; retractet præcedentem actum, retractatio autem iſta nequit fieri, niſi per pœnitentiam formalem, vel virtualem. Ergo non poſſunt peccata venialia remitti, ſine pœnitentia, & conſequenter non remittuntur per Sacramentalia, ex opere operato. Atq; ita ille, qui aquam benedictam ſumit, cum actuali conſideratione peccatorum ſuorum, vel etiam ſine actuali conſideratione illorum, ſed non cooperatur auxilio excitanti ad delenda venialia, non obtinet remiſſionem

veni-

venialium, quia Sacramentale excitat, ad actum perfectum charitatis, incompossibilem cum venialibus.

ARTICVLVS III.

Vtrum actus pœnitentiæ, sit prior infusione gratiæ?

Dico 1. In genere Causæ formalis, priùs naturâ est infusio gratiæ, quàm perfectus actus pœnitentiæ, qui dicitur contritio. *Probatur*, quia causa formalis, est prior suo effectu, sicut albedo est prior, quàm subjectum album, quia dat illi tale esse. Sed gratia, est causa formalis contritionis, dans illi esse formale. Ergo est prior illa in genere Causæ formalis, & hoc intelligendo de contritione formata. Confirmatur. *Luc.* 7. dicitur. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm.* Vnde D. *in* 4. *dist.* 14. *art.* 2. in hoc instanti, in quo continuat peccator dolorem, de peccatis, ponit tria signa naturæ. 1. est actus informis pœnitentiæ. 2. Remittitur peccatum, & infunditur gratia. 3. Actus efficitur pœnitentiæ formatus, virtute cujus remittuntur peccata, quia dolor sine gratia, est informis, & vocatur attritio. *Quomodò prior infusio gratiæ actu pœnitentia.* *Signa continuationis doloris.*

Dico 2. Contritio quatenùs est causa dispositiua gratiæ, priùs naturâ est actus contritionis, quàm gratiæ infusio. *Probatur.* Causa materialis præsupponitur ad causam formalem. Sed actus contritionis disponit subjectum, vt sit aptum ad gratiæ receptionem. Ergo sub hac ratione, est priùs naturâ, actus contritionis, quàm gratiæ infusio. Hinc *Quomodò prior contritio gratiâ.*

Collige. Ista propositio. Quia homo habet actum pœnitentiæ, ideò est gratus Deo, est vera in genere causæ materialis: & sensus est; quia homo disponit se per actum pœnitentiæ, ideò consequitur gratiam Dei. Similiter ista propositio; quia Devs infundit gratiam, ideò homo habet contritionem, vel actum pœnitentiæ, est vera in genere causæ formalis; & sensus est, si non esset infusa gratia, non haberet contritionem perfectam, & formatam.

Dices Si gratia esset prior, quàm actus pœnitentiæ, sequeretur actum pœnitentiæ esse meritorium gratiæ. Sed hoc dici non debet, quia prima gratia non cadit sub meritum. Respondeo. Nego *Sequelam*, quia in ista justificatione, infunditur prima gratia, quæ non cadit sub merito, benè verò sequitur, quòd sit meritorius gloriæ, talis actus contritionis.

AR-

ARTICVLVS IV.

Vtrum infusio gratiæ, & expulsio, seu remissio culpæ, sint vna mutatio vel duæ?

Infusio gratiæ, & remissio culpæ, nō est vna mutatio.

DICO I. Infusio gratiæ, non est eadem mutatio, cum remissione culpæ. Ita D. Subt. *in 4. dist. 16. q. 2. Concl.* 1. Probatur 1. Quia illa, quæ sic se habent, quòd vnum multiplicatur, & non aliud, illa non sunt vnum. Sed remissio culpæ, frequenter multiplicatur circa peccatorem, secundùm pluralitatem culparum, & infusio gratiæ non plurificatur, sed est vnica, sicut & gratia, quæ infunditur. Ergo remissio culpæ, & infusio gratiæ, non sunt vna, & eadem mutatio. 2. Idem non separatur à seipso. Sed ista duo possunt separari adinuicem. Ergo non sunt idem. Minor patet, quia potest absolutè remitti culpa mortalis, absq; infusione gratiæ. 3. Non repugnant formaliter culpa, & gratia; quia quando aliqua sunt sibi opposita formaliter, quidquid potest super vnum, potest super aliud, siue effectiuè, siue defectiuè. Sed voluntas humana potest in peccatum, & non potest in gratiam. Ergo ista duo, non sunt formaliter opposita, 4. Vna mutatio, non est ad formam positiuam, nisi à propria priuatione ejus. Sed culpa non est priuatio gratiæ, quia vnica gratia non habet, nisi vnicam priuationem, multæ autem possunt esse simul culpæ in homine, vt dictum est *Q. 1. Sect. 1. a. 2.*

DICES Generatio, & corruptio in naturalibus, sunt vna mutatio, & eadem simpliciter, quia idem est motus simpliciter abjectivus contrarii vnius, & inductiuus alterius; nam eadem mutatione abijcitur frigus, & inducitur calor in aquam, & eadem mutatione expellitur priuatio formæ, & inducitur forma in materiam. Ergo eadem mutatione expellitur culpa, & infunditur gratia:

In quolibet motu de contrario in contrarium, sunt duæ mutationes.

RESPONDEO. Negando, quòd generatio, & corruptio non sint duæ mutationes, quia sunt duo termini positiui, & duo priuatiui. Et quando dicitur de motu, quod vnicâ mutatione per motum abjicitur forma contraria, & inducitur altera contraria. Respondeo Quòd in quolibet motu de contrario in contrarium, concurrunt duæ mutationes, quarum vna est deperditiua vnius contrarii, & alia est acquisitiua alterius contrarii: & prima habet pro suis terminis contrarium, quod abjicitur, & negationem ejus, secunda verò habet pro terminis contrarium, quòd inducitur, & negationem, vel priuationem ejus: & quælibet

libet istarum mutationum est successiua, & distinguitur realiter vna, ab alia, ita vt vna, virtute Diuinâ, posset fieri sine alia.

Dico 2. Infusio gratiæ, & remissio culpæ, non sunt duæ mutationes reales. Probatur. quia licet, infusio gratiæ sit mutatio realis, quia procedit à priuatione realis formæ, ad ipsam formam, nempe à priuatione gratiæ, ad ipsam gratiam, remissio tamen culpæ, non est mutatio realis, quia actu peccati transeunte, nihil remanet in anima positiuum, & reale, per quod homo dicatur peccator, sed solùm remanet obligatio ad pœnam æternam, quæ obligatio, est Ens rationis, & illa deletur, in remissione culpæ. Ergo remissio culpæ, non est mutatio realis, quia non est mutatio realis, nisi sit in terminum realem positiuum à priuatione reali. Atqui remissio culpæ, per se, nullum terminum habet realem, vt constat ex *Q. 1. Sect. 1. n. 2.*

Infusio gratia, & remissio non sunt dua mutationes.

Dico 3. Etsi remissio culpæ, non sit mutatio realis secundùm se, tamen ipsam concomitatur aliqua mutatio realis, nimirum infusio gratiæ, secundùm ordinationem Diuinam, nunquam enim Devs remittit culpam mortalem, sine infusione gratiæ.

Dico 4. Remissio actiua peccati, quæ est ex parte Dei, non est mutatio realis. Ita D. *in 4. dist. 16. q. 2.* Probatur Tùm quia in Deum non cadit mutatio realis. Tùm quia in Deo, non est successio negationis actus, volendi punire ad actum ipsum, vel è conuerso. Sed est actus vnicus, simplex, & æternus, quo in æternitate, vult istum esse puniendum, id est dignum pœnâ æternâ, pro instanti, vel tempore, quo est, vel erit in peccato mortali, & puniendum in re, & in effectu, si tunc judicetur, & in peccato moriatur, & est hoc velle de puniendo, non absolutum, sed conditionatum, nimirum, si tunc judicetur, & moriatur: & eodem actu simplici, vult non punire, vel non esse dignum pœnâ, pro alio instanti, vel tempore, pro quo peccatum sibi remittitur, vel quamdiu est remissum: atq; ita, ipsa remissio ex parte Dei, nulla est mutatio. Sed ista remissio actiua, est velle Diuinum æternum, non succedens alicui negationi, vel priuationi, nec secundùm rem, nec secundùm rationem, sed in æternitate idem manens, contingenter, & difformiter transiens super objecta secundaria, & extrinseca, pro diuersis nunc, seu instantibus, vel temporibus, ex parte illius, cujus fit remissio, pro quorum vno, vult peccatorem esse dignum pœnâ æternâ, nimirum pro tempore, vel instanti peccati, & secundùm hoc talis actus dicitur imputatio, & pro alio

Remissio actiua non est mutatio realis.

lio tempore, vel instanti, vult ipsum non esse dignum pœnâ æternâ, nimirum quando deletum est peccatum, & pro tali instanti deletionis dicitur talis actus remissio actiua ex parte Dei.

Remissio non est quid reale.

Dico 5. Remissio passiua seu objectiua, ex parte peccatoris non est mutatio realis: Patet quia non ad formam realem positiuam, nec necessariò tollit positiuum reale. Et ex hoc constat maculam manentem post actum peccati, non esse quid reale, sed vel esse obligationem ad pœnam, vt dixi hic 1. *Q. Sect. 1. a. 2.* seu macula est peccatum habituale, seu actuale; non remissum.

Remissio culpæ est mutatio rationis

Dico 6. Remissio culpæ, probabiliùs est, quòd sit mutatio rationis. Aduerte in priori editione, tenui remissionem culpæ esse nullam, modo autem teneo, quòd sit mutatio rationis, non quidem respectu intellectus Diuini, sed respectu intellectus creati. Probatur hæc Conclusio: Quia cùm in remissione culpæ, nullo modo possit negari transitus ab affirmatione ad negationem, puta à dignitate pœnæ ad non dignitatem, non poterit igitur negari mutatio saltem negationis. Confirmatur D. Subt. *in 1. dist. 30. num. 11.* dicit *Potest in DEO poni aliqua relatio rationis, noua quidem, sicut illa quæ causatur in eo per actum intellectus nostri, considerantis ipsum, sed non noua aliqua per actum intellectus sui, quia nunquam est transitus à contradictorio in contradictorium sine mutatione: si enim nulla esset mutatio in aliquo, non esset ratio, quare magis vnum contradictorium posset esse modo verum, quàm reliquum, nec quare vnum magis falsum, quàm aliud, & ita vel ambo simul falsa, vel ambo simul vera.* In hoc loco admittit mutationem rationis in remissione culpæ. Confirmatur 2. Illa est mutatio rationis, quæ pro termino ad quem habet Ens rationis. Sed remissio culpæ, est talis, quia est mutatio ab obligatione ad pœnam, ad non obligationem ad pœnam. Ergo. Vnde Tataretus *in 4. dist. 16.* contendit D. Subtilem non esse problematicum in hac difficultate, sed determinâsse, quòd sit mutatio rationis, remissio culpæ. Quando itaq; D. appellat istam mutationem esse nullam, hoc ideò dicit, quia de respectibus rationis non potest verificari secundum adjacens, nam illa verè sunt, quæ habent Entitatem realem. Quando deinde dicit D. Subtilis Quòd non est aliqua mutatio, de esse obligationis, ad non esse obligationis, non vult simpliciter negare vllam esse mutationem, sed solùm negat, quòd ista obligatio sit eadem mutatio cum infusione gratiæ, quia mutatio, quæ est infusio gratiæ, est mutatio realis. Et hoc est quod intendebat D. Subt. *in*

Nota mentem D. Subtilis.

4. dist.

4. dist. 16. q. 2. in prima Conclusione, quòd remissio, seu expulsio culpæ, & infusio gratiæ, non est vna mutatio; seu non sunt eadem mutatio. Dum autem dicit loco citato, non esse mutationem rationis, ideò hoc dicit, quia ad mutationem rationis, requirit hic mutationem realem in altero extremo, quando actus, in quo objectum habet esse rationis, potest esse terminus mutationis realis: sed in aliis locis, non requirit hoc. Ergo.

ARTICVLVS V.

Vtrum prior sit expulsio culpæ, vel infusio gratiæ?

NOTA 1. D. Subtilis *in 4. dist. 16. q. 2. ad 3. principale, refert ex Aristotele 5. Metaphysicæ textu 16.* quadruplicem prioritatem; generationis, perfectionis, consequentiæ, & causalitatis, ipse ibidem, addit quintam intentionis, & sextam executionis. Prius generatione est illud, quod priùs generatur, & est imperfectius suo posteriori, vt embrio respectu animalis. Prius perfectione est illud, quod est perfectius, vt animal respectu embrionis. Prius Consequentia est illud, quod infertur ab alio, & non infert illud, vt est animal respectu hominis. Sequitur enim. Est homo. Ergo est animal; non è conuerso: & in hac prioritate communiter, prius, est imperfectius. Prius causalitate, est ordo duorum effectuum, respectu ejusdem agentis, sicut productio specierum, præsupponitur ad productionem notitiæ, & vterq; effectus causatur ab objecto, & vt calefacere, & ignire, nam ignire præsupponit calefacere, & ambo sunt ab eodem agente, nimirum ab igne. Prius intentione est, quod priùs intenditur ab agente, vt generatio substantiæ, est sic prior, quàm corruptio formæ præexistentis. Prius executione, quod priùs ponitur ab agente in esse, licet non priùs intendatur.

Prioritas quadruplex ex Aristotele Generationis.

Perfectionis

Consequentiæ.

Causalitatis.

Intentionis.

Executionis.

NOTA 2. Difficultas hæc procedit, non de prioritate temporis, quia certum est, quòd in eodem instanti temporis, est remissio culpæ, & infusio gratiæ, procedit ergo difficultas de prioritatibus enumeratis, & explicatis in primo Notando.

NOTA 3. Thomistæ *1 2. q. 113. a. 6. & 8.* tenent, infusionem gratiæ, esse priorem expulsione culpæ, ponunt enim tres motus in justificatione. Primò infusionem gratiæ: 2. Duplicem motum liberi arbitrii, in Deum scilicet, qui est dilectio, & in peccatum, qui est detestatio. 3. Remissionem

nem culpæ. Si ergo infusio gratiæ præcedit contritionem, Ergo & remissionem culpæ.

Remissio culpæ prior via generationis.

Dico 1. Remissio culpæ, licet viâ generationis sit prior infusione gratiæ, infusio tamen est prior ordine perfectionis remissione culpæ. Probatur Quia *quæ sunt priora generatione, sunt posteriora perfectione,* 9. Metaph. C. 15. & è conuerso. Sed expulsio culpæ, est imperfectior infusione gratiæ, quia est corruptio Entis rationis, puta obligationis ad pœnas æternas: infusio autem gratiæ est perfectior, expulsione culpæ, quia est datio qualitatis realis. Ergo via generationis prior est expulsio culpæ, quàm infusio gratiæ.

Non est prioritas consequentiæ inter gratiam & culpam.

Dico 2. Inter remisionem peccati, & gratiæ infusionem, non est prioritas consequentiæ propriè. Patet, quia hæc consequentia non est formalis. Gratia infunditur. Ergo remittitur culpa: nam B. Virgini, & Angelis, gratia est infusa, non tamen culpa remissa. Similiter ad expulsionem culpæ, non necessariò de potentia Dei absolutâ sequitur infusio gratiæ, posset enim DEVS remittere culpam, & non infundere gratiam, vt dicam articulo sequenti. Tùm quia gratia, & culpa, non sunt formaliter opposita.

Non est prioritas causalitatis.

Dico 3. Inter remissionem culpæ, & infusionem gratiæ, non est prioritas causalitatis. Probatur. Quia nec infusio gratiæ, est causa efficiens expulsionis culpæ: nec infusionis gratiæ, est causa expulsio culpæ, quia non expellit effectiuè peccatum, sed causa efficiens vtriusq; est sola voluntas Diuina, quæ ex sua justitia determinat, & obligat peccatorem ad pœnam æternam, ex misericordia autem aufert obligationem. *Porrò* infusio gratiæ, est à DEo principaliter, à Sacerdote ministerialiter, à *Sacramento* instrumentaliter, non phyficè, sed moraliter.

Est prior gratia ordine intentionis.

Dico 4. Infusio gratiæ secundùm DEi intentionem, prior est remisione culpæ; ordine tamen executionis, DEVS priùs remittit culpam, quàm infundat gratiam. Probatur prima pars. Quia ordinate volens, priùs vult ea, quæ sunt proximiora fini, quàm ea quæ sunt remotiora. Sed gratiæ infusio est propinquior fini, nempe beatitudini, quàm expulsio culpæ. 2. pars patet, quia peccatori vult priùs inesse remisionem culpæ, deinde infusionem gratiæ: sicut etiam ordine executionis, priùs DEus vult merita, quàm gloriam. Hinc Aduerte Si ista objecta, gratia, & culpæ considerentur, vt sunt objecta Diuinæ voluntatis secundaria, non autem ponunt aliquid ad extra, secundùm generationem, & causalitatem, nul-

lum.

lum habent ordinem, quia vt sic non causantur, nec generantur, sed habent esse idem, quod essentia Diuina, sed tamen habent inter se quendam ordinem perfectionis, quatenùs Diuina voluntas tendit in ea, & sic, id est priùs, in quod dicitur priùs intendere Diuina voluntas, & sic infusio gratiæ erit prior, expulsione culpæ.

ARTICVLVS. VI.

Vtrum peccatum de potentiâ Dei absolutâ, possit remitti, absq; infusione gratiæ?

Prima opinio negat. Est S. Thomæ *1. 2. q. 113. art. 2. communis Thomistarum.* probatur 1. Vulnus, & infirmitas, non potest tolli, nisi per salutem inhærentem. Sed peccatum est infirmitas, & vulnus animæ. Ergo 2. Ab vno contrario, ad aliud contrarium, non fit transitus, nisi per transmutationem realem. Sed in remissione peccatorum, fit anima de immunda, munda, & pulchra. Ergo non potest fieri, sine transmutatione reali, ipsius animæ. 3. Cùm DEus remittit culpam, & facit animam justam, & rectam: vel aliquid in ea operatur, vel nihil. Si nihil. Ergo manet immunda, sicut ante. Si aliquid operatur. Ergo remissio peccati, fit per transmutationem animæ nostræ realem. 4. Culpam dimittere, est culpam delere. Sed sine infusione gratiæ, non potest DEus culpam delere. Ergo. Minor Probatur Remissio culpæ, est reconciliatio peccatoris. Sed sine infusione gratiæ, non fit reconciliatio peccatoris. Ergo Major est Scoti *in 4 dist. 1. q. 6. ad quartum* vbi dicit. *Iste cui dimittitur peccatum, reconciliatur.* Minor Probatur Reconciliatio idem est quod justificatio. Sed justificatio non potest fieri sine infusione gratiæ. Ergo nec reconciliatio. Minor Probatur Si reconciliatio etiam imperfecta, non est quod justificatio perfecta, sequeretur quòd reconciliatus DEo, esset inimicus DEi. Sed nullus reconciliatus est inimicus DEi. Ergo. Sequela probatur Ille est inimicus in quo est offensa DEi. Sed in reconciliato imperfectè est offensa DEi. Ergo. Minor Probatur. Vbi non est offensa, ibi est amicitia. Sed in reconciliato imperfectè non esset amicitia. Ergo est offensa. Major Probatur. Si in eo, in quo non esset offensa, non esset amicitia, sequeretur quòd aliquis esset gratus, & non gratus DEo. Sed hoc dici non debet. Ergo. Sequela, quòd esset gratus, probatur. Quia iste si moreretur, vel damnaretur, vel saluaretur. Neutrum dici potest. Ergo. 5. Pris- 1. Opinio

uatio non potest tolli ab aliquo, nisi per positionem ejus formæ, cujus est priuatio. Sed peccatum est priuatio. Ergo debet tolli per gratiam, cujus est priuatio. 6. Implicat contradictionem tolli auersionem, nisi per conuersionem. Ergo implicat peccatum deleri, nisi per rectitudinem. 7. Si peccatum tolleretur sine infusione gratiæ, sequeretur euidens contradictio, quia anima esset sine peccato, & tamen esset praua, & obliqua. Ergo esset in peccato, & non esset.

2. Opinio inter amicū & inimicum datur medium.

2. Opinio affirmat. Ita D. Subt. *in 4. d. 1. q. 6. & d. 14. q. 2. & d. 16. q. 2.*

NOTA 1. Inter amicum, & inimicum contrariè, dari medium, nimirum, neq; amicum positiuè, neq; inimicum contrariè, sed inimicum negatiuè, seu non amicum. Per inimicum contrariè intelligo illum, in quo est offensa, per inimicum negatiuè, seu non amicum, in quo non est offensa, nec amicitia. Vnde non valet. Hic non est amicus Petri. Ergo est inimicus ejus, quia potest esse, neq; amicus, neq; inimicus, sed non amicus.

Gratia & peccatum non operantur formaliter.

NOTA 2. Gratia, & peccatum, non opponuntur priuatiuè ex natura rei, quia quæ sic opponuntur circa aliquod subjectum, necesse alterum illorum inesse ei, post tempus à natura determinatum, sicut cæcitas, & visus in catulo. Atqui non sic se habent gratia, & peccatum, quia potest dari homo in puris naturalibus, absq; gratia, & peccato. Præterea, peccatum solùm destruit gratiam demeritoriè. Ergo non opponitur ei contrariè, ita vt voluntas priùs auertat se naturaliter, quàm DEVS cesset naturaliter conseruare gratiam.

Duplex remissio, perfecta, & imperfecta.

NOTA 3. Remissio culpæ: alia est perfecta, & integra, per quam homo recuperat omnia, quæ per peccatum amiserat. Alia est per quam remittitur culpa quoad pœnam, & inimicitiam, ac deordinationem tantùm, quam dicit, & per hanc non recuperat peccator omnia illa, quæ amiserat per peccatum, neq; cum DEO contrahit amicitiam. Hæc duplex remissio, colligitur ex duplici mutatione, quæ in justificatione peccatoris reperitur: Vna est priuatiua, quâ de inimico, fit non inimicus, alia positiua quà de indigno vitâ æternâ, fit dignus vitâ æternâ, & de non potente meritoriè operari, fit potens meritoriè operari. In prima mutatione est remissio, reconciliatio, justificatio imperfecta: in secunda verò hæc omnia sunt, perfecta, & completa. Quando ergo Sancti Patres, & Concilia dicunt, per peccati remissionem hominem DEO conciliari,

liari, & ad ejus amicitiam assumi, loquuntur de remissione, & reconciliatione perfecta.

Nota 4. Gratiæ tria sunt munia. Primum est hominem in quodam supernaturali, ac Diuino esse constituere, & talis constitutio hominis in esse Diuino, est primarius, & formalis effectus gratiæ: est enim gratia, Diuinæ naturæ, esseq; ejus participatio, quatenus natura Diuina est, quod aliis habitibus supernaturalibus, non competit, nisi secundùm aliquam rationem ejus attributalem. Secundum est, hominem interiùs renouare, & rectificare ipsum, Diuinis legibus conformando. Tertium est, hominem Dei amicum, ipsiq; gratum, & acceptum ad vitam æternam efficere. Hæc tria ita se habent, quod primum supponitur secundo, & secundum tertio. Primus effectus, ita est gratiæ intrinsecus, vt à gratia separari nequeat, sicut neq; effectus formalis, & primarius cujuslibet formæ. Secundus verò, & tertius effectus, sunt separabiles per Diuinam potentiam; sicut à quantitate positio partium in ordine ad locum, quia sunt effectus secundarii, & quasi extrinseci ipsius gratiæ, imo ex sola lege Diuina, competit gratiæ, hominem Dei amicum constituere, sicut enim peccatum, ex sola lege facit hominem inimicum Deo, vt docet D. Subtilis *in 4. dist.* 1. *q.* 2. *ad* 5. ita gratia ex sola lege, facit amicum Dei hominem.

Dico 1. Non potest fieri perfecta, & integra remissio peccati, absq; infusione gratiæ. Ratio est, quia in perfecta remissione, debet recuperare omnia, quæ amisit per peccatum. Ergo & gratiam. Patet ex Notabili tertio.

Dico 2. *P*ossibile est, per Diuinam potentiam absolutam, tolli culpam originalem, & actualem, quoad pœnam, & deordinationem, quàm dicit, absq; infusione gratiæ. Probatur 1. Quando alicui vni repugnant plura, circa idem subjectum, per positionem cujuslibet illorum, potest ab illo subjecto excludi. Sed peccato repugnat rectitudo naturalis, sine gratia, & ipsa gratia. Ergo per positionem solius rectitudinis naturalis, potest expelli peccatum sine gratia. Similiter potest tolli originale peccatum, per solam justitiam originalem absq; gratia, cùm sint ab inuicem separabilia. Dices Justitia originalis, potest alicui concedi sine gratia, ante, sed non post peccatum. Respondeo. Ista justitia originalis potuit separari à gratia ante peccatum. Ergo & post peccatum, quia non est alterius rationis nunc, quàm priùs, nam forma non habet esse

Potest remitti culpa, & gratia non dari.

esse alterius rationis, per hoc, quòd ejus oppositum præcesʃit in subjecto, V. G. frigus, non est alterius rationis, ex eo, quòd calor præcesserit, ipsum in aqua, & si poterat separari antequam calor inesset, similiter, & postea. Ergo si justitia originalis poterat esse in homine, ante peccatum, sine gratia, posset esse, & post peccatum. Dices Non post homo restitui ad innocentiam. Ergo neq; ad justitiam originalem, quæ dicit innocentiam. RESPONDEO. Licet DEVS non posʃit restituere hominem, ad Statum innocentiæ, quatenùs negationem cujuscunq; actus peccati importat, potest tamen restituere hominem ad illum statum quoad omnia alia, quæ secum importat. Sicut licet semel corrupta, non posʃit à DEO reparari, prout virginitas amissa dicit negationem actus præteriti, potest tamen eam restituere quoad omne absolutum, quod importat, ita in proposito.

2. ratio. Probatur 2. Talem hominem potest DEus reparare post culpam, secundùm formam absolutam, qualem potest creare secundùm formam absolutam. Sed in pura rectitudine naturali, potest hominem creare: Ergo ad eam rectitudinem naturalem potest hominem reparare. Sed collata homini rectitudine naturali, erit sine peccato, & sine gratia. Ergo potest remitti peccatum, absq; infusione gratiæ. Dices Si hæc ratio esset vera. Ergo DEus mulieri corruptæ restituendo omne absolutum in virginitate, posset & aureolam restituere, quod dici nequit. RESPONDEO.

Aureola virginitatis cui debetur. Aureola est præmium accidentale de nunquam cecidisse in peccatum, cùm autem semel ceciderit, aureola sibi non est debita. Respondet Cajetanus ad hanc secundam rationem. In dæmonibus mansisse integra naturalia. Ergo & rectitudo naturalis potest esse cum peccato. Contra, Ista sunt diuersa, integra naturalia mansisse, & rectitudinem naturalem: Ad primum namq; sufficit, vires naturales non esse diminutas in se, quod ita est, nam peccatum non est boni naturalis diminutio. Ad secundum verò requiritur, potentia rectè composita cum lege, præsertim naturali, qualis non remansit in dæmonibus.

3. ratio. Probatur 3. Ponamus hominem, in puris naturalibus, qui non habet gratiam, neq; charitatem, nec sit destinatus ad finem supernaturalem, si iste peccat, non priuatur gratiâ, nec charitate supernaturali. Ergo sufficienter reducitur, per justitiam originalem, in pristinum statum, etiamsi ei gratia nunquam conferatur.

4. ratio. Probatur 4. Potest DEus annihilare peccatorem, in quo manet auersio, & prauitas peccati, & potest illum reproducere, sine tali auersione. Ergo potest tollere peccatum sine gratiæ infusione. Respondent Thomistæ

quòd

quòd ille homo reproductus, reproduceretur auerſus à DEo, & inimicus Dei. Contra Culpa, nullo modo, nec ex conſequentì, poteſt reproduci à DEo, aliâs eſſet author culpæ, quod dici non debet. *5. ratio.*

Ad 1. Primæ opinionis Respondeo. Quòd illa infirmitas, poteſt ab anima auferri, abſq; gratiæ infuſione, vt conſtat ex notandis, tertio, & quarto, & ex ſecunda concluſione. Ad 2. Dico quòd ibi eſſet tranſitus, & mutatio, ſed non ad gratiam, ſed vel ad rectitudinem naturalem, vel juſtitiam originalem, quæ ſunt quid poſitiuum. Imò D. Subtilis loco citato. Juſtitiam originalem vocat illam qualitatem ſupernaturalem, quæ plenè omnes potentias in ſuis officiis continebat, ſubdendo eas voluntati, & voluntatem rationi, rationem verò DEo, cum quâ peccatum mortale, erat impoſſibile. Ad 3 Dico, quòd poneret in anima, vel rectitudinem naturalem, vel juſtitiam originalem, per quam anima, & ejus potentiæ, manent conuerſæ ad ipſum, vt ad legislatorem, non tamen vt finem ſupernaturalem, cui vniatur per gratiam. Ad 4. Respondeo. Nego Minorem. Ad probationem Dico, quòd remiſſio culpæ, eſt reconciliatio, vel perfecta, vel imperfecta, perfecta requirit gratiam, non autem imperfecta, vt conſtat ex 3. Notando, ex quo poterunt ſolui, omnes probationes poſitæ ſub hoc argumento. Ad 5. Respondeo. Quòd in tali caſu, tolleretur priuatio conformitatis ad legem, (in qua formaliter conſiſtit peccatum) per rectitudinem ſibi debitam, ſine infuſione gratiæ. Ad 6. Dico, Auerſio à lege, & à DEo, vt legislatore, non poteſt auferri ſine conuerſione ad legem, auerſio verò à DEo vt fine, non poteſt tolli, niſi per gratiam. Ad 7. Nego ſequi contradictionem, nam ſi dimitteretur culpa, ſine infuſione gratiæ, non tamen anima maneret praua, ſed recta, & conuerſa ad legem, licet non maneret DEi amica.

Officium justitiæ originalis.

Quæres *Vtrum de potentiâ DEi abſolutâ, poſſit poni gratia juſtificans in anima peccatoris, & non remitti peccatum?*

Reſpondet D. Subt. poſſe. Probatur. Tùm quia ſi non poſſet ſtare gratia, poſito peccato in homine, maximè propter aliquam oppoſitionem. Sed inter gratiam, & peccatum nulla eſt immediata, & formalis oppoſitio, vt *patet ex prima. Quæſtione Sect. 1.* Tùm quia habitus non contrariatur actui, quia contraria debent eſſe ſub eodem genere. Sed gratia eſt habitus, peccatum autem actus. Ergo. Tùm quia poſito, quòd homo priùs in gratia conſtitutus, peccet mortaliter, nihil eſt quod cogat DEum ſubtrahere influxum gratiæ conſeruatiuum in tali peccatore. Ergo poteſt

Gratia & peccatum non ſunt oppoſita.

ſtare, vel de nouo poni gratia in peccatore, non remiſſo ejus peccato. Tùm quia opera noſtra, non producunt gratiam DEi efficienter, ſed DEus creat illam. Ergo quomodo peccata, quæ ſunt opera noſtra, poſſunt corrumpere gratiam illam, efficienter?

DICES Peccatum eſt offenſa DEi, quâ homo eſt injurius DEo: gratia verò eſt, quâ homo eſt gratus DEo. Ergo gratia, & peccatum naturâ ſuâ opponuntur.

Peccatum ex lege, eſt offenſa.

RESPONDEO. Quòd ſicut peccatum de lege, eſt offenſa DEi, quâ homo eſt inuiſus DEo, ita gratia de lege eſt, quâ homo eſt gratus DEO, & ſic non opponuntur ex natura rei, ſed ex decreto Diuino, potuiſſet enim, & hominem habentem gratiam DEi, non acceptare, ſi id non decreuiſſet.

Juſtificatio ſit in inſtanti.

QVÆRES II. *Vtrum juſtificatio peccatoris fiat in inſtanti?*

DICO affirmatiuè. Ita Doctor *in 4. diſt. 14. q. 2. a. 2.* Sanct. Bonauentura *diſt. 16. a. 3. q. 1.* S. Thom. Eſt ferè communis. Probatur 1. Quia ſacra Scriptura docet hominem, in quocunq; momento juſtificari Ezech. 18. & 33. 2. quia ſi requireretur aliqua duratio temporis, vt V. G. dimidia hora, ſequeretur dari in via aliquod tempus, in quo peccator eſſet extra ſtatum ſalutis, & in quo non eſſet capax gratiæ. Sed hoc dici non debet. Ergo. 3. Quòd aliqua actio ſit ſucceſſiua, & non fiat in inſtanti, prouenit id ex duplici Cauſa: vel quia eſt ſubjectum ſucceſſiuum, & continuum. Vel quia eſt forma continua, & diuiſibilis, vt conſtat *ex 6. Phyſicor.*

Vnde ſucceſſio ex ſubjecto ſucceſſiuo, & forma.

ARTICVLVS VII.

Quid ſit juſtificatio, & quæ cauſæ ſunt juſtificationis noſtræ?

Error hæreticorum circa juſtificationem.

NOTA 1. Circa formalem juſtificationem, varii ſunt errores hæreticorum. Primus error Lutheranorum, aſſerentium, fidem ſolam eſſe cauſam formalem noſtræ juſtificationis, hunc errorem multis in locis docet Lutherus, quamuis non vbiq; ſibi conſtans, nam aliquando dicit, fidem non eſſe propriè, quæ nos juſtificet, ſed conditionem, vel inſtrumentum noſtræ juſtificationis. Vnde Lutherani tria aſtruunt. Primò ſolam fidem juſtificare. 2. Hanc fidem juſtificantem in eo conſiſtere, vt homo certò credat, peccata omnia ſibi remitti, propter merita Chriſti. 3. dicunt, hanc fidem diſtingui à fide hiſtorica. Addunt Caluiniſtæ alia

tria

tria dicta etiam erronea. 1. fidem justificantem donari solis prædestinatis. 2. Semel habitam amitti non posse. 3. Facere hominem certum, & securum de sua justitia, perseuerantia, et vita æterna.

Contra primum dictum Lutheranorum. Dico Fidem non justificare formaliter. Probatur 1. Jacobi 2. dicitur. *Quid proderit inquit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, nunquid poterit fides saluare eum?* Et infra dicit. *Fidem sine bonis operibus esse mortuam*. Probatur 2. In Tridentino Concilio *Seß.* 6. *Can. 9.* dicitur *Si quis dixerit solâ fide impium justificari, anathema sit.* 3. Probatur Forma à quâ homo formaliter est justus, non est fides, sed justitia; secundùm Catholicos justitia inhærens, secundùm hæreticos justitia imputatiua, quod tamen falsum est. Primò quia sic omnes justi essent æqualiter justi, vt admittit Lutherus in sermone de B. Virgine dicens. *Omnes fideles esse æquè sanctos vt B Virgo* & consequenter debuisse dicere delirando; æquè vt ipsemet Christus Dominus. 2. Quia ita nos constituimur justi per obedientiam, & cæteras Christi Domini virtutes ac merita, sicut constituimur per inobedientiam, & per peccatum Adæ peccatores, teste Apostolo ad Rom. 5. Sed per peccatum Adæ non constituimur extrinsecâ tantùm imputatione illius peccati, sed per intrinsecam maculam nobis inhærentem, Ergo neq; constituimur justi solâ imputatione justitiæ Christi Domini. 3. Si Christi Domini sanctitas, & justitia, extrinsecâ solùm imputatione nos constitueret justos, sanctos, & filios Dei, sequeretur, quòd etiam extrinsecè peccata nostra Christo Domino, juxta illud Isaiæ 53. *Posuit DEus in eo iniquitates omnium nostrum*, imputarentur. Atq; ita poterunt Christum Dominum denominare peccatorum, injustum, & quòd horret animus, diaboli filium. Et hoc non horruit Lutherus impius, in caput 3. ad Galathas scribens, consequenter ad sua principia. *Quia Christus in se omnium peccata suscepit, posse dici fuisse homicidam, furem, latronem, & maximum omnium peccatorum.* Ecce talis est lux noui Euangelii, illata Lutheranâ face, huic materiæ de justificatione: ô horrendam, & non tolerandam blasphemiam.

Justitia imputatiua refellitur.

Blasphemia Lutheri.

Objicitur 1. ad Rom. 3. dicitur *Arbitramur hominem justificari per fidem, sine operibus legis.* Et ad Eph. 2. *Saluati estis per fidem non ex operibus.* Hinc aduersarii deducunt sola fide hominem justificari, quia Apostolus opponit fidem operibus. Cùm ergo dicit hominem justificari fide, sine operibus, excludit omnia opera, præter fidem. Ergo etiam excludit actum timoris, spei, dilectionis, & pœnitentiæ.

Quæ opera excludit Apostolus.

Respondeo. Duplicia sunt opera. Alia præcedunt fidem, alia sequuntur. Priora excludit Apostolus, non posteriora. Cum ergo actus timoris, spei, dilectionis, & pœnitentiæ fidem sequantur, & in fide sint fundati, certum est non excludi. Quòd autem sit hæc mens Apostoli, inde patet, quia vult ostendere, nec Judæos ex nuda obseruatione legis Mosaicæ, nec gentiles propter bona opera, ante fidem susceptam patrata, justitiam à DEo consequi potuisse, aut consecutos esse, sed ex fide in Christum, fides enim est initium salutis, & justificationis, nec dari ex præcedentibus operibus, sed esse donum DEi. Lege S. August. *lib. de prædestinat. Sanctorum c. 7.*

Obiicitur 2. ad Rom. 3. dicitur. *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Ergo &c.

Respondeo, Justificatio dicitur gratuita, non quia fit solâ fide, sed quia non meremur illam per vlla opera, siue fidei, siue fidem præcedentia, ita Trident. *Seß. 6.*

Obiicitur 3. Sacræ literæ quando loquuntur de justificatione, & remissione peccatorum, solius fidei mentionem faciunt. Luc. 7. *Fides tua te saluam fecit.* Et Joan. 1. *Dedit eis potestatem filios DEi fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Et Joan. 3. *Qui credit in filium habet vitam æternam.*

Respondeo. Sicut sacræ literæ, aliquando meminerunt solius fidei ita aliquando meminerunt solius charitatis. Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.*

Contra 2. dictum Lutheranorum Dico, fidem justificantem, non in eo consistere, vt quis certò credat, peccata omnia sibi remissa, propter merita Christi Domini. Primò quia ipsi docent, nihil fide credendum esse, nisi quod habetur in scriptura. At ibi non habetur, Luthero, aut Caluino remissa esse peccata. Ergo id fide credendum non est. 2. Quia si certò credunt remissa sibi esse peccata, frustra orant, *Dimitte nobis peccata nostra.* 3. Testimonia scripturæ, quæ ipsi adferunt pro fide justificante sunt hæc. *Videns JESUS fidem illorum dixit paralytico. Confide fili remittuntur tibi peccata tua.* Matth. 9. Ibidem infra. *Confide filia, fides tua te saluam fecit.* Et Luc. 17. *Vade quia fides te saluum fecit.* Hæc, & similia importunè objiciunt nobis aduersarii, pro sola fide justificante, & tamen nullo modo intelligi debent de fide, quâ quis credit peccata sibi remissa esse, sed de fide, qua paralyticus, & alii infirmi credebant se à Christo Domino sanari posse, vt ex contextu sacræ scripturæ constat.

Objici-

Objiciunt illud ex Symbolo, *Credo remissionem peccatorum*. Ergo.

RESPONDEO. Sensus hujus Articuli est, credo, & confiteor in Ecclesia Catholica, esse donum remissionis peccatorum, quod per Baptismum, & alia Sacramenta percipitur, vnde, quod in Symbolo Apostolico dicitur, *Credo remissionem peccatorum*, in Constantinopolitano explicatur. *Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum*. Non autem sensus hujus Articuli est, vt hæretici volunt, Credo mihi esse remissa peccata. *Credo remissionem peccatorum quid significat.*

Contra 3. dictum Lutheranorum Dico cum Maldonato in caput 9. Matth. Ista triplex fides, quam Lutherani inuenerunt, figmentum est, somnium est, si vnam haberent, omnem haberent, quia triplicem habent, nullam habent. Probat D. Subtilis in 3. dist. 23. q. 1. num. 6. sic. *Fides omnium credibilium vna est, quia non respicit credibilia sub propriis rationibus illorum, sed vt reuelata sunt à DEO, & credit omnia reuelata ab ipso, tanquam vera esse, eodem habitu, quo credit reuelantem esse veracem.* Ergo fides vna est. Addo. Sicut fides justificans justificat, non quidem formaliter, sed dispositiuè, ita etiam fides miraculorum justificat, Matth. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit*, talis verò fides, est fides miraculorum, vt patet ex sequentibus verbis. *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia ejicient.* Præterea quòd fides historica justificet, constat ex cap. 10. ad Rom. *Si in corde tuo credideris, quòd DEVS illum suscitauit à mortuis, salvus eris.* Et ex 1. ad Corinth. 15. *Notum vobis facio Evangelium, per quod saluamini, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris, & quia sepultus est, & quia resurrexit, tertia die &c.* *Fides triplex figmentum.*

Contra 1. dictum Caluinistarum, dicentium fidem solam dari solis prædestinatis. Dico hoc dictum eorum esse erroneum. Probatur Judas proditor, & Simon Magus, aliquando crediderunt, & tamen non erant prædestinati. De Juda patet, Johan. 6. *Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est.* De Simone act. 5. constat. *Cum verò credidissent Philippo Evangelizanti de regno Dei, & in nomine JESV Christi baptizarentur viri, ac mulieres, tunc Simon & ipse credidit, & cum baptizatus esset adhærebat Philippo.* *Fidem habent non prædestinati.*

Contra 2. dictum Caluinistarum, nimirum fidem amitti non posse. Dico apertè esse contra Apostolum, 1. ad Tim. 1. dicentem *Quidam circa fidem naufragauerunt, ex quibus est Hymeneus, & Alexander.* Et Ratio est, quia si fides amitti non posset, vnde tot hæreses sunt exortæ? *Fides amitti potest.*

Contra 3. dictum Caluinistarum. Dico falsum esse. Tùm quia nemo potest certò credere sibi remissa esse peccata, nisi à DEo id specialiter sit reuelatum. Tùm quia etsi is qui fidem habet, certus esset de sua fide, non tamen certus esset de sua justitia, si sola fides non justificat; nec certus de perseuerantia, si fides amitti potest: nec certus de prædestinatione, si fides communis est reprobis, & prædestinatis.

Errores de justificatione.

NOTA 2. Alii hæretici, vt Ilyricus, tenet formalem nostram justificationem, consistere in Christi Domini obedientia, & justitia nobis imputata. Alii dicunt, vt Hossiander, formalem causam nostræ justificationis, esse ipsam essentialem DEI justitiam nos inhabitantem. Alii asserunt, vt Caluinus *libro 4. institut. cap. 11. & in Antidoto Trident. circa Sess. 6.* formalem causam nostræ justificationis, consistere tantùm in remissione peccatorum, per eorum non imputationem, ob justitiam Christi Domini. Alii verò ponunt, vt Martinus Bucerus, formam nos justificantem, partim esse intrinsecam, partim extrinsecam: intrinseca consistit in virtutibus inhærentibus: extrinsecam verò, esse justitiam Christi Domini, nobis imputatam. Isti omnes errores refutabuntur per conclusiones.

Declaratur similitudine justificatio.

NOTA 3. Similitudine declaratur justificatio. Sit pauper aliquis plenus vlceribus, & vitiosis humoribus: is si medicum adeat, vt sanari possit; Medicus si Catholicè agat, tria faciet. Primò præscribet quasdam dispositiones, ad faciliorem morbi curationem. 2. Præbebit illi potionem, non modo medicam, quâ corpus purgetur, & humores expellantur, sed salubrem, & viuificam, quâ vires pristinæ, & sanitas acquiratur. 3. Addet medicamentum præseruatiuum, ne iterum in morbum incidat, & sanitatis acquisitæ jacturam faciat. Ita secundùm Catholicos res se habet in curatione peccatoris. Primò DEus illi præstat motionem fidei, spei, contritionis, dilectionis, & propositi nouæ vitæ, tanquam dispositiones ad animi curationem præuias: ista enim omnia sunt requisita, tanquam dispositiones, ad primam justificationem. *Sine fide impossibile est placere DEO.* ad Hebr. 11. *Qui sine timore est, non poterit justificari.* Eccl. 1. *Qui sperat in Domino, sanabitur.* Proverb. 28 *Pœnitentiam agite.* Matth. 4. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Luc. 7 *Facite vobis cor nouum, & spiritum nouum.* Ezech. 18. Secundò infundit gratiam justificantem, quâ & peccata tolluntur, & sanitas amissa recuperatur. 3. præscribit peccatori cautionem, vt deinceps insistat piis operibus, & obseruationi mandatorum, ac seriò prospiciat, ne quam consecutus est sanitatem, suo vitio, & negligentiâ deperdat.

perdat.

perdat. Porrò si Caluinisticè medicus procedat, aliter procedet, nempe ægroto offeret suam chlamydem nitidam, elegantem, hortabitur, vt eam manu apprehendat, imponat, vlcera tegat; ac deinde magna securitate in conspectum sui Principis compareat, quippe qui fœditatem corporis, tam eleganti pallio obductam videre non possit. Ita se habet Caluinistica justificatio. Homo peccator, qui propter scelerum suorum horrorem, ac turpitudinem, in conspectum DEi venire non audet, à Christo medico subsidium petit, Christus offert illi suam justitiam, & satisfactionem tanquam pretiosam chlamydem: Hortatur vt fide eam apprehendat, eaq; sua flagitia, quasi velo quodam tegat, ac deinde confidenter, & audacter, in conspectum DEi se sistat, à quo sine dubio, innocens, ac mundus declarabitur: En quam pulchra Caluinistica justificatio! *Caluinistica justificatio.*

NOTA 4. Justificatio sumitur, vel pro acquisitione, justitiæ, is enim quem DEus justificat, id est, justum facit, dicitur acquirere justitiam, & de hac loquitur Apostolus ad Eph. 2. *Gratia saluati estis per fidem, non ex operibus*, vel sumitur pro augmento justitiæ, & hæc non est gratuita sicut prior, sed ex meritis bonorum operum: & de hac loquitur S. Jacobus cap. 2. *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm.*

NOTA 5. Justificatio quadrupliciter sumitur. *Primò* pro actione justificantis effectiuè, & hæc justificatio est ipsa Diuina volitio. 2. Pro justificatione formali, quæ est ipse actus formalis, formæ justificatiuæ. 3. Sumitur justificatio passiuè, & hoc modo tripliciter juxta Sanctum Bonauenturam *in 4. dist. 17. q. 1.* Quandoq; enim dicitur justificatio ad justitiam præparatio, quandoq; justitiæ susceptio, quandoq; verò in justitia exercitatio. 4. Sumitur pro executione ejus, quod justum est, sic præceptorum obseruatio dicitur justificatio, quia per eam justa exequuntur, & fiunt. *Iustificatio sumitur quadrupliciter.*

NOTA 6 In hominis peccatoris justificatione, imittit DEus pro sua misericordia in animam, Diuinum, admirabile, ac supernaturale donum Spiritus Sancti, videlicet, gratiam, quæ est qualitas quædam, diuinitùs infusa animæ, quâ fugantur peccata, & per quàm accipit anima nitorem, Diuinamq; pulchritudinem, quâ homo fit gratus DEo, amicus, & filius DEi. Porrò hoc donum propter suam excellentiam, illustriaq; officia, sortitur in scripturis varia nomina. Primò vocatur gratia. *Justificati gratis per gratiam ipsius*; idq; duabus de causis; tùm quia gratis datur, *Gratia quid* *Varia nomina gratiæ*

tùm

tùm quia, gratos nos efficit DEo. 2. dicitur Spiritus Sanctus; *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Act. 2.* 3. Vocatur Arrha, seu pignus hæreditatis. Ad Rom. 8. *Si enim filii sumus, vtiq; & hæredes, hæredes quidem DEi, cohæredes autem Christi.* Quicunq; enim hoc donum, à morte sua secum feret ad tribunal DEi, non minùs juris habebit ad æternam gloriam adeundam, quàm ad mercedem plenam, & solutionem habet is, qui post officium præstitum, arrham exhibet. 4. Vocatur lux sicut enim aduentu lucis pelluntur tenebræ, & picturæ tectæ tenebris, fiunt conspicuæ, ita simul atq; hoc donum in animam immittitur, profligantur peccata omnia illustraturq; animus hominis, adeò, vt mens, quæ priùs excœcata erat, iam videat, & quæ in ipso peccati statu, obscura fuerant, nulliusq; apud DEum meriti, illa jam pristinum recipiant splendorem, ita vt à DEo videantur, & probentur. 5. Vocatur gloria DEi, juxta illud. *Omnes peccauerunt, & egent gloriâ DEi.* ad Rom. 3. id est gratiâ DEi, quæ reddit hominem cœlestem, diuinum, consortem Diuinæ naturæ, & nouam creaturam 6. Dicitur vita, *b* spiritus viuit propter justificationem, vel juxta Græcos propter justitiam, sine hoc enim dono Spiritus Sancti, mortuus est, etiam is, qui corpore viuit, cùm hoc sit gratia DEi animæ, quod anima ipsa est corpori. 7. Vocatur sanctitas, quia per gratiam DEi sanctificamur. ad Eph. 2. Deniq; vocatur semen gloriæ. 2. Joan. 3. Fons aquæ salientis in vitam æternam. Joan. 4. Vestis nuptialis. Matth. 22. stola prima Luc. 15. Justitia, tùm quia per eam, reddit homo cuiq; quod suum est: tum quia per eam restituitur animæ similitudo DEi, efficiturq; vt anima suo creatori respondeat.

Gratia arrha

Gratia lux

Gratia dicitur gloria.

b. ad Rom. 8.

Gratia vita

Gratia sanctitas.

Semen gloria stola prima.

DICO 1. Fides non est causa formalis, nostræ justificationis. Hæc Conclusio constat ex Notando 1. vbi hunc errorem Lutheranorum, & Caluinistarum refutauimus fuse.

Per essentialem Dei justitiam non fit justificatio.

DICO 2. Affirmare homines justificari formaliter, per essentialem DEi justitiam, est crassus error. Ita Concil. Trident. *Sess. 6. cap. 7.* vbi dicitur, *Vnica formalis causa nostræ justificationis, est justitia DEi, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit.* S. Augúst. Ep. 120. cap: 3. inquit. *Justificat impium DEus non illa justitiâ, quâ ipse justus est, æternâ suâ incommutabili justitiâ.* Vnde inde sic argumentum conficitur. Illa justitia, quâ DEus in se essentialiter justus est, æterna est, & incommutabilis, nostra verò justitia est temporanea, mutabilis, & sæpè mutatur, ac perditur, Ergo longè alia debet esse. Probatur D. Subtilis *in 1. dist. 17. q. 3 num. 18.* contra

contra hanc sententiam, negantem charitatem animæ inhærentem, seu esse quid creatum, ex duplici via, prima est ex justificatione peccatoris, secunda via est ex ratione actus meritorii.

Probatur 3. Quia hac ratione, omnes justi æquè essent justi, ac Sancti, sicut DEus, vel sicut Christus Dominus, quatenùs sanctificabatur per substantialem Dei sanctitatem, cui hypostaticè erat vnitus. Confirmatur Christus Dominus, fuit justus per justitiam creatam, non verò increatam. Ergo & justi. Antecedens patet ex Psal. 44. vbi dicitur. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te DEVS, DEVS tuus oleo lætitiæ, præ consortibus tuis.* Quod omnes Patres exponunt, de sanctitate, justitia, & virtutibus creatis, redundantibus in Christi Domini humanitatem, quæ erat, quasi vestimentum Diuinitatis, à sanctitate, & justitia increata Verbi.

Dico 3. Justificatio non consistit in sola remissione peccatorum, sed etiam in infusione gratiæ. Ita definitum est in Concil. Trid. *Sess. 6. cap. 7.* vbi dicitur, *Justificatio, non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum &c.* Confirmatur Quia de potentia Dei ordinaria, DEus non remittit peccatum mortale, absq; infusione gratiæ. Ergo justificatio, non consistit in sola remissione. *Justificatio non est remissio peccatorum.*

Dico 4. Justificatio, non est imputatio justitiæ Christi Domini. Est contra Caluinum *libro 3. Inst. cap. 11. §. 23.* vbi tria dicit. 1. Justitiam Christi vocari imputatiuam, quia nobis imputatur; imputari autem eam nobis, quando eam fide apprehendimus. 2. Hac ipsâ justitiâ, & non aliâ, coram DEo nos justificari. 3. Hanc Christi justitiam, quâ justi efficimur, non esse increatam, sed creatam, nec habitualem, sed actualem, nimirum ipsam Christi Domini obedientiam, quâ se morti obtulit, & legem DEi impleuit. *Justificatio non est imputatio.*

Contra Errat Caluinus; Quia vt mox ostendetur, infundi nobis gratiam inhærentem, quâ intrinsecùs justi constituimur. Ergo falsum est, solâ Christi justitiâ, nos justos censeri. Antecedens etiam ipse his verbis concedit libro de vera ratione reformandæ Ecclesiæ à principio. *Nunquam reconciliamur DEo, quin simul donemur inhærente justitia.* Ergo Caluinus repugnat sibi ipsi, cum alibi ait, solà Christi justitia nos justos effici. Aduerte hic, nos agnoscere justitiam imputatiuam Christi Domini, quæ nobis imputatur, sed non eo modo, quo agnoscunt aduersarii, nam illi putant, *Contradicit sibi Caluinus*

tant, hominem solâ justitiâ Christi Domini justum esse, nec admittunt justitiam inhærentem. Nos Catholici contrà. Hominem justum esse, justitiâ inhærente, & hanc justitiam inhærentem illi dari propter justitiam Christi, id est, propter ipsius passionem, & mortem, quam pro nobis sustinuit.

Objiciunt 1. Ad Rom. 4. dicitur. *Credenti in eum, qui justificat impium, reputatur ei fides ad justitiam.* Respondeo. Aliud est fidem, quæ in nobis est, imputari nobis ad justitiam: aliud justitiam Christi Domini, quæ extra nos est, imputari nobis ad justitiam: illud prius, dicit Apostolus, non hoc secundum.

Christus quomodo justitia nostra.

Objiciunt 2. *Christus factus est nobis à DEo sapientia, & justitia, & redemptio.* 1. Corinth. 1. Ergo. Respondeo. Non quæritur, an Christus sit nostra justitia, sed an justitia Christi sit nostra justitia: Illud prius, fatemur cum Apostolo effectiuè, quia ipse nos justos fecit, sicut, & redemit, hoc verò posterius, negamus: nam quomodo DEus est fortitudo nostra, patientia nostra *Psalmo 70.* Illuminatio *Psal. 26.* eodem modo est justitia nostra. Sed non est fortitudo, patientia nostra imputatiuè, sed effectiuè. Ergo simili modo, & justitia.

Objiciunt 3. Ad Rom. 5. dicitur *Per vnius obeditionem justi constituuntur multi.* Ergo obedientia Christi Domini, est nostra justitia, quia per illam justi constituimur.

Respondeo. Nos meritoriè justos constitui, per obedientiam Christi Domini, non tamen formaliter; & hoc intelligit Apostolus: opponit enim obedientiam Christi Domini, obedientiæ Adami. Sed per inobedientiam Adami constituimur injusti, non formaliter, sed demeritoriè. Ergo similiter per obedientiam Christi Domini, non formaliter, sed meritoriè constituimur justi: Sicut enim Adam, per suam inobedientiam meritus est posteris, vt in seipsis contraherent peccatum originale, quo in se injusti fiant, ita è contrario, Christus Dominus per suam obedientiam meritus est, vt in seipsis homines haberent gratiam, seu justitiam inhærentem, quâ in se justi sint.

Dico 5. In justificatione hominis peccatoris, verè tolluntur peccata, & non tantùm teguntur. Probatur 1. ex sacris literis. Joan. 1. dicitur. *Ecce Agnus DEi, ecce qui tollit peccata mundi.* Act. 3. *Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* Ad Hebr. 9. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Mich. 7. *Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra.* Ex quibus sic arguo; Id quod tollitur, deletur, & exhau-

exhauritur, & longè projicitur ab homine, non manet in homine. Sed in justificatione peccatum tollitur, deletur, exhauritur, & longè projicitur. Ergo non manet in homine. *Probatur* 2. Ratione ex metaphoris deducta. *Peccata* vocantur maculæ: *Hierem.* 2. Vincula *Prov.* 5. vulnera, liuores *Isai.* 30. Sed in justificatione peccatoris maculæ abluuntur, *Abluti estis, sanctificati estis.* 1. *ad Corinth.* 6. vincula disrumpuntur *Psalmo* 115. *Dirupisti Domine vincula mea.* vulnera sanantur. &c.

OBJICIUNT. Psalmo 31. dicitur, peccata tegi, non tolli, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Ergo.

Respondet *S.* August. super hunc Psalmum, Quòd DEus tegat peccata, sanando, & auferendo illa, sicut medicus vulnus tegit emplastro, & curat. *Quid sit tegi peccata.*

DICO 6. *D*Eus in justificatione, infundit homini gratiam habitualem, seu justitiam inhærentem, quâ homo interiùs renouatur, & sanctus efficitur. Probatur 1. ex Sacris literis. Ad Eph. 4. dicitur. *Renouamini Spiritu mentis vestræ.* Et 1. ad Corinth. 3. *Nescitis quia templum DEi estis, & Spiritus DEi habitat in vobis* nimirum. *per sanctitatem, justitiam, & charitatem,* juxta illud ad Rom. 3. *Charitas Dei, diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Ad Colos. 3. *Induentes nouum hominem. &c.* vbi Apostolus hortatur nos, ad interiorem hominis renouationem, quæ renouatio, fit per infusionem gratiæ habitualis. Probatur 2. ex Concilio Tridentino, quòd Sess. 6. Can. 11. dicit. *Si quis dixerit homines justificari vel solâ imputatione justitiæ Christi Domini, vel solâ peccatorum remissione exclusâ gratiâ, & charitate; aut etiam gratiam, quâ justificamur, esse tantùm fauorem DEi, anathema sit.* Præterea ipse Caluinus dicit, *nos reconciliari DEo, inhærente justitia,* vt citauimus eum, sub 4. *Conclusione.* Deniq; probatur ratione. Quandocunq; subjectum transit, à contradictorio in contradictorium, vel à contrario in contrarium reale, ibi in eo est vera mutatio realis. Sed peccator dum ex injusto fit justus, transit de contrario in contrarium, & de contradictorio, in contradictorium. Ergo est in eo vera mutatio realis, quia post priuationem gratiæ, acquirit gratiam. Vnde Concil. Trident. Sess. 6. cap. 7. *Justificationem dicit esse sanctificationem, & renouationem interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum, vnde homo ex injusto fit justus, & ex inimico, amicus. &c.* *In justificatione, Deus infundit gratiam.*

DICO 7. Justificatio (sic potest describi) est mutatio, seu translatio peccatoris, à statu peccati, in statum gratiæ. Patet Ad Colosen. 1. dicitur. *Justificatio definitur.*

Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit, in regnum filij sui. Et 1. Petri 2. *Vt peccatis mortui, justitia vivatis.* Confirmatur sicut calefactio, quâ quis ex frigido fit calidus, continet depulsionem frigoris & inductionem caloris, ita justificatio, de potentia DEi ordinaria, continet remissionem culpæ, & infusionem gratiæ.

Aduerte hic ex D. Subtili *in 3. dist. 3. q. 1. num. 12.* quòd justificatio passiua, id est, ista infusio gratiæ, non est propriè motus, nec mutatio, sed habet aliquid de vtroq;. Quòd non sit strictè motus, patet, quia non est fluxus, secundùm partes formæ, vel mobilis, vel medii inter extrema. Quòd non mutatio, constat, quia non producitur in mensura indiuisibili: potest tamen dici, motus quoad istam conditionem, quia licet ista gratia sit indiuisibilis, causatur tamen in mensura diuisibili: potest etiam dici mutatio, ex eo, quia licet non producatur in instanti, totaliter tamen, & impartibiliter producitur, quia vt forma simplex, & indiuisibilis inest subjecto.

Justificatio an sit mutatio.

QVÆRES. *Quænam sint Causæ justificationis?*

NOTA. Quòd in rebus naturalibus fit, vt omnes habeant causas suas, nimirum efficientem, formalem, materialem, & finalem, id quoq; in justificatione peccatoris videre licet, & Concil. Trident. definiuit *Sess. 6. cap. 7.*

Causa efficiens justificationis principalis Deus.

DICO 1. DEus solus, est causa principalis justificationis. Probatur Isaiæ 43. dicitur. *Ego sum qui deleo iniquitates.* Ad Rom. 3. *Vnus est DEus, qui justificat.* S. August. in illud Psalmi 118. *Feci judicium, & justitiam*, ait *DEum justitiam in nobis operari, sine nobis.* Et Psal. 83. dicitur. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Ratio est, quia si aliqua creatura posset justificare, & peccata remittere, posset, & creare, cùm gratia habitualis, quæ in justificatione datur, creatur. Sed non potest creare Ergo nec justificare.

Christus Dominus qualis causa nostræ justificationis?

DICO 2. Christus Dominus quà homo, est causa meritoria, seu moralis effectiua nostræ justificationis. Ita Trident. loco citato. Probat D. Subt. *in 4. dist. 2. q. 1.* Quia omnia remedia nobis ad salutem, sunt præmia operum ejus.

Instrumentalis causa.

DICO 3. Causæ instrumentales justificationis, quà quis ex impio fit justus, ordinariè sunt duo Sacramenta, Baptismus, & Pœnitentia, quæ ideò vocantur Sacramenta mortuorum, quia ab iis suscipi debent, (qui secundùm animam mortui sunt,) vt justificentur, & ad vitam justitiæ redeant.

deant. Reliqua verò Sacramenta sunt instrumenta augmenti gratiæ, quâ quis ex justo, fit justior. An autem Sacramenta, concurrant instrumentaliter ad causandam gratiam, physicè, vel moraliter? D. Subt. *in 4. dist. 1. q. 5.* solùm concedit moralem efficientiam Sacramentorum respectu gratiæ: & certè hæc sententia est probalior, quia omninò in aliquibus casibus, hæc efficientia concedi debet, cur igitur in omnibus concedi non possit?

Formalis causa justificationis.

DICO 4. Formalis causa justificationis, est justitia habitualis, quæ homini à DEo infunditur, cùm justificatur. Ita Trident. loco citato. Probatur. Quia sicut forma dat esse rei, ita gratia sanctificans dat esse justitiæ & sanctificationis: sicut enim per sapientiam internam, homo est sapiens, per calorem calidus, per albedinem albus, ita per gratiam fit justificatus.

Causa materialis.

DICO 5. Causa materialis justificationis, est anima hominis, seu voluntas hominis. Patet, quia cum constet gratiam sanctificantem (quæ est forma justificationis) existere in anima hominis justi, tanquam in subjecto. Ergo anima justificationis est subjectum. Porrò sicut in mutationibus naturalibus, antecedunt quædam dispositiones, quæ præparant subjectum, ad formam inducendam, V. G. aqua calefacienda, ex flumine hauritur, olæ infunditur, igni admouetur, ita ante hominis justificationem, quædam præcedunt, partim interna vocatio, vt illuminatio mentis, bonaq; affectio voluntatis, quàm DEus sæpè cum externis illis occasionibus vocando, excitando adjungit, atq; etiam subinde, sine illis immittit: vt Pauli cor prosternendo tetigit, Petrum autem in domo Pontificis, solo interno aspectu, ad pœnitentiam commouit; & hæc vocatur gratia præueniens. partim internæ mentis operationes, partim externa opera, quæ licet justificationem non efficiant, neq; de condigno mereantur, aptant tamen hominis animum ad justitiæ infusionem. Et de his operibus loquitur Isaias cap 40. *Parate viam Domino, rectas facite semitas ejus.* Et 1. Reg. 7. *Præparate corda vestra Domino.*

Præparatio ad justificationem.

Causa finalis.

DICO 6. Causa finalis Justificationis impii, est triplex. 1. DEi gloria, quia *vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Prouerb. 16. ex justificatione enim peccatoris, manifestatur gloria DEi, cum juxta *S. Aug.* Tract. in Joan. *Majus opus DEi sit impium justificare, quàm cœlum, & terram creare.* 2. Honor Christi hominis, cum justificatio tendat, ad merita Christi Domini illustranda. 3. Salus, & felicitas ejus, qui justificatur, nam

 gratia,

gratia, quæ confertur in justificatione, proximè tendit, ad salutem, juxta illud ad Rom. 6. *Nunc verò liberati à peccato &c. habetis finem vitam æternam.*

PETES *An homo possit habere certitudinem fidei, de sua justificatione?*

RESPONDEO. Quòd certitudo fidei non habetur, nisi de re diuinitùs reuelata; vnde si DEus alicui reuelaret, se ipsi remittere peccata, is haberet certitudinem fidei, de sua justificatione, quod contigit Zachæo, latroni, Magdalenæ, & multis aliis; sine reuelatione, *Nescit homo, an amore, vel odio dignus sit.* Eccl. 9.

ARTICVLVS. VIII.

Vtrum pœnitentia in extremis facta valeat?

Videtur quòd non. 1. S. August. in quodam sermone, de illo qui pœnitet in extremis, inquit. *Non præsumimus, quòd benè hinc exit.* 2. Nulli dimittitur peccatum mortale, nisi per aliquam pœnam temporalem correspondentem. Sed pœnitens in extremis, nullam pœnam soluit, vel saltem non sufficientem. Quod si dixeris quia hanc pœnam in purgatorio soluet. Contra moriens in peccato mortali damnatur statim. Ergo moriens in gratia statim saluabitur, & consequenter nullam pœnam, post mortem soluet. 3. Nulla pœnitentia sufficit ad salutem, nisi voluntaria. Sed pœnitens in extremis, non dimittit peccata, sed potiùs peccata illum dimittunt. Ergo 4. Asserere pœnitentiam serotinam valere, est contradicere legi DEi. Ergo Antecedens patet, quia nihil est ordinatum à legislatore, quod est occasio transgrediendi legem, & præcipuè multis. Sed sic est quod pœnitentiam serotinam valere, est occasio multis continuandi peccata, vsq; ad extremum vitæ. Ergo, &c. Major patet, quia talis legislator faceret aliquid per se, quod esset in destructionem legis suæ, quod non est judicandum legislatorem velle, cùm faciat legem, vt illa obseruetur. Minor est clara, Quis enim non continuet peccare per totam vitam, si brevis pœnitentia in fine vitæ saluaret?

DICO 1. Pœnitentia vera, siue interior sola, siue exterior cum susceptione Sacramenti, sufficit ad salutem alicujus in extremis positi. Probatur Tùm quia Ezechiel. 33. dicitur. *Quacunq; die conversus fuerit impius. &c.* Ergo & in extremis, Tùm quia S. Aug. lib. de vera, & falsa pœnitentia, dicit. *Pœnitentia si in extremo hiatu aduenerit, sanat & liberat.* Et subdit infra. *Multùm sera fuit pœnitentia latronis, sed non fuit sera indulgentia.* Tùm quia quiuis in extremis potest demereri. Ergo & mereri.

DICO

Dico 2. Illa opinio, quæ asserit interdum aliquos in hac vita peruenire ad eum statum, & cumulum peccatorum, vt jam non valeant sufficientem pœnitentiam facere, quâ exeant à statu peccati, falsa est. Ita Doctor Subtilis *in 4. dist. 20* Probatur 1 ex sacris literis. Matth. 9. dicitur. *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Ad Rom. 9. *Ignoras quoniam benignitas DEi, ad pœnitentiam te adducit, secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram &c* Ergo falsum est, quòd DEus aliquos aliquando ita deserat, vt non possint facere fructuosam pœnitentiam. Ezechiel. 18. dicitur. *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & vivat.* Et rursus. *Nunquid voluntatis meæ est, mors impij?* Probatur ratione. Quia statui vitæ repugnat, vt viator in aliqua parte illius non possit mereri, de ratione enim viæ est, vt in ea semper possit ad terminum accedi. Ergo repugnat huic statui, quòd homo priuetur potestate accedendi ad terminum. Vnde in Concilio Tridentino Sess. 6. cap. 4. dicitur. *in hac vita neminem deseri á DEo, nisi priùs ipse DEUM deserat.* Ratio à priori assignatur, ex Diuina promissione, orta ex misericordia, & fundatâ in justitia Christi Domini. Ergo necessariò dicendum est, DEum nemini, quantumcunq; graui peccatori, negare pro hac vita vsq; ad extremum, auxilia necessaria ad faciendam veram, & fructuosam pœnitentiam.

In via homo potest mereri.

Dices 1. Ad Rom. 9. dicitur. *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Et Eccl. 7. *Considera opera DEi, quia nullus potest corrigere, quem ipse despexerit.* Et Psal. 80. Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis. Et Hierem. 16. *Curauimus Babylonem, & non est curata, derelinquamus eam.* Et 2. Machab. 9. de Antiocho dicitur. *Orabat scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus.* & ad Hebr. 12. de Esau dicitur. *Non inuenit pœnitentiæ locum, licet cum lachrymis quæsiuisset illam.* Ergo DEus denegat aliquibus sua auxilia propter peccata.

Respondeo. Ex his authoritatibus hoc haberi, quòd postquam DEus, dedit illis sufficientia auxilia, quibus quidem verè, & actu saluari possent, & videt illos eis abuti, permittere vult, vt labantur in finalem impœnitentiam, neq; vult illis vberiora illa, & plusquàm sufficientia auxilia tribuere, quæ aliquibus peccatoribus quandoq; dedit, quia hoc non expedit vniuersali Ecclesiæ, & justitiæ Diuinæ, sic enim homines se vitiis traderent, fiderent enim tandem, DEum auxiliis efficacissimis, & plurimis sufficientibus illos adjuuaturum, atq; quodammodo impulsurum ad pœni-

Explicatur loca sacra scripturæ.

pœnitentiam fructuosam: ac proinde cùm timore, & tremore operari debemus salutem nostram: quia si auxilia sufficientia despicimus, quis scit, si daturus sit nobis DEus, plusquam sufficientia, licet illa aliquando concesserit aliquibus, vt latroni, Magdalenæ, & aliis. Sic ergo indurat negatiuè, non positiuè, non conferendo scilicet auxilium plusquàm sufficiens, non autem denegando sufficientia, & necessaria. Et sic prima, secunda, tertia, & quarta authoritas, ex sacra scriptura allata, soluitur. Ad illam authoritatem de Antiocho, Dico, Antiochum non orâsse, petendo veram pœnitentiam, vel gratiam adjuvantem ad illam, sed petendo salutem corporis, vt constat ex illis verbis. *Non desperans memetipsum, sed spem multam habens fugiendi infirmitatem*: & ideò mirum non est, quòd misericordiam non fuerit consecutus. Ad testimonium de Esau, Dico, quòd in illo loco, non est sermo de pœnitentia peccati, sed de retractatione prioris facti, nimirum benedictionis, quam dederat Jacob.

DICES 2. Videmus DEum aliquando punire peccatorem, actualiter peccantem, & aliquando viuos demergere in infernum, vt Core, Dathan & Abiron.

RESPONDEO. Concedo DEum aliquando interficere corporaliter, vt alii peccare timeant, DEus tamen tunc cum illis ita se gerit, vt si in illo puncto mortis vellent pœnitentiam agere, illis non deerit auxilium necessarium.

Pœnitentia in extremis vix est sufficiens ad salutem.

DICO 3. Pœnitentia quæ habetur in extremis, vix est sufficiens ad salutem, ex eo, quia tunc est difficilè habere veram pœnitentiam. Probat D. Subtilis *in 4. dist. 20.* Primò Quia tunc impeditur vsus liberi arbitrii, ex dolore, vel timore, inhærentibus animæ sensitiuæ: passiones autem causatæ ab objectis tristantibus, vel tristibus, plus mouent, quàm passiones causatæ ab objectis delectabilibus, juxta S. August. *83. qq. q. 36.* passio autem causata à vehementi delectabili, quandoq; impedit totaliter, vel ferè vsum rationis. Ergo multò magis, passio causata ab objecto tristabili; in extremis autem, est vehemens dolor, & tristitia, ac timor; ad pœnitentiam autem fructuosam, requiritur liber vsus rationis, & voluntatis. Ergo in extremis est difficilis vera pænitentia, quia licet liberum arbitrium, non penitùs tollatur, tamen impeditur. 2. Ad hoc vt displicentia de peccato sit ordinata, & valeat, oportet quòd sit debitè circumstantionata, maximè circumstantia finis, id est, vt fiat propter DEum; debet etiam habere circumstantiam, principii actiui principalis, quæ est voluntas, vt eliciatur

2. ratio.

liberè.

liberè. Sed in extremis, difficile est habere displicentiam, sic debitè circumstantionatam, quia qui vsq; ad extremum vitæ fuit impœnitens, videtur extorquere à seipso illam displicentiam peccati, non propter DEum, sed propter timorem imminentis periculi. V. G. inferni. Tertiò probat. Quia habitus malus, vsq; tunc continuatus, multùm retrahit ab actu pœnitentiæ. Ergo talis habitus, si perseueret vsq; ad extremum vitæ, difficilem reddit actum verum pœnitentiæ. Quarto probat Quantò aliquis est minùs dominus sui actus, tantò requiritur intensior displicentia, ad hoc, quod sit dispositio sufficiens ad deletionem culpæ. Sed qui est in extremis, est minùs dominus sui actus, quàm sanus. Ergo requireretur secundùm strictam justitiam, intensior motus displicentiæ ad justificationem illius, quàm sani. Sed vix potest habere actum, æquè intensum ac sanus. Ergo pœnitentia in extremis, est valdè difficilis. Minor patet, quia qui est in extremis, non est dominus actus sui exterioris ad peccandum. Ergo est minùs dominus, quàm sanus, qui est dominus interioris & exterioris actus. Vnde S. August. homilia 41. inquit *Age pœnitentiam dum sanus es. si sic agis, securus es, quia pœnitentiam egisti, quando peccare potuisti: Si autem vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimittunt, non tu illa.* Quare idem S. August. ibidem ait. *Magnum est, cui DEus in extremis, inspirat veram pœnitentiam: quia vix, vel nunquam est aliquis, qui sic distulerit pœnitentiam, & toties gratiæ præuenienti restiterit, qui in eo tempore consentiat, & sic se disponat de congruo ad gratiam.* Confirmatur 1. Quia sani hominis, sana pœnitentia, infirmi infirma, mortui, mortua, & exanguis. Confirmatur 2. Primitias terræ, ac primogenita animantium, offerri sibi lege priscâ, DEus voluit. *Præcoquas ficus desiderauit anima mea.* Mich. 7. Vnde si ætatem vegetam offert DEo aliquis, vitia deseret, & virtutes amplectetur, si verò ætatem vietam, ille potiùs à vitiis derelinquetur, non ipse vitia. Hinc ex dictis D. Subtilis. 3. ratio. 4. ratio.

Collige 1. Quòd sano persuadendum est, vt sanus pœniteat, incutiendo sibi timorem, quàm periculosum sit expectare serotinam pœnitentiam. teste S. August. homil. 41. *Si quis* inquit *positus in vltima necessitate ægritudinis suæ, voluerit accipere pœnitentiam. Si securus hinc exierit, nescio, pœnitentiam dare possumus, non securitatem: nunquid dico damnabitur, sed nec dico liberabitur. Vis ergo à dubio liberari, age pœnitentiam dum sanus es. Quia pœnitentia sera, rarò fit vera.*

Collige 2. Quod infirmo in extremis suadendum est, vt secundùm

dùm suam possibilitatem laboret, poenitentiam habere ordinatam, vt scilicet non obstante dolore, vel timore, vtatur ratione, quantum potest, & nitatur habere displicentiam voluntariam, propter finem debitum, scilicet propter DEum, & renitatur malæ inclinationi habitus, & delectationum præsentium, & curet habere displicentiam peccatorum, licet breuem, ne verò in desperationem mittatur, extollenda sibi est misericordia DEi, proponenda exempla, latronis, Zachæi, Matthæi, & aliorum, quorum licet poenitentia fuerit sera, sed non sera indulgentia. Ad primum in oppositum RESPONDEO. Quòd probat hanc vltimam conclusionem, quia præsumptio est, secundùm ea, quæ eueniunt, vt in pluribus, & quia vt in pluribus, difficile est, vt qui differt poenitentiam ad extremum, dignè poeniteat; & hoc dicit S. August. Ad 2. dico Quòd poenitens in extremis, poenam temporalem soluet in purgatorio, quam tamen Sacerdos, non debet illi imponere, proponere tamen debet Poenitenti, quàm poenam mereatur, & dicere illi, si conualueris, studebis illam adimplere, nunc autem, quia es in manu Domini, confide de misericordia DEi: qui etiamsi te puniet tamen cùm misericordia. Posito casu quòd non possit protrahi sermo, non specificet poenam, sed instruat poenitentem de misericordia, & iustitia DEi, ita tamen, ne illum in desperationem inducat. Ad instantiam Dico, Quòd moriens in peccato, ideò damnatur, quia non poenituit, moriens autem in gratia DEi, statim saluatur, si non est debitor alicujus poenitentiæ. Ad 3. Respondeo. Quamdiu homo habet vsum liberi arbitrii, licet non semper possit peccare peccato exteriori, tamē semper potest actu interiori, & tali actu interiori, potest homo peccare, quia hoc peccatum, non dimisit hominem, sed in eo manet, vsq; ad mortem, nisi homo dimittat illud, potest ergo homo in extremis dimittere illud. Similiter possèt peccare actu exteriori, non actu illud perpetrando, sed voluntate conditionata, si posset. Ad 4. Respondeo Istud statutum, quòd quis in extremis pœnitere possit, non dat occasionem peccandi, sed est occasio accepta ab imperfectis, sed secundùm se, est occasio seruandi legem propter amorem legislatoris, qui tantæ misericordiæ est, erga miseros, vt nunquam eis claudat, sinum misericordiæ. Confirmatur Quia quando prouenit ex aliqua re, majus bonum, quàm sit malum, quod ex ea indirectè, tanquam ex occasione accepta venit, tunc illa res, nullo modo est prætermittenda. Sed majus bonum est, quosdam vsq; in finem malos, per poenitentiam saluari, quam malum sit peccatum, ex istius occasione factum, quia

Consilium practicum.

In extremis potest peccare actu interiori.

Nota distinctionem.

quia per istam pœnitentiam multi saluantur in extremis, per illam autem occasionem Diuinam, nulli cadunt ab isto, & si aliquando peccant, tamen non peccato, quo finaliter damnentur.

ARTICVLVS IX.

Vtrum post hanc vitam, possit peccatum dimitti quoad culpam?

Difficultas præsens procedit, tam de peccato mortali, quàm de veniali.

DICO 1. Peccatum mortale, in altera vita non dimittitur. Patet quia in altera vita, non erit tempus pœnitentiam faciendi, neq; merendi, neq; gratiam consequendi, juxta illud Apocal. 10. *Jurauit per viuentem in secula seculorum, quia non erit tempus ampliùs.* Confirmatur ex Tridentino Sess. 6. cap. 7. vbi dicitur. *Peccatum mortale nunquam remitti, sine infusione* gratiæ; nam causa formalis nostræ justificationis, est gratia habitualis. Sed sine causa formali, effectus formalis haberi non potest. Ergo neq; peccati remissio, sine infusione gratiæ, de potentiâ DEi ordinariâ. Subsumo. Sed in altera vita, jam non est tempus gratiam consequendi. Ergo nec tempus, peccatum mortale dimittendi. Confirmatur 2. Omne tempus merendi, vna cum vita finitur, juxta illud Eccles. 14. *Ante obitum tuum operare justitiam: quia non est apud inferos inuenire cibum.* Et juxta illud Joan. 9. *Venit nox*, (id est mors) *quando nemo potest operari.* *Peccatum mortale non dimittitur in alia vita.*

DICO 2. Peccatum veniale post hanc vitam, etiam quoad culpam, remittitur homini existenti in gratia. Istam conclusionem omnes admittunt. Probat D. Subt. *in 4. dist. 21. Quæst. 1. num. 8.* vbi dicit, veniale remitti non per solutionem pœnæ, sed per actum pium ante, vel in ipso instanti mortis, nam cùm moriens in charitate, facit opus magis acceptum DEo, quàm fuerit displicens culpa venialis, hoc enim est meritorium deletionis illius culpæ venialis. Vel propter aliqua bona opera priùs facta, & hæc vel relata ab ipso operante, ad hæc peccata venialia remittenda, vel relata ab ipso DEo acceptante in ordine ad illa. Subdit D. Subt. Quòd omne peccatum veniale morientis in charitate, remittitur in hac vita, nisi fortè dicat aliquis DEum hoc ordinasse, quòd bona merita istius reseruentur vsq; ad instans mortis, in Diuina acceptione, quando scilicet desinit viator esse. *Hinc D. Subt.* *Veniale dimittitur.*

COLLIGIT. Ponere in anima post mortem, motum aliquem bonum, per quem tanquam per dispositionem, vel meritum de congruo, vel de con-

condigno, deleatur veniale, non videtur consonum doctrinæ Theologicæ, quæ ponit statum illum, non esse statum merendi.

Peccatum veniale in alia vita potest dimitti.

Dico 3. Peccatum veniale remanens in damnato in inferno, potest dimitti. Est hæc conclusio contra Thomistas. Probatur 1. Nihil aliud est culpæ venialis remissio, quàm solutio pœnæ temporalis, debitæ ipsi culpæ veniali. Ergo soluta pœna debita pro peccato ipso veniali, siue in hac vita, siue in purgatorio, siue in inferno, dimittitur culpa venialis. Antecedens patet: quia post actum transeuntem, culpa, quæ manet, nihil aliud est, quàm ordinatio, seu reatus, vel obligatio ad pœnam, vt dixi *Q. 1. Sect. 1. a. 2.* Probatur 2. Peccatum veniale, stat cum gratia, & intra latitudinem gratiæ, ideò cùm peccatum veniale abstrahat ab existentia gratiæ in subjecto & à non existentia gratiæ in subjecto; sicut cùm committitur, gratiam non expellit, ita in remissione, gratiâ non eget, quia ab illa omninò abstrahit: cùm igitur in peccato veniali, non attendatur status bonus, vel malus, viæ, vel termini, quia potest stare cum statu bono, & cum statu malo viæ, vel termini, & sic potest dimitti etiam quoad culpam in inferno damnatis.

Dices Sancti Patres distinguunt, inter dimissionem culpæ & solutionem pœnæ. Ergo solutio pœnæ, non est dimissio culpæ.

Respondeo. Hoc verum est, de peccato mortali, nam remissio culpæ mortalis, est commutatio pœnæ æternæ, in temporalem, & collatio gratiæ gratum facientis, solutio autem, aut dimissio pœnæ, est condonatio, vel exactio pœnæ temporalis, in quam æterna fuit commutata. Ex quo sequitur quòd culpa, quæ manet post actum peccati, sit reatus, siue obligatio ad pœnam, quia dimissio culpæ, est ablatio hujus reatus ad pœnam æternam, & commutationis in pœnam temporalem. Quare dimissio culpæ venialis, est propriè reuocatio, & obligationis ad pœnam temporalem ablatio, solutio autem pœnæ venialis peccati, est exactio ejusdem pœnæ: & sic differunt dimissio culpæ, & solutio pœnæ, & tamen simul stant, quòd solutio pœnæ temporalis, debitæ culpæ veniali, sit dimissio ipsius culpæ venialis, quoniam ad solutionem pœnæ debitæ, tollitur reatus, & obligatio ad illam. Hinc

Solutio pœnæ venialis peccati.

Collige Peccato veniali, siue hic puniendo, siue in inferno, siue alibi non debetur nisi pœna temporalis, nec per se, nec per accidens, vt mox dicam, quia pœna damnationis, non est correspondens veniali, esset enim nimis rigorosa, & vltra limites justitiæ. Nec est inconueniens pœnam habere in inferno terminum; quia pœna relicta post peccatum hic dimis-

dimissum, etiam in inferno, est temporalis, & habet terminum. Neq; refert quòd culpa mortalis, & venialis sint ejusdem rationis genericæ, non tamen specificæ, vt supra dictum est.

SECTIO II.

De Effectu Pœnitentiæ, circa remissionem pœnæ debitæ peccatis.

In Præsenti Sectione duo tantùm examinabuntur.

1. Vtrum *Pœnitentia* remittat culpam, & pœnam?
2. Vtrum post hanc vitam, possit dimitti peccatum aliquod quoad pœnam?

ARTICVLVS I.

Vtrum Pœnitentia remittat culpam, & pœnam?

Remissâ culpâ mortali remittitur pœna æterna.

Dico 1. Remisso peccato mortali quoad culpam, necesse est, de potentia DEi ordinaria, remitti etiam reatum pœnæ æternæ. Deffinita est in Concil. Trident. Sess. 6. cap. 14. vbi dicitur. *Pœnam æternam vnâ cum culpa, remitti per Sacramentum Pœnitentiæ, vel ejus votum.* Hanc conclusionem probat D. Subt. *in 4. dist. 18.* vbi tractat de clauibus, quam difficultatem, nos examinabimus *Q. 8. Sect. 3. art. 5.* Interim probatur. Impossibile est esse aliquem hæredem vitæ æternæ, & esse dignum pœnâ æternâ. Sed cui remittitur culpa mortalis, fit hæres vitæ æternæ, juxta illud ad Rom. 8. *Filij, & hæredes &c.* Ergo impossibile est remitti peccatum mortale, & non remitti pœnam æternam. Dixi *(de potentia DEi ordinaria,)* quia de potentia DEi absoluta, remitti posset culpa, remanente reatu pœnæ æternæ, vt dictum est *præcedenti Sectione. a. 6.*

Non semper remittitur tota pœna temporalis.

Dico 2. Remisso peccato quoad culpam, non semper remittitur totus reatus pœnæ temporalis. Hæc Concl. patet *ex Q. 6. Sect. 1. a. 1.* Probatur ex Trident. *Sess. 6. cap. 14.* vbi habetur in Sacramento poenitentiæ, injungi satisfactionem, non pro pœna æterna, quæ simul cum culpa remittitur, per Sacramentum, vel votum Sacramenti, sed pro pœna temporali. Ergo pœna temporalis, non semper remittitur, remisso peccato quoad culpam. Dices 1. Reatus pœnæ fundatur in culpa, culpa enim est ratio & fundamentum, propter quod, aliquis reus pœnæ constituitur:

cùm autem culpa remittatur per Sacramentum pœnitentiæ, vel per contritionem, sequitur etiam quòd per eadem remittatur pœna.

RESPONDEO. Fundamentum reatus pœnæ æternæ, esse culpam, nondum deletam, sed adhuc habitualiter perseuerantem, per quam homo remanet inimicus Dei, & dignus pœnâ æternâ. Fundamentum verò reatus pœnæ temporalis esse culpam, quæ præcessit, & pro qua nondum est satisfactum: cùm ergo recipiens Sacramentum pœnitentiæ, aut eliciens contritionem, post peccatum commissum, non plenè satisfaciat pro peccato commisso, dicendum est, dimissâ culpâ, non semper remitti totum pœnæ temporalis reatum.

ARTICVLVS II

Vtrum post hanc vitam, possit dimitti peccatum aliquod, quoad pœnam?

Difficultas procedit tam de peccato mortali, quàm de veniali.

Quantùm ad mortale. DICO 1. Si pœna debita peccato mortali, in hac vita non dimittitur, vel in temporalem non commutatur, in altera vita dimitti, nullo modo potest. Est de fide. Ratio est, quia pœna, peccato mortali non dimisso, in hac vita, non dimittitur in alia vita, quia est pœna æternæ damnationis juxta illud Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum. In inferno nulla est redemptio.*

Pœna venialis in alia vita an dimittitur.

DICO 2. Dimisso peccato mortali quoad culpam, dimittitur pœna temporalis in alia vita. Ita S. August. lib: de vera, & falsa pœnitentia. Et habetur in jure de poenitentia, dist: 7. *Viuet, & non morietur*, (intellige vitâ gratiæ,) *non promittimus, quòd euadat omnem pœnam, nam priùs purgandus igne purgationis, qui in aliud seculum distulit fructum conuersionis.* Patebit infra.

Pœna venialis in alia vita dimittitur.

Quantùm ad peccatum veniale. DICO 1. Potest dimitti poena, debita peccato veniali in alia vita, etiam si non dimittatur culpa venialis in hac vita. Ita D. Subt: *in 4. dist. 21. q. 1.* Patet, quia repugnat, quòd aliquis existat in gratia Dei, & debeatur ei poena æterna. Sed existens in veniali, est in gratia Dei. Ergo.

Veniali culpæ non debetur pœna æterna.

DICO 2. Peccato veniali, non debetur per se, nec per accidens poena æterna. Probat D. Subt. loco citato. *Quia secundùm se est talis offensa, quæ secundùm se punitur, per pœnam temporalem.* Probatur 2. Si DEus puniret veniale poenâ æternâ, in supposito habente peccatum mortale, puniret vltra condignum; Sed hoc dici non debet. Confirmatur 1. Quia poena infli-

infligitur homini propter peccatum, non enim suppositum secundùm se, est dignum pœnâ hac, vel illâ, nisi propter peccatum. Ex quo sequitur, quòd in infligenda poena alicui subjecto, pro aliqua culpa, non debet attendi status subjecti, vt sit amicus, vel inimicus DEi, sed grauitas culpæ, & mensura delicti. Cùm igitur veniali culpæ, non debeatur poena æterna per se, non potest puniri poenâ æternâ, quia sic puniretur vltra condignum, quod repugnat justitiæ Diuinæ, quâ statuit punire citra condignum. Confirmatur 2. Peccatum veniale per se, & positiuè stat cùm gratia, cùm gratia autem non stat debitum poenæ æternæ. Ergo poena temporalis, peccato veniali competit positiuè, non negatiuè, vt vult Cajetanus *1. 2. q. 87. a. 5.* nam si peccatum veniale, non ponit ex se poenam æternam, necessariò ponit ex se poenam temporalem, vel certè esset dicendum, quòd poena peccati venialis, ex se sit indifferens ad poenam æternam, & temporalem, cùm tamen omnes fateantur, poenam temporalem deberi culpæ veniali. Probatur 3. Tantâ poenâ debet puniri peccatum, quantam justitia ordinauit. Sed veniali etiam conjuncto mortali, debetur juxta justitiam temporalis poena. Ergo Deus non posset justè punire veniale poenâ æternâ. Minor probatur. Quia peccatum mortale, non extrahit veniale extra suum genus, vt fiat mortale, & dignum poenâ æternâ, quia ista connexio, non mutat essentiam illius culpæ, sed manet semper eadem secundùm essentiam. Ergo. *3. ratio.*

Respondent Thomistæ. Scotus causam propter quam veniali competat poena æterna, putat esse istam quòd culpa mutetur in infinitam, cùm tamen hæc non sit, sed quia subjectum est extra statum satisfactionis. Tùm quia illa culpa venialis, non potest dimitti sine gratia. CONTRA Causa aliqua per se, alicujus effectus, manente in suo esse, effectus quoq; proueniens ab illa manet in esse suo, licet causa per accidens varietur. Sed sic est, quòd peccatum, quod est per se causa, poenæ temporalis, per conjunctionem ad subjectum existens in peccato mortali, non mutatur secundùm esse suum, quia culpa venialis, non fit mortalis. Ergo licet subjectum in quo est, mutetur, non mutatur poena culpæ veniali debita, quæ est temporalis, quia subjectum respectu illius poenæ, est causa per accidens. Attenditur ergo ratio culpæ, non status subjecti in infligenda poena. Et sic prima causa quæ assignatur à Thomistis, non habet ro[illegible] Secunda causa non valet; quia ad dimissionem venialis, & ad sat[illegible]nem pro peccatis, non requiritur gratia, vt diximus *Q. 7. S. 3. a.* [illegible] *Responsio Thomistarum.* *Rejicitur.*

valet si dicant, existentes in peccato mortali, sunt actualiter offendentes. CONTRA Falsum est, quòd qui semel offendit, semper actu offendat, quoadvsq; pœniteat, vt dixi *Quæst. 1. Sect. 1. art. 2.* Probatur 4. Verè poenitens in hac vita de peccatis mortalibus, & absolutus, absoluensq; mediam partem poenitentiæ, cum media non absoluta moriatur in peccato mortali, pro illa dimidia, non punietur in æternum, sed ad tempus, aliàs DEus judicaret bis in ipsum. Ergo nec veniale, conjunctum mortali, punietur in æternum. Probatur 5. Potuit, & potest adhuc contingere quòd aliquis decedat, ex hac vita, cùm solo originali, & veniali, in tali casu quæro, vel homo punietur poena æterna sensus, vel temporali? si primum, sequetur, quod puniendus esset poena damnatorum, & poena inferni, quod est falsum: si secundum, vera est positio D. Subtilis. RESPONDENT Aliqui, impossibile est solum veniale cum originali, quia inquiunt, non potest homo priùs peccare venialiter, quin priùs peccet mortaliter. Contra hanc opinionem D. Subt. in 2. dist. 21. q. 1. adducit validissimas rationes, nam si Adam peccauit mortaliter, cur non venialiter? Respondent Aliqui, confugientes ad prouidentiam DEi. Sed neq; hæc soluit.

4. ratio. *5. ratio.* *Responsio.* *Reijcitur.*

SECTIO III.

De effectu Pœnitentiæ, quoad irreuocabilitatem peccatorum semel dimisorum.

Præsens Sectio in tres Articulos diuiditur.

1. Vtrum de potentia DEi absoluta, possibile sit idem numero peccatum redire, quoad culpam, & quoad pœnam?
2. Vtrum de potentia DEi ordinaria dimissum, possit redire?
3. Vtrum remissa redeant peccata, tanquam circumstantia aggrauans, ratione ingratitudinis?

ARTICVLVS. I.

Vtrum de potentiâ DEi absolutâ, possibile sit, idem numero peccatum redire, & quoad culpam & quoad pœnam?

Materiale peccati idem numero potest redire.

DICO 1. Substratum peccati, id est, idem numero actus positiuus qui est materiale peccati, potest idem numero redire, quantùm ad Entitatem actus. Probatur. Nam sicut DEus eundem colorem potest reproducere,

ducere, ita eundem actum, qui erat malus, potest in numero reproducere. Patet clarius *dist. 43 in 4to.*

Dico 2. Peccatum pro formali, idem numero dimissum, de potentiâ Dei absoluta, juxta nonnullos Scotistas, redire non potest. Probant. Quia non potest idem actus numero redire, etiam in esse qualitatis, nisi per omnipotentiam Dei. Sed implicat contradictionem, quòd Devs specialiter concurrat ad istum actum deformem. Ergo nullum peccatum formaliter sumptum, potest redire idem numero in recidiuante. Minor est *S.* Augustini. *lib. 83. Q. Q. q. 3.* vbi ait, *quòd Deo auctore, nemo fit deterior.* Confirmat Suarez ratione, *disp. 13. Sect. 15.* Malum culpæ non potest à Deo solo produci, sed ab homine. Ergo neq; potest à solo Deo reproduci. Subsumit. Sed sic est quòd quando homo peccat de nouo, non facit iterum peccata dimissa, sed aliud peccatum nouum, à prioribus distinctum. Ergo si priora redire possent, deberent redire per actionem solius Dei.

Formale peccatum idem numero redire non potest.

Dico 3. Sumendo peccatum pro reatu, siue pro obligatione ad pœnam æternam, potest idem peccatum dimissum, virtute Diuinâ absolutâ redire. Probatur 1. Quia etsi Devs, non potest esse author mali culpæ, tamen certum est, quòd possit esse author mali pœnæ, immò solus, quia nulla est pœna rectè ordinata, nisi illa, quæ est à Deo. Probatur 2. Voluntas creata, potest aliquem ordinare ad aliquam pœnam, pro aliquo tempore, deinde velle non ordinare illum ad eandem pœnam, pro alio tempore sequenti sub conditione, scilicet si iterum non offendat, si verò iterum offendat, velle ipsum ordinare ad prædictam pœnam. Ergo hoc multò magis potest, facere Devs: quia quidquid potest Causa secunda, potest multò magis causa prima.

Peccatum ut est obligatio ad pœnam potest redire.

ARTICVLVS II.

Vtrum de potentia Dei ordinaria, possit aliquomodo, idem peccatum dimissum, numero redire?

Dico. Peccata semel dimissa de potentia Dei ordinaria, nunquam redeunt, neq; quoad culpam, neq; quoad pœnam. Est D. *in 4. dist. 22. q. unica.* S. Thomæ *3. p. q. 88. a. 1.* Probatur 1. ex jure de pœnitentia. d. 4. cap: vltimo. vbi dicitur, *Diuina clementia peccata semel dimissa, in vltionem iterum redire, non permittit.* 2. Probatur Nahum 1. dicitur. *Dominus non judicat bis in idipsum:* quem locum S. Hieron: exponit de puni-

Opus DEI non potest rescindi per opus hominis.

tione peccatorum. 3 Devs disposuit, peccata pœnitentis post pœnitentiam esse tecta, id est, non ampliùs visa ad vindictam. Ergo non redeunt ampliùs.

Dices 1. Matthæi 18. dicitur. *Serue nequam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me, nonne oportuit te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? & iratus Dominus tradidit eum tortoribus, quoad usq; redderet, vniuersum debitum.* Ergo DEus repetit à nobis peccata omnia jam dimissa.

Vniuersum debitum refertur ad peccatum sæuitiæ non ad dimissa peccata.

Respondeo. Istum seruum in Euangelio esse punitum propter sæuitiam, quam exercuit in fratrem, quæ erat nouum debitum, vel propter ingratitudinem in DEum.

Dices 2. Jacobi 2. dicitur. *Qui offendit in vno, factus est omnium reus.* Ergo qui facit vnum peccatum mortale, obligatur ad pœnam omnium dimissorum. Respondeo. Quòd sit omnium reus, qui in vno offendit, quantùm ad durationem pœnæ. Vel quantùm ad auersionem à fine vltimo, quæ est communis omni peccato mortali: & sic sensus est, qui vno peccato mortali DEum offendit, æquè in æternum punietur quoad durationem, sicut pro multis, & à fine vltimo auertetur per unum, sicut per multa mortalia peccata.

Dices 3. Ita se habent mala ad punitionem, sicut bona ad remunerationem. Sed bona reuiuiscunt in resurgente peccatore quantùm ad præmiationem mortificata. Ergo & mala quantùm ad punitionem.

Respondeo Quòd non est simile, quia ex superabundanti misericordia, DEus punit citra condignum, & præmiat vltra condignum, & ideò bona semper viuunt in ejus acceptione, mala autem totaliter extinguuntur.

ARTICVLVS III.

Vtrum peccata remissa redeant, tanquam circumstantia aggrauans, ratione ingratitudinis?

In omni peccato est auersio à DEo, & conu-

Nota 1. Quòd in omni peccato mortali inueniatur auersio à DEo & conuersio ad creaturas: auersio est ejusdem speciei in omnibus peccatis, non tamen conuersio; quia priuationes distinguuntur specie, ad distin-

ſtinctionem, & identitatem habituum, quibus opponuntur, V. G. ſurditas, & cæcitas, ſpecie diſtinguuntur, quia habitus quibus opponuntur, ſcilicet viſus, & auditus, differunt ſpecie. Sed cæcitas Petri, & cæcitas Pauli, licet diſtinguantur numero, ſunt ejusdem ſpeciei, quia habitus ſunt idem ſpecie, nimirum viſus. Similiter in propoſito auerſio eſt priuatio gratiæ. Sed gratia quâ priuatur peccator, per quodcunq; peccatum, eſt ſemper ejusdem ſpeciei. Ergo auerſio eſt ejusdem rationis, per quodcunq; peccatum cauſetur: juxta illud Jacobi 2. *Qui offendit in vno &c.* Porrò priuationes ejusdem ſpeciei, differunt numero, ad differentiam numericam actuum, ejusdem habitus, & cauſarum, vnde proueniunt. V. G. alia eſt cæcitas in eodem, quæ oritur ex abundantia ſanguinis, alia quæ oritur ex puluere &c. *Verſio ad creaturas.*

NOTA 2. Summa priuatio, non ſolùm dicitur deterior aliâ, quia fit á deteriori cauſa, ſed etiam quia cauſat deteriorem effectum, V. G. priuatio amicitiæ Regis, magis cruciat vnum, quàm alium. Similiter exilium ægriùs fertur ab vno, quàm ab altero. Inſuper augetur, vel minuitur à culpa, quia quantò infligitur ob majus peccatum, tantò magis torquet, & ſi ob nullum infligatur, non torquet, imò delectat, vt conſtat in SS. Martyribus. *Priuatio vnde eſt major*

DICO 1. Peccata remiſſa, non redeunt ſimpliciter, licet peccator relabatur poſt pœnitentiam. Probatur. Quia quando cauſa non redit eadem, neq; effectus. Sed cauſa quare homo plectendus erat pœnâ ſenſus, erat, V. G. homicidium commiſſum, iſtud autem homicidium, cum jam ſit dimiſſum, licet homo relabatur in furtum, vel aliud committat homicidium, non redit. Ergo neq; redibit idem effectus, nempe pœna damni, & ſenſus, pro homicidio infligenda. *Peccata dimiſſa non redeunt.*

DICO 2. Peccata dimiſſa redeunt ſecundùm quid, nimirum ratione ingratitudinis, quantum ad pœnam, per modum circumſtantiæ aggrauantis de nouo commiſſæ, ex perſona recidiuantis. Ita D. Subt. *diſt.* 22. *q. vnica.* Probatur & declaratur. Ingratitudo eſt circumſtantia aggrauans peccatum, eſt enim ingratitudo per ſe vitium, quantò autem plura vitia ad actum peccati concurrunt, tantò peccata ſunt grauiora, & arctiùs punienda: peccans autem poſt gratiam remiſſionis acceptam, ingratus eſt gratiæ remiſſionis nam vt ait Seneca 3. de beneficiis. *Ingratus eſt qui beneficium ſe recepiſſe negat; ingratus qui diſsimulat ſe accepiſſe; ingratus qui* *Ingratitudo aggrauat.* *Seneca pulchrum dictum de ingratitudine.*

 non

non reddit; ingratissimus qui oblitus est. Atqui recidiuans, non solùm reddit bonum, pro beneficio remissionis, sed etiam malum, iterum offendendo; & consequenter majori pœnâ dignus redditur, propter ingratitudinem remissionis acceptæ; & sic redeunt priora peccata dimissa quia peccatum recidiuæ grauatur. Probatur 2. Quantò aliquis tenetur pluribus obligationibus ad aliquid, tantò magis peccat, si transgrediatur. Sed pœnitens quotiescunq; dignè pœnitet, obligat se saltem voto, vel proposito ad non peccandum inposterum, quia sine tali proposito, non est vera pœnitentia, & præter hoc est adstrictus ad non peccandum, eadem lege, quâ innocens. Ergo si postea peccat, transgreditur duplicem legem, obligantem ad non peccandum.

QVÆRES *Vtrum ingratitudo, ratione cujus peccata redeunt, sit speciale peccatum, necessariò confitendum?*

DICO 1. Ingratitudo est speciale peccatum, quando quis peccat, post acceptum beneficium, in contemptum beneficii, & benefactoris. Patet, quia habet specialem malitiam, quoties peccator, eo animo peccat, vt vilipendatur beneficium acceptum.

Ingratitudo sine contemptu non est speciale peccatum.

DICO 2. Ingratitudo materialis, quæ est circumstantia generalis peccatorum commissorum, post remissionem aliorum, non est quidem peccatum speciale, est tamen conditio aggrauans, peccantis contra DEVM benefactorem. Patet quia non prohibetur speciali præcepto, sed generali, quod includitur in omnibus præceptis, & ideò non est peculiaris actus, nisi quando fit ex contemptu. Ergo vt sic non est speciale peccatum.

Ingratitudo materialis non est necessariò confitenda.

DICO 3. Ingratitudo hæc materialis, non est necessariò confitenda. Ita D. Subt: in 4. dist. 22. q. vnica. §. In isto articulo restat dubium dicens, *Quanquam hoc licitum sit, & fortè vtile, non tamen videtur necessarium illa confiteri in speciali.* Atq; hîc aduerte, fallò D Subtili imponi, oppositam sententiam: nam licet ibidem dicat, *De multis, & magnis peccatis pœnitui, & credo quod mihi Deus illa remisit, & ideò nunc fui magis ingratus in peccando:* hæc enim verba posuit per modum consilii, non verò obligationis. Ratio est conclusionis, quia hujusmodi reincidentia, notabiliter solùm aggrauat peccata subsequentia, & non mutat speciem. Sed circumstantiæ aggrauantes, & non mutantes speciem, non sunt necessariò in confessione exprimendæ. Ergo.

SE-

SECTIO IV.

De effectu Pœnitentiæ quoad recuperationem gratiæ, virtutum, & bonorum operum?

Hic duo examinabuntur in hac Sectione.

1. Vtrum virtute pœnitentiæ, eadem gratia, & omnia merita amissa per peccatum reparentur.
2. Vtrum virtute pœnitentiæ, bona opera mortua; vel mortificata reuiuiscant?

ARTICVLVS I.

Vtrum virtute Pœnitentiæ eadem gratia, & omnia amissa per peccatum merita, reparentur?

NOTA 1. Doctores conuenire omnes, quòd virtute Pœnitentiæ gratia amissa recuperatur, sed quidam dicunt, quòd peccator ad majorem gratiam resurgat, vt Henricus *Quodlibeto 5. q. 22.* quidam sustinent, quòd gratia virtute pœnitentiæ non restituatur peccatori, æqualis amissæ, sed resurgit ad gratiam secundum conatum actus, ita Sanctus Bonauentura *in 4. dist. 14. a. 2. q. 1.* Quidam dicunt, quòd gratia, & merita redeant, non tamen in eodem gradu, sed secundùm proportionem ad contritionem, ita *S.* Thomas *3. p. q. 89. a. 2. 3. & 5.* *Variæ opiniones de reditu gratiæ.*

NOTA 2. Virtutes alias esse morales, & acquisitas, alias supernaturales, & infusas; virtutes morales non amittuntur per peccatum mortale: neq; omnes supernaturales infusæ, fides enim, & spes, non amittuntur per singula peccata mortalia, licet fides amittatur per infidelitatem, & spes per desperationem. *Virtutes variæ.*

DICO 1. Virtute *Pœnitentiæ*, recuperat homo gratiam, & virtutes amissas. Probatur 1. Lucæ 15. habetur filio prodigo datam fuisse *stolam primam*, per quam gratia amissa intelligitur, & alia multa, vt *annulum, calceamenta, &c:* quibus ex Sanctorum sententia virtutes amissæ significantur. 2. Quia ipsa bona opera præcedentia reuiuiscunt, vt dicetur sequenti Articulo; Ergo per pœnitentiam homo recuperat gratiam & virtutes infusas. *Homo recuperat gratiam, & virtutes morales.*

Aliquando homo ad minorem gratiam resurgit.
Nota rationem.

Dico 2. Etsi virtute pœnitentiæ, restituatur homo ad statum gratiæ, & cæterarum virtutum amissarum, non tamen semper reparatur ad tantam gratiam, quantam peccando amiserat. Est D. *in 4. d. 22. a. 2.* Probatur contra Henricum, & Gabrielem- 1. quia gratia datur juxta mensuram contritionis. Item non omnis cadens semper grauiùs cadit, quàm priùs ceciderit, nec igitur resurgens gratior resurgit, quàm præfuit. Item gratia prima potest esse major, vel minor, & per consequens minima. Sed per pœnitentiam acquiritur prima gratia. Ergo possibile, quòd resurgens per pœnitentiam, resurgat ad minorem gratiam, quàm illa erat, à qua lapsus est, per peccatum. hæc Conclusio intelligitur de gratia in genere qualitatis, non verò de gratia in genere gratiæ.

Dices Resurgens per pœnitentiam, resurgit ad omnia merita priùs habita, & etiam ad præmium debitum actui pœnitentiæ, per quem resurgit. Ergo qui resurgit à peccato mortali resurgit in majori gratia quàm fuit illa, à quâ cecidit per peccatum.

Respondeo. Quòd resurgens per pœnitentiam, plura merita habet in acceptatione Diuina, quam habuit quando cecidit, & per consequens ad majorem gloriam ex ea parte resurgit; neq; tamen est necesse, illum in majori gratia resurgere; quia secundùm dispositionem illius, quam habuit in detestatione peccati, magis, vel minùs intensa confertur illi major gratia, vel minor, quando resurgit.

Resurgens semper resurgit ad majorem gloriam, non verò ad gratiam majorem.

Dico 3. Resurgens per pœnitentiam, semper resurgit ad majorem gloriam, licet non resurgat semper ad majorem gratiam, sed aliquando ad æqualem, quandoq; ad minorem, & interdum ad majorem, secundùm dispositionem, quâ se disponit ad illam. Est Doctoris loco citato. 2. pars constat ex 2. conclusione. 1. pars Probatur, Resurgenti per pœnitentiam, virtute contritionis, restituuntur omnia merita, quæ fuerunt per peccatum mortificata, & præter illa, aliquid meretur de nouo per actum pœnitentiæ. Ergo resurgit semper ad majorem gloriam. Antecedens constat. Ezech. 33. *Si peccator egerit pœnitentiam, impietas impii non nocebit ei.* Sed si merita non redeunt post pœnitentiam nocet peccâsse, siquidem peccatum commissum obstat, quominùs opera omnia reuiuiscant in eodem gradu, in quo fuerunt antea, quod dici non debet. Confirmatur S Ambrosius super 2. caput Johelis dicit. *Pœnitentia est res optima, qua omnes defectus reuocat ad perfectum.*

Nota locum Ezechielis.

Probatur 2. à D. sic. Meritis ante peccatum debebatur secundùm justi-

justitiam præmium æternum. Ergo eadem merita redeunt post pœnitentiam in eodem gradu. Consequentia patet, quia nullum malum impunitum, neq; vllum bonum irremuneratum. Sed si merita mortificata non redirent ad eundem gradum, aliquod bonum justorum esset irremuneratum, quòd aduersatur Diuinæ justitiæ, quæ reddet vnicuiq; secundùm opera sua. Hinc.

Colligе. In gloria duplex est præmium. Alterum correspondens meritis, alterum correspondens gratiæ: Vnde dignitas ad gloriam, correspondens meritis, non tollitur per quodcunq; peccatum mortale, licet impediatur, sed dignitas ad gloriam, correspondens gratiæ tollitur per peccatum mortale; verum tamen est, quòd præmium correspondens meritis, nulli tribuitur sine præmio correspondente gratiæ, quia sine gratia nemo saluatur: non tamen Devs dat præmium juxta mensuram gratiæ.

Præmium aliud est correspondens meritis, aliud gratiæ.
Nota.

Dices. Si Pœnitens resurgit semper ad majorem gloriam sequeretur quòd peccans reportaret commodum de lapsu suo, siquidem resurgit dignior præmio in acceptatione Diuina. Respondeo. Nego sequelam. Tùm quia peccator fuit inimicus Dei. Tùm quia quamdiu extitit in peccato mortali, non exercuit opera meritoria vitæ æternæ. Tùm quia per peccata acquisiuit prauas inclinationes.

Aduerte hîc diligenter quòd quando homo resurgit, resurgit ad omnem gloriam, quæ sibi debetur ratione meritorum, non autem semper resurgit in majori gratia. Neq; est inconueniens aliquem resurgere in pluribus meritis, & majori gloriâ, & tamen in minori gratia; quia distincti sunt gradus gloriæ respondentes meritis, vt præmium essentiale, & gradus gloriæ, respondentes soli gratiæ: quare & si aliquando gratia sit minus intensa in resurgente, & ex hac parte debeat resurgere in minori gratia, tamen ex parte meritorum, potest resurgere in majori gloria, quia potest vltra merita priora, addere nouum meritum, cui proprius gradus gloriæ correspondeat.

Gratia donum Dei, merita etiam hominis.

ARTICVLVS II.

Vtrum virtute Pœnitentiæ opera mortua vel mortificata reuiuiscant?

Nota 1. Opera Alia sunt viua, quæ in gratia Dei fiunt; Alia mortua quæ in peccato mortali nascuntur, quæ nullius meriti sunt apud

Triplicia sunt opera.

apud DEVM quoad præmium vitæ æternæ, propter defectum gratiæ, quæ est principium meriti. Alia dicuntur mortificata, quæ facta sunt ab homine existente in gratia, sed propter peccata mortalia mortificantur.

Opera mortua quid prosunt?

NOTA 2. Quòd opera mortua, licet nihil prosint, quoad gratiam, & gloriam, prosunt tamen ad bona temporalia, consequenda, juxta illud Psalmistæ Psalmo 72. *Ecce ipsi peccatores, abundantes in seculo, obtinuerunt diuitias.* Prosunt, & ad alia bona, juxta illos versiculos Canonistarum.

Quæ cum mortali bona fiunt, dant bona terræ.
Cor faciunt humile, & minuunt tormenta gehennæ.

Mortua non reuiuiscunt.

DICO 1. Opera Mortua, non facta in gratia, non reuiuiscunt, nec fiunt meritoria vitæ æternæ, per subsequentem pœnitentiam. Ratio est, quia vt aliquod opus meritorium sit vitæ æternæ, necesse est vt fiat ab homine existente in gratia, vt constat ex Trid. *Sess. 6. cap. 6.* Sed opera mortua non sunt facta in gratia. Ergo.

Mortificata reuiuiscunt.

DICO 2. Opera mortificata per peccatum mortale, resurgunt per pœnitentiam. Est communis omnium. Probatur 1. Joelis 2. Dominus alloquens pœnitentes, ait. *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo.* Probatur 2. ratione. Tùm quia ad infinitam DEI misericordiam spectat, vt dum peccatorem in gratiam recipit, & in priora merita restituat. Tùm quia sublatâ causâ, cessat effectus. Sed causa propter quam bona opera remanebant mortificata, fuit peccatum illis superueniens. Ergo sublato impedimento incipiunt valere. Inde

COLLIGE. Opera bona facta in gratia, non omninò moriuntur, neq; destruuntur, per subsequens peccatum.

DICES. Peccata remissa non reuiuiscunt. Ergo neq; opera bona mortificata reuiuiscunt per gratiam.

RESPONDEO. Nego consequentiam, quia peccata absolutè extinguuntur, bona verò opera non item, sed retinentur in acceptatione DEI, ex cujus misericordiâ reuiuiscunt, & præmiantur ex justitia. Hinc

COLLIGE. Non solùm aliqua, verùm omnia merita per peccatum mortificata reuiuiscunt. Vt autem hanc doctrinam faciliùs percipias, hos versus Canonistarum discas.

Illa reuiuiscunt, quæ mortificata fuerunt:
Viuere non possunt, quæ mortua nata fuerunt.

Opera non reuiuiscunt

DICO 3. Opera meritoria, licet reuiuiscant quoad gloriam, non tamen reuiuiscunt, quoad satisfactionem. Ratio est, quia opera illa non vale-

valebant ad satisfactionem pro peccato futuro, quia satisfactio est tertia pars pœnitentiæ, & pœnitentia nunquam admittitur pro peccatis futuris, sicut contritio, & confessio, non habetur de committendis, sed de commissis. *ad satisfactionem.*

QVÆSTIO VIII.

De Ministro Pœnitentiæ, & requisitis ejus.

PRæsens Quæstio diuiditur in octo Sectiones in prima quæretur de verò, & proprio Ministro Sacramenti Pœnitentiæ. In 2. De Conditionibus Ministri Sacramenti Pœnitentiæ. In 3. De Clauibus seu auctoritate Sacerdotali. In 4. De Approbatione. In 5. De Auctoritate delegata, & facultate eligendi Confessarium. 6. De Casuum reseruatione, & eorum absolutione. In 7. De Obligationibus Ministri Sacramenti Pœnitentiæ. In 8. De Sigillo Confessionis.

SECTIO I.

Quis sit Minister verus & proprius Sacramenti Pœnitentiæ?

In tres Articulos diuiditur præsens Sectio.

In primo inquiretur Quis sit verus Minister Sacramenti Pœnitentiæ, & necessarius?

In 2. Quisnam sit proprius secularium?

In 3. Quis Regularium sit Minister?

ARTICVLVS I.

Quis sit Minister verus, necessarius, sufficiens, Sacramenti Pœnitentiæ?

DICO 1. Solus Sacerdos est Minister hujus Sacramenti. Definitum est in Conciliis, Florentino in literis Eugenii, Constantiensi, & Tridentino *Sess. 14. cap. 6.* Ratio est, quia ille solùm habet potestatem dimittendi peccata cui hæc potestas datur. Sed solis Sacerdotibus. Ergo Minor patet ex cap. 20. Joannis vbi dicitur. *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseretis &c.* Ratio clara est institutio CHRISTI Domini. *Solus Sacerdos est Minister hujus Sacramenti.*

DICO 2. Diaconi, Subdiaconi, laici, etiam in casu extremæ necessitatis, non possunt absoluere pœnitentem, quòd si id attentent, laicus, Dia- *Diaconus non est Minister.*

Diaconus, vel Subdiaconus, irregularitatem, præter peccatum mortale, contrahunt. Ratio est, quia nemo dat, quod non habet. Sed prædicti istam potestatem non habent. Ergo dare non possunt absolutionem; & hoc neq; per dispensationem Summi Pontificis.

Dices 1. S. Jacobus capite 5. dicit. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Ergo laicus potest esse Confessarius. Et S. Aug. libro de vera, & falsa pœnitentia, inquit. *Tanta est vis Confeßionis, vt si deest Sacerdos, confiteatur proximo.*

Respondeo. S. Jacobus ibi non loquitur de Confessione Sacramentali, sed tantùm de accusatione quadam generali peccatorum propriorum, ad humilitatem exercendam, & charitatem fraternam fouendam, vt constat ex sequentibus verbis. *Et orate pro invicem, vt saluemini.* Ad S. Aug. dico, quòd in casu necessitatis, possit aliquis laico, vel interpreti, non ratione præcepti, sed ratione consilii, ad humilitatem exercendam, & ad subeundam pœnam verecundiæ, confiteri juxta Magistrum & alios Theologos, quod tamen D. noster improbat, *in 4. dist. 17. q. 1. a. 3.* quia inquit, nulli licet prodere suum peccatum occultum, & se infamare; in tali autem confessione seipsum infamaret, & maximè reuelando peccata enormia. Neq; valet responsio, vnusquisq; potest renunciare juri suo, quia inquit D. *in 4. d. 21. q. 2. ad 1. esse hoc verum de jure particulari, non verò communi.* Sed reuelatio proprii criminis, est juris communis. Ergo. Vnde S. Augustinus, potiùs videtur loqui de censuris, vel de confessione generali, & publica.

Ad humilitatem potest fieri confessio laico.

Nota.

Dices 2. Tantæ necessitatis est Sacramentum Pœnitentiæ, sicut & Baptismus. Sed in casu necessitatis, quilibet laicus potest baptizare. Ergo & confessiones audire. Respondeo. Negando paritatem, Baptismus enim est Sacramentum simpliciter necessarium, potissimùm in infantibus, quibus nulla alia via patet ad salutem sed pœnitentia vt Sacramentum, non est simpliciter necessaria, cùm in casu necessitatis sufficiat vt est virtus. Hinc.

Majoris necessitatis Baptismus quã pœnitentiæ Sacramentum.

Collige Traditione, & authoritate Apostolicâ, & Ecclesiasticâ, firmâ & immutabili, præter loca S. Scripturæ, firmiter tenendum est, in nulla necessitate laicum posse absoluere Sacramentaliter, sed solos Presbyteros, sicut nec Eucharistiam conficere, quod Doctor deducit ex 1. ad Corinth. 10. *Panis quem frangimus nonne communicatio corporis Christi Domini est, &c.* vbi per (frangimus) intelligit Apostolus, seipsum, & ali-

alios Apostolos, si enim fidelis quilibet posset conficere, non oporteret aliquem alium, aliis frangere, sed quilibet posset de suo communicare.

Dico 3. Non quicunq; Sacerdos, sed ille solùm, qui habet jurisdictionem, est verus Minister Sacramenti Pœnitentiæ. Ita Trid. Sess. 14. c. 7. vbi dicitur. *Absolutionem nullius esse momenti, datam à Sacerdote, qui neq; ordinariam, neq; delegatam jurisdictionem habet.* Ergo simplex authoritas ordinis, non sufficit. Confirmatur Quia sententia, à non suo judice lata, est nulla. Hæc conclusio, clariùs patebit ex sequentibus.

Minister Pœnitentiæ debet habere jurisdictionem.

ARTICVLVS II.

Quinam sit proprius Minister Pœnitentiæ?

Nota 1. Ex Doctore *in 4. dist. 17. q. 1. a. 3.* In primitiua Ecclesia, non fuisse distinctos proprios Sacerdotes; quando enim Apostoli ibant per vniuersum mundum, prædicando verbum Dei, non fuit vnus Sacerdos istius gentis, & alius alterius. Similiter Apostoli Sacerdotibus quos ordinabant, & mittebant ad prædicandum, dabant illis authoritatem ministrandi Sacramenta, omnibus, qui fidem recipiebant, absq; vlla distinctione subditorum, vel Episcopatuum, vel parochiarum, sed hæc distinctio, facta est postea, crescentibus fidelibus ad vitandam confusionem; quod factum est, à Dyonisio Primo Papa, & Calixto II.

Nota 2. Quid intelligatur per proprium Sacerdotem. Sciendum est, quòd tribus modis accipitur Sacerdos proprius. Primò pro omni eo, qui habet jurisdictionem, vel ordinariam, vel delegatam incommuni quocunq; modo, vel titulo illam habeat, & sic proprius contra distinguitur contra eum qui nullam habet jurisdictionem, atq; ita Summus Pontifex, Episcopus, Parochus, & Regulares admissi, & approbati ab ordinariis, dicuntur proprii Sacerdotes, & hoc modo accipiebatur Parochus, in primitiua Ecclesia. Secundo modo accipitur proprius Sacerdos, pro illo, qui habet jurisdictionem ordinariam, vt contra distinguitur ab habentibus auctoritatem, vel jurisdictionem delegatam: & hoc modo Summus Pontifex, Episcopus, & Parochus, dicuntur proprij Sacerdotes; Summus tamen Pontifex, est ita proprius, vt etiam sit Vniuersalissimus, ita vt nullus possit eximi, ab ejus jurisdictione. Episcopus verò solùm in sua Diæcesi, ita tamen, vt aliqui possint eximi per Papam, ab ejus jurisdictione, vt sunt Prælati Regularium, exempti ab Episcopis, qui habent ordinariam jurisdictionem in suis Prouinciis, & Religionibus, circa subditos

Quis sit proprius Sacerdos.

ditos suos. Tertio modo Sacerdos proprius accipitur, pro habente ordinariam jurisdictionem proximam, & immediatam super subditum, qualis est parochus, vel pro habente jurisdictionem proximam, & immediatam delegatam, qualis est Religiosus approbatus: & de his intelligitur ille textus juris *in Capite Omnis Vtriusq; sexus, &c.* vbi paulò infra sic dicitur: *Si quis autem alieno Sacerdoti, voluerit justa de causa confiteri peccata sua, licentiam priùs postulet, & obtineat, à proprio Sacerdote.* Hæc licentia petenda ab ordinariis, non à delegatis, quia hi delegare non possunt.

Regulares à Papa habent jurisdictionem.

NOTA 3. Regulares Sacerdotes à Papa jurisdictionem in foro pœnitentiæ accipiunt, quam primùm à suis Superioribus ad hoc munus deputati, & ab Ordinario approbati fuerint: Ita Llamas *1. parte Methodi c. 7. §. 3. & 4.* Rodericus *tom. 1. q. 69. art. 1.* Layman *lib. 5. tract. 5. c. 11.*

Religiosi sunt proprii

DICO 1. Etsi ex jure communi, teneatur confiteri parochianus semel in anno proprio Sacerdoti, per hoc tamen non excluduntur mendicantes Regulares, quin possint etiam tempore Paschatis audire omnium confessiones. Patet ex notandis. Quia Regulares sunt proprii Sacerdotes, hanc enim licentiam habent à Papa, vt constat ex *Extrauaganti Sixti IV.* & ex Concilio Lateranensi, *Capite omnis utriusq; sexus.*

Non possunt suspendi ab Episcopo.

DICO 2. Confessarii Regulares, suspendi non posſunt ab Episcopo, vel Parocho, sub tempus Paschæ, nisi aliqua causa superueniat ad ipsas confessiones pertinente, V. G. interdictum ab ipsis ordinariis impositum, & hoc quoad singulares Personas: quoad communitatem verò nullo modo suspendi possunt. Ratio est, quia Episcopi super Confessarios Regulares jam examinatos, & idoneos repertos, limitatam habent potestatem, ita vt non possint arctare eos, tali modo. *Quos Parochi approbauerint audiant, quos reprobauerint non audiant.* Summus enim Pontifex, ita delegauit ordinibus jurisdictionem, vt arctari non possit, dummodo Regularis ab Episcopo semel expositus, & approbatus sit, ad excipiendas confessiones, neq; potest reprobari. Inde

COLLIGE. Peccata, quæ Regularibus confessi sunt pœnitentes, nullo modo tenentur iterum eadem Parocho confiteri; vnde & pro Paschate, qui Religiosis Mendicantibus confitentur, satisfaciunt præcepto Ecclesiæ.

Parochus respectu quorum est proprius.

DICO 3. Parochus est proprius eorum omnium, qui ita habitant in ejus parochia, vt in ea fixum habentes domicilium, alibi aliud non habeant. Ratio est, quia tales in omni rigore, sunt verè ejus parochiani, & ipse illorum pastor.

DICO 4.

Dico 4. Parochus est etiam proprius Sacerdos eorum, qui in ipsius parochia diuturnè commorantur, tametsi alibi habeant firmum domicilium, vt sunt Causidici, mercatores, scholastici studentes, &c. Similiter peregrini, aut alii breui tempore in aliquo loco commorantes: isti enim possunt confiteri parocho loci illius, aut aliis Sacerdotibus jurisdictionem delegatam habentibus. *Præterea* vagi, qui nullum habent firmum domicilium: isti enim illum habent proprium Parochum, vel Sacerdotem, ad quem tunc peruenerint, cùm volunt confiteri. Ratio est, quia moraliter fuit necessarium, vt tales *Personæ* haberent ordinarios pastores. Tùm quia consuetudo Ecclesiæ, semper id tenuit.

Quæres *Vtrum omnes Sacerdotes in articulo, vel periculo mortis sint proprii Ministri?* Nota Aliud est periculum, aliud articulus mortis: Articulus est, quando mors proximè instat certò, & ineuitabiliter: periculum verò mortis vocatur, probabiliter dubium, eò quòd frequenter in tali, mors contingat, vt est bellum, periculosa nauigatio, partus præsertim primi fæminarum.

Dico 1. Tam in articulo, quàm in periculo mortis, quilibet Sacerdos ab omnibus Censuris, & peccatis, pœnitentes absoluere potest, si non sit ordinarius Sacerdos. Ratio est, quia talis facultas ab Ecclesia, & jurisdictio, omnibus Sacerdotibus, in talibus casibus est concessa. *In articulo mortis quilibet Sacerdos potest ab soluere.*

Dico 2. Licet aliqui putauerint, hanc facultatem absoluendi, non debere extendi ad Apostatas, qui sunt legitimè in Ecclesia Catholica ordinati, postea facti sunt hæretici, neq; ad degradatos, vel nominatim excommunicatos; tamen post Concilium Tridentinum, contrarium est tenendum, siquidem Concilium *Sess. 14. cap 7.* dicit. *Omnes Sacerdotes possunt absoluere, à quibusuis peccatis, in articulo mortis.* *Etiam Apostata.*

Dico 3. Qui talibus Sacerdotibus in dicto periculo confessus fuerit, non tenebitur eadem peccata repetere, coram proprio Sacerdote, si dictum periculum euaserit. Ratio est, quia in tali casu absolutio data est, ex tacito consensu *Pontificum*, & Ecclesiæ, habentq; jurisdictionem delegatam. Quid verò in Casibus reseruatis dicendum sit, dicetur *S. 6. art. 2.* Porro post periculum illud, si peccatis censuræ annexæ sint, debet se præsentare superiori, vt à Censuris absoluatur.

ARTICVLVS, III,

Quis nam sit proprius Minister Sacramenti pœnitentiæ Regularium?

Pro Regularibus non est necessaria approbatio Episcopi.

Nota 1. Quamuis secularium Confessiones, nemo possit audire nisi approbatus ab Episcopo, juxta Tridentinum, vt infra patebit clariùs, quoad Regulares tamen, nihil tale statutum est, nec de jure arbitror prohibitum, imò de consuetudine obseruant Regulares, quòd Confessores pro Regularibus, non approbantur ab Episcopis, sed à Prouincialibus, non autem à superioribus localibus, possunt deputari Confessarii, ad Confessiones fratrum, tàm pro reseruatis, quàm non reseruatis; dico deputari, id est approbari, ad Confessiones audiendas, hoc enim solis prouincialibus in suis Prouinciis conuenit: possunt itaq; Superiores locales deputare, id est, designare Confessores, jam à Prouincialibus, vel capitulo, factos, vel approbatos pro fratribus, si verò Superiores locales à Prouincialibus accipiant licentiam, vt possint simplices Sacerdotes approbare, pro confessionibus Fratrum, debent approbare, non nomine proprio, sed nomine, & authoritate, Patris Prouincialis.

Regularis debet approbato confiteri.

Nota 2. Bonifacius VIII. *cap. Si Episcopus de pœnitentia, & remissione in 6* decreuit. *Quòd nulla possit consuetudine introduci, quòd aliquis præter superioris sui licentiam, Confessorem eligere valeat, qui eum possit absoluere, vel ligare.* Ex quo decreto apertè constat, quòd non licet fratribus, transire ab vno ad alium pro libitu suo, confessarium, vt mox dicam in hoc Articulo.

Nota 3. Quando subditus frater vult confiteri siue extra, siue intra Conuentum, debet semper de licentia superioris confiteri, approbato pro fratribus, siue sui, siue alterius ordinis, si verò velit confiteri alicui simplici Sacerdoti, debet à Superiore, potente licentiam talem dare, priùs obtinere. Porrò omnes prælati vel Superiores, siue sint exempti à jurisdictione Episcoporum, siue non, siue jurisdictionem habeant inforo contentioso, siue tantùm in foro conscientiæ, vt curati Episcopi, Cardinales, & alii Prælati seculares: inter Regulares, Generales, Prouinciales, Guardiani, Priores, Abbates, tales enim per Gregorium IX. vt refertur *de pœnitentia & remissione cap. vltimo*, possunt præter sui Superioris licentiam; Confessarium sibi eligere. Quibus annumerari possunt vicarii eorum in actu, in absentia eorum. An autem hæc eligendi facultas, extendat se extra Confessarios deputatos? Aliqui negant: dicentes, quòd prædicti Prælati, debent semper eligere approbatum Confessarium ab Episcopo, seculares Prælati, Regulares verò à Prouinciali. Ita Coriolanus *parte 1. Sect. 1. art. 21.* Quia inquit concessa est licentia talibus prælatis,

Prælati possunt sibi eligere Confessarium.

Duplex opinio refertur.

vt

vt eligant Confessarium. Ergo approbatum, & deputatum, eligere debent: quia qui approbatus, & deputatus non est, Confessarius non est. Alii affirmant Syluest: *verbo confessor:* Paludanus *in 4. dist. 17. q 3* & hoc verum est secundùm jus antiquum, quia ille qui concessit ejusmodi priuilegiũ, dictis prælatis, etiam contulit jurisdictionem ab eisdem electis Confessariis; modò verò post Concilium Tridentinum, tale priuilegium non conceditur prælatis secularibus, vt dicam. *Sect. 4. art. 1.* sed semper debent confiteri approbatis: prælati verò nominati Regularium, possunt non approbatis. Vnde Prouinciales incidentes in aliquem casum, etiam reseruatum, possunt absolui per Confessarium à se electum: & ratio est, quia quidquid Prouinciales authoritate ordinariâ possunt in subditos, possunt etiam in seipsos, ita docet Sanchez *lib. 6. de Matrimonio disput. 3. & alii, quos ibi citat.* Guardiani verò pro casibus non reseruatis, licitè eligunt confessarios de non approbatis per Prouincialem, quamuis illum fratribus subditis, non possint assignare Confessarium, nisi sit approbatus à Prouinciali, non quòd sit contra jus, sed contra consuetudinem: pro reseruatis casibus quoq; possunt eligere, juxta probabiliorem sententiam, non approbatum, siue non deputatum, dummodo prædictus Guardianus, vel localis superior, habeat delegatam facultatem, ad absoluendum à reseruatis, quoslibet sui conuentus fratres: aliqui verò dicunt, quòd non possit eligere, nisi approbatum, vel deputatum, quia inquiunt, istud priuilegium extenditur solum ad *Prælatos*, authoritatem quasi Episcopalem habentes, vt sunt Generales, Commissarii, & Prouinciales. Addo post Tridentinum, Prælati Seculares eligant approbatum.

Post Tridentinum facultas conceditur secularibus eligendi confessarium, sed non nisi approbatum.

Dico 1. Confessarii ordinarii fratrum Regularium sunt Generales, Prouinciales, & Superiores locales: & ii qui approbantur & deputantur à Generalibus, & *P*rouincialibus. *P*atet ex dictis.

Regularium ordinarii confessarii.

Dico 2. Fratres in Conuentu existentes, deputato, & approbato à *P*rouinciali debent omninò confiteri cum licentia *S*uperioris localis. *Pa*tet ex notando 2. nisi sit approbatus pro omnibus etiam forensibus.

Deputati.

Petes 1. *Vtrum absente Confessario ex deputatis electo, posset quis dum abest ad tempus, & ipse Confessione indiget, vt celebrare possit Missam, ad alium deputatum accedere, sine licentia Superioris?*

Respondeo. Arbitrari aliquos, licentiam in hoc casu necessariam, quia hoc est mutare Confessarium: Aliqui dicunt hoc non esse mutare Confessarium propriè cùm sit omninò per accidens, quòd quis acce-

Licet mutare in casu necessitatis.

dat

dat ad talem, rediturus, & mansurus apud alium, quam primum redierit, neq; in hoc casu existimo licentiam Superioris esse necessariam, quia in tali casu, cùm absit ejus confessarius, se habet, ac si nullum adhuc in familia haberet Confessarium, qui proinde aliquem ex deputatis potest ad libitum eligere.

Collige. Mutare Confessarium, puto non esse mortale, dummodo accedatur ad deputatum, & subsit rationabilis causa, eligendi alium, nimirum, sit non sit à me electus, & debeo ire ad sacrum; neq; puto, quòd Superiores, cum tali rigore, exegerint à subditis petitionem licentiæ ejusmodi, ad mutationem.

Seculari intra Conuentum non licet confiteri.

Petes 2. *Cuinam debeant Fratres extra conuentum, vel itinerantes, seu forenses confiteri?* Dico 1. Minoritis, & ferè omnibus aliis, prohibitum est, confiteri seculari clerico, vel Religioso alterius ordinis, si sit intra Conuentum. Vnde nec Prælati Regulares, possunt extra ordinem, suum eligere Confessarium. Id prohibitum est per Clementem IV.

Extra conuentum cui debent confiteri.

Dico 2. Extra conuentum itinerantes, seu peregrinantes Fratres, in Conuentu sui ordinis, debent confiteri alicui deputato pro fratribus, in eodem conuentu, idq; tutiùs, vt de licentia Superioris loci. Si verò sint extra Conuentum, neq; habere possunt Confessarium sui ordinis, de licentia, Superiorum, licitè possunt confiteri Confessario alterius ordinis, approbato pro Fratribus, imò & presbytero seculari approbato, oblatâ grâui necessitate, si V. G debeat celebrare, & sit in peccato mortali, & non habeat nisi Confessarium secularem, tenetur illi confiteri, & non poterit celebrare, cum sola contritione, quia hic militat præceptum Diuinum, & Ecclesiasticum generale confitendi, quod præualet præcepto positiuo Religionis non confitendi extraneo: reseruata tamen non potest confiteri.

Si oblitus est petere licentiam.

Dico 3. Si aliquis oblitus est obliuione naturali, petere licentiam à Superiore, potest confiteri confessario, vel sui ordinis, vel alterius, vel etiam in graui necessitate seculari, dummodo prædicti sint approbati, non ex præsumpta licentia, vt aliqui dicunt, sed ex virtuali licentia: nam quando alicui licentia datur ad itinerandum, in illa virtualiter includitur licentia confitendi, Secerdoti extraneo. Si tamen subditus ante egressum præuideat, tenetur petere licentiam talem: Non potest tamen absolui à reseruatis per extraneum, si pœnitens frater non habet licentiam à Prouinciali passiuam à reseruatis, imò nec à Confessario sui ordinis.

Petes 3.

Petes 3. *An Fratres constituti in itinere, possint confiteri socio Sacerdoti etiam si non sit ex deputatis pro fratribus, sed simplex Sacerdos?*

Respondeo. Aliqui negant: puto hac in re praxim esse attendendam, & consuetudinem approbatam, & toleratam per Superiores, Vnde quamdiù prohibitum non est, licitum esse puto fratribus in itinere, confiteri Socijs Sacerdotibus simplicibus, licet Laurentius de Portel *verbo Confessor num. 15* dicat, in ordine Minorum nunquam practitatum esse, & faciendum non consulit propter inauditam consuetudinem: oppositum docent Rodericus *Tom. 1. Regularium quæst: q 62.* Nauar *cap 4* Suarez. *disp. 28 Sect 4.* & licet Superior localis, non possit approbare Simplicem Sacerdotem, tamen in tali casu vteretur pœnitens Epicheia, & jure communi, consulo tamen licentiam semper accipiendam à superioribus. Addit Portel *n. 12. loco citato* quòd oblata necessitate graui celebrandi, extra conuentum existens Frater, & habens peccatum mortale, & non habens Confessarium nisi secularem, tenetur illi confiteri & non poterit celebrare cum sola contritione, quia hic militat præceptum Diuinum & Ecclesiasticum generale confitendi, quod præualet præcepto positiuo Religionis non confitendi, extraneo; non tamen prædictus Confessarius potest Religiosum absoluere à casibus reseruatis nisi forté Religiosus habeat licentiam passiuam à Prouinciali, pro casibus etiam reseruatis. Subdit n. 14 Regularis extra Conuentum habens licentiam confitendi cuiuis Confessori approbato, potest confiteri Confessori alterius Ordinis, approbato pro Fratribus sui Ordinis. Hoc idem docet Sanctorus *super cap. 7. statuto 1. q. 6. quod possit* confiteri, in periculo mortis & vbi adest necessitas celebrandi. vbi in fine Q. inquirit *Quinam Prælati possint hanc licentiam concedere?* Respondet quòd de Generalibus & Prouincialibus non sit dubium ullum. Et subdit, de Guardianis puto etiam intelligi, quia inquit statutum dicit. *De Superioris licentia.* Sed Guardiani sunt Superiores, & sunt curati, & veluti Parochi Fratrum. Ergo. Hoc idem docet P. Petrus Marchant in suo *Tribunali t. 2. titulo 1. q. 3 cap. 6.*

In itinere socio Sacerdoti licet confiteri.

SECTIO. II.

De Conditionibus Ministri Sacramenti Pœnitentiæ?

Nota Absolutè, & simpliciter loquendo, aliqui sex conditiones requirunt in Ministro Pœnitentiæ, nempe potestatem, Scientiam, Pruden-

tiam, Bonitatem, Sigillum, & fortitudinem, sed non omnes sunt de essentia in Ministro, nisi potestas ordinis, & jurisdictionis, reliquæ sunt in Ministro necessariæ, vt rectè fiat, de sigillo infra, & de potestate ordinis, & jurisdictionis sequenti *Sectione* dicetur: nunc de potestate naturali, scientia, bonitate, & Prudentia confessarii, tractabitur per duos Articulos, & nonnulla Quæsita.

ARTICVLVS I.

Qualis potestas requiritur, & scientia, in Ministro Sacramenti Pœnitentiæ?

Potestas naturalis.

Quantùm ad potestatem Dico 1. Debet habere potentiam naturalem, quæ requiritur in ministrandis Sacramentis scilicet vt possit audire, & intelligere Confessionem, deinde vt possit loqui, & proferre absolutionem, tandem vt possit ferre judicium.

Potestas supernaturalis.

Dico 2. Debet etiam habere potestatem supernaturalem, scilicet ordinis *Sacerdotalis*, tunc enim est capax auctoritatis jurisdictionis, quæ est potestas, quâ formaliter constituitur in hoc munere, quæ est simpliciter necessaria, ad hoc *Sacramentum*.

Scientia requiritur in Confessario

Quantùm ad scientiam. Dico 1. *Scientia* habitualis, vel actualis requiritur in Sacerdote, ad rectè ministrandum Sacramentum, & sine peccato. *Probatur* 1. ex S. Augustino de vera, & falsa pœnitentia cap. 10. vbi inquit. *Quærat Sacerdotem scientem ligare, & soluere, ne cùm negligens circa se extiterit, negligatur ab eo, qui eum misericorditer monet, ne ambo in foueam cadant.* Probatur 2. Quia si ad alia judicia, nemo potest assumi, aut deligi, nisi habeat scientiam proportionatam, ad ferendam justam sententiam, multò certè magis, id erit necessarium in hoc judicio, quod pertinet ad salutem animæ.

Qualis scientia requiritur.

Dico 2. Non requiritur hæc scientia in *Sacerdote*, vt possit de omnibus discernere; sed talis per quam fiat sufficiens ad rectè, & sine peccato, administrandum hoc *Sacramentum*. 1. pars Patet, quia aliàs deberet scire omnem Theologiam moralem, & speculatiuam, & habere peritiam vtriusq; juris, &c. 2. pars constabit ex quæsito 1.

Qværes I. *Quænam scire teneatur Confessarius?*

Scienda à Confessario.

Respondeo Multa scire tenetur. Primò Quænam sit materia, & forma absolutionis, de quibus dictum est hìc *Quæst.* 3. 2. Debet scire discrimen inter peccatum mortale & veniale, de quo dictum est *Q.* 5. *Sect.* 3.

art. 2. 3. debet ſcire circumſtantias mutantes ſpeciem, vel notabiliter aggrauantes, de quibus *ibidem Sect. 3. art. 5.* 4. Debet ſcire an pœnitens ſit diſpoſitus ad recipiendam abſolutionem, an habeat dolorem, firmum propoſitum non peccandi, vel ſi non eſt in occaſionibus proximis peccandi, de quibus ſupra dictum eſt, *Quæſt. 4. & 5.* Quintò Noſſe debet Cenſuras de quibus dicetur. *Q. 10.* 6. Scire debet caſus Papales & Epiſcopales, de quibus hîc *Sect. 6.* 7. Debet ſcire impedimenta matrimonij dirimentia, vel impedientia contrahendum, de quibus in *Diſp. vltima de Matrimonio.* 8. Debet ſcire remedia peccatis adhibenda, & quænam ſit pœnitentia imponenda, de quo *Quæſt. 6. Sect. 1. & 2. dictum eſt.* 9. Noſse debet contractus, quinam liciti, qui illiciti, & vnde nam reſtitutio oriatur. *De* quibus omnibus fusè dixi *in tractatu de Jure & juſtitia in Æquilibrio*, ibi videnda, hîc breuiſſimè aliqua neceſſaria ſcitu ſubyciam.

QVÆRES II. *Quid circa reſtitutionem teneatur ſcire Confeſſarius?*

Reſtitutio quid.

DICO I. Reſtitutio eſt actus juſtitiæ commutatiuæ, quo vnicuiq; redditur, quod ab eo ablatum eſt, ad reſtitutionem pertinentia ferè nouem ſunt, *Quis, quid reſtituet, cui, quantum, quomodo, quando. Ordine, quoue loco, qua cauſa excuſet iniquum.*

Radices reſtitutionis.

Porrò radices reſtitutionis ſunt tres injuſta acceptio, ſeu omnis actio contra juſtitiam, res accepta, & contractus celebratus inter aliquos.

DICO 2. Quicunq; abſtulit, vel detinet rem alienam, tenetur reſtituere, & non ſolùm reſtituere tenetur cauſa principalis, ſed etiam concauſæ quæ his verſiculis exprimuntur.

Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Regulæ pro reſtitutione.

Nomine (palpo) intelligitur approbans, & laudans: ita D. Subt. *in 4. diſt. 15. q. 2. n. 30.* quæ omnia fusè ſunt explicata à me *in Æquilibrio Juſtitiæ, Diſp. 3. q. 1. per totam.* Regulæ tres pro reſtitutione. Prima *omne alienum, contra juſtitiam acceptum, vel retentum obligat ad reſtitutionem.* 2. *Omnis acceptio, vel injuſta, vt per rapinam, furtum, fraudem &c. vel juſta, vt eſt accepta à proximo per aliquem contractum, obligat ad reſtitutionem.* 3. Regula. *Omnis damnificatio, ſiue in corpore ſiue in bonis fortunæ, ſiue in bonis animæ, ſiue facta ſit à propoſito ſiue non, ſiue contra voluntatem Domini, vel contra libertatem ejus, V. G. per metum, vel vim compulſiuam, obligat ad reſtitutionem.* Quæ omnia à me fusè explicata ſunt *loco citato in Æquilibrio Iuſtitiæ.*

QVÆRES III. *An contractus ſcire teneatur?*

Quid sit contractus.

DICO I. Scire tenetur quid sit contractus; qui latè acceptus est conuentio duorum, vel plurium in alterutro saltem obligationem pariens. Porrò strictè sumptus, *est actus externus, inter duos, vel plures, ex consensu ipsorum, vltrò citroq; obligationem pariens.*

Multiplices contractus.

Deinde omnes contractus, qui quoquomodo vocantur contractus, siue sint proprii, siue improprii, reducuntur ad quatuor genera. Aliqui enim sunt in quibus transfertur dominium rei. Aliqui in quibus transfertur vsus tantum. Aliqui in quibus non transfertur dominium, nec vsus sed sunt ex quibus oritur obligatio, vel ex vtraq; parte, vel saltem ex vna. Deniq; alii sunt, in quibus nec transfertur dominium, nec vsus, neq; sunt actiones, ex quibus aliqua obligatio nascatur, sed sunt actiones, quibus contractus ipsi dissoluuntur, vt est delegatio, cessio bonorum &c. *Sub* duobus prioribus continentur contractus propriè dicti, ad reliqua duo membra impropriè dicti spectant.

Valor contractuum.

DICO 2. Tenetur Confessarius scire quis contractus validus, quis inualidus: quia error in contractu, vel contingit circa substantiam rei, vel circa qualitatem; circa substantiam rei, irritat contractum, tunc enim deest consensus: circa qualitatem verò non irritat contractum, modò non adsit dolus dans causam contractui, V. G. si quis contrahat matrimonium cum Berta credens esse virginem etiamsi postea oppositum inueniatur, validè contrahit.

Liciti qui contractus.

DICO 3. Confessarius tenetur scire quinam contractus sint liciti, quiue illiciti, V. G. contractus emptionis, venditionis est licitus: Similiter contractus venditionis cum pacto retrouendendi. Item contractus census. Item locationis & Conductionis: Item contractus Societatis &c. In omnibus prædictis debet videre conditiones præscriptas, à *Summis* Pontificibus, à viris piis, & timoratis, hæ si adsunt liciti sunt contractus, si desint illiciti.

Vsurarij illiciti.

DICO 4. Contractus præcisè vsurarius est illicitus, in quo ratione mutui aliquid vltra sortem principalem accipitur. Patet quia omnis conuentio, per quam imponitur onus, & obligatio quasi ex justitia, ad quam mutuatarius aliâs non tenebatur, est illicita.

DICO 5. Omne lucrum quod speratur ex mutuo immediatè, siue principaliter, siue minus principaliter facit vsuram.

DICO 6. In mutuo ratione lucri cessantis, & damni emergentis licitum

citum est exigere vltra sortem lucrum. Hæc omnia fuse sunt explicata *in Æquilibrio Justitiæ de Contractibus Disp. 4. per totam.*

COLLIGE 1. Non semper requiritur, vt Confessarius, per seipsum prædicta omnia sciat, sed sufficit, vt aliqua communia, quæ sæpiùs accidunt sciat dijudicare, de aliis verò nouerit dubitare, & ab aliis doctioribus consilium petere, vel ad libros recursum facere. Tum quia pro ratione locorum, vel personarum, major, vel minor scientia requiritur. *Limitatio scientiæ confessarij.*

COLLIGE 2. Peccat ille pœnitens, qui habens facultatem eligendi Confessarium, eligit imperitum, rudem, respectu suæ conscientiæ, vnde talis cognoscendo quod suam conscientiam non sciuerit dijudicare, neq; vllo modo peccata distinguere, tenebitur confessionem repetere. Multò magis illi qui surdis Confessariis confitentur. *Nota.*

ARTICVLVS II.

Qualis bonitas, & prudentia, requiratur in Ministro Pœnitentiæ?

Quantùm *ad bonitatem.* NOTA Bonitas alia est supernaturalis, quæ est, esse in gratia; alia bonitas per extensionem nominis, quæ est, non esse innodatum aliquâ censurâ Ecclesiasticâ: alia est bonitas moralis, quæ pertinet ad morum compositionem.

DICO 1. Loquendo de bonitate supernaturali, certum est, non esse simpliciter necessariam, neq; ad suscipiendam jurisdictionis auctoritatem, neq; ad ipsam habitam, validè exercendam. Ratio est, quia Minister in administratione Sacramentorum, operatur virtute, & auctoritate Diuinâ, Sed propter peccatum, Deus non aufert eis hanc potestatem ministerialem. Ergo minister extra gratiam Dei existens, validè potest ministrare hoc Sacramentum. Major constat ex SS. literis, 1 Ioan. 1. *Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.* Et 1. Corinth. 3. *Neq; qui plantat est aliquid, neq; qui irrigat, sed qui incrementum dat Deus.* Minor probatur. Quia quando Christus Dominus dixit *Accipite Spiritum Sanctum &c.* non intellexit de gratia inhærente, & justificante formaliter, sed intellexit virtutem, & potestatem, siue assistentiam Spiritus Sancti, ita vt sit sensus, Accipite virtutem, & potestatem Spiritus Sancti. Confirmatur ex SS. Patribus, S. Aug. Tract. 5. in Joan. inquit. *Quid tibi facit malus minister, vbi est bonus Deus.* Subdit. *Sicut parum refert, an aqua ad irrigandum transeat, per canalem* *Bonitas supernaturalis non est in ministro necessaria.*

argenteum, aut lapideum, modo foris, non sit pestilens: ita hic. S. Gregor. Nazianz. ait: *Tam benè in sigillo ferreo, quàm aureo imprimitur imago, modo sit benè ibi expressa, & qui imprimit faciat id peritè.*

Dico 2. Loquendo de bonitate, per extensionem nominis, quæ est, non esse innodatum aliquâ censurâ Ecclesiastica denunciatâ, hæc est simpliciter necessària, in administratione Sacramenti Pœnitentiæ. Ratio est, quia innodatus censuris, non potest recipere auctoritatem jurisdictionis, hoc enim est proprium hujus Sacramenti, in quo requiritur potestas, in corpus mysticum Christi Domini, cujus usus per censuras tollitur. Vnde excommunicatus, potest baptizare, & consecrare validè, non potest autem absoluere, quia ibi non requiritur potestas hæc, quæ hic requiritur. In articulo tamen mortis, possunt absoluere, & Censuris innodatos vt dixi præcedenti *S. 1. Art. 1. quæsito 1.*

Bonitas moralis requiritur ad licitè.

Dico 3. Loquendo de bonitate morali, non impedit, quin validè Sacerdos conficiat Sacramentum Pœnitentiæ. Ratio est, quia hæc non aufert potestatem ministerialem à Sacerdote. V. G. si Sacerdos sit iracundus, non castus, injustus, auarus, &c.

Ad licitam administrationem omnes bonitates requiruntur.

Dico 4. Si verò loquamur de administratione Sacramentorum licita, id est, vt sine peccato fiat, omnes tres bonitates requiruntur ad licitè Sacramenta administranda. De prima patet, quia non licet ministrare Sacramentum in peccato mortali, vt habetur *in Capite Sacrosancta Religio. 1. q. 1. Omnia Sacramenta, cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos, dignè sumentibus.* De secunda bonitate patet, si enim hæc requiritur simpliciter, multò magis ad benè esse. De bonitate morali constat, quia talis scandala generat in populo. Ergo illicitè administrat Sacramenta sine ea.

Qværes *An minister existens in mortali, teneatur præmittere Confessionem, ante administrationem Sacramentorum?*

In administratione Sacramentorum non requiritur cõfessio, sufficit contritio.

Dico 1. In administratione Sacramentorum, non tenetur Sacerdos præmittere Confessionem, sed sufficere veram contritionem, & sic Sacerdos existens in peccato mortali, potest contritus excipere Confessiones. Ratio est, quia Sancta sanctè sunt tractanda. *Sed* per veram contritionem peccator fit sanctus, & justus. Ergo.

Dico 2. In conficiendo Sacramento SS. Eucharistiæ, tenetur Sacerdos peccator præmittere ex præcepto Diuino Confessionem.

Prudentia Confessarii.

Quantùm *spectat ad prudentiam,* Dico, Quòd hæc non requiritur

ritur in Sacerdote ad simpliciter esse, sed ad benè esse. Porrò requiritur prudentia in rebus agendis, vt finem suum agens consequatur. Sed finis confessarii est, facere sententiam rectam, & justam, quâ pœnitens de odio Dei, ad gratiam Dei transeat, & à culpis suis liberetur: ideò debet scire remedia adhibenda; tùm occasiones, quomodo præcidendæ: tùm vt ipsum inducat ad contritionem, & ad propositum firmum non peccandi. Præterea ad prudentiam spectat, cautè agendo in iis interrogandis, quæ possint in tentationem inducere incautos, verbis honestis vtatur, breuiter quantùm fieri potest expediat pœnitentes. &c.

SECTIO III.

De Clauibus, seu auctoritate Sacerdotali.

Præsens Sectio diuiditur in quatuor Articulos.

In 1. examinabitur, Vtrum cujlibet Sacerdoti, in susceptione ordinis Sacerdotii, conferantur claues regni cælorum, & quæ?

In 2. An claues istæ sint distinctæ

In 3. De potestate jurisdictionis, & an sit distincta à potestate ordinis.

In 4. Vtrum potestas clauium extendat se ad remittendam culpam, & pœnam.

ARTICVLVS I.

Vtrum cuilibet Sacerdoti, in susceptione ordinis Sacerdotii, conferantur claues regni cælorum, & quæ?

NOTA I. Nomen clauis est nomen translatum ab instrumento materiali, quod dicitur clauis, ad spiritualia, sicut ergo clauis, est instrumentum siue dispositio quædam, quâ persona potest aperire, vel claudere ipsum ostium alicui, ita in spiritualibus oportet inuenire instrumentum, seu præuiam dispositionem per quam persona aperiens possit aperire ostium regni cælestis. Vnde clauis regni cælorum, non est ipsa sententia, quâ sententiatur cælum huic aperiendum, & huic claudendum, quia hæc est apertio: neq; clauis est persona sententians, seu aperiens: neq; est causa, propter quam quis aperit, vel claudit per sententiam, quia hæc est meritum, cui debet aperiri cælum, sed clavis spiritualis regni cælorum, est ipsa potestas sententiandi, vt huic cælum aperiatur, vel claudatur. *Clauis quid.*

NOTA 2. Hæc potestas sententiandi, est triplex. Prima est principalis soli DEO competens, partim propter primam justitiam, quæ soli DEO competit, qui est primò justus; partim propter primam præsidentiam: Atqui primus præsidens, non potest esse, nisi solus DEVS, Ergo DEus habet *Potestas sententiandi triplex.*

habet potestatem principalem sententiandi. Secunda potestas, est non principalis, sed præcellens, quæ soli Christo Domino competit, partim ex eo, quia habet notitiam omnium meritorum, ac demeritorum judicandorum, partim ex eo, quia in eo est voluntas simpliciter juncta DEo, quoad affectionem justitiæ, vnde est simpliciter immutabilis à justitia. Tertia clauis est particularis, siue ministerialis, & hæc est in Ecclesia militante penes Sacerdotes. Dicitur *particularis*, quia de causis particularibus cognitionem habet.

Clauis scientiæ. NOTA 3. Præter clauem potestatis, siue auctoritatem sententiandi particulariter, datur Sacerdotibus in Ecclesia militante, alia clauis scientiæ, quæ clauis, non est cognitio aliqua actualis, vel habitualis discernendi peccatum à peccato, sed est potestas cognoscendi, & auctoritas examinandi causam confitentis, cui sententiatur cælum esse aperiendum, vel claudendum, sine qua, non posset Sacerdos habere rectum vsum clauis potestatis, nisi enim quis cognoscat meritum, vel demeritum, siue actus illos, propter quos, cælum huic est aperiendum, vel claudendum, non poterit sententiare sententiâ rectâ, huic esse cælum aperiendum, vel claudendum; quod constat ex communi modo judicandi hominum, ignorata enim causa rei, nulla potest esse absolutio, vel damnatio justa, & recta; & sic necessariò concluditur, potestatem cognoscendi in causa peccatoris esse, & posse dici clauem.

Clauis potestatis. DICO 1. Clauis potestatis, siue auctoritas sententiandi, datur actu Sacerdotibus in susceptione ordinis sacri. Probatur Joan. 20 dicitur, *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis &c.* & Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cælorum* & de facto dedit, Joan. vltimo *Pasce oues meas.* nam vt dicit S. August. in Psalm 108. Petrus gerebat Personam Ecclesiæ, ideò quòd Petro datur, toti Ecclesiæ datur, cùm ergo promisit *Petro* claues, & actu ei illas dedit, dedit quoq; eas Ecclesiæ, id est *Petro* principaliter, & cum summa potestate, & aliis Episcopis, & Sacerdotibus cum subordinatione ad *Petrum*, vt ad caput; Concludendo itaq; D. Subtilis ait, in 4. dist. 19. q. 1. a. 1. *hanc potestatem sententiandi, benè dici clauem potestatis quia sententiare non potest, nisi qui præsidet.*

DICO 2. *Præter* clauem potestatis, datur Sacerdotibus clauis scientiæ. *Probatur.* Qui habet auctoritatem sententiandi in aliqua causa, congruum est, vt habeat etiam potestatem cognoscendi in illa causa, alioquin posset aliquis committere alicui potestatem sententiandi, in aliqua

quâ causa pro libito, absq; cognitione causæ, quod est irrationabile, quando sententians potest sententiando errare, cujusmodi est omnis viator. DEus ergo dum commisit Ecclesiæ auctoritatem primam, quæ est sententiandi, quæ dicitur clauis potestatis, commisit etiam potestatem cognoscendi in causa, quæ dicitur clauis scientiæ. Ergo in collatione actuali primæ clauis potestatis, contulit quoq; hanc secundam clauem scientiæ, tanquam præuiam vsui, primæ, & quasi quodammodo vna clauis, & potestas, dici possunt, vt paulò post dicam. Hinc.

COLLIGE. Potestas judicandi, non dicitur à justitia habituali, vel actuali, similiter potestas cognoscendi non dicitur à scientia, habituali vel actuali, quia nec justitia, nec scientia habitualis, vel actualis absolutè, & simpliciter requiritur, sed ad benè, & rectè sententiandum, vel cognoscendum in causa pœnitentis. *Vnde dicitur clauis potestatis, & scientiæ.*

ARTICVLVS II.

An claues istæ sint distinctæ, vel vna?

NOTA. Refert D. Subtilis *in 4. dist. 19. quæst. 1. art. 3.* opinionem, asserentium clauem esse characterem quam refutat. Tùm quia character sacerdotalis, videtur esse potestas conficiendi corpus Domini in Eucharistia. Atqui potestas in corpus Domini verum, & potestas clauium in corpus Domini mysticum, sunt diuersæ potestates. Ergo claues non sunt character. *Clauis non est character.*

Tùm quia priùs tempore, datus est character Apostolis, quàm claues, nam in cæna acceperunt characterem Sacerdotalem, illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*; potestatem verò clauium post resurrectionem, illis verbis, *Accipite Spiritum Sanctum &c.* Ergo character non est potestas clauium.

DICO 1. Clauis scientiæ, & clauis potestatis, sunt duæ claues distinctæ realiter. Probatur CHristus Dominus vocat eas plures. *Tibi dabo Claues.* Ergo sunt plures. Probatur 2. Illæ sunt claues, & potestates distinctæ, quæ possunt separari abinuicem. Sed istæ claues, ita se habent. Ergo: Minor probatur, quia sicut aliquis judex, potest committere alteri facultatem cognoscendi in causa, non dando illi facultatem sententiandi, sed sibi eam reseruando, Similiter, potest aliquis dare alicui potestatem sententiandi, sine authoritate cognoscendi: ita in proposito, DEus posset committere *Clauis potestatis, & scientiæ, sunt duæ claues.*

mittere

mittere authoritatem cognoscendi in causa, sine authoritate sententiandi: & è conuerso. Addit tamen D. Subtilis, quòd de potentia Dei ordinaria, vtraq; potestas, cōmittitur Sacerdoti completè ordinato.

Sunt vna vnitate ordinis.

Dico 2. Istas duas claues aliqualiter posse dici vnam clauem vnitate ordinis: quia vtraq; ordinatur ad vnum, eundemq; actum, scilicet ad apertionem regni cælorum, sed cum subordinatione, quia potestas sententiandi, ordinatur ad eum actum quasi excellenter, & explicitè, potestas, seu clauis cognoscendi, implicitè, & minùs excellenter.

Potestas celebrandi, & potestas absoluendi, sunt distincta.

Petes *An potestas celebrandi, & potestas absoluendi, sint duæ potestates?*

Respondeo. Esse duas: quia potestas celebrandi, est potestas in corpus Christi Domini verum, potestas verò absoluendi, est in corpus Christi Domini mysticum. Supposito verò quòd sint duæ potestates, an etiam duo sint characteres? Respondet D. quod potest dici esse duos characteres, & vterq; imprimitur distinctè, in suo proprio signo sensibili, significante illud, quod est inuisibile. nimirum primus character, imprimitur in porrectione calicis, cum illis verbis, *Accipite potestatem celebrandi &c.* Alius character datur, in impositione manuum, cum illis verbis, *Accipite Spiritum Sanctum &c.* Potest etiam dici, quòd per vnum characterem sacerdotalem, habet quis potestatem conficiendi corpus Domini, & per eundem characterem, tanquam per dispositionem præuiam, recipit potestatem, seu claues absoluendi, & hoc dicit, negans clauem esse characterem, D. Subtilis.

ARTICVLVS III.

Quid sit potestas jurisdictionis, & an sit distincta à potestate ordinis?

Quid sit jurisdictio magna difficultas.

Nota Magna est difficultas, quid sit ista jurisdictio, an sit auctoritas, & potestas ipsius ordinis, & in ordine collata? an aliqua alia potestas, distincta ab ordine, & extra ordinem collata? Et ratio dubitationis est, quia si ad potestatem ordinis, requiritur alia potestas jurisdictionis. Ergo potestas sententiandi in causa peccatorum, recepta in ordine sacro non est vera potestas: si autem in ordine, confertur perfecta potestas sententiandi, videtur quòd potestas jurisdictionis, nulla sit, & non necessaria, propter hanc dubitationem sunt opiniones.

Opinio.

1. Opinio afferit, primò potestatem jurisdictionis esse eandem, quæ est ordinis, atq; in ipsa ordinis sacri collatione, conferri Sacerdoti. Secundò

cundò dicit, quòd per ordinationem Ecclesiæ, auctoritas ista est suspensa, & impedita, ne quilibet Sacerdos: possit absoluere quemlibet, quæ limitatio, siue suspensio, facta est ab Ecclesia.

Secunda opinio asserit potestatem jurisdictionis, posse duobus modis considerari: Vno modo inchoatiuè, alio modo completiuè: Seu ut alijdicunt, in habitu, secundò in actu, seu vsu. Primo modo confertur potestas jurisdictionis, in ordinatione, nec distinguitur à potestate ordinis, neq; ab ipsa est separabilis, nec mutabilis per Ecclesiam: secundo modo est separabilis, & diuersa ab ordine sacro, quia ab extrinseca potestate completur, & perficitur, ideò potest variari & transferri. Ita Cajetan. *in opusculis tomo 1. tract. 7.* Nauar: *in Summa cap. 4. n. 4.* Syluester *verbo Confeßor: 1 q. 2.* diuerso tamen modo explicant. *2. opinio.*

Tertia Sententia asserit duplicem esse potestatem, ordinis, & Jurisdictionis, quantum vna ab alia, realiter distinguitur. Est D. Subtilis *in 4. d. 19. q. 1. a. 4.* S. Thomæ *2. 2. q. 39. a. 3.* Sequuntur recentiores ferè omnes.

NOTA I. D. Subtilis pulchrè explicat [quomodo stent simul, quòd Sacerdos in ordine, accipiat potestatem absoluendi, & tamen sine jurisdictione, non possit absoluere] dicens: Aliud est considerare claues in se, & aliud in ordine ad actum, in quem possint exire, potest enim contingere, quòd aliquis habeat clauem, & tamen non possit exire in actum, V. G. claudere, vel reserare: quod exemplificat de potentiis naturalibus actiuis: clauis enim nihil aliud significat, nisi potestatem aliquam actiuam, ideò potestas clauium declaratur, per comparationem ad potentias naturales actiuas. Cùm autem juxta Aristotelem *9. Metaph. c. 10.* duplex sit potentia actiua: vna propinqua, alia remota: potentia actiua propinqua est illa, cui statim respondet potentia passiua, seu passum, in quod agere debet, & non est impedibilis: potentia verò remota est illa, cui non statim correspondet passiuum, in quod agere debet, vel si respondet ab aliqua alia potentia impeditur ab actu, ne possit agere in illud passum. Ad propositum, in Sacerdote duplex est potentia actiua. Vna super corpus CHRISTI Domini verum, & hæc est propinqua, quia statim in natura, habet ipsam materiam, & passiuum sibi correspondens, in quod potest exire in actum; nimirum panem triticeum, & hæc non est impedibilis: Alia est potestas sententiandi in Causa peccatorum, & hæc est remota, propter duas rationes. Primò quia ex hoc, quòd est clauis, siue potestas, in aliquo non correspondet sibi passiuum aliquod, nisi aliundè fiat sibi passiuum, scili-

Modus explicandi pulcher.

Duplex potentia.

scilicet ab alia potestate, quæ est jurisdictionis. Tùm quia si in aliquo habet passiuum, in quod agere possit, per aliam potentiam actiuam potest impediri ab actu, ne agat omninò: *ita D. Subt. in 4. dist. 19. q. 1. a. 4.*

Potentia remota est vera potentia.

COLLIGE Potentia remota ex hoc, quòd est remota, non desinit esse potentia, habet enim totum illud, quod pertinet ad seipsum in suo genere, & nihil ei in suo genere deficit, non potest autem exire in actum, quia prærequirit materiam dispositam suæ actioni, quæ dispositio fit per aliam potentiam actiuam, quæ est potestas jurisdictionis. Exemplo res declaratur, Potentia actiua in animali, quæ non potest conuertere alimentum in carnem, & corpus, nisi alimentum debitè disponatur, & præparetur per concoctionem, quæ præparatio, & concoctio, fit ab alia potentia actiua, scilicet à calore animalis: Sicut ergo potentia actiua augendi animal, etsi non statim habeat passum sibi respondens, sed egeat alia virtute, & potentia actiua, quâ passum sibi præparetur, & proportionetur, non amittit rationē actiuæ virtutis, neq; est diminuta, vel inchoata, sed est completa, & perfecta in suo genere; ita potentia sententiandi, indiget potentiâ jurisdictionis, siue potestas jurisdictionis, sit potestas actiua inseruiens potestati ordinis.

Nota.

NOTA 2. Quidquid dedit DEus Apostolis, dedit cum subordinatione ad Petrum, quem constituit caput eorum, ad tollenda schismata, teste S. Cypriano. Porrò duplex fuit authoritas in Apostolis. Alia extraordinaria, quæ propriè pertinebat ad munus Apostolatus; alia ordinaria, quæ propriè pertinebat ad munus Episcopatus: hæc transiuit ad Episcopos, successores Apostolorum: extraordinaria potestas, quæ erat prædicare fidem, plantare Ecclesiam, gubernare, & administrare eam, & hæc extincta fuit in Apostolis, quia illi soli fuerunt immediatè missi à CHRISTO Domino, & illi soli habuerunt potestatem plantandi Ecclesiam, & seminandi fidem, & formam gubernationis Ecclesiæ præscribere, quòd non licuit successoribus, non enim debent nouas leges condere, sed fidem ab Apostolis traditam docere, errores expurgare, & condemnare.

S. Petrus caput Apostolorum.

Extraordinaria potestas.

DICO 1 In Ecclesia est duplex forum; secretum, in quo idem est accusator & reus; aliud publicum, nimirum potestas excommunicandi, & iterum reconciliandi, iuxta illud Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Et ad hoc forum publicum requiritur potestas Ordinis, saltem Minorum ordinum, quia & hos habentes possunt excommunicare, & præter potestatem ordinis, requiritur potestas jurisdictionis, Ita D. Subt. *in 4. dist. 19. q. vnica. § De quinto Articulo.*

DICO 2.

Dico 2. Sacerdos ex vi ordinis, non habet potestatem omnem ad absoluendum; neq; si haberet, posset Ecclesia ipsam impedire. Est D. Subtilis loco citato. art: 4. contra primæ opinionis dictum vtrumq;. Probatur 1. ex Conciliis, Florentin: in Decreto Eugenii, dicit. *Minister hujus Sacramenti & Sacerdos, habens authoritatem absoluendi, vel ordinariam, vel ex commissione Superioris.* Tridentin: Sess. 14. cap. 7. ait. *Persuasum semper in Ecclesia DEi fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, vel subdelegatam jurisdictionem non habet.* Ergo secundùm Concilia Sacerdos ex vi ordinis, non habet totam, & completam auctoritatem absoluendi. Probatur 2. Si de jure Diuino esset, quòd Sacerdos, ex vi ordinis, haberet omnem potestatem, necessariam ad absoluendum à peccatis, Ecclesia non posset hanc authoritatem impedire, & sacerdos absolutè absolueret, si stante aliqua prohibitione Ecclesiæ attentaret, licet peccaret absoluendo, propter transgressionem præcepti Ecclesiæ. Sed Ecclesia absolutè docet, absolutionem illam esse nullam, quæ fit sine jurisdictione. Ergo ex jure Diuino potestas ordinis, non est potestas jurisdictionis. 3. Si vera esset opinio prima, non possent casus, & peccata aliqua reseruari, quia auctoritas Sacerdotis, non penderet ab extrinseco, nempe Superiore, neq; illam Superior posset auferre. Sed hoc est falsum. Ergo.

Ex vi ordinis Sacerdos non habet omnem potestatem.

Dico 3. Potestas jurisdictionis, non confertur ex vi ordinationis inchoatiuè, vel in habitu, vt volunt Cajetanus, & Nauar. Est contra 2. opinionem. Quia auctoritas jurisdictionis, quæ requiritur ex Decretis Conciliorum, est auctoritas à superioribus communicata, dicunt enim requiri auctoritatem ordinariam, vel delegatam. Ergo licet subditus posset se subjicere Sacerdoti, hæc tamen subjectio non est sufficiens ad hoc, vt Sacerdos possit in illum ferre sententiam, sed requiritur auctoritas Superioris.

Jurisdictio non confertur inchoatiuè in ordine.

Dico 4. Potestas jurisdictionis, est distincta realiter à potestate ordinis. Probatur 1. ex Conciliis citatis pro prima conclusione. Probatur. 2. Illa, quorum vnum potest esse sine alio, absq; illius corruptione, sunt diuersa omninò realiter. Sed potestas ordinis, potest esse, absq; potestate jurisdictionis. Ergo. Minor patet, quia Sacerdos non admissus à Superiore, ad ministrandum Sacramentum pœnitentiæ, est verus Sacerdos, tamen non potest absoluere aliquem à peccatis, quia caret jurisdictione. Confirmatur Potestas clauium, siue absoluendi, habet hoc peculiare, quòd

Potestas jurisdictionis distincta est à potestate ordinis.

sine potestate jurisdictionis, nihil faciat, aliæ autem potestates Sacramentales, si sine jurisdictione attentent, faciunt, licet malè faciant; quia potestas clauium, subordinatur proximè, materiæ de judiciis, quæ requirit proximè jurisdictionem, ideò cùm illa, non est in habente claues ordinis, nihil absolutè fit. Confirmari potest, *Notando* 1.

Potestas jurisdictionis describitur.

Dico 5. Potestas jurisdictionis est, per quam aliquis in foro pœnitentiæ subditur, tanquam reus, suo proprio judici: & hæc datur extrinsecùs à Superiore, cùm quis admittitur ad audiendas confessiones Sacramentales, pertinetq; tam ad forum internum, quàm externum. Porrò alia est ordinaria, vt est in Summo Pontifice, Episcopo, & Parocho, vt dixi *art. 2. q. 1.* Et hanc habent illi, qui ex vi muneris, & officii sui sunt pastores. Alia est delegata, quam quis habet, non ex vi proprii muneris, sed commissione, vel delegatione alterius: quis autem eam possit delegare, dicetur *Sectione quinta*.

Iurisdictio requiritur etiam respectu venialium.

Dico 6. Hæc potestas jurisdictionis, non solùm respectu mortalium, sed etiam venialium requiritur, & respectu mortalium jam dimissorum. Ita Nauar. c. *Placuit de pœnitent: d. 6.* vt dicit, *Nullum textum se vidisse, quo probetur eum, qui sola venialia habet posse cui voluerit, confiteri.* Neq; valet responsio Soti: Nemo potest cogere pœnitentem ad confitenda venialia. Ergo ad illa non requiritur jurisdictio: quia jurisdictio requiritur non solùm propter coactionem, sed propter valorem actionis, vt absolutio validè fiat. Quare licet homo non teneatur, ad confitenda venialia, tamen si illa velit confiteri, absolutio illorum à Sacerdote, non potest esse valida, si desit jurisdictio. Vnde puto eum, qui absoluit venialia, sine jurisdictione, nihil facere, & venialiter peccare, si absit contemptus, nam mittit falcem, in alienam messem. Hoc idem dicendum de peccatis mortalibus jam dimissis.

ARTICVLVS IV.

An potestas clauium, extendat se ad remissionem culpæ, & pœnæ?

Per claues dimittitur culpa.

Dico 1. Per claues Ecclesiæ dimittitur culpa. Est D. Subtilis *in 4. dist. 18. & dist. 14. q. 4.* Probatur, nam si non, sequeretur, quòd Sacramentum Pœnitentiæ, non esset Sacramentum nouæ legis, nec haberet aliquam

quam causalitatem, siue dispositionem causalem respectu gratiæ primæ, Consequens est absurdum. Ergo. Consequentia Probatur, quia nunquam dignè susciperetur, nisi ab habente jam primam gratiam quia nullus dignè ostenditur absolutus esse, nisi prius sit illi culpa dimissa, & sit solutus à DEo, ab illa. Ergo Sacramentum pœnitentiæ, nullam causalitatem habet respectu gratiæ, quod est falsum, nam Sacramentum pœnitentiæ, confert gratiam ex opere operato, in non ponentibus obicem. Falsitas Consequentis satis luculentè probata est, *Quæst. 2. Sect. 1. & reliquis.* Probatur 2. ex SS. literis. Joan 20. Dedit hanc potestatem clauium Apostolis, & per ipsos Ecclesiæ, & successoribus Apostolorum in Sacerdotio. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata.* & Lucæ 26. *Oportet prædicare in nomine ejus pœnitentiam, in remissionem peccatorum.* 3. Ex conciliis, & traditione Ecclesiæ. In Tridentino *Seß. 14. cap. 1.* dicitur. *Christus Dominus instituit Sacramentum pœnitentiæ, in remedium vitæ, illis, qui se post Baptismum in peccati seruitutem, & dæmonis potestatem tradidißent.* 4. Absolutio Sacerdotis, est dispositio, & instrumentum efficax ex statuto DEi, necessarium ad susceptionem gratiæ. Sed dispositio præuia, seu instrumentum, non est signum rememoratiuum, siue ostensiuum alicujus rei præteritæ, sed futuræ. Ergo absolutio Sacramentalis, non est signum absolutionis Diuinæ præteritæ, sed est signum absolutionis futuræ, ad quam ipsa ex pacto Diuino instrumentaliter concurrit. Confirmatur Absolutio Sacramentalis, cum sola attritione absoluit à culpa: Ergo claues Ecclesiæ habent potestatem dimittendi culpam. *Ioan. 20.*

Differentia inter Sacerdotes nouæ, & veteris legis.

Collige. Differentiam ponit D. Subtilis, inter Sacerdotes nouæ legis, respectu culpæ, & veteris legis, circa lepram mūdandam: nam hi non exercebant signum prognosticum, & efficax, respectu mundationis lepræ sequentis, sed exercebant signum rememoratiuum, mundationis lepræ præteritæ. Sed Sacerdotes Euangelici, per claues exercent signum prognosticum efficax, mundationis à peccato, sequentis in vltimo instanti prolationis verborum.

Vi clauium emittitur pœna æterna.

Dico 2. Potestas clauium præcisè, non extendit se ad dimittendam pœnam temporalem, vt volebat Magister Sententiarum, sed etiam ad dimittendam pœnam æternam. Probatur 1. Ablata causâ, aufertur effectus, qui ex illa dependet. At pœna æterna, infligitur à DEo, propter culpam. Ergo qui aufert culpam, aufert quoq; pœnam. Quod enim dat formam, dat consequentia formam; potestas clauium, est

potestas

potestas dimittendi culpam. Ergo & pœnam, quæ ad illam consequitur, propter ipsam culpam. 2. Christus Dominus illis verbis, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis &c.* magnam dedit authoritatem Apostolis. Ergo non est verisimile, quòd præcisè, dederit eis potestatem remittendi pœnam temporalem, & non æternam. Confirmatur Quia pœna, temporalis, per alia remedia potest dimitti. Ergo propter pœnam temporalem, non dedit Apostolis, hanc authoritatem. 3. Sicut Baptismus institutus est, vt remedium necessarium ad vitam æternam: ita pœnitentiæ Sacramentum, vt remedium ad vitam æternam, vt docet Trident. *Sess. 14. cap. 1.* Sed sicut Baptismus, nihil conferret ad vitam æternam consequendam, nisi deleret, cum culpa, pœnam æternam, ita Sacramentum pœnitentiæ, nihil conferret ad vitam æternam, nisi remitteret pœnam æternam.

Vi clauium remittitur etiam pœna temporalis.

DICO 3. Vi clauium remittitur etiam pœna temporalis. Probatur, 1. Quia licet per absolutionem Sacramentalem dimittatur culpa, & pœna æterna, tamen non dimittitur tota pœna, sed æterna commutatur in temporalem: 2. Propter erubescentiam in Confessione dimittitur aliqua pars temporalis pœnæ pœnitenti. 3. Sacramentum pœnitentiæ, non est tantæ efficaciæ, sicut Baptismus, in quo remittitur culpa, & omnis pœna: at Sacramentum pœnitentiæ, cùm sit institutum per modum judicii, in quo datur facultas arbitrandi, & judicandi in Causa pœnitentis, & eum liberandi à pœna æterna, non tamen absoluendi omninò gratis sed per impositionem pœnitentiæ. Ergo Sacerdos habet facultatem in pœnam temporalem.

DICES Quòd ordinatur ad infligendam pœnam, non ordinatur ad remittendam illam. Sed potestas clauium, extendit se ad infligendam pœnam temporalem. Ergo non ad remittendam illam.

RESPONDEO. Extendi ad vtrumq;, quia in absolutione à peccatis, remittitur aliqua portio pœnæ, non tamen hinc sequitur, quòd per plures absolutiones iteratas de eodem, posset dimittere totam pœnam, quia secunda absolutio virtute clauium nullam partem pœnæ remittit, vtile tamen est confessionem iterare de eodem, quia ex merito humiliationis pœnitentis, remittitur pars pœnæ.

SECTIO IV.

Vtrum requiratur approbatio in Ministro pœnitentiæ?

Præsens Sectio in duos Articulos diuiditur.

1. Vtrum approbatio requiratur in Ministro pœnitentiæ, & per quem fieri debeat?
2. Quamdiu censenda sit durare facta semel approbatio?

ARTICVLVS I.

Vtrum approbatio requiratur in Ministro pœnitentiæ, & per quem fieri debeat?

Nota 1. Post Concilium Tridentinum, requiritur, vt Minister Sacramenti Pœnitentiæ, admittendus ad audiendas confessiones, sit approbatus ab ordinario Episcopo. Ita Concilium *Sess.* 23, cap. 15. inquit. *Quamuis Presbyteri in sua ordinatione, à peccatis absoluendi accipiant potestatem, decreuit tamen Sancta Synodus, nullum etiam Regularem, posse Confessiones secularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem quæ gratis detur obtineat, priuilegiis, & consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus.* In quo Decreto Concilium vult, ad hoc, vt Sacerdos sit capax jurisdictionis, ad administrandum Sacramentum Pœnitentiæ, vt sit approbatus ab Episcopo, quæ approbatio fit, vel medio examine, vel aliquibus aliis actionibus, quibus constet Episcopo, quòd sit idoneus, vel requiritur, quòd Sacerdos habeat beneficium, qui enim ad beneficium curatum semel est admissus, videtur judicatus idoneus. *Auctoritas Concilii de approbatione.*

Nota 2. Approbatio, non est idem quod jurisdictio, ideoque ab inuicem possunt separari, nam approbatio, est præuium quid ad jurisdictionem: est enim publica quædam sententia, seu authentica contestatio de sufficientia Sacerdotis ad audiendas Confessiones. Hinc sequitur 1. Religiosos habentes delegatam jurisdictionem per priuilegium, non accipere illam ab Episcopo, sed à Summo Pontifice, tametsi accipere debeant, & teneantur ab Episcopo approbationem, vt decreuit Concilium Tridentinum: Sequitur 2. Posse aliquem approbari ab vno, ab altero verò accipere jurisdictionem. Sequitur 3. Posse aliquem habere approbationem, & non jurisdictionem, quia approbatio, est quasi opus justitiæ, quod debetur dignis Personis. At jurisdictio est opus gratiæ, quod Episcopus si vult, potest negare secularibus. *Quid sit approbatio.* *Religiosi à quo accipiunt jurisdictionem.*

Dico 1. Nullus Sacerdos cujuscunque dignitatis, status, siue regularis, *Omnis Sa[…]*

cerdos debet approbari. ris, siue secularis, potest audire confessiones secularium, nisi priùs ab Episcopo approbetur. Ita *Trident: loco citato.* hinc sequitur 1. Nullum etiam doctissimum, siue Doctorem in Theologia, siue Lectorem excipi ab hoc Decreto: quia Concilium generaliter loquens, approbationem solis Episcopis committit. Sequitur 2. Non posse Superiores religionum, etiam Mendicantium, exponere Sacerdotes sui ordinis ad audiendas Confessiones secularium, nisi ab Episcopo approbentur, possunt tamen exponere non approbatos ab Episcopo pro confessionibus suorum Religiosorum, quia Concilium solùm requirit approbationem respectu secularium. Porrò Gregorius XV. fecit Decretum *Anno Domini 1. 6. 2. 4* ne Regulares exponant Confessarios tam ordinarios, quàm extraordinarios pro excipiendis Confessionibus Monialium, nisi ad id specialiter sint approbati ab Episcopis ordinariis. Sequitur 2. Non posse parochum delegare jurisdictionem ad audiendas Confessiones, nisi Sacerdoti priùs approbato per Episcopum.

Decretum ad quos extenditur. Dico 2. Hoc decretum Concilii, extenditur ad quosuis pœnitentes, cujuscunq; sint conditionis, modo non sint Religiosi. Hinc sequitur 1. Cardinales, Episcopos, & alios inferiores Prælatos, non posse confiteri, nisi approbato, etiamsi habeant facultatem eligendi Confessarium. Porrò Episcopus si velit confiteri suo subdito, posset eundem tunc approbare, si autem alieno, non poterit confiteri, nisi is fuerit à proprio Episcopo approbatus. Sequitur 2. Nullum Sacerdotem, at multò minùs inferiorum ordinum Clericum, posse confiteri alteri, nisi fuerit, à proprio Episcopo approbatus. Sequitur 3. licet Reges, & Principes habeant priuilegium ad eligendos Confessarios, non posse confiteri, nisi approbatis, post Concilium Tridentinum. Sequitur 4. Religiosi, non possunt sine licentia suorum Superiorum, confiteri, nisi illis, qui sunt expositi pro Confessionibus Religiosorum excipiendis, quiq; jurisdictionem à suis superioribus habent, & approbationem, quam approbationem, Prouinciales debent dare, non locales superiores.

Qui possint approbare. Dico 3. Hanc approbationem soli Episcopi facere possunt, vel ex eorum commissione vicarii, seu administratores generales. Deinde sede vacante, Capitulum, siue per seipsum, siue per vicarium, à sede electum. Ratio est de Episcopo, quia hoc requirit Concilium. De vicario patet, quia censetur esse idem cum illo, in actibus jurisdictionis.

Quis Episco- Petes *Quis Episcopus potest approbare?* Dico 1. Approbatio loci Epi-

Episcopi, in quo Sacramentum est ministrandum, non requiritur. Ratio est, quia locus, est quid accidentarium, & sic Parochus potest suum Parochianum audire, extra parochiam, imò & extra Episcopatum.

Dico 2. Ex vi decreti Concilii, sufficit approbatio, ab Episcopo Confessarii per se loquendo, non autem requiritur approbatio, Episcopi pœnitentis, si is sit diuersus. Ratio est, qui id esset onus graue, à duobus Episcopis, petere approbationem. Dixi (Per se loquendo,) quia posset Episcopus propriam approbationem restringere, ad pœnitentes propriæ diœcesis, & sic non valeret pro alienis

Petes 2. *An debeat Sacerdos actu obtinere, vel in scripto hanc approbationem?*

Dico Necessaria est de jure ordinario, vt approbatio actu obtineatur, nec sufficit, quòd petatur, si non obtineatur, etiamsi injustè denegetur. Ratio est, quia Concilium dicit, Nullum posse audire confessiones, nisi approbetur ab Episcopo, & hoc verbo, vel scripto, vel aliquo signo exteriori. Addo potest absenti dari approbatio.

Petes 3. *An Regulares petitâ, & non obtentâ licentiâ, possent audire Confessiones?*

Respondeo. Concil Trident. *Sess 23. cap. 15.* his verbis. *Priuilegiis, & consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus*; tollit omnia priuilegia Regularium, quoad hoc, & consequenter Religiosi petitâ, & non obtentâ licentiâ, seu approbatione ab Episcopo, non possunt audire Confessiones. Et hoc verum est, de omnibus Religiosis, exceptis Religiosis, de Ordine Minorum, & Ordine Prædicatorum, qui petita, & non obtenta licentia ab Episcopo, possunt audire Confessiones, non ex priuilegiis, quia hæc sunt sublata, sed ex jure, vt expressè illis hoc conceditur in Clementina Dudum, de Sepulturis. Vbi sic habetur. *Si verò iidem Prelati, prefatis Fratribus, (nempe Ordinis Minorum, & Prædicatorum,) ad Confessiones (vt premittitur) audiendas electis, hujusmodi exhibere licentiam recusârint, nos ex nunc ipsis, vt confessiones sibi confiteri volentibus, liberè, licitéque audire valeant, gratiosè concedimus, de plenitudine Apostolica potestatis.* Idem conceditur eisdem Ordinibus in Extrauaganti, *Inter cunctas de priuilegiis.*

ARTICVLVS II.

Quamdiu censenda sit durare facta semel approbatio?

 Dico 1.

Approbatio quam diu durat?

DICO 1. Ille qui habet beneficium parochiale, & per illud est approbatus, non potest sine justa causa, priuari facultate audiendi confessiones, & consequenter approbatione, licet possit ad tempus ab exercitio muneris suspendi. Ratio est: quia ex hoc, quòd beneficium habeat, jure communi habet approbationem ipso facto. Quod si deprehendatur non idoneus, tunc est priuandus officio parochiano, & cogendus ad accipiendum coadjutorem, vel prohibendus ab vsu hujus ministerii.

DICO 2. Approbatio semel facta indeterminatè & sine limitatione certi temporis, semper durat, donec reuocetur, ita vt nec per mortem approbantis censeatur reuocari: facta autem ad certum tempus, vltra illud, non habet vim. Ratio est, quia hæc approbatio, non tam ex gratia, quàm ex juridica sententia fit. A nouo Episcopo, potest justa de causa reuocari.

DICO 3. Potest ex rationabili causa, omnis approbatio reuocari. Ratio est, Tùm quia approbationis vsus fundamentum est mutabile, qui enim fuit aptus pro vno loco, pro alio non est aptus. Tùm quia potest accidere, vt aliquis approbetur reuera indignus, vel ob negligentiam examinatorum, vel ob fauorem. Dixi (ex rationabili causa,) quia multi graues Doctores docent, approbationem reuocatam, sine vlla rationabili causa esse nullam. Ratio est, quia approbatio non est fauor pendens ex voluntate Episcopi, sed est judicium, & attestatio idoneitatis, ac sufficientiæ.

Episcopi non possunt reprobare religiosos semel approbatos.

DICO 4. Episcopi, non possunt Regularium Confessorum approbationem, semel factam reuocare, si sit sine limitatione vlla facta. Hac de re edidit duo Decreta, Sacra Congregatio Cardinalium ne Regulares ab Episcopis vexentur. Vnum, *Anno Domini* 1587. *die* 2. *Julij*. Aliud, super Concilium Trident: *Sess.* 22. *c.* 15. quæ decreta refert Confectius, in Summario Priuilegiorum Mendicantium. Cæterùm admissus Regularis cum limitatione, potest examinari pluries ab eodem Episcopo, qui non censetur simpliciter idoneus; quòd si ex malitia, Episcopus nolit idoneum simpliciter approbare, sed semper ad certum tempus, vt cogatur sæpiùs eum adire peccat grauiter contra justitiam.

DICES. Potest Episcopus auferre jurisdictionem, vel suspendere in Confessore. Ergo potest & approbationem etiam in Regularibus.

RESPONDEO. Jurisdictionem, & approbationem, esse distinctas facultates, quia ab alio accipitur jurisdictio frequenter, V. G. à Parocho, & approbatio ab Episcopo, licet vtrumq; possunt Sacerdotes seculares ab Episcopo accipere. Porrò Regulares solam approbationem accipiunt ab Episco-

Episcopo, jurisdictionem verò à Papa per priuilegia in Clementina *Dudum:* atq; ita Regulares possunt audire Confessiones, quorumcunq; , & vbicunq; , dum modo sint approbati ab ordinariis, in quorum Diœcesi resident. Hinc

Collige 1. Parochus ratione beneficii approbatus, certò debet censeri approbatus, pro tota illa diœcesi: an autem sit approbatus extra diœcesim, non videtur esse probabile. *Parochus pro tota diæcesi approbatur.*

Collige 2. Non sufficit Regulares admissos pro vna diœcesi, esse admissos vbiq; sed debent in vnaquaq; diæcesi approbari. Porrò ex priuilegiis, debitè in vna diæcesi, secundum jus admissi, iter facientes per terras, & mare, possunt in omnibus locis, in quibus non existunt proprii Episcopi, prædicare, & confessiones audire, non repugnantibus tamen curatis, & dummodo sint verè itinerantes, non autem diu commorantes, per vnam, aut alteram hebdomadam. Ita Rodericus *tom. 1. q. 59. a. 5.* *Regulares itinerantes non approbati possunt audire confessiones.*

SECTIO V.

De Auctoritate delegata, & facultate eligendi Confessarium.

Hic tria quæram.

1. Quis, & cui potest delegare facultatem jurisdictionis?
2. Vtrum ad jurisdictionem actualis consensus requiratur, vel an sufficiat ratihabitio?
3. Quinam habent facultatem eligendi Confessarium à jure?

ARTICVLVS I.

Quis, & cui potest delegare facultatem iurisdictionis?

Nota 1. Auctoritas delegandi jurisdictionem, tribus modis contingit. Primò à jure, & sic communicata est regularibus per priuilegia. 2. Ex consuetudine, vt in articulo mortis. 3. Per ipsam Personam prælati, qui verbis, vel factis, auctoritatem vult communicare alteri.

Nota 2. Hæc delegatio potestatis, non fit per aliquam consecrationem, sed per moralem quandam deputationem, ideoq; qui illam habet, eandem cui voluerit committere potest.

Qui possunt delegare.

DICO 1. Quicunq; habent jurisdictionem ordinariam, (vt sunt, Summus Pontifex, Episcopus, Parochus) possunt eandem delegare alteri. Ratio est, quia delegatio est vnus actus ex propriis ordinariæ jurisdictionis. Ergo qui habet hanc jurisdictionem potest exercere hunc actum delegationis. Hinc sequitur 1. Papam posse cuilibet Personæ hanc potestatem delegare, modo illa sit Sacerdos, pro quocunq; loco in toto mundo, & pro quibuscunq; peccatis: quia ipsius potestas ordinaria est illimitata. Sequitur 2. Idem posse facere Episcopum in sua diœcesi, nisi contradicat, vel reseruet sibi Pontifex. Sequitur 3. Parochum in parochia sua, idem posse facere, modo non repugnet Episcopus, est tamen limitata hac in parte Parochi potestas: Episcopus enim potest hanc facultatem concedere ad mortem delegati; Parochus autem non potest in perpetuum, curam animarum alteri delegare, quia non potest ipse absens Ecclesiæ seruire per vicarium, nisi per spatium trium hebdomadarum, vt notat Sanchez *lib*. 3. *de Matrim: d*. 23. *n*. 23.

DICO 2. Possunt etiam jurisdictionem fori Sacramentalis delegare Vicarii, & administratores Papæ, & Episcoporum, ac Pœnitentiarius Summus Papæ: quia tales Personæ participant jurisdictionem ordinariam eorum, pro quibus substituuntur. Item ad Parochorum ordinem reducuntur vicarii eorum, maximè qui positi sunt ab Episcopo: quia ejusmodi vicarii sunt delegati ad vniuersitatem causarum; omnis autem talis delegatus, delegare potest. Item Perpetui commendarii, Archipresbyteri, Præpositi, curata beneficia habentes, delegare possunt. Item Prælati Religionum, Abbates, Generales, Prouinciales, Priores, Guardiani, Rectores respectu suorum subditorum Religiosorum. Et in absentia eorum præsidentes, vel vicarii, qui destinati sunt ex Capitulo, vel à Ministro Prouinciali ad regendum in absentia Guardiani, aut Prioris, tempore quo præsident, gaudent authoritate, & Priuilegiis Guardiani, habentq; jurisdictionem ordinariam. Ita Rodericus tom. 1. q. 19. articulo 2. Hinc.

Delegatus ad communicandum potest delegare.

COLLIGE 1. Religiosi, habentes delegatam potestatem à Pontifice: ad audiendas Confessiones vbiuis locorum, non possunt illam cuiquam delegare: & sic Vicarius Parochi, qui solùm adjutor est Parochi, non potest delegare, quia Parochus, non plenè committit illi suas vices sed solùm in parte.

COLLIGE 2. Delegati ad vniuersitatem Causarum, possunt dare licentiam audiendi confessiones, non tamen possunt dare facultatem delegandi subdelegato: quia subdelegatus talis, delegare non potest.

COL-

Collige 3. Habens jurisdictionem specialem *Papalem*, vt Regularis, sine licentia speciali Episcopi, vel *Parochi* potest audire Confessiones, neq; potest impediri ab Episcopo, vel *Parocho*. Similiter qui habet jurisdictionem ab Episcopo, potest audire sine licentia *Parochi* confessiones, optimum tamen esset petere licentiam ab Ordinariis, ob vitanda scandala, quæ inde oriri possunt; Ordinarii verò talem jurisdictionem à *Papa*, vel Episcopo habentibus, non debent contradicere.

Dico 3 Hæc jurisdictio, potest committi alicui duobus modis. Vno modo, vt ille cui committitur eâ vtatur, & sic soli Sacerdoti delegatur. Alio modo vt alteri eam committat: & sic potest delegari clerico: & sic vicarii Episcoporum, possent esse non Sacerdotes. *Jurisdictio duobus committitur.*

Petes. *Quamdiu censenda est durare semel facta delegatio?*

Dico 1. Quando datur ad præfixum tempus, durat vsq; ad illud, nisi interim reuocetur. Patet ex se.

Dico 2. Quando delegatio facta est indefinitè, & illimitatè à *Papa*, vel Episcopo, non cessat etiam & post mortem illorum. Porrò delegatio à *Parocho* facta, sine approbatione Episcopi, non videtur durare post mortem ejus: In *Polonia* tamen videtur esse praxis recepta, vt vicarii temporarii *Parochorum*, retineant jurisdictionem delegatam, etiam post mortem illorum, idq; est expediens ob morale periculum, ne multi decedant sine Sacramentis, dum nouus *Parochus* expectatur. *Duratio delegationis.*

ARTICVLVS II.

Vtrum ad jurisdictionem actualis consensus delegantis, requiratur, vel an sufficiat ratihabitio?

Dico 1. Requiritur actualis consensus delegantis, isq; signo aliquo manifestatus Ita ex communi sententia Suarez *disp. 26. Sect. 1.* Prior pars Probatur Quia delegare jurisdictionem, est actus voluntatis ejus hominis, qui potestatem habet. Ergo sine actuali voluntate ipsius, non confertur alteri jurisdictio: sine jurisdictione autem, irrita est absolutio in pœnitentiæ foro. Altera pars probatur. Quia delegatio jurisdictionis (sicut, & aliæ concessiones) fieri debet modo humano, & sensibili, vt ab altero cognosci, & acceptari possit, ideoq; non sufficit mera voluntas interna, sed eam, verbo, scriptura, aut facto sufficienter manifestatam esse oportet. *Consensus actualis requiritur.*

Dico 2.

Absolutio spe ratihabitionis non est valida.

Dico 2. Absolutio data, spe futuræ ratihabitionis, non est valida. Ita Nauar. *cap. 9. in manuali, n. 6. Et in cap: Placuit de pœnitentia d. 6. n. 103.* Syluester *Verbo confessor 1. q 6. dicto 8.* Suarez *disp. 26.* & alii. Probatur 1. Quia Sacramentum Pœnitentiæ inualidè confertur ab eo, qui jurisdictionem non habet actualem. Sed Sacerdos absoluens spe futuræ ratihabitionis, caret jurisdictione, quia jurisdictio delegata, non acquiritur sine consensu delegantis, quem tempore absolutionis, iste qui futuræ ratihabitionis spe absoluit, non habet. Ergo absolutio talis inualida est. Probatur 2. Sacramentum non potest pendere à futuro euentu contingenti, ponamus enim pastorem ordinarium, re postea cognitâ non consentire. Ergo ratihabitio subsequens efficere non potest, vt absolutio antea data conualescat. 3. De jure diuino requiritur, ad essentiam Sacramenti Pœnitentiæ in ministro jurisdictio. Et inualida est illa absolutio data ab eo, qui non habet jurisdictionem. Vnde rectè concludit Nauar.: *citato loco num. 103. Sacramentum quod ab initio nullum est, nulla ratihabitione etiam Papa validum fieri potest.*

Dico 3. Præsumptio de præsenti, (quæ est, quando aliquis dum confitetur alieno, putat proprium Parochum tunc ratum habere) licet rationabilis sit, tamen nihil confert ad valorem Sacramenti, si re ipsa consensus signo quocunq; declaratus, & consequenter jurisdictionis commissio defuit, sicut benè explicat Medina. *q 31. corol 2. cod. de Confess.*

Dices. Potest aliquis vti re alienâ ex voluntate Domini, rationabiliter præsumptâ. Ergo similiter confessiones audire, ex voluntate Superioris rationabiliter præsumptâ.

Respondeo. Esse disparem rationem de vsu, vel alienatione rei alienæ ex præsumptione, & de confessione ex præsumptione: nam qui re alienâ vtitur, eamuè alienat rationabiliter existimans dominum postea rem ratam habiturum, non solùm non peccat, sed etiam ratihabitio subsequens confirmat actum priorem, juxta regulam 10. in 6 *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato, non est dubium æquiparari.* At de Sacramento pœnitentiæ, alia est ratio, in quo Sacerdotis jurisdictio, sicuti & ejusdem intentio, tunc adesse necessariò debent, cùm Sacramentum perficitur. Hinc

Etiam in contractu matrimonii non valet præsumptio.

Colliges. Quod sola spes ratihabitionis postea futuræ, vel falsa existimatio, seu præsumptio consensus præsentis, non sufficiat ad præstandum Matrimonii valorem: cum enim licentia requisita ad valorem actus, necessariò antecedere debeat. *l. Si quis mihi, §. justum ff. de acquir. hæred.* con-

consequens est, quòd sola spes ratihabitionis etiam ad matrimonium, non sufficiat. Alia est ratio de aliis Sacramentis, cùm ad eorum administrationem, non requiratur consensus pastoris (sicut requiritur ad substantiam Matrimonii, post Concilium Tridentinum, vel sicut requiritur ad ministrandum Sacramentum pœnitentiæ jurisdictio, quæ pertinet ad substantiam illius non autem V. G. ad administrandum Sacramentum Eucharistiæ, vel Baptismi,) sed solùm vt debitus ordo seruetur in Ecclesia. Hinc *Jurisdictio pertinet ad substantiam pœnitentiæ.*

COLLIGE. Si superior signo aliquo externo, ratam habeat absolutionem de præsenti, absolutio valida est. Ratio est, quia in tali casu per signum illud exterius consensus præstatur, & jurisdictio confertur.

ARTICVLVS III.

Quinam habent facultatem eligendi confessarium à jure?

DICO 1. Solus Pontifex ex jure Diuino, habet facultatem eligendi Confessarium. Ratio est, quia nullum in terra Superiorem habet. Ergo sicut à Christo Domino habet potestatem, supra vniuersam Ecclesiam, ita & super seipsum, quateaùs est homo: quia verò de Sacramenti hujus essentia est, vt sint diuersi pœnitens, & Confessarius, ita hanc jurisdictionem, Pontifex, vt vicarius Christi Domini, dat confessario super se. *Papa ex jure Diuino habet licentiam.*

DICO 2. Episcopi consecrati (non autem electi, aut nominati,) etiamsi careant Episcopatus possessione: & præterea confirmati, etsi non consecrati, ita vt Episcopatum jam habeant. Item Archiepiscopi, Patriarchæ, Primates, Cardinales, etiamsi non sint Episcopi, nec jurisdictionem habeant, habent facultatem eligendi Confessarium datam á jure *cap. Ne pro dilatione, de pœnitentiis, & remissionibus.* Item hanc licentiam habent, omnes Prælati inferiores, exempti à jurisdictione Episcopali, etiamsi habeant alios Prælatos Superiores infra Papam, vt sunt Priores, Guardiani, Abbates, Prouinciales, Generales Ordinum: isti omnes possunt eligere sibi Confessorem, sine sui Superioris licentia, ne propter dilationem pœnitentiæ, periculum immineat animarum. De Parochis est dubium, aliqui tenent eos gaudere iisdem priuilegiis, vt Angelus & Syluester *verbo Confessio. num. 8.* Aliqui negant, vt Suarez *disp. 27. Sect. 1*, quia Parochi, non sunt exempti à jurisdictione Episcopali, neq; sunt subjecti immediatè sedi Apostolicæ; Probabile tamen mihi videtur, quòd Parochus vnius diœcesis, possit confiteri alteri parocho, vel Sacerdoti approbato alterius diœce- *Archiepiscopi. Episcopi. Cardinales.* *Nota de Parochis.*

diæcesis, vt constat *ex Petito, primo, posito sub Articulo 1. quæstion præcedentis, conclusione 2.*

Nota diligenter. Dico 3. Probabiliùs est, nullum esse casum, ob quem concessa sit facultas, jure Ecclesiastico, cuilibet eligendi Confessarium, sed quando justa causa id exigeret, tunc vel est recurrendum ad Superiorem, vel petenda facultas, vel certè confitendum coram aliquo habente delegationem priuilegiatam. Hinc

Collige. Hæc facultas, eligendi Confessarium à jure Ecclesiastico, non finitur vna vice, vt aliqui volebant, sed qui eam habet, potest pro arbitrio plures eligere confessarios.

SECTIO VI.

De Casibus reseruatis, & quis possit ab illis absoluere?

1. Hic quæremus. Vtrum in Ecclesia sit potestas reseruandi peccata, & quænam?
2. Quinam habeant potestatem reseruandi sibi casus, & quam ob causam?
3. Vtrum in Religionibus possint superiores reseruare casus ad libitum suum?
4. Quinam habeant potestatem à casibus reseruatis?
5. An Religiosi mendicantes per priuilegia sibi concessa, possint absoluere à Casibus Papæ, & Episcopo reseruatis?
6. Vtrum propter casus reseruatos dimidiari possit confessio?
7. Vtrum peccata reseruata, quorum pœnitens in Confessione superiori fuit oblitus, maneant sub eadem reseruatione?
8. Vtrum Sacerdos, qui tempore jubilei, absoluit pœnitentem à reseruatis, si intra tempus jubilei ille pœnitens iterum committat peccata reseruata, possit vigore jubilei ab iisdem absolui ab eodem?

ARTICVLVS I.

Vtrum in Ecclesia sit potestas reseruandi peccata, & quænam?

Dico 1. affirmatiuè. Est contra hæreticos, definita in Concil. *Trid. Sess. 14. cap. 7.* maximè contra Vuiclephum, qui dixit reseruationem casuum, esse contra regulas charitatis, vt refert Valdensis *Tomo 2. de Sacramentis capite 149.* Verba Concilii Tridentini sunt hæc. *Magnoperè ad populi Christiani disciplinam pertinere Sanctissimis Patribus no-*

Casus justè reseruantur.

stris

ſtris viſum eſt, vt atrociora quædam, & grauiora crimina, non à quibuſuis, ſed à ſummis duntaxat Sacerdotibus abſoluerentur. Probatur ratione 1. Reſeruare caſus, non eſt aliud, quàm non communicare jurisdictionem inferiori quoad illos. Sed hoc Superiores in Eccleſia poſſunt. Ergo. Minor probatur, quia ſi omnimodam ſuam jurisdictionem, inferioribus quibuscunq; Eccleſiæ Miniſtris, indifferenter concederent, periret ex ea parte Eccleſiaſtica Hierarchia, & ordo, quem tantoperè in nobis commendat S. Paulus. Non eſſet etiam Eccleſia, tanquam acies caſtrorum ordinata: Neq; ſicut corpus, in quo aliud caput, aliud manus, aliud oculi, ſed omnia eſſent caput, manus, oculi, & cætera, quod eſt contra S. Paulum. Ergo.

Probatur 2. ex ratione boni regiminis, quæ poſtulat, vt cauſæ grauiores, grauiori judicio ſubdantur. Sed Chriſtus Dominus in Eccleſia, optimum regimen conſtituit. Ergo. Dices. Omnes Sacerdotes in ſua Ordinatione, accipiunt poteſtatem remittendi peccata in foro conſcientiæ. Ergo hæc illis auferri non poteſt. Confirmatur Sacerdotes contra prohibitionem ſuperiorum, poſſunt baptizare, & conſecrare validè. Ergo abſoluere:

Respondeo. Præter clauem poteſtatis, neceſſariò requiritur in Miniſtris Pœnitentiæ Jurisdictio vt dixi, in *præcedentibus*. Ad Confirmationem etiam dico, negando Conſequentiam, quia ad abſoluendum in Sacramento pœnitentiæ, de eſſentia requiritur vſus jurisdictionis, non item ad baptizandum, & conſecrandum. Deinde Quia non ſolum noſtro ſeculo, ſed etiam primis Eccleſiæ temporibus, frequens fuit reſeruatio grauiorum criminum, vt conſtat ex antiquiſſimis Canonibus pœnitentialibus in Extrauaganti *Inter cunctas de priuilegiis.* patet ex ſcriptis antiquorum Doctorum, Scholaſticorum, S. Thomæ: Sancti Bonauenturæ. Richardi, qui *in 4. Sententiarum diſt. 17. de Caſuum reſeruatione diſputarunt:* conſtat ex Epiſtolis S. Cypriani præſertim *ex Epiſtola 16. libri tertii.* conſtat ex facto Epiſcoporum, vt de S. Ambroſio refert Sozomenus *lib. 7. c. 23.* qui excommunicauit Theodoſium Imperatorem, ob injuſtas cædes per eum in vrbe Theſalonica patratas, ejusq; peccati pœnitentiam, & vinculi ſolutionem ita ſibi reſeruauit, vt nullus, inferiorum Sacerdotum, Imperatorem Eccleſiæ reconciliare auderet. Demum hoc euidenter conſtat *ex Concilio Carthaginenſi 3. cap. 32.* vbi dicitur. *Quòd Presbyter inconſulto Epiſcopo, non reconciliet pœnitentem, niſi vltima neceſſitas cogat.*

 Dico 2.

Peccata interna non reseruantur.

Dico 2. Peccata quæ reseruari consueuerunt, non sunt peccata interna, sed solùm externa, mortalia. Ratio est, quia Ecclesia, non judicat de occultis. Ergo non consueuit reseruare interna, sed solùm externa. Tùm quia reseruatio introducta est, propter atrociora, & grauiora crimina, quæ disciplinam christianam turbant. Sed peccata interna, non pertinent ad disciplinam populi Christiani, quæ externa est. Ergo.

Collige. Superior posset quidem, & interna peccata sibi reseruare, sicut & externa, tamen regulariter, & ordinariè loquendo, non debet; tùm quia inde sequeretur, magna perturbatio conscientiarum; tùm quia consuetudo prohibet.

Venialia non reseruantur.

Dico 3. Peccata venialia non reseruantur, nec reseruari possunt. Ratio est, quia cùm non sint materia necessaria confessionis, non potest Superior ordinare, vt nemo ipsa absoluat, nisi ille, quia habens venialia, posset negligere hujusmodi ordinationem, cùm non teneatur ad Confessionem talium peccatorum. Tùm quia non debent reseruari, nisi grauiora. Ergo non venialia. Hinc

Collige. Posse, præsertim Summum Pontificem, aliqua venialia sibi reseruare, ita vt non possit inferior ab illis absoluere; sed hoc nunquam fecit, nec faciet, quia nulla necessitas cogit.

Mortalia possunt reseruari.

Dico 4. Peccata mortalia, possunt, & de facto reseruantur, non solùm illa, quæ habent annexam aliquam Censuram; sed etiam, quæ nullam Censuram habent annexam. Probatur. Quia cùm potestas jurisdictionis, quæ requiritur cum potestate ordinis, emanet à Pontifice in Episcopos, & alios inferiores pastores, potest eam illis limitatam concedere, & illi eandem limitare suis inferioribus, in iis, in quibus hoc sibi à Summo Pontifice, non est prohibitum. Ergo à Superioribus, possunt reseruari casus, non solùm ratione censuræ, sed etiam ratione culpæ. Hæc conclusio, constat ex Tridentino *Sess. 14. Capite 7.* quæ authoritas est citata sub prima Conclusione.

ARTICVLVS II.

Quinam habeant potestatem reseruandi casus, & quam ob causam?

Quantùm *attinet ad Quis reseruare possit?* Dico Primo. Summus Pontifex, qui habet potestatem jurisdictionis, immediatè à DEo collatam, & ab illo in omnes alios descendit, potest peccata aliqua sibi pro absolutione

tione reseruare. Ratio est, quia Superior potest id, quod saluti animarum expedit. Sed reseruatio casuum, saluti animarum expedit, vt à peccatis pœnitentes retrahantur. Ergo.

QVÆRES I. *An reseruatio Pontificia, cadat immediatè in culpam, an solùm in censuram, vel simul in vtrumq;?* *Reseruatio Pontificia.*

DICO, Duplex est opinio. 1. asserit omnia, & sola illa peccata Summo Pontifici esse reseruata, quibus annexa est excommunicatio, ipsi reseruata, ita vt sublatâ excommunicatione per Summum Pontificem, aut alium de ejus facultate, nullum sit peccatum Summo Pontifici reseruatum; Atq; ita juxta hanc opinionem, reseruatio Summo Pontifici, non cadit immediatè supra culpam, sed super Censuram, & mediante censurâ, super culpam: nemo enim potest absolui à culpa, nisi priùs absoluatur à Censura. Ita Nauar. *in Manuali cap: 27. numero 261.* Cajetanus *verbo casus.* S. Antoninus *3 p. titulo 17. cap. 11.* Soto *in 4. dist.* 18. Ratio eorum est, quia ablatâ Censurâ, culpa non est ampliùs reseruata.

2. Opinio asserit, quòd reseruatio Pontificia, cadat super censuram, & super culpam, ita quòd vtrumq; sit reseruatum. Hæc Sententia, est communior Doctorum *in 4. dist. 17* quos refert, & sequitur *Suarez, disp. 29. Sectione 2, num. 4.* Probatur 1. Reseruatio prius cadit super culpam, deinde super censuram. Ergo super vtrumq;. Antecedens patet ex Concilio Tridentino *Sess. 14. cap. 7.* vbi ait. *Visum esse reseruare absolutionem culparum, à Summis Sacerdotibus.* Ergo non censurarum tantùm. Et infra subdit. *Et præsertim quoad illa, quibus Excommunicationis Censura annexa est.* Ergo reseruatio cadit super culpam priùs, postea super censuram, cùm culpa sit principale, quod Pontifices vitare cupiunt, & propter quod imponunt, perpetrantibus talia crimina, censuras, quas sibi reseruant. *Reseruatio Pontificia cadit super culpam, & censuram.*

Confirmatur 1. Quia decreta Summorum Pontificum extant, quæ reseruant sibi peccata, & non solam Censuram, tale decretum eruitur antiquum ex *capite Si quis suadente. 17. q. 4.* vbi absolutio, quæ reseruatur, non refertur solùm ad Censuram, sed etiam ad peccatum. Ergo simpliciter reseruatur, tàm censura, quàm peccatum. Aliud decretum est Sixti V, datum *Anno 1589.* Vbi Simoniacè promotos suspendit, & non excommunicat, ipsum tamen peccatum sedi Apostolicæ reseruat. Confirmatur 2. contraria opinio, videtur repugnare praxi Ecclesiæ, quia prudentes omnes solent talibus præcipere, vt iterum confiteantur iis, qui eos absoluere possunt, vt dicam *Quæst. 10. Sect. 2. 4.7.* Ad rationem prioris opinionis

onis dico, verum esse dimissâ Censurâ, dimitti quoq; reseruationem culpæ, sed hoc non prouenit, quia sint vnum, & idem, sed quia est praxis Ecclesiæ, vt quando concedit facultatem absoluendi à Censuris, concedat quoq; facultatem absoluendi à culpa: quod apertè colligitur ex Tridentino *Sess. 24. cap. 6.* vbi dicitur. *In quibuscunq; casibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscunq; absoluere.* Quibus verbis dat facultatem Episcopis, & eorum vicariis absoluendi crimina, & Censuras, quod ex hoc vocabulo (Casus) colligitur.

QVÆRES 2. *Quot sunt casus, Summo Pontifici reseruati?*

DICO 1. Non posse certum numerum assignari: crescente enim quotidie malitiâ hominum, crescunt quoq; Summorum Pontificum reseruationes, quia tamen necessarium est Confessario, illas cognoscere, eas *Quæst. 10.* vbi de censuris tractabimus, enumerabimus. *Sect. 2. 4. 2.*

DICO 2. Non solum Summi Pontifices respectu Episcoporum, sed etiam Episcopi respectu parochorum, & aliorum Sacerdotum in sua diœcesi, possunt sibi reseruare casus, & Parochi respectu vicariorum, aut aliorum Sacerdotum sibi subditorum. Ratio est eadem, quæ & primæ conclusionis.

QVÆRES 3. *Qui, & quotuplices sunt casus Episcopis reseruati?*

NOTA. Casus Episcopis reseruati, sunt in triplici differentia. Quidam reseruantur illis ipso jure: quidam generali consuetudine Ecclesiæ; quidam speciali consuetudine, aut constitutione singulorum Episcopatuum, seu vt dicitur ab homine.

Casus Episcopis reseruati jure. *Circa Casus jure reseruatos Episcopis*, est magna controuersia inter Doctores, nam aliqui numerant sex, juxta Glossam *Capite 2. de pœnitentia & remissione lib 6.* Incendium ex proposito factum, & consilium seu auxilium ad id præstitum. 2. Peccatum ob quod solennis pœnitentia injungenda est. 3. blasphemia publica, sed in jure solùm pœnitentia assignatur in foro exteriori tali peccato vt obseruant Nauar: *c. 27.* & Angelus. *Verbo Casus reseruati.* 4. Peccatum Clerici habens annexam irregularitatem. Sed hic absolui potest remanente irregularitate, vt ibidem docet Nauar. *num. 5.* 5. Dispensatio votorum, & iuramentorum. Atqui dispensatio, non est casus reseruatus. Ergo. 6. Absolutio Excommunicationis majoris. Atqui Excommunicatio, non est peccatum, sed pœna peccati. Ergo juxta probabilem sententiam casus ex jure Episcopo reseruatus est tantùm vnus scilicet incendium voluntarium. Ita Nauar. *loco citato num. 262.*

Casus Episcopis reseruati de consuetudine generali Ecclesiæ, juxta Glossam in Extrauaganti. *Inter cunctas de priuilegiis.* Et Nauar: *loco citato*, sunt hi. 1. Homicidium voluntarium, aut realis membrorum abscissio. 2. Falsitas in scripturis, testimoniis, & reticentia veri, in judicio. 3. Ostensio scripturarum per notarios, & aduocatos, parti aduersæ. 4. Violatio immunitatis Ecclesiasticæ. Sed hic casus modo est Bullæ cœnæ domini. 5. Retentio incertorum alienorum. Nauar: *cap. 17. num. 92.* 6. Sortilegium, Diuinationes, Incantationes, *Præstigia*, veneficia, tam exercentium, quàm recurrentium. 7. Incestus cum consanguineis in primo, & secundo gradu, & cum affinibus. 8. Corruptio Monialium. 9. Voluntaria percussio parentum. 10. Concubitus contra naturam, seu Sodomia. 11. Bestialitas. 12. Adulterium notorium. 13. Raptus, & violatio virginis. Deniq; dicunt graues authores, quòd omne peccatum, habens annexam excommunicationem. *Casus Episcopi de consuetudine.*

Casus specialiter reseruati Episcopis sunt illi, quos quilibet Episcopus, in sua Diœcesi, pro suo arbitrio, & exigentia reseruat, quos Confessarii inquirant: nam à talibus absoluere non possunt, juxta Decretum Vrbani VIII.

Quantùm *attinet ad Causam reseruationis.* Dico 1. Vt casus reseruatus sit validus, & licitus, debet habere tres conditiones. 1. Debet esse peccatum mortale, quia tanta pœna, non imponitur pro veniali. 2. Debet esse peccatum graue, cujus reseruatio conducat ad bonum commune, pro vtilitate subditorum, non pro voluntate Superiorum. 3. Debet esse actus externus completus. *Causa reseruationis.*

Dico 2. Casus qui reseruatur sine justa Causa, est quidem validus, sed non licitus, peccantq; Superiores, sine justa causa reseruantes.

ARTICVLVS III.

Vtrum in Religionibus, possint reseruare casus superiores ad libitum suum?

Nota 1. Clemens VIII. decreuit, vt nemo ex Superioribus Regularium casus sibi reseruet, exceptis iis qui sequuntur: Extat hac de re Bulla Clementis VIII. *Anno Domini edita 1594.* *Casus reseruati Regularium.*

Casus Primus. *Veneficia. Incantationes. Sortilegia.*

Secundus casus, *Apostasia à Religione, siue habitu dimisso, siue retento, quando eo peruenit, vt extra septa monasterii sui, seu conuentus fiat egressio.*

Ter-

Tertius casus, *Nocturna & furtiua è conuentu egressio, etiam non animo apostandi facta.*

Quartus casus, *proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale:* est autem proprietas mortifera, si res accipiatur contra voluntatem Superioris, quæ valorem trium Iuliorum, vel 30. grossorum Polonicorum adæquat.

Quintus casus, *Iuramentum falsum, in judicio regulari, vel legitimo.* Et hic casus intelligitur, tam de reo, quàm de teste, si peieret.

Sextus casus, *Procuratio auxilium seu consilium ad abortum faciendum, post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.* Et præter casum reseruatum, incurritur à Regularibus excommunicatio.

Septimus casus, *Falsificatio manus, aut sigilli.*

Octauus casus, *Furtum de rebus Monasterij, in ea quantitate quæ sit peccatum mortale.* Imò si sit furtum rei notabilis ministerio Ecclesiæ deseruiens. V. G. librorum, calicis &c. incurritur & excommunicatio.

Nonus casus, *Lapsus carnis, voluntarius opere consummatus.* Quod intelligitur etiam de pollutione per tactum, vel motum libidinosum, procurata.

10. casus. Decimus casus est, *occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio, cujuscunque Personæ.*

Dicitur *(Cujuscunque persona)* Id est, siue sit secularis, siue Regularis, & Ecclesiastica, dummodo sit percussio injuriosa, quæ sit peccatum mortale, quæ si in clericum cadit, habet annexam excommunicationem.

11. casus. Vndecimus casus, *Maliciosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.* Patet ex se.

Nota 2. Clementem VIII. istos vndecim casus non reseruasse de facto, pro omnibus Regularibus, vt aliqui malè putant, sed solùm designauit materiam, vt scilicet Prælati Regulares illos tantùm, vel aliquem ex illis, possent reseruare, & extra illos, nullus omninò Prælatus, possit aliquem reseruare, nisi in Capitulo Generali, vel Prouinciali.

Nota 3. Non annullat Papa in hac Bulla, nec reuocat casus antiquos reseruatos in Religionibus, per statuta Generalia facta in Capitulis Generalibus, si qui sunt reseruati extra hos casus vndecim. Et sic casus antiqui in Ordine nostro, Minorum de obseruantia, in statutis Generalibus,

libus, non sunt reuocati neq; exclusi. Ita declaratum esse dicit à Prælatis nostri Ordinis, Laurentius de Portel. *verbo casus reseruati in additione.*

Petes 1. *Quis ab istis casibus reseruatis in Religionibus potest absoluere?* *Qui possunt absoluere à Casibus reseruatis?*

Dico 1. Ministri, vel Priores, Generales, vel Prouinciales: qui etiam possunt delegare aliquibus idoneis, duobus in majoribus Conuentibus. In Ordine Minorum Guardiani, non possunt subdelegare authoritatem absoluendi à reseruatis ad semper, pro suo officio, possunt tamen ipsi absoluere, si subditi velint eis confiteri, non tamen possunt cogere subditos, vt sibi confiteantur, quia hæc jurisdictio data est illis, in ædificationem, non in destructionem: Deinde potest, imò debet concedere authoritatem pro reseruatis Guardianus, vel Custos, Confessori, vel subdito petenti, pro casu præsenti, non autem potest delegare pro reseruatis ad semper. vnde S. Thom: *in 4. dist. 17. q 3. art. 3.* ait peccare superiorem, qui difficilem se præbet in danda hac facultate. Aduerte Ex Roderico *Tom. 1. Q. 62. art. 5.* Superiores non posse dare licentiam subditis, vt absoluantur, à Casibus reseruatis, à Sacerdotibus secularibus, quod verum puto de Superioribus localibus, non Prouincialibus.

Petes 2. *Quinam Regulares, possint absoluere à casibus Pontifici reseruatis, etiam Bullæ Cœnæ Domini?* Respondeo. Generales, Prouinciales, Custodes, Guardiani, Prædictorumq; Vicarii omnes in absentia eorum, ex concessione Clementis IV. & Sixti IV. possunt absoluere suos subditos à casibus Pontifici reseruatis etiam in Bulla Cœnæ Domini, etiam hæreseos: aliqui negant posse ab hæresi, quia per Bullam Cœnæ reuocantur omnia priuilegia Regularium, hoc tamen non admittit Cyprianus Crousers *Lect. 12. ad caput. 7. Regulæ*; quanquam relapsos, non esse ab hæresi absoluendos, nisi per Prouinciales docet. *A casibus Papæ qui absoluunt.*

ARTICVLVS IV.

Quinam potestatem habeant absoluendi à casibus reseruatis?

Dico 1. Omnis ille, qui reseruauit, & superior reseruantis, habet facultatem ordinariam absoluendi à reseruatis: Et sic casus Episcopo reseruati, possunt absolui ab Episcopo, & à Summo Pontifice. Ratio est, quia qui potest ligare, potest etiam soluere.

Dico 2. Quicunq; habens auctoritatem delegatam à Superiore, directè

directè potest absoluere. Ratio est, quia qui habet facultatem ordinariam, potest eam per se loquendo alteri committere.

PETES 1. *Possuntne Episcopi, & alii majores prælati absolvere directè à peccatis Summo Pontifici reseruatis.*

Episcopus potest absoluere à casibus papalibus.

RESPONDEO. Possunt in duobus casibus. 1. Si sint peccata occulta, ita Trident. *Sess. 24. cap. 6.* 2. Quando pœnitens legitimè est impeditus, vt nec Papam, nec ejus nuncium possit adire: ita habetur in jure, *Capite de cætero*, & *capite Quamuis.* Et *capite Hos qui de sententia.* vbi etiam numerantur legitima impedimenta propter quæ, non teneatur quispiam adire Pontificem. 1. est infirmitas. 2. inopia. 3. *Puerilis*, aut senilis ætas. 4. fragilitas sexus, aut alia corporis impotentia. 5. Capitales inimicitiæ. 6. Liberorum cura, & similia, quæ judicio Episcopi, videbuntur rationabiliter à tali itinere excusantia. Porrò hanc absolutionem, possunt impendere, vel per se, vel per vicarium ad hoc deputandum, præterquam ab hæresi, à qua solùm per se possunt absoluere, licet, & hoc aliqui authores adimant Episcopis, quòd *in Quæstione 10. de Censuris videbimus.*

PETES 2. *Vtrum Confessarius Posnaniensis, qui non habet hic absoluendi licentiam à reseruatis Episcopo, possit absoluere peregrinos, aut iter agentes à reseruatis?*

Nota casum

RESPONDEO. Licet non habeat facultatem absoluendi à reseruatis, posse absolutionem impendere iter agentibus, aut peregrinis, habentibus casus reseruatos proprio ipsorum peregrinorum Episcopo; non posse autem absoluere à casibus Episcopo Posnaniensi reseruatis. Ita Cajet: *verbo absolutio 2.* Nauar. *cap. 27. num: 275.* Ratio est, Tùm quia reus judicari solet juxta leges, & consuetudines loci, in quo reperitur. Tùm quia Confessarius, non tenetur scire casus aliis Episcopis reseruatos, alioquin multis premeretur scrupulis, ferè semper dubitans, aliquem casum esse aliis Episcopis reseruatum. Hinc

COLLIGE. Peregrinus, habens casus reseruatos Episcopo loci illius in quo reperitur, & casus Episcopi proprii domicilii non potest absolui nisi ab habente facultatem à reseruatis. Ita Nauar: *loco citato, num. 261.* Quòd si habeat casus, qui Episcopo proprii domicilii, non sunt reseruati, sed solùm illius loci Episcopo, in quo confitetur, non potest absolui, nisi ab habente potestatem à reseruatis. Si verò habeat casus Summo Pontifici reseruatos peregrinus, non potest absolui, nisi ab habente facultatem à casibus Papæ reseruatis, quia Summus Pontifex habet totum orbem pro

terr

territorio, & ipsius leges vbiq; obligant, modo sint acceptatæ, vel non sint per contrariam consuetudinem abrogatæ.

PETES 3. *An Summus Pontifex, in Jubileis, concedens facultatem absoluendi à quibuscunq; casibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, censeri debeat, dare potestatem absoluendi à reseruatis in Bulla Cœnæ Domini?* *In Jubileis à Casibus bullæ Cœnæ Domini an possint absoluere.*

RESPONDEO. Non. Ratio est, quia in generali concessione, non censetur concessa, quæ specialiter non essent concedenda, *cap. Si Episcopus de pœnitentiâ, & remiss. in 6.* Quòd verò Pontifex Maximus, sibi reseruet casus, Bullæ Cœnæ Domini, nisi specialiter illos exprimat, docet Stylus Romanæ curiæ. Et probat Couaruuias in *cap. Alma mater* §. 2. *num.* 7. Hinc

COLLIGE 1. Nunquam censetur Papa concedere in Jubileis absolutionem ab hæresi nisi, id specialiter, & clarè in Bulla exprimat. Ita Couaruuias *loco citato:* & Nauarrus *cap.* 275. dicit Pium Quintum declarâsse, talem esse mentem suam.

ARTICVLVS V.

An Religiosi mendicantes per priuilegia sibi concessa possint absoluere à casibus Episcopo, & Papæ reseruatis?

Prima opinio est negatiua, Probatur 1. quia id per *Clementinam Dudum de Sepulturis* prohibetur. Tantam enim potestatem concedit Religiosis, quantam Parochis. Sed parochi non possunt. Ergo neq; Religiosi. Confirmatur 1. *Ex Clementina Religiosi de Priuilegijs*, vbi excommunicantur Religiosi, si tentauerint absoluere à casibus reseruatis Apostolicæ Sedi, aut locorum ordinariis. *1. Opinio.*

Confirmatur 2. Quia per Concilium Trident: omnia priuilegia Religiosorum, esse sublata quoad hoc affirmat Miranda, *Tomo. 1. q. 64. art. 2.* vbi affert duas declarationes Cardinalium. Primò de consilio Clementis VIII. & Gregorii XIII. pro interpretatione Concilii Tridentini deputatorum super *cap. 7. Sess. 14.* In quibus sub grauibus pœnis prohibetur secularibus, & Regularibus Confessariis, ne virtute aliquorum priuilegiorum absoluant aliquem secularem ab aliquo casu reseruato Papæ, vel Episcopis à jure, vel ab homine, idq; sub pœnis grauibus ibi expressis, &

decernitur ibi, absolutiones datas forè nullas. Et videtur supponere Miranda prædictam reuocationem valere pro tota Ecclesia.

Probatur 2. Quia Innocentius IX. & Clemens VIII. in suis Jubileis concedunt casus Episcopis reseruatos. Ergo absq; Jubileo etiam Confessarii Regulares non absoluunt.

2. Opinio affirmat.

2. Opinio est affirmatiua, quæ asserit confessarios Regulares posse absoluere à casibus Episcopo reseruatis, imò & Sedi Apostolicæ, & ab omnibus Censuris exceptis Bullæ cænæ Domini. Similiter posse omnia vota commutare (non tamen absolutè dispensare) exceptis votis simplicibus Religionis, & castitatis, ad limina Apostolorum, Hierusalem, & Compostellam. Ita Sanchez de præceptis Decalogi, tom. 2. l. 6. c. 17. num. 41. dicens *Poterunt etiam Confessarii Societatis J E S V per sua priuilegia, & communiter Mendicantes, per eorum participationem, absoluere ab omnibus casibus, & Censuris, & pœnis consurgentibus ex eis, toties quoties, præterquam à contentis in Bulla Cænæ Domini, vt concessit Paulus III. & habetur in nostris Priuilegiis verbo absolutio.* Et numero 43. subdit. *Sed dicendum est posse excommunicatum, suspensum, absolui in foro conscientiæ virtute Bullæ Cruciatæ, & virtute priuilegiorum, quibus communiter fruuntur Religiosi, per quæ eis conceditur facultas ad absoluendum ab omnibus Censuris, quàmuis Censuræ illæ deductæ jam sint, ad forum contentiosum, & licet publicæ sint:* Quod ibi probat sic. *Quia inquit in Bulla Cruciata, & in dictis Priuilegiis Religionum, conceditur absolutè facultas à Censuris, sine vlla restrictione, aut limitatione. Privilegium autem sine restrictione concessum à nobis limitandum non est.* Confirmat ibidem Sanchez. *Quia absolutio concessa virtute Cruciatæ, & Priuilegiorum Religionis, non prodest pro foro exteriori, sed tantùm pro foro interiori, & ita non infert damnum Ordinariis, quia illi non obstante ea absolutione, poterunt procedere contra excommunicatum, vel suspensum in foro exteriori eadem ratione, ac possent, si ille in interiori non esset absolutus.* Citat pro hac sententia Ledesmam 2. *parte q. 16. art. 1. folio 353.* Polancum in Directorio. *cap. 4.* Henriquez *lib. 8. de Eucharistia cap. 60. num. 4.* Couaruuiam *in cap. Almâ mater 1. p. §. 11. num. 16.*

Sanchez authoritas.

Delrii authoritas.

Eandem sententiam tuetur Martinus Delrius Societatis Jesv Theologus, *lib. 6. Disquisitionum Magicarum. cap. 1. Sect. 3.* Vbi fundamenta pro prima opinione resoluit. Probat 1. sic. Quia casus Episcopales sunt Minores Casibus Pontificiis, cùm ergo suos Pontifex concedat, multò majores, concedere censendus est illos Minores, juxta *cap. cui licet, de Regulis juris*

juris in 6. Atqui Pontifex potest absoluere à reseruatis Episcopalibus. Sed per hujusmodi Priuilegia concedit Religiosis, & quasi delegat suam absoluendi potestatem. 2. *Probat.* Quia nec Concil: Trident. nec Gregorius XIII. priuilegia hæc, quoad omnes vbiq; Religiosos apertè reuocârunt, quod erat necessarium, quod Viualdus fatetur *n. 40.* Quoad Gregorium XIII. optimè idem Viualdus *n. 44.* ostendit nusquam vllâ Bullâ, vel motu proprio dicta priuilegia concessa per *Pium* V. Religiosis videtur restringere, imò in suo robore relinquit, cum ait. *Eam deinceps dispositionem, atq; decisionem pro subjecta, materia futurum esse, quæ siue ex jure veteri, siue ex dictis sacri Concilii decretis, siue alias ante dictarum literarum, & Constitutionum editionem erat, & si ipsæ non emanassent, futura fuisset, ad quam dispositionem, & decisionem, suumq; pristinum statum illa omnia reducimus.* Cùm ergo (inquit Delrius) antiquo jure, Religiosi habeant facultatem ab omnibus his casibus absoluendi, dummodo ipsi sint à suis Superioribus præsentati, & ab Episcopo approbati, juxta *Clementinam Dudum de sepulturis*: neq; hoc illis Concilium Trident: ademit, neq; Gregorius XIII. vt constat ex uerbis ipsius. Ergo Episcopos huic priuilegio, sine noua Pontificis Maximi permissione, derogare non posse.

Respondet ad 1. opinionis negatiuæ Delrius, Quando Papa negat se majorem religiosis potestatem concedere, quàm *Parochis*, tunc tantùm loquitur de aliis rebus, non de pertinentibus ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Ad Confirmationem Respondet Delrius, Religiosi sine priuilegio attentantes absoluere, excommunicantur, citat Syluestrum, Tabiennam *verbo excommunicatio.* Ad 2. Confirmationem jam respondit, per Concilium non esse abrogata priuilegia quoad hoc. Ad 2. dicit, quòd prædicti Pontifices inserunt, propter cæteros Sacerdotes, non verò propter mendicantes. Huc vsq; Delrius.

Huic opinioni adhærent authores nostræ Religionis. Rodericus *Tom. 1. qq.* Regularium. q. 61. art. 13. & in Additionibus ad Summam Moralem *tom. 3. cap. 12. Conclus: 1. & 2.* Anglez. *in floribus 2. parte q. unica de Excommunicatione, art: 4. diff. 2.* Vega Minimus *verbo casus reseruati casu 1. & 15.* Laurentius de Portel *in dubijs Regularibus verbo Confessor num. 22. & verbo Casus reseruati. num. 6.* vbi Probat 1. Dato, non concesso, quòd quoad hoc sint priuilegia Religiosorum sublata per Concil. Trident. tamen post Concilium Sacra Congregatio [illegible]

lium citata pro opinione prima, declarat prædictas prohibitiones, factas esse pro sola Italia, vbi sic habetur. *Sacerdotibus tam secularibus, quàm Regularibus, per vniuersam Italiam degentibus extra vrbem.* Ergo non per vniuersum orbem. Probat 2. Gregorius XIII. *Anno Domini 1583.* declarat non esse suæ intentionis; derogare Confessariis Societatis IESV facultati, eamq; confirmauit. Sed hac facultate Confessarii Mendicantes, per communicationem vti possunt. Ergo. Minor patet, quia Gregorius XIV. priuilegia concessa Societati IESV, extendit ad alios Religiosos.

Authoritas Layman. Deniq; adduco authoritatem Pauli Layman, Societatis IESV Theologi, qui in sua Theologia morali *lib. 5. tract. 6. cap. 10. num. 18.* Quærens, Quomodo intelligendum sit priuilegium concessum Confessariis Ordinum mendicantium absoluendi quoscunq; fideles, auditis eorum confessionibus, à quibuscunq; peccatis, & à quibuscunq; sententiis, Censuris, ac pœnis Ecclesiasticis, exceptis iis, quæ in Bulla Cænæ Domini continentur?

RESPONDET 1. dicens Potestas hæc, extendit se ad absolutionem à peccatis omnibus, & à quibuscunq; inde secundùm juris constitutiones resultantibus Censuris, sententiis, aut pœnis Ecclesiasticis, exceptis casibus Bullaribus. Vbi inprimis notat. Hoc priuilegio nullam concedi facultatem super irregularitatibus, quia illæ non per absolutionem, sed per dispensationem tolluntur, cùm non tam pœnæ sint, quàm impedimenta canonica. 2. notat, Vi hujus priuilegii non tantùm censuras propriè dictas, quæ ob contumaciam inferuntur, per absolutionem tolli

Nota. posse, sed etiam suspensiones, & interdicta juris, quæ ob delictum merè præteritum imposita, seu ad tempus, puta biennium, triennium, vel in perpetuum, & sine spe remissionis, qualis perpetua suspensio, vel potiùs depositio à *Pio V.* lata est in exercentes sodomiam, qui si occulti sint, ab Episcopis absolui possunt ab excommunicatione, per Concilium Trident. *Sess. 24. cap. 6. de reform.* & à Confessariis Ordinum mendicantium, virtute dicti priuilegii.

RESPONDET 2. ibidem Concl: 2. Hujusmodi amplam absoluendi potestatem, Summus Pontifex concedit, & delegat Ordini, vt proinde Prælati ordinum, committere eam possint iis Sacerdotibus Regularibus, quos ad hoc munus idoneos judicant: sicut colligitur ex Clementina *dudum §. statuimus de sepulturis*, & docet Palud. *in 4. dist. 17. q. 4. art. 3. conclus. 5.* Rodericus *tom. 1. Regul: quæst. q. 60. art. 3.* Henriquez *lib. 6. cap. 6. num. 6.*

num. 6. Miranda *in Manuali Prælat. tom. 1. q. 45. art. 12.* Llamas *p. 1. Methodi cap. 7. §. 4.* vbi benè admonet, Sacerdotes Religiosorum Mendicantium, ad dictam facultatem consequendam, præter approbationem Episcopi, opus habere consensu Prælati, vel Capituli, juxta cujusq; ordinis consuetudinem: siquidem Episcopus tàm amplam jurisdictionem audiendi Confessiones omnium fidelium, vndecunq; accedentium, eosq; à Censuris reseruatis absoluendi, dare non potest, sed eam confessarii Mendicantium ordinum, à Summo Pontifice, cum dependentia à consensu, & voluntate Prælatorum suorum accipiunt.

RESPONDET 3. Concl. 3. *Priuilegio* illo absoluendi omnes fideles, non comprehenduntur Religiosi, quibus secundùm propria statuta, extra suum ordinem, aut alteri, quàm illi, quem Prælatus ad hoc munus destinauit, confiteri permissum non est. Ita Rodericus *t. 1. q. 62. art. 4.* & Compendium Priuileg. Societatis IESV *verbo absolutio §. 1.* Ratio est, Quia per priuilegium generale, non censetur derogari consuetudini, vel statuto particulari, nisi id exprimatur. Hæc omnia *P*aulus Layman.

PETES I. *Vtrum Confessarii Mendicantium, potestate illâ absoluendi à Censuris, etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ, siue erga eos quoq;, qui ipsis Sacramentaliter non confitentur, vti possint?*

RESPONDEO. Negat Suarez *tom. 5. disp. 7. Sect. 5.* Nauar.: *in Manuali c. 26. num. 31.* Affirmat Nauar. *lib. 5. consil. 11. num. 2.* Roderic. *tom. 1. q. 62 art. 7.* Henriquez *lib. 7. cap. 13. num. 2. & c. 30. num. 6.* imò & ipse Suarez. *de legibus lib: 8. cap. 6. num. 15. &* 16. Vbi ait Etsi priuilegium loquatur tantummodo de foro pœnitentiali, non tamen necessariò restringendũ esse ad forum Sacramentale, cùm vinculum alicujus censuræ, in foro conscientiæ, tolli possit, injuncta pœnitentia salutari, sine pœnitentia Sacramentali. Ratio est, quia priuilegium, siue gratia à Principe data, interpretanda est secundùm naturam rei, quæ conceditur. Atqui absolutio ab excommunicatione, aliàue censura, non dependet à peccatis, potest enim aliquis absolui à Censura in conscientiæ foro, vt interim non absoluatur à peccatis; quomodo certum esse dicit Auila *p. 2. de censuris cap. 7.* Parochos, ab excommunicatione non reseruata absoluere posse. Ergo idem præstare poterunt delegati, nisi ipsis potestas limitetur, qualis tamen limitatio in dicto priuilegio, nulla apparet: Ista difficultas examinabitur fusius *Q. 10. Sect. 3.*

Extra Sacramentum possunt absoluere à Censuris.

Addo Hæc multò magis locum habere, in dispensationibus super

irregularitate, voto, juramento, petitione debiti, quarum facultates si Confessariis alicujus Ordinis delegatæ sint, non rectè inde infertur, quòd eas extra Sacramentum Pœnitentiæ exercere non possint, quandoquidem à Sacramentali absolutione, nullo modo pendent. Hinc,

COLLIGE 1. Confessarii Regulares, possunt absoluere percussores Clericorum, in casu ad Episcopum pertinente, si sit percussio leuis, facta satisfactione, si sit possibilis, vel saltem cautione reali, aut curatoria. Ita Roderic. *tom. 1. q. 61. art. 8.*

COLLIGE 2. Decretum emanauit ab Vrbano VIII. 1628. 17. Nouemb. quòd Confessarii Regularium possint absoluere ab omnibus casibus Papæ, exceptis casibus Bullæ Cænæ Domini, & Ordinario reseruatis, Quaranta intelligit de illis casibus, quos sibi specialiter reseruant Episcopi, *in Summa Bullarii verbo Confessor.*

COLLIGE 3. Si casus sit reseruatus, cum Censura reseruata, vt sunt omnes Papales, si quis absoluat bona fide à peccatis, putans posse, & postea absoluat à Censura, non tenet absolutio, ex defectu jurisdictionis, quia reseruatio est super casum, & censuram.

PETES 2. *Vtrum in Articulo mortis, cesset omnis reseruatio?*

In articulo mortis, à quauis Censura fit absolutio.

RESPONDET Concil: Tridentin. *Sess. 14. cap. 7. Piè admodum in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis, atq; adeò omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes, à quibusuis peccatis, & censuris absoluere queant.* Ratio est, quia necessitas spiritualis, est multò major, quàm corporalis. Sed in necessitate corporali, licitum est vti re aliena. Igitur & in spirituali:

ARTICVLVS VI.

Vtrum propter casus reseruatos, possit dimidiari confessio?

DICO 1. Licet aliqui Theologi sentiant, posse Superiorem à solis reseruatis in confessione auditis, absoluere pœnitentem, & cum non reseruatis mortalibus, remittere ad inferiorem, tamen securior, & probabilior est opinio, quæ docet per se loquendo, absq; graui necessitate, & causa rationabili, id non licere. ita D. Subt: *in 4. dist. 17. q. 1. art. 2.* Adrianus ibidem. Syluest. *verbo confessio 1. q. 19.* Rodericus. *in Summa tom. 1. cap. 55. num. 13.* Suarez. *disp. 13. Sect. 1.*

Pro-

Probatur. Tùm quia de essentia Confessionis, est integritas jure Diuino: Sed jus Diuinum est seruandum, nisi aliter permittat justa, & rationabilis Causa. Ergo non licet absq; rationabili causa, dimidiare confessionem. Tùm quia absolutio, datur ad conferendam gratiam. Sed gratia non confertur, nisi ablatis omnibus peccatis, peccata autem, quæ non absoluuntur, non dimittuntur. Ergo talis absolutio est nulla: nec video quomodo talis absolutio à Sacrilegio excusari possit.

Dimidiari non debet confessio.

Dices Romæ Superiores absoluunt à reseruatis, & mittunt ad inferiores pro absolutione à non reseruatis. Ergo hoc est licitum.

Respondeo. Cum Syluestro loco citato, qui fuit Magister Sacri palatii, & versatus in Curia Romana, quòd Romæ non absoluant Superiores à peccatis solùm reseruatis, sed ab obligatione confitendi sibi.

Respondent Alii, quòd absoluant à Censuris, non à peccatis.

Dico 2. Sola communis multitudo negotiorum, quam Superiores solent habere, non sufficit ad hoc, vt Confessio reseruatorum dimidietur. Est contra Valentiam, & Sotum. Ratio est, Tùm quia negotia, non sunt tanti momenti, vt in jure Diuino possint dispensare. Tùm quia ex negotiis prælatorum vnum, & quidem præcipuum est, cura animarum. Tùm quia prælati occupati, possunt dare facultatem absoluendi inferioribus à reseruatis. vel certè auditis solis reseruatis, imponere pœnitentiam, non absoluendo Sacramentaliter, sed remittendo ad inferiorem, vt is auditis omnibus peccatis, absoluat etiam reseruata. Ita Syluest: *verbo Confessio 1. q. 9.* Rodericus *cap. 55 num 13.*

Propter negotia non est dimidianda confessio.

Dico 3. Inferior Sacerdos, non habens facultatem absoluendi à reseruatis, non potest præcisâ necessitate, vel rationabili causâ, absoluere pœnitentem à non reseruatis, ipsumq; mittere ad Superiorem pro reseruatis. Ita iidem authores citati sub prima Conclusione. Ratio est. Tùm quia si inferior posset pœnitentem à non reseruatis absoluere, ipsumq; pro reseruatis ad Superiorem transmittere, etiam simplex Sacerdos, posset à peccatis venialibus absoluere pœnitentem, habentem peccata venialia, & mortalia, illumq; ad Confessarium approbatum, ad Confessiones pro peccatis mortalibus excipiendas, remittere. Sed hanc sequelam nullus admittet. Ergo nec id, ex quo sequitur. Tùm quia Confessio, debet esse accusatio, coram legitimo judice. Confessio autem reseruatorum, facta inferiori, non est accusatio coram legitimo judice, quoties pœnitens præcisâ necessitate, confitetur peccata sua Sacerdoti, non habenti facultatem reseruatorum.

Inferior non potest absoluere à non reseruatis.

Dixi (præcisâ necessitate) nam si occurrat grauis, licet non extrema, necessitas, potest inferior Sacerdos, absoluere habentem casus reseruatos, priusquàm coram Superiore compareat, dum modo dictus inferior, possit absoluere directè à non reseruatis. Ratio est, quia, vt dixi *Quæstione 5. de integritate Confessionis*, vrgente necessitate, licita est, & valida, Confessio integra formaliter, etsi non materialiter.

Necessitas grauis quæ in hoc casu?

Petes. *Quæ est ista necessitas grauis, in qua potest absolui à non reseruatis habens reseruata, ab illo, qui non habet licentiam absoluendi à reseruatis?* Respondeo. Quando aliquis est obstrictus, necessitate celebrandi, vel communicandi, ob vitandum graue damnum, seu scandalum, vel grauis infamiæ periculum, potest ante celebrationem, vel communionem confiteri peccata tam non reseruata, quàm reseruata, seu habentia annexam excommunicationem, si non habeat copiam Confessarii, habentis facultatem absoluendi à Casibus reseruatis, vel Censuris, cum onere tamen præsentandi se superiori, pro absolutione reseruatorum, vel censurarum. Ita Angelus, quem citat Suarez & sequitur *disp. 31. Sect. 3. num. 8.*

Petes 2. *An Sacerdos inferior, absoluens directè à non reseruatis, absoluat etiam indirectè à reseruatis?*

Respondeo. Duplex est opinio: vna dicit, quòd à reseruatis non absoluat etiam indirectè, quia Concilium Tridentinum *Sess. 14. cap. 7.* dicit, talem absolutionem esse nullius momenti; nam absolutio, non potest cadere super aliqua directè, & super aliqua indirectè, nisi illa, quæ indirectè absoluuntur, cadant sub authoritatem absoluentis, quia auctoritas jurisdictionis, est de jure Diuino necessaria, quæ autem obliuiscuntur, ideò indirectè absoluuntur, quia super illa cadit facultas absoluendi; gratia autem, quæ per absolutionem datur, non manet cum aliquo peccato mortali, ideò cùm quis confessus est, plura mortalia, ab omnibus, vel à nullo debet absolui. Vnde Doctor noster in talibus casibus suadet, vt vel confessio differatur, vel si non potest, propter scandalum, ad Contritionem est recurrendum; & omnia tam reseruata, quàm non reseruata, inferiori confitenda, quia licet inferior quoad reseruata, non sit legitimus judex, tamen cognoscere debet, an pœnitens verè paratus sit, & dispositus ad recipiendam omnium absolutionem. Alia opinio dicit. Licet nihil possit inferior in peccata reseruata directè, potest tamen indirectè. Ita Coninch. *disput. 8. num. 105.* Bonacina *Disput. 5. q. 7. puncto 5. §. 3. num. 6.* Hinc

Quæ indirectè absoluuntur.

Nota.

Absolutus à

Colliges 1. Ille qui in casu necessitatis, obtinuit reseruatorum absolutionem...

absolutionem à Superiore, non tenetur necessariò explicare reseruata, coram inferiore, quia ab illis Sacramentaliter fuit absolutus, coram DEO, & Ecclesia, ab habente jurisdictionem, & facultatem reseruatorum.

reseruatis non est necesse vt coram inferiore illa aperiat.

Collige 2. Ille, qui justa de causa fuit absolutus ab inferiore, non tenetur omnia peccata aperire Superiori, sed tantummodò reseruata, cùm non sit obligatio bis subjiciendi peccata Confessioni; vt docet Nauarus. *cap. 9. num. 7. & alij communiter:* Suarez. Vasquez. *q. 91. art. 3. dubio. 10.*

Collige 3. Ille qui obtinuit absolutionem à non reseruatis, in casu necessitatis ab inferiore, & deinde nouam obtinet à reseruatis à Superiore recipit duplex Sacramentum, & duplicem effectum. Ita Suarez *disp. 31. Sect. 1.*

Collige 4. Inferior absoluens à non reseruatis pœnitentem, habentem etiam reseruata, debet imponere onus pœnitenti, vt se quamprimùm præsentet pro absolutione reseruatorum Superioribus: in articulo verò mortis, non debet tale onus imponere, vt se præsentet, quia quiuis tunc habet jurisdictionem: pro Censuris verò absoluendis, si æger euadat periculum mortis, debet se præsentare Superiori.

Collige 5. Superior per se loquendo tenetur concedere facultatem pœnitenti, petenti à reseruatis absolutionem, per se, vel per alium; neq; debet in hoc difficilem se præbere, aut illam denegare: Casuum enim reseruatio inducta videtur in vtilitatem pœnitentium, vt resipiscant, & meliùs in vita spirituali dirigantur, faciliùs autem resipiscunt, concessa facultate, quàm eâ denegatâ. Dixi (Per se loquendo;) quia si bonum proximi, vel ipsius pœnitentis, contrarium postulet, denegare potest superior facultatem.

Quæres. *An qui dubitat aliquod peccatum esse reseruatum, vel se circa peccata reseruata facultatem habere, possit absolutionem impendere?* Ista difficultas procedit, non de dubio juris, sed de dubio facti. V. G. aliquando pœnitens dubitat se homicidium voluntarium commisisse, vel aliquod aliud peccatum simile reseruatum.

Dico 1. Quilibet Sacerdos approbatus, potest in dubio facti, cadentis sub reseruationem, absoluere, nisi aliter in jure decernatur, in aliquo casu, aut nisi adsit sufficiens præsumptio in contrarium, de reseruatione facti. Ratio est, Tùm quia in dubiis, melior est conditio possidentis: Confessarius autem approbatus est in possessione suæ jurisdictionis.

In dubio facti potest absoluere.

Tùm quia in foro externo, non fit judicium contra delinquentem, nisi adsit sufficiens præsumptio in contrarium. Ergo neq; in foro interiori judicandum est, nisi sit sufficiens præsumptio in contrarium, & sufficientes conjecturæ. Neq; valet instantia, *In dubijs est tutior pars eligenda*, quia non semper est ex obligatione pars tutior eligenda, sed aliquando potest eligi tuta, relictâ tutiore.

Dices Peccata mortalia dubia sunt approbato necessariò confitenda. Ergo & reseruata dubia approbato pro reseruatis.

Respondeo. Nego Consequentiam, ratio disparitatis est, quia cùm reseruatio sit odiosa, & pœnalis, non extenditur ad casus dubios, lex verò confessionis est fauorabilis, vt potè lata, tanquam medicina ad delenda omnia peccata, commissa post Baptismum, & ad præcauenda futura, nec solùm lata est pro mortalibus certis, verùm etiam pro dubiis, vt patet *ex Quæstione tertia*.

Dico 2. Sacerdos, qui propriè dubitat se jurisdictionem habere, circa peccata reseruata, non potest absoluere; nam Sacerdos, sciens peccatum aliquod esse reseruatum, sed dubitat an possit absoluere, exponit se periculo dandi inualidam absolutionem: quare Sacerdos qui ita propriè dubitat, non potest absq; lethali culpa, extra mortis articulum, directè absoluere, interueniente verò casu necessitatis, indirectè potest, vt supra dictum est. Colligitur *ex l. Barbarius ff. de officio prætoris*. Hinc

Collige Ille qui sequitur opinionem probabilem Doctorum, ita sentientium, habet jurisdictionem absoluendi à reseruatis: si priuilegium absoluendi, non est reuocatum, vnde validè agit, quæ agit, ac si re ipsâ jurisdictionem haberet.

ARTICVLVS VII.

Vtrum peccata reseruata, quorum pœnitens in Confessione Superiori, vel licentiam habenti, factâ, oblitus est, maneant sub eadem reseruatione.

Oblita peccata desinũt esse reseruata. Dico 1. Absolutus tempore Jubilei, vel ab habente licentiam à reseruatis, remanet absolutus à peccatis reseruatis, quæ per obliuionem inculpabilem prætermisit in Confessione, modò confessarius intentionem habuerit absoluendi à reseruatis. Ratio est, quia Confessarius jurisdictionem habet absoluendi, & vult absoluere, vt suppono, & pœnitens facit

quod

quod in se est. Ergo est valida absolutio in tali casu. Ita Emmanuel Sa, *verbo Conf. num. 5.* Nauar. *cap. 26. num. 13.* Angelus *verbo Conf: 1. num. 22.* Rodericus *cap. 184. num. 15.* Dixi in Conclusione (Modo Confessarius intentionem habuerit absoluendi à reseruatis.) nam aliqui graues Theologi dicunt, si habens licentiam à reseruatis absoluendi, sed peccatum reseruatum, ante absolutionem non agnoscat, neq; intentionem absoluendi habeat, licet pœnitentem absoluat à peccatis oblitis, quoad culpam, non tamen liber est ille pœnitens, ab obligatione confitendi peccata reseruata, legitimo Superiori; nam perinde est inquiunt, ac si fuisset absolutus ab inferiore.

Cautela.

Doctrinam itaq; tradunt Doctores ad tollendos scrupulos, pœnitens dum confitetur Confessario, habenti potestatem à reseruatis, petat absolutionem à reseruatis, & á censuris, si fortassè aliquo peccato, vel censurâ irretitus censeatur, hic enim consequitur absolutionem à reseruatis, & Censuris, quia Confessarius, præsumitur habere intentionem absoluendi pœnitentem, juxta ipsius intentionem.

Probabilis opinio.

Dico 2. Non improbabiliter sustineri potest, pœnitentem remanere absolutum á reseruatis, etiamsi non petat explicitè absolutionem à reseruatis, dum confitetur Sacerdoti priuilegium habenti circa reseruata. Ratio est. Tùm quia multi ex Doctoribus citatis, absolutè putant reseruationem tolli, quoties pœnitentes bona fide confitentur Superiori facultatem reseruatorum habenti. Tùm quia, etsi pœnitens non petat explicitè, nihilominùs censetur implicitè, & interpretatiuè petere absolutionem reseruatorum, quatenus accedit ad Confessarium, vt quantùm fieri potest absoluatur, & à peccatis liberetur; cùm autem Confessarius censeatur velle pœnitenti prospicere, ipsumq; à peccatis liberare, quantùm licitè potest, censetur etiam velle reseruationem peccatorum tollere: sed tutiùs est, vti remedio in prima Conclusione assignato.

Virtute jubilei absolutus à reseruatis oblitis est absolutus

Collige. Qui virtute Jubilei absolutionem obtinuit à Confessario approbato, sed oblitus est peccati reseruati inculpabiliter, potest deinceps cuilibet Confessario peccatum oblitum confiteri, quia virtute Jubilei reseruatio est sublata. Dixi (inculpabiliter) nam defectu doloris, & integritatis Confessionis, talis non est verè pœnitens, vt docet Rodericus *in Summa cap. 184. num. 13.* ad lucrandum verò Jubileum, requiruntur præfatæ conditiones, necessariò requisitæ ad veram pœnitentiam, hoc tamen dictum, non extenditur ad absolutionem Censurarum: nam

hæc potest extra Confessionem per se loquendo obtineri, vt idem docet Rodericus, *loco citato*.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum absolutus tempore Jubilei, intra Jubileum committens peccata reseruata, possit iterum vigore Jubilei absolui?

1. Opinio affirmat, Ita Rodericus *in Summa cap.* 184. Henriquez, *lib. 9. cap. 16. num. 2.* Nauarr. *de Indulgentiis Notabili 32. num. 64.* & alii. *Probant.* 1. Quia in Jubileo non exprimitur, vt quis vna solùm vice, in Jubileo à casibus reseruatis absoluatur. 2. Quia fauores sunt ampliandi, non restringendi. Sed casus propositus est materia fauorabilis. Ergo. 3. Quia absolutio reseruatorum, potest sæpiùs obtineri extra Jubileum. Ergo & intra Iubileum. 4. Tùm quia, qui non curauit vota commutari tempore Jubilei, potest illorum commutationem obtinere transacto Iubileo. Ergo etiam potest absolutionem obtinere, qui casum reseruatum contraxit, nondum transacto jubileo.

An bis à casibus possit absolui in Jubileo.

2. Opinio negat. Est Sanchez *lib. 4. de voto cap 54. num. 30.* Suarez, *Tom. 2. de Religione lib. 6. de voto cap. 16. num. 17.* Bonacinæ *disp. 5. q. 6. §. 2. num. 17.* quæ multò probabilior videtur. Primò. Quia qui Iubileum obtinuit primâ hebdomadâ, non potest illum iterum lucrari in secunda, cùm in Iubileis, qui hoc tempore conceduntur, concedatur facultas lucrandi Iubileum, sub forma disjunctiua, nimirum in prima, vel in secunda hebdomada, non verò copulatiuè, aut indefinitiuè, vt patet in forma Jubilei.

Ergo etiam qui Jubileum obtinuit, non potest iterum virtute Iubilei, à casibus reseruatis, commissis post primam absolutionem in Iubileo absolui, licet nondum elapsum fuerit tempus Jubilei. 2. Quia facultas absoluendi à reseruatis, conceditur per ordinem ad Iubileum. Sed Iubileus jam semel est obtentus, & sortitus est suum effectum, reseruatio autem contracta est, obtento Iubileo. Ergo reseruatio non potest ampliùs auferri, virtute jubilei.

Ad primum 1. opinionis. Ex forma Iubilei id colligitur, quòd vna vice tantùm talis facultas conceditur. Ad 2. Dico Fauores sunt ampliandi quantùm patitur intentio concedentis. Sed ex verbis Jubilei, non colligitur, Iubileum posse bis obtineri, consequenter neq; colligitur, absolutionem reseruatorum, posse virtute jubilei recipi, obtento jam semel Iubileo.

Ad 3.

Ad 3. Negatur Consequentia, quia ex forma Iubilei, id non colligitur. Ad 4. Negatur Consequentia: & ratio disparitatis est, quia qui obtinuit Iubileum, acquisiuit jus ad commutationem votorum, ante Iubileum emissorum, non verò obtinuit jus ad absolutionem Casuum reseruatorum, in quos pœnitens incidit post consecutionem Iubilei, sicut neq; acquisiuit jus, pro commutatione votorum, quæ adepto Iubileo commisit.

SECTIO VII.
De obligationibus Ministri Sacramenti Pœnitentiæ.

Nota obligatio circa administrationem Sacramenti Pœnitentiæ oritur, vel ex parte pœnitentis, vel ex parte Confessarii, ideò præsens Sectio diuiditur in 5. Articulos.

In primo quæretur. Vtrum Confessarius obligatur ad audiendam Confessionem, quoties pœnitens voluerit?

In 2. Qualem dispositionem Confessarius debet requirere in Pœnitente, vt eum validè absoluat?

In 3. Vtrum teneatur Confessarius instruere pœnitentem ignorantem?

In 4. Quid faciet Confessor si malè absoluat pœnitentem, & an aliquam Censuram, vel pœnam incurrat?

In 5. An aliqua dispositio requiratur in Confessario, & Cæremoniæ in administratione Sacramenti Pœnitentiæ?

ARTICVLVS I.
Vtrum Confessarius obligatur ad audiendam confessionem, quoties Pœnitens voluerit?

Nota. Difficultas procedit de Ministris, qui curam animarum habent, & qui non habent.

Non habentes curam animarum non obligantur.

Dico 1. Sacerdotes non habentes beneficia curata, nec obeuntes vices Curatorum, non habent obligationem audiendi Confessiones, nisi vrgeret extrema necessitas; in tali enim casu esset contra charitatem deesse proximo.

Parochi obligantur.

Dico 2. Licet nonnulli putent Parochum, tunc tantùm obligari ad dandas aures confitentibus, quando ipsi subditi ad confitendum obligantur, tamen verior est aliorum sententia, asserentium teneri Parochum audire, quoties subditi petunt, modò id faciant opportuno

tem-

tempore, & justa de causa. Vnde peccaret mortaliter Parochus & ejus vicarii, vel alii quibus cura animarum incumbit, necessitate vrgente, vel præcepti, vel morbi, vel periculosi itineris, vel partus, &c. vel similium casuum. Ratio est, Quia Parochus tenetur ex debito officii sui, non solùm prouidere ouibus, in extrema necessitate, sed etiam temporibus opportunis, procurare eis vtilitatem, commodum, & profectum Spiritualem, vel saltem non impedire, ad hoc enim Parochus ab ouibus alitur, vt illis seruiat.

Prælati Majores quando tenentur.

Dico 3. Episcopi, & alii Prælati Majores, tenentur itidem prouidere, ne idonei desint Confessarii subditis, regulariter tamen loquendo, non tenentur ipsi per se audire, nisi id grauis exigeret necessitas. Ratio est, quia ipsi habent vniuersalius regimen, & grauiores, pluresq; occupationes, neq; sunt ita immediati pastores, sicut Parochi.

Quando Parochus est liber.

Dico 4. Potest per accidens Parochus, ab hac obligatione esse liber. Primò si adsint alii, qui id præstare possint, & velint. 2. Si subditus importunus sit, & nimis crebrò petat. 3. Si præsumeret Parochus, solùm habere Pœnitentem venialia. 4. Si aliqua grauior occupatio instaret, præsertim pro communi bono, vt concio, sacrum die festo, nec pœnitens esset in vllo periculo. 5. Si aduerteret Parochus, per frequentem confessionem dari occasionem pœnitenti, scrupulos habendi.

ARTICVLVS II.

Qualem dispositionem confessarius debet requirere, & aduertere in pœnitente, vt eum validè absoluat?

Dispositio pœnitentis qualis?

Nota 1. Dispositio pœnitentis consistit in habenda Contritione, vel attritione, de quibus fusè dictum Quæstione. 4. Deinde requiritur in pœnitente Propositum amplius non peccandi, id est, debet habere intentionem faciendi quod in se est, ne peccet; non tamen debet Confessarius astringere eum, ad aliquam promissionem de nouo faciendam, vel votum, sed solùm excitare illum, ad habendum propositum verum, vt vitet peccatum. Præterea debet peccator, occasionem proximam peccandi deserere. Deniq; debet pœnitens integrè, & verè peccata sua confiteri Sacerdoti.

Nota 2. Quando Confessor reperit aliquem, vel aliquos in statu malo,

malo, & damnato, qui tamen ignorant inuincibiliter, se esse in statu malo, & peccati, quid in tali casu Confessarius agere debeat? est magna dissensio inter Doctores, resoluetur id conclusione quarta.

Dico 1. Ne Confessarius exponat se periculo, non conficiendi Sacramentum, debet illa omnia spectare in pœnitente, quæ enumerata sunt in primo Notando. Ratio est, quia ista omnia requiruntur ad veram pœnitentiam essentialiter.

Obnoxius restitutioni nõ debet absolui.

Dico 2. Non debet Confessarius eum pœnitentem absoluere, qui est obnoxius restitutioni, siue famæ, siue bonorum fortunæ, aut corporis, à talibus enim exigendum est, vt vel restituant, si possunt, vel saltem si non possunt, vt habeant animum, quàm primùm poterunt, id faciendi: non enim semper pœnitens cogendus est, ad restitutionem actu faciendam, si vel impossibilitas eum excuset, vel si aliquod damnum graue ex restitutione timeretur.

In proximis occasionibus

Dico 3. Quando pœnitens est in proximis occasionibus peccandi, tunc absolui non debet, donec promittat efficaciter se amoturum; imò aliqui addunt, quòd aliquando expediat juramento pœnitentem ad id adigere, si Confessarius putaret aliter id eum non facturum, quod promisit. Ratio est, quia talis non est sufficienter dispositus ad absolutionem, nisi occasiones peccandi efficaciter á se remoueat. Nauar: *in Summa cap. 3. dicit*, quòd non debet peccator occasionem proximam statim relinquere, si inde graue scandalum, vel infamia, vel incommodum sequeretur: Sed hoc totum pendet ex prudentia Confessarii, an ista occasio proxima, possit sine scandalo, vel infamia, vel damno dimitti.

Existens in malo statu.

Dico 4. Quando aliquis est in malo statu, per ignorantiam inuincibilem, vel dubium, si ignorantia sit juris Diuini, vel humani, siue facti: si confessarius aperiendo veritatem, cognosceret non secuturam inde vtilitatem, vel commodum, sed potiùs incommodum, non tenetur aperire veritatem: si verò secùs sit, tenetur. Ita Nauarr: *in capite Si quis de pœnitentia dist. 7. num. 77. Et dist. 5.* adducit *caput. Quia circa De consanguinitate, & affinitate ex Innocentio III.* in quo mandat Pontifex, propter scandalum, esse dissimulandum cum aliquibus, qui bona fide Matrimonium contraxisse se putabant, & tamen erat impedimentum occultum dirimens. Ratio est, quia Confessarius, nulla alia de causa obligatur ad detegendam veritatem, nisi ratione officii sui, juxta præcepta Diuina, & humana, spectantia ad actus charitatis, vel correctionis fraternæ. Atqui

Eee si Sa-

si Sacerdos non sperat fructum emendationis, cessant præcepta prædicta obligare. Ergo.

QVÆRES *Quid faciendum est Confessario, qui aduertit pœnitentem, aliquod peccatum, quod commisit, non confiteri?*

DICO 1. Quando aduertit Confessarius, peccatum sibi aliàs notum, non confiteri pœnitentem, tenetur illum interrogare; multoq; magis ad id obligatur, si illud peccatum vergat in damnum tertiæ Personæ. Ratio est, quia Confessarii est munus, non solùm cauere peccatum pœnitentis, quod incurreret, non confitendo integrè, sed etiam prouidere, vt judicium suum sit rectum, & fidele; quod non esset tale, si absolueret aliquem, quem scit non integrè confiteri.

DICO 2. Si Confessarius sciens certò, quia vidit peccantem pœnitentem, & non confitentem vlli, nec sibi, non debet eum absoluere, sed suâ scientiâ debet pœnitentem conuincere, & inducere ad confitendum peccatum ipsum, quod si nolit confiteri, debet eum dimittere; quia sic indispositum, non potest absoluere.

DICO 3. Si Confessarius non est omninò certus, quòd pœnitens tale peccatum commiserit, sed ab aliis audiuit, tenetur ipsum absoluere, si negat. Ratio est, Tùm quia potuit pœnitens, illud peccatum confiteri alteri, & ideò negat, quia non tenetur bis confiteri. Tùm quia alii poterant ipsum, ex odio accusâsse. Hinc

COLLIGE. Si sit opinionum diuersitas in aliqua re, confessarius tenetur opinionem sequi tutiorem, quare si opinio Confessarii est tutior, debet illam sequi, si pœnitentis est tutior, debet illam sequi: in dubiis enim tutior est pars eligenda. Ita D. Subtilis *q. 2. Prologi ad vltimum argumentum principale.*

ARTICVLVS III.

Vtrùm teneatur confessarius instruere pœnitentem ignorantem?

Ignorantia triplex. NOTA 1. Ignorantia, quæ est priuatio scientiæ, quam quis habere aptus natus est, triplex communiter à Theologis assignatur, præcedens, concomitans, & subsequens. *Ignorantia Antecedens* Ignorantia antecedens est, quæ præcedit omnem actum voluntatis, ita vt nullo modo sit volita, nec explicitè, nec implicitè, nec virtualiter. *Concomitans.* Ignorantia concomitans est, quæ habetur de aliqua re, quæ agitur, tamen etiamsi res illa sciretur, adhuc illa res ageretur, vt cùm quis occidit inimicum, ignorans esse inimicum, quem tamen si sciuisset

uisset inimicum, nihilominùs occidisset. Hæc ignorantia concomitatur accidentaliter opus, sed non est causa operis. Ignorantia subsequens, alia est, quæ tanquam pœna, subsequitur peccatum, qualem ignorantiam incurrit Adam peccando, & hæc non est peccatum, quia vt docet Sanctus Bonauentura *in 2. dist. 22. a. 2. q. 2.* est in nobis, sed non à nobis. Alia ignorantia subsequitur actum voluntatis, quæ est voluntaria, id est, causata ab actu voluntatis: & hæc est duplex, affectata, & crassa: affectata est, quam voluntas vult, & affectat, vt per illam habeatur excusatio peccati, juxta illud Job. 21. *Scientiam viarum tuarum nolumus.* Crassa ignorantia siue supina, quâ quis posset scire aliquid, & tamen negligit scire, hæc enim ignorantia, est voluntaria indirectè, & non excusat à peccato, quia cùm quis posit, & debeat scire aliquid, & tamen non scit, imputatur sibi. *Subsequens.* *Affectata.* *Crassa.*

Nota 2. Ignorantia antecedens, idem est, quod inuincibilis. Subsequens quæ est affectata, & crassa, est vincibilis, & hæc est, vel juris, vel facti. Ignorantia juris, est ignorantia legis, vel præcepti, quò aliquid prohibetur, ne fiat, vel præcipitur ut fiat. Ignorantia facti, quâ ignoratur res ipsa prohibita, V. G. prohibetur ne occidatur homo: aliquis occidit hominem, putans esse feram, est ignorantia facti. *Ignorantia juris.* *Ignorantia facti.*

Dico 1. Quando ignorantia est Inuincibilis, & si pœnitenti veritas aperiretur, sequeretur damnum graue, vel scandalum, vel aliqua nota in populo, tunc non tenetur Sacerdos illum admonere: sicut nec tunc quando monitionem putaret non profuturam, quod maximè locum habet in Matrimoniis, quæ bona fide putantur esse legitima ab ipsis conjugibus, etiamsi occasione confessionis, Confessarius aduertat esse nulla: vnde silere debet, & viros doctos consulere. Ratio est, quia admonitio fieri debet tunc, quando spirituale commodum speratur, & sine graui damno fieri potest. *Notent Confessarij.*

Dico 2. Quando ignorantia est vincibilis, & crassa, tenetur in omni euentu Confessarius admonere, & instruere pœnitentem, aut certè non absoluere. *Ita communiter omnes.* Ratio est, quia talis ignorantia, est peccatum mortale, & illa posita pænitens non integrè suâ culpâ confitetur, nec potest validam absolutionem accipere. Tunc autem ignorantia est culpabilis, cùm quispiam nescit res, quas tenetur, & potest scire, vt est Mysterium SS. Trinitatis, saltem simplici modo, Incarnationis, remunerationis bonorum, & malorum in alia vita, obligatio audiendi Missam die festo, obligatio restituendi alienum, & cætera. *In ignorantia vincibili debet admonere.*

An debet interrogare pœnitentem.

PETES 1. *An debeat Confessarius interrogare pœnitentem de peccatis?*

RESPONDEO. Debet, & tenetur, non tamen semper, sed tunc quando aduertit, & credit, esse necessarium ad integram, & fructuosam Confessionem, nimirùm, quando putat pœnitentem ob ignorantiam, inconsiderationem, negligentiam, obliuionem, metum, verecundiam, aut malitiam, omittere velle. Deinde non quoad omnia, sed ea tantùm, quæ communiter ejus status homines committere solent.

Quomodo?

PETES 2. *Quomodo?* Respondeo Prudenter, discretè, & cautè, *Capite omnis vtriusq;*, præsertim in Carnalibus. Præterea remotè, non de propinquo, à minoribus, & communioribus, ad majora, & magis particularia, à cogitationibus, ad verba, ab his, ad opera, &c.

PETES 3. *Quot sunt diligentiùs in interrogationibus seruanda?*

RESPONDEO Primò. Vt species, seu natura peccati distinctè explicetur. 2. Numerus peccatorum certus, vel verisimilis. 3. Circumstantiæ, inter quas frequentior conditio pœnitentis, & complicis, non tamen in indiuiduo. 4. Radix restitutionis. 5. Peccata diuersorum statuum. 6. De votis interrogandi sunt.

ARTICVLVS IV.

Quid faciet Confessarius, si malè absoluat pœnitentem, & an aliquam censuram, vel pœnam incurrat?

Defectus duplex vel circa substantiam, vel circa mores.

NOTA Multis modis potest Confessarius malè absoluere pœnitentem, vel ex malitia, vel ex naturali inaduertentia. Deinde hic defectus Confessoris, potest esse, vel circa substantiam Sacramenti, vel contra bonos mores pœnitentis. Exemplum primi, vt si absoluat sine auctoritate jurisdictionis, vel sine debita intentione absoluendi, vel quia pœnitentem indispositum scienter, vel culpabiliter absoluit, & hoc quia Confessarius, vel propter timorem, vel propter verecundiam, non est ausus illi negare absolutionem. Exemplum secundi: si absoluat aliquem, non obligando eum ad faciendum debitam restitutionem, aut ad tollendum occasionem proximam peccati, &c.

DICO 1. Quando defectus accidit contra substantiam Sacramenti, non potest Confessarius pœnitentem absoluere absentem à peccatis, tam reser-

reseruatis, quàm non reseruatis. Ratio est, quia absolutio Sacramentalis, non potest dari absenti pœnitenti, vt probatum est supra.

Malè absoluens quid facturus est.

Dico 2. Quando Sacerdos aduertit aliquem, à se malè, vel inualidè fuisse absolutum, procurabit prudenter pœnitentem sibi iterum confiteri, & in ea Confessione generaliter eum interroget, an de omnibus præcedentibus doleat, & vt ipsa, (si necesse sit) quantùm potest confiteatur, ita enim noua absolutio cadet in totam illam superiorem materiam, quæ vno verbo sufficienter nunc explicatur. Quòd si pœnitens non potuerit induci, vt eidem Sacerdoti, iterum confiteatur, tunc clariùs admonendus est, de errore commisso in Confessione, non tamen exprimendo ipsum. Et hoc totum verum est, quando sine scandalo, & infamia Confessoris, vel pœnitentis, aut alio graui incommodo, id fieri potest, alioquin sufficiet Confessori, sui peccati pœnitentiam agere, & pœnitentem relinquere, Deoq; commendare, vt per contritionem, aliasq; Confessiones faciendas justificetur, saltem indirectè, quod satis erit ad salutem pœnitentis, bonâ fide, & ignorantiâ justâ, eum à supplemento excusante. Ita Angelus *Verbo Confessio 5. num. 13.* Nauar. *cap. 26. num. 14.* Suarez *disp. 32. Sect. 2.* Ratio est, quia qui fuit alteri causa damni, tenetur curare, vt illum ab illo damno liberet. Sicut judex malè causam judicans, tenetur sententiam reuocare, vel declarare, & efficere, ne reus injustè damnum patiatur.

Dixi (Quando sine scandalo, vel graui damno, id potest fieri.) quia sicut pœnitens, similibus de causis excusatur ab integritate Confessionis, vt dictum est supra, ita & Confessarius excusari potest, ab obligatione admonendi pœnitentem. Secùs dicendum est, si pœnitens sit in articulo mortis, vel credatur non facturus aliam Confessionem, tunc enim postponenda esset omnis difficultas, etiamsi timeat sibi detrimentum, quia tunc pœnitens censetur esse in extrema necessitate, in qua, salutem proximi tenemur nostris commodis temporalibus præferre.

Dico 3. Quando Confessarius absoluit aliquem validè, sed illicitè, tunc si nullum damnum tertiæ Personæ inde sequitur, ad nihil tenetur, nisi ad pœnitentiam: si autem damnum tertiæ Personæ inde secutum fuerit, & Confessor ad id concurrerit positiuè, dicendo non teneri ad restitutionem, tunc tenebitur ipse Confessarius, vel pœnitentem monere, vt damnum sarciat, vel ipse resarcire tenebitur. Idem dicendum est, si id faciat ex graui negligentia, quia Confessarius tenetur ex justitia, non ita temerè vti jure suo absoluendo, vt id fiat cum damno alterius.

A Censuris absens potest absolui. Quantùm *attinet ad absolutionem à Censuris*, Dico Confessarius, qui à Censuris malè absoluit pœnitentem, quem absoluere non poterat defectu Jurisdictionis, debet absentem absoluere, obtentâ facultate absoluendi. Ratio. Tùm quia absolutio Censurarum ferri potest in absentem, & ignorantem, & existentem in peccato mortali. Tùm quia Confessarius, nisi hoc pacto pœnitentem absolueret, in causa esset, cur pœnitens priuaretur suffragiis, cùm excommunicatus etiam contritus, in sententia multorum, priuetur suffragiis Ecclesiæ. Hinc

Collige. Si Sacerdos in absolutione danda erraret, siue ex malitiâ siue ex alio capite, vt quia caret Jurisdictione, vel approbatione, vel sufficienti scientiâ, tametsi peccet juxta dicta, & Sacramentum non faciat, tamen non incurrit vllam pænam à jure communi impositam. An verò sit aliqua pœna in Extrauagantibus, vel Constitutionibus Synodalibus, vel à locorum ordinariis, diligenter Confessario est inquirendum, quia potest statui pœna.

ARTICVLVS V.

An aliqua dispositio requiratur in Confeßario, & Cæremoniæ, in administratione Sacramenti Pœnitentiæ?

Debet esse in gratia. Dico 1. Debet curare vt sit in gratia, quando administraturus est hoc Sacramentum, aliàs administrando illud in peccato mortali, Sacrilegium committit.

Dico 2. Antequam accedit ad Confessiones audiendas, debet lumen petere à DEo, ne dum aliis cælum vult aperire, sibi non claudat, & infernum non aperiat. Deinde factâ oratione, pœnitentem grato animo recipiat, sicut recepit Pater filium prodigum: postea moneat, vt se signet signo sanctæ crucis: tandem interroget, quampridem sit confessus; quis status ejus; an pœnitentiam impleuerit?

Cæremonia nulla requiritur de necessitate. Dico 3. Ex parte confessarii, non videtur vlla cæremonia accidentalis necessaria, necessitate Sacramenti, aut præcepti; nam vel loquimur de Cæremonia Crucis sanctæ, vel de manuum impositione, vel orationibus. Si loquamur de Cæremonia sanctæ crucis, quæ consistit in signo Crucis, & adhiberi solet in fine absolutionis, certum est, hanc Cæremoniam, non esse necessariam, cùm nullum extet hac de re præceptum; & liberum videtur Sacerdoti, hoc signum adhibere, vel omittere, licet consultum sit

adhi-

adhibere. Si verò loquamur de Cæremonia, quæ consistit in manuum impositione, tangendo caput pœnitentis, dico hanc Cæremoniam non esse necessariam, imò non esse adhibendam omninò, circa fœminas, nè aliquod periculum tentationis inde suboriatur. Si verò loquamur de ea, quæ fit cum sola manuum extensione, puto in hac re, seruandam esse locorum consuetudinem. Porrò de orationibus præmittendis, vel ad finem recitandis, nullum quidem extat præceptum, tamen hoc est laudabile, expediens, & vtile, quia talibus deprecationibus, impetrari potest, major dispositio, aut perseuerantia, & major fructus, vt dictum est *Quæstione 3. de forma Sacramenti pœnitentiæ.*

SECTIO VIII.

De Sigillo Confessionis.

1. Hic quæram, Quo jure teneatur Confessarius, ad sigillum Confessionis?
2. Quænam cadant sub sigillum Confessionis?
3. Quinam teneantur ad sigillum Confessionis?
4. Vtrum Confessarius possit vti scientiâ Confessionis?
5. Cui, & quando, tacendum est peccatum in Confessione acceptum?
6. An sigillum Confessionis, extendat se ad sigillum extra confessionem habitum?
7. An denunciare Confessarium sollicitantem ad inhonesta, sit contra sigillum.

ARTICVLVS I.

Quo jure, teneatur Confessarius, ad sigillum Confessionis?

NOTA. Sigillum Confessionis, est obligatio, quâ Confessarius tenetur, ea reticere, quæ per Confessionem sibi manifestata fuerunt. Dicitur (Sigillum) quia sicut ea, quæ in literis sigillo munitis continentur, non possunt legi, aliisq; manifestari; ita neq; possunt verbis, aut signis, aut factis directè, vel indirectè, manifestari ea, quæ audita sunt in Confessione, vel aliquo modo pertinent ad illam. *Sigillum quid?*

DICO I. Confessarius tenetur ad sigillum Confessionis, jure naturæ. Probat. Doct. S. *in 4. dist. 21. q. 2*, quatuor rationibus. 1. ex ratione charitatis: lex naturæ continet charitatem fraternam, quæ est, vt omnia quæcunq; volumus nobis fieri, ea faciamus & proximo, & quæ nobis nolumus, ea non faciamus proximo: hanc propositionem Saluator mundi, Matth. 7. explicauit. *Omnia quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis, hæc est enim lex & Prophetæ*; Porrò *Jure naturæ obligatur ad sigillum.* *Ratione charitatis.*

ista particula. (*Quacunq; vultis vobis*) intelligitur, quæ debetis velle vobis secundùm rectam rationem, quare explicatur per illam propositionem. Matth. 22. *Diliges proximum sicut teipsum.* Subsumo. Sed ita est, quòd vnusquisq; secundùm rectam rationem, debet diligere propriam famam, & consequenter secundùm legem naturæ, debet diligere, & velle peccatum proprium confessum celatum manere. Ergo hoc idem debet velle proximo. 2. probat ex debito fidelitatis. Quilibet enim tenetur seruare fidelitatem proximo suo, quam deberet velle seruare sibi. Sed committens secretum alicui, vult seruari sibi tanquam secretum: Ergo ille cui committitur, debet, & tenetur illud seruare ei. 3. probat ex ratione veracitatis, quilibet enim tenetur seruare promissum licitum. Sed recipiens hoc secretum in Confessione, promittit implicitè saltem seruare secretum. 4. probat ex ratione vtilitatis mutuæ, seu ex ratione vnitatis, & ordinis. Vide *in textu loco citato.*

Ratione veracitatis.

Jure Diuino obligatur.

Dico 2. Confessarius, tenetur jure Diuino ad sigillum Confessionis. *Probatur* 1. Nullus Christianus tenetur dare occasionem alteri, vt recedat à lege Christi Domini. Sed lex Christi Domini est, de facienda Confessione, *Joan. 20.* Ergo quilibet Christianus tenetur ad non retrahendum aliquem à Confessione facienda. Sed reuelans, dat occasionem, retrahendi à Confessione, difficilè enim ab hominibus vsurparetur, si Confessarius ad sigillum non teneretur, imò Confessio efficeretur odiosa, & onerosa, & ab ea multùm fideles retraherentur. 2. probat Doctor *loco citato.* Quæcunq; ligantur, & soluuntur judicio Sacerdotis, soluuntur & ligantur judicio DEi, & consequenter finaliter, quia vltra judicium DEi, nullum est aliud judicium. Sed si sigillum posset reuelari, vltra sententiam Sacerdotis ratificatam finaliter à DEo, adesse posset aliud judicium exterius legitimum, quod dici nequit. Ergo.

Confirmatur, Confessarius vices DEi gerit. Sed DEvs remittendo peccata illa tegit, & eorum obliuiscitur, vt patet *Psalmo* 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Et Ezechiel. 18. *Omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Ergo & confessarius tenetur peccata celare,

Jure Ecclesiastico.

Dico 3. Confessarius tenetur ad sigillum Confessionis, etiam jure Ecclesiastico. Patet ex jure *de pœnitentia dist. 6. cap. Sacerdos.* vbi dicitur, *Sacerdos ante omnia caueat, ne de his quæ ei confitentur peccata recitet.* Et subdidit pœnam, *Nam si hoc fecerit deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ igno-*

ignominiosus pergat peregrinando. Et *capite omnis vtriusq; sexus*, dicitur. *Caueat autem omninò, ne verbo aut signo, aut alio quouis modo, peccatorem aliquatenùs prodat*; Et pœnam assignat, reuelanti, *vt à Sacerdotali officio deponatur, & ad agendam perpetuam pænitentiam, in monasterium arctum detrudatur.* Et hanc pœnam secundam, Doctor Subtilis commendat, non enim expedit, vt aliquis, propter aliquod crimen, fiat vagabundus. Hinc

COLLIGE. Peccata duo committit mortalia, qui frangit Sigillum Confessionis: vnum contra justitiam, quia infert proximo damnum. Aliud contra religionem, & hoc est Sacrilegium; facit enim injuriam Sacramento Pœnitentiæ, quod cum obligatione sigilli à DEo institutum fuit. Addo quòd in hoc non excusat paruitas materiæ, vndè nec minimum veniale ex confessione detegere licet, vt dicam sequenti articulo. *Frangens sigillum dupliciter peccat.*

ARTICVLVS II.

Quænam cadant sub Sigillum Confessionis?

DICO I. Illa omnia, quæ manifestata sunt Sacerdoti, per ordinem ad Confessionem Sacramentalem facta animo se accusandi, cadunt sub Sigillum Confessionis. Ratio est, quia ex talium manifestatione, Confessarius censetur sacrilegus, sigilli violator, & confessio redditur onerosa. Secùs dicendum est de iis, quæ non sunt manifestata per ordinem ad Confessionem Sacramentalem. Hinc *Quæ cadunt sub sigillum.*

COLLIGE I. Quando quis defectu Sacerdotis, scienter manifestat peccata sua laico, vel clerico, quantumcunq; ea dicat se, quæ dicit cadere, vel dicere sub sigillo, & alius promittat se ea ita accipere, per talem tamen obligationem, non inducitur obligatio sigilli confessionis, quia talis confessio, nullo modo est Sacramentalis, quam Christus Dominus instituit: licet laicus reuelans, sic manifestata peccata peccet contra justitiam, non tamen subjacet pœnis Confessariorum reuelantium. Secùs dicendum, si quis se fingat Sacerdotem, & ei pœnitens, vt Sacerdoti potestatem habenti absoluendi, manifestauit peccata, animo se accusandi, & per ordinem ad Confessionem Sacramentalem; quia hæc Confessio est Sacramentalis, saltem ex opinione pœnitentis, falsâ quidem, attamen fundatâ in præcepto Christi Domini. *Nota.*

COLLIGE 2. Ille qui peccata audita in Confessione, alia via nouit, posset quidem ex ea via illa reuelare: cauendum tamen ei omni modo est, ne

ne vlla ratione aliquid ampliùs, aut certiùs affirmet, quàm extra Confessionem cognouerit.

Reuelans Venialia frangit sigillum.

Collige 3. Frangit sigillum, qui V. G. reuelat Petri Confessionem, dicendo absolui eum à mortalibus: quia in hoc grauis fit injuria pœnitenti. Deindè reuelans venialia in specie, V. G. verbum otiosum frangit sigillum, quia aperit aliquid, ex confessione verè cognitum, quod aliis per se non patebat. Porrò dicens *Petrum* sibi esse confessum, tantùm venialia, non frangit: quia non tam reuelat ipsius peccata, quàm potiùs arcet suspicionem, quam aliqui possent concipere, eum mortalia confessum fuisse. Aduerte etiam hîc periculosum esse, vnum pœnitentem, præ aliis laudare, præsertim si duorum, vel trium recenter confessionem audiuit.

Collige 4. Si aliquis dicat, *Petrum* sibi obtundere caput minutissimis peccatis, talem Nauarr: excusat à fractione sigilli *cap. 8. n. 12.* tamèn alii Doctores dicunt, etsi directè non frangat sigillum, tamèn frangit indirectè, nam videtur innuere, talem esse scrupulosum, aut saltem posset facilè audientibus, talem ingerere opinionem.

Collige 5. Cadunt sub sigillum peccata etiam publica, si Sacerdos ea ex Confessione sola norit; quia etiam hoc cederet in grauem injuriam Sacramenti.

Circumstantiæ cadunt sub sigillum.

Dico 2. Omnes circumstantiæ peccatorum, & peccata sociorum, ac naturales defectus pœnitentis, aliaq; id genus, quatenùs à pœnitente narrantur, vt circumstantiæ peccati, ad ejus explicationem aliquomodo pertinentia, etiamsi verè à parte rei, nullo modo sint materia Sacramenti, quia cùm horum explicatio, vel sit, vel saltem credatur à pœnitentibꝰ necessaria, ad perfectam Confessionem faciendam si Sacerdos non teneretur ea seruare sub sigillo, valdè onerosa redderetur Confessio, cùm pœnitentes vellent potiùs diuulgari sua peccata, quàm illà, & non possunt confidenter confiteri, nisi ea explicent, & consequenter nisi sciant ea contineri sub sigillo. Secùs est de iis, quæ narrantur, tanquam nullo modo spectantia ad Confessionem, sed solùm ex occasione aliqua incidente. Hinc sequitur 1. Si pœnitens ad manifestandum aliquod peccatum, dixit se esse spurium, pauperem, aut aliquem defectum naturalem manifestauit, id Confessarius, sub sigillo Confessionis, seruare tenetur. Sequitur secundò quòd complex non est reuelandus. Vndè

Collige 1. Sacerdos tenetur ad ea celanda, quæ in Confessione audiuit, etiamsi pœnitentem ob aliquem defectum non absoluerit nam

nam illa audiuit per ordinem ad Confessionem. Similiter qui ex Confessio-
ne cognouit aliquod impedimentum ad Matrimonium, neq; potest impedi-
re Matrimonium volentem contrahere cum tali impedimento; aliàs redde-
retur exosa confessio, monendus tamen esset seriò, ne contrahat.

Collige 2. Frangit sigillum, qui dicit pœnitentem se non ab-
soluisse; imò, & ille, qui in præsentia multorum repellit pœnitentem,
non dando illi absolutionem, propter aliquod impedimentum, exponit e-
nim eum apertè suspicioni aliorum: quare in tali casu, debet suprà illum
orationem aliquam dicere, & signo crucis eum signare; admonendo eum
non esse absolutum, vt circumstantes putent eum esse absolutum.

Collige 3. Non facilè de auditis in Confessione Confessarii de-
bent colloqui, nisi subsit aliqua grauis causa præsertim coram multis, & cum
expressione aliquarum circumstantiarum: facilè enim præsertim rudes scan-
dalizantur, putantes hoc modo lædi sigillum. Tùm quia quandoq; est peri-
culum ne lædatur, quia potest facilè contingere, vt ex quibusdam circum-
stantiis aliqui conjiciant, facti authorem.

Dico 3. Confessarius non tenetur ex vi sigilli confessionis, ad occul-
tanda bona, seu virtutes pœnitentis, sed solùm tenetur ex vi secreti naturalis,
juxta intentionem pœnitentis. Ratio est, quia talia dona, non solent in
Confessione manifestari, animo se accusandi, & ex ipsorum manifestatione,
confessio non efficitur odiosa. Ita Richard. *in 4. dist.: 21. art. 4. q. 4.* *Virtutes an poßint reuelari.*

ARTICVLVS III.

Quinam teneantur ad sigillum Confeßionis?

Dico Certum est apud omnes, Confessarium obligari, ad tenendum
secretum sub grauissimo peccato sacrilegii. Patet ex primo Articulo. Pro
intelligentia. *Conditiones Confeßionis Sacramentalis.*

Nota Conditiones Confessionis Sacramentalis sunt hæ. Primò
vt fiat Sacerdoti animo recipiendi absolutionem. 2. quòd Sacerdos ha-
beat intentionem ministrandi hoc Sacramentum, quod fit dùm more so-
lito audit pœnitentem, nec protestatur se illum nolle audire in con-
fessione, sed extrà, nec valet si conetur pœnitens obligare eum ad sigillum,
quia obligatio, non oritur, nisi ex actu voluntario. Ex quo sequitur, si
pœnitens fictè accederet, neq; haberet internam voluntatem recipiendi
Sacramentum pœnitentiæ, sed sumeret illam occasionem fortassè ad de-
cipiendum confessarium, dummodò ex signis exterioribus apertè hæc

intentio non pateat, sed ipse pœnitens dicat, se accessisse pro facienda confessione: Hæc confessio est Sacramentalis licet inualida: quia extrinsecè, & coram Ecclesiâ, habet conditiones confessionis Sacramentalis, & obligat ad sigillum. Ita Caiet: *2.2.q.70.a.1.* Soto, *in 4. dist. 18. q. 4. a. 5.* Nauar. *cap. 18. num. 55.* Hinc

Ob nullum damnum debet reuelari.

Collige 1. Non licet reuelare peccatum in confessione auditum, etiamsi ipsemet confessarius, non possit aliter integrè confiteri V. G. si Confessor confessarii possit venire in cognitionem pœnitentis, dicit enim D. Subt. *in 4. dist. 21. q. 2. ad 4. num. 21.* quòd in tali casu non tenetur in speciali culpam exprimere, sed vel præcisè in vniuersali dicendo, mea culpa indiscretè, & indebitè ministraui Sacramentum pœnitentiæ, vel si vrget eum conscientia, de confessione facienda hoc in speciali, tenetur quærere, vel expectare oportunitatem confitendi alicui, qui ex tali confessione peccati, & circumstantiarum, non possit deuenire in notitiam Personæ confessæ. Quòd si nunquam copiam hujusmodi Confessarii habere poterit, inquit D. Subtilis, non debet, nec tenetur confiteri. Ratio est, quia magis obligatur ad præceptum sigilli, quàm ad confitendum proprium peccatum, quia ad sigillum tenetur triplici lege, vt visum est articulo 1. ad confitendum verò integrè tantùm lege *Diuina* positiua. Vnde potiùs dimidianda est confesśio, quàm dicendum aliquid, quô reueletur confesśio.

Collige 2. Non licet propter correctionem pœnitentis, aut aliam ipsius vtilitatem, peccatum reuelare, siue directè, siue indirectè. Ratio est, quia major est obligatio seruandi sigillum, quàm correctionis alterius, quandoquidem hæc aliâ viâ adhiberi potest. Vnde multi Doctores tenent peccaturum Episcopum, si remoueat Parochum ab officio propter ejus ineptitudinem, cognitam in confesśione. Idem dicendum putant de quouis alio Superiori, qui nunquam debet aliquid facere circa subditum, vnde posset conjici, id fieri ex notitia confesśionis, sed tunc suadere debet pœnitenti, vt ipsemet petat liberationem ab officio, in quo habet proximam occasionem peccandi. Porrò D. Subt: *in 4. dist. 21. q. 2. ad 6.* cùm Sancto Bonauentura ibidem. *2. p. a. 2. q. 1 ad vltimam.* S. Thoma *q. 3. art. 1.* & aliis, qui distinguunt. Si in aliqua Religione est consuetudo communis, & sine nota, vt quilibet amoueatur à suo officio, & loco, pro libito superioris, vel etiam non pro libito, sed quandoq; pro alia causa honesta ad aliud munus, aut locum, & in hoc casu, potest Superior ex peccato audito in confesśione, pœnitentem ab officio & à loco amouere, & ad alium transferre, ex

quo

quo ei occasio peccati auferatur. Si verò in aliqua Religione, est consuetudo, quòd Religiosi in officio, & in loco durent ad certum tempus, nisi ratione delicti, vel insufficientiæ, ex eo amoueri soleant, & tunc in tali casu nullo modo Superior potest amouere Religiosum à loco, vel ab officio. Vnde licet suffragium secretum denegare ex scientia confessionis. Ita S. Thomas *in 4. dist. 9. q. 1. a. 5.* Palud. *in 4. dist. 21. q. 3. a. 3.* Nauar. *cap. Sacerdos de pœnitent. dist. 6. num. 147.*

Collige 3. Sacerdos propter nullum malum proprium, etiam mortis, potest reuelare sigillum. Vnde interrogatus ab aliquo de sigillo debet dicere, se nihil scire, quia confessarius intelligit se nescire, eô modo, quô possit dicere: Addo interrogatus, posset jurare se nescire: quia juramentum intelligitur de ea scientia, quæ est licitè subjecta humanæ interrogationi.

Collige 4. Non potest dare pœnitens licentiam, reuelare confessionem Confessario. Ita D. Sub, *loco citato ad 1.* Durandus, Gabriel. *ibidem q. vnica art 3.* Ratio est, quia cederet in injuriam Sacramenti, & nulla est necessitas scita ex confessione reuelare, cùm pœnitens extra confessionem possit dare licentiam.

Dico 2. Non tantùm Confessarii, sed etiam omnes ij, qui ab eo mediatè, vel immediatè acceperunt; quia transferens aliquis aliquid in alium de facto, quod non potest justè, nec licitè, transferri, non dat illi alteri, jus vtendi, vel transferendi illud in alterum. Sed ita se res habet in proposito Ergo &c.

Dico 3. Etiam ij qui audierunt confessionem alterius, siue casu, siue dolosè. Similiter consultores, interpretes: & illi, qui aliena peccata, ex confessione, aliquo modo cognouerunt. Ratio est, quia hæc omnia sunt ex confessione cognita. Qui verò confessionem scriptam inuenerunt, solùm jure naturali, obligantur ad secretum, cùm nondum sit inchoata confessio: esset tamen peccatum mortale, ratione scandali, aliquid ex tali confessione narrare.

Dico 4. Pœnitens non tenetur sub hoc sigillo celare ea, quæ sibi dicuntur à Confessario, sed solùm jure naturali. Patebit *ex Articulo, 6.*

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Confessarius, loqui possit de auditis in Confessione, aut vti scientiâ Confessionis?

Quando potest loqui Confessarius de auditis in Confessione.

Dico 1. Confessarius loquens de auditis in Confessione, absq; reuelatione Personæ, & sine periculo, vt audientes veniant in cognitionem, vel suspicionem Personæ, non dicitur frangere sigillum. Ratio est, quia ex hujusmodi locutione non reuelatur peccator, nec vlli fit injuria, nec ob id confessio redditur onerosa, vel odiosa. Hinc

Collige 1. Confessarius non est fractor Sigilli, si cum pœnitente loquatur de peccatis in Confessione auditis, quibus pœnitens incepit ipsum Confessarium alloqui, nam pœnitens hoc pacto, sufficienter indicat se Confessario facultatem dare loquendi, de auditis in Confessione, cùm non solùm verbis, verumetiam factis animus indicetur. Atq; hinc sequitur, posse Confessarium de licentia pœnitentis admonere hæredes, de re aliqua restituenda, pro suæ conscientiæ exoneratione, nam vtitur scientiâ Confessionis de licentia pœnitentis; ita Nauar: *cap. 12. num. 23.* & alij, meliùs tamen vt det illi licentiam extra Confessionem.

Collige 2. Non frangitur sigillum Confessionis, si Confessarius dicat, in aliqua Ciuitate adesse multos reprobos, vel talia crimina perpetrari; nulli enim pœnitenti fit injuria, cum non sit periculum, vt auctor illorum peccatorum cognoscatur; & hoc verum est de Ciuitate ampla, & magna; non verò de oppido exiguo, vel loco aliquo, vel Congregatione parua.

Extra Confessionem, non licet vti scientiâ, in confessione acceptâ.

Dico 2. Confessarius, non potest extra Confessionem, sine libera pœnitentis licentia, vti scientiâ Confessionis, ad aliquid faciendum, vel omittendum, quoties periculum imminet reuelationis, directè, vel indirectè alicujus peccati, in Confessione auditi, sed perindè se debet gerere, ac si nihil sciret, in iis rebus, ex quibus pudor, seu Confusio, aut damnum pænitenti, sequeretur. Ratio est, quia Clemens VIII. in Bulla motu proprio, quam pro Regularibus edidit, *Anno Domini 1594. die 26. Maij*, præcepit, ne Confessarii ad superioritatis gradum euecti, scientiâ de aliorum peccatis habitâ in Confessione vtantur, ad externam gubernationem. Ergo non licet extrà Confessionem, vti scientiâ in Confessione habitâ.

Dixi in Conclusione (*Extra Confessionem*,) quia potest Confessarius in Confessione, vti scientiâ ab ipso pœnitente habitâ, in alia confessione, reprehendendo pœnitentem de peccatis sæpiùs perpetratis, non enim frangit sigillum, cùm extra Confessionem non loquatur, de auditis in Confessione: imò addunt aliqui posse Confessarium loqui cum pœnitente, de auditis in Confessione extra confessionem, animo illum adjuuandi, ad mo-

nendi,

nendi, vel reprehendendi, etiamsi à pœnitente non petierit licentiam, loquendi de auditis in Confessione. Ita Vasquez *q. 93. art. 4.* Medina. Sed reuerà hoc dictum non placet grauissimis Doctoribus, vt Confessarius, extra Confessionem loquatur de auditis in Confessionibus, sine licentia pœnitentis, quia redderetur confessio, & odiosa, & onerosa, & injuriam inferret pœnitenti?

Dixi (*sine libera licentia pœnitentis*) nam interueniente pœnitentis licentiâ, nullum per se loquendo sequitur inconueniens; hæc tamen licentia, non debet esse tacita, vel præsumpta, sed expressa verbis, vel facto, & extra Confessionem. Hinc

Collige 1. Non licet Confessario, ob peccatum in Confessione cognitum, priuare pœnitentem officio, licet officium sit ad arbitrium, & nutum amouibile. Vndè si Parochus cognoscat ex Confessione famulum suum furem, non potest ex sola scientia confessionis ipsum dimittere. Similiter, non potest denegare SS. Eucharistiam alicui, ob peccatum in Confessione auditum. Ratio est, quia injuria fieret Sacramento, & Confessio redderetur fidelibus odiosa. Ita Sotus *in 4. dist. 18. q. 4. art. 5.* Bonacina *de pœnitent. disp. 5. q. 6. Sect. 5. puncto. 2. num. 9.*

Collige 2. Confessarius ex scientia Confessionis, non potest admonere Episcopum, vel Prælatum monasterii, vt peccata impediat, si periculum sit, ne delinquens aliquâ ratione cognoscatur. Ita Azor *2. p. lib. 12. cap. 15. quæsito 6.* Bonacina *ibidem puncto 4. num. 27.* Secùs dicendum putat Nauar: *Consil. 11. de pœnitent. & remissione.* Bonacina *ibidem* si hoc fiat absq; reuelatione pœnitentis, & periculo, vt delinquens cognoscatur, nec inde sequatur pudor, & confusio pœnitenti. Consilium verò dat Bonacina Confessariis, vt in hujusmodi casibus in quibus imminet periculum peccatorum, vt petatur licentia ab ipso pœnitente post confessionem, vt hac ratione non frangatur sigillum, & occurratur, seu præcludatur via peccatis.

Collige 3. Qui per Confessionem nouit Ecclesiam esse pollutam, non potest hoc detegere, vt reconcilietur. Ratio est, quia non potest vti scientiâ confessionis, cum hæc scientia habita, sit loco DEi. Ita Syluester *Verbo Confessio 3. q. 41.* Bonacina *loco citato puncto 4. num. 23.*

Collige 4. Non potest Confessarius ex notitia in Confessione habita corrigere complicem pœnitentis, aut ejus delicta extra confessionem

nem impedire, aut alloqui complicem de peccato, nisi hoc faciat de licentia pœnitentis. Ita Syluester *loco citato q. 6.* Suarez *disp. 34. Sect. 4 num. 19.* Qui addunt posse fieri aliquando, vt confessarius ratione vrgentis necessitatis, teneatur ad correctionem complicis, obtentâ licentiâ à pœnitente extra confessionem, quam pœnitens dare tenetur Confessario, nisi graue dãnum sibi, vel complici, timeat.

Collige. 5. Confessarius non potest ob peccata in confessione audita, faciem, & vultum asperiorem præbere pœnitenti, quàm antea soleret, nam inde sequeretur confusio pœnitenti. Ita Bonacina *puncto 4. num: 26.*

Collige 6. Confessarius qui nouit ex confessione sibi ab aliquo insidias parari, potest domi se continere, ne occidatur. Sicut in simili D. Subt. *in 4. dist. 21 q. 2. ad 3.* dicit. Si Sacerdos intelligat ex confessione vnius, paratas sibi insidias in nemore, potest ille Sacerdos inuenire aliquam occasionem, non intrandi illud nemus, & sic non reuelaretur confessio: Quia D. Subtilis dat regulam generalem loco citato. Quando signum est æquiuocum, seu indifferens ad denotandum tale peccatum fuisse confessum, licet sit aliquibus, magis signum determinatum, ex aliquo supposito, non est signum reuelatiuum confessionis, nec per consequens est simpliciter illicitum confessori. Et sic in casu proposito, potest Confessarius cognoscens ex confessione vnius complicis, mortem sibi imminere ab aliis complicibus, potest aliò declinare. Est contra Nauar: *cap. Sacerdos de pœnitentia.* Suarez *tom. 4. disp. 33. Sect. 3. n. 7.* cum D. Subtili sunt Major, Gabriel *in 4. dist. 21. q. 5,* Sanchez *de Matrimonio disp 16.* & alii. Addo Sacerdotem, qui per Confessionem nouit, vinum ad Missam paratum esse veneno infectum, posse Missam prætermittere, vtitur enim jure suo, nec indè sequitur pudor, & confusio pœnitenti, nec confessio redditur odiosa, occasione tamen aliunde acceptâ dimittendæ Missæ.

Regula ad cognoscendũ quando est reuelatio in confessione.

Collige 7. Confessarius qui ex confessione nouit, necem alicui parari, aut proditionem imminere ciuitati, non potest proditionem ciuitatis futuram, aut necem alteri impendentem manifestare, quoties periculum est, vt auctor detegatur, & rei deprehendantur: præcisò verò hujusmodi periculo, admonendus est in genere is, cui periculum imminet, vt se domi contineat ob certas causas, quia periculum sibi imminet. Similiter, si periculum non est, quòd ille qui illaturus est graue damnum ciuitati, vel regno, prodatur, possunt incolæ admoneri in communi, vt sibi caueant diligenter, ne DEVS aliquid malum permittat. Ita Henriquez *lib. 6. cap. 22. num. 2. & alii.*

A R-

ARTICVLVS V.

Cui, & quando tacendum est peccatum, in confessione acceptum?

Quantùm *ad cui*, Dico Omnibus, quicunq; sint, pro quacunq; causa. Vndè si Papa præciperet alicui, vt reuelaret confessionem, non esset ei obediendum, quia Papa non est supra jus naturæ, vel Diuinum. Atqui hoc sigillum est de jure naturæ, & Diuino. Ergo &c. Atq; hinc sequitur, quòd nec pro bono communi spirituali, est reuelandum hoc sigillum. Vndè refutat D. Subt. *in 4. dist. 21. q. 2. ad 2.* illud dictum Juristarum. *Est hæresis crimen, quod nec Confessio celat*: nam nec peccatum hæresis debet reuelari. Ratio est, quia quod est contra charitatem est illicitum. Sed reuelare crimen etiam hæresis in confessione acceptum, est contra charitatem; nam licet hæresis, vel proditio patriæ, est contra bonum commune, & consequenter contra charitatem, & ideò obligare vnumquemq;, ad illud impediendum, sed hoc obligat etiam secundùm leges charitatis, quod enim est charitatis, charitatiuè est exequendum, juxta illud Deuteron: 20. *Justè quod justum est exequeris.* Cùm igitùr reuelare hæresim, vel proditionem patriæ, per reuelationem confessionis, sit contra charitatem, quia modus est contra charitatem, consequentur est illicitum.

Cui tacendum sigillum

Quantùm *ad Quando.* Dico cum Doctore Subtili, vbi supra. Cùm hoc præceptum sit negatiuum, ac proinde obligare ad semper, & pro semper, sicut omnia alia præcepta negatiua. Ex quo sequitur, quòd obligat etiam post mortem pœnitentis, etiam ad impediendum graue damnum. Ratio est, quia fama proximi, etiam post mortem durat, possentq; timere viui, ne eorum peccata post mortem reuelarentur, & sic redderetur exosa, & onerosa confessio.

Quando tacendum sigillum.

ARTICVLVS. VI.

An sigillum confessionis, extendat se ad sigillum extrà Confessionem habitum?

Dico 1. Sigillum confessionis obligat, in quacunq; confessione Sacramentali. Patet ex primo Articulo, dummodò sit verè Sacramentalis, vndè confessio facta laico in casu necessitatis, non est Sacramentalis, cùm sit nullius valoris; neq; valet quòd pœnitens intendat esse Sacramentalem, quia intentio pœnitentis, non potest facere, vt illud quod non est Sacramentale, sit Sacramentale, quia hoc est munus solius DEi.

Confessio coram laico qualis?

Confessio nō Sacramentalis an obliget?

Dico 2. Confessio non Sacramentalis, non obligat ad sigillum Confessionis. Ratio est, quia actus qui ex se non est *Sacramentalis*, non potest ab homine fieri Sacramentalis, neq; obligare plus, quàm secretum communicatum extra confessionem ex lege naturæ. Vnde si reueletur confessio non *Sacramentalis*, non fit injuria Sacramento, quia nullum est *Sacramentum*, sed similitudo Sacramenti; quare licet decipiens grauiter peccet, tamen non obligatur, tam arcto vinculo. Quid autem sit confessio Sacramentalis, dictum est *hîc art. 3. Notando* 1. *concl.* 1. Hinc

Collige Confessio facta Sacerdoti, non habenti jurisdictionem, est *Sacramentalis*, si pœnitens putet Sacerdotem habere jurisdictionem, & requisita, etiamsi *Sacerdos* non habeat, & scienter audiat; *Sicut* à simili, si pœnitens non habeat attritionem, vel non integrè sciens confiteatur, est confessio *Sacramentalis*, licet inualida, ita in proposito. Si verò pœnitens sciat Sacerdotem, non habere jurisdictionem, & tamen velit confiteri illi, talis confessio, non est Sacramentalis.

Qværes. *Quanta sit obligatio seruandi secretum extra confessionem?*

Secretum commissum seruandum.

Dico 1. Reuelans secretum, cujus reuelatio redundat in alterius graue detrimentum, vel injuriam, mortaliter peccat, præsertim, si commissum fuit ei secretum sub sigillo. Ita D. Subt: *in 4. dist. 21. q. 2. num. 17.* Patet, quia fides jure naturæ seruanda est.

Violans secretum peccat.

Dico 2. Violans secretum absq; justa causa, cum alterius detrimento, tenetur ad restitutionem. Patet, quia omnis causa injusta damni, tenetur ad restitutionem. Ita Syluest: *verbo secretum num.* 2. Nauar *cap. 18. n. 52.* Hinc

Literas aperire non licet.

Collige 1. Aperientem, & legentem literas sigillo munitas, aut quæ seruabantur in secreto loco, mortaliter peccare, maximè si ille, qui literas clausas mittit, cupiat ea, quæ in literis continentur occulta retineri; nam in hoc casu, quamuis non adsit notabile detrimentum, nihilominùs tanta fiat injuria, quæ pertingat ad peccatum mortale. Ita Emmanuel *Sa*, *verbo literæ.* Lopez 2. *p. cap.* 43. Bonacina *de restitut: disp* 2. *q.* 2. *puncto vnico, num.* 5. Porrò ille qui literas aperit, ad proprium damnum præcauendum, quod sibi timet, non peccat, V. G. qui intercipit literas, sui capitalis inimici. *ita iidem ibidem.*

Vi tormentorum secreta manifestans

Collige 2. Ille qui secretum alterius, vi tormentorum, aut metu mortis manifestat, non peccat, habet enim justam causam reuelandi, nec tenetur celare secretum, cum tanto suo incommodo, modo ex ea reuelatione,

tione, non oriatur graue damnum publicum, quilibet enim tenetur mortem subire ad vitandum graue damnum publicum. Ita Nauar. *lib. 2. cap. 4. num. 459.* Inde *stans non peccat.*

Collige 3. Secretum detegendum esse, quotiès vergit in damnum communitatis, vel innocentis: nam secretum non potest obligare, contra charitatem alteri debitam: Sed ex charitate debemus cauere damna communitatis, & innocentis: Et hoc verum est etiamsi secretum promissum sit cum juramento, juramentum enim non est vinculum iniquitatum. Ita Bonacina *loco citato num. 9.*

Collige 4. Licet pœnitens non teneatur ad ea celanda, quæ ei in confessione dicuntur, sub sigillo confessionis, tamen jure naturali obligatur celare dicta sibi à Confessario, quando eorum reuelatio posset Sacerdoti grauiter nocere. Est communis Doctorum.

Petes *An sigillum confessionis differat à sigillo secreti?*

Sigillum Confessionis differt à sigillo secreti.

Respondeo affirmatiuè. 1. ratione diuersorum ordinum, nam sigillum secreti humani, est ordinis naturalis, sigillum verò confessionis est ordinis supernaturalis. 2. Quia sigillum naturale, est virtutis fidelitatis, & justitiæ, sigillum Confessionis, non solùm istarum virtutum, sed etiam pertinet ad virtutem Religionis, vnde dicitur sacrum. 3. Quia sigillum confessionis est perpetuum, & obligat pro semper, alia secreta aliquando possunt, & debent reuelari, quando occultatio talis secreti, notabiliter nocet, animæ, corpori, honori, rei familiari, Reipub: ita Nauar. *cap. 8. num. 3.* & D. D. *in 4. dist. 21.*

ARTICVLVS VII.

An denunciare Confessarium sollicitantem ad inhonesta, sit contra sigillum?

Respondeo. Non esse contra sigillum: patet, quia Summi Pontifices, dum actum denunciationis præceperunt, respexerunt virtutem religionis, ne injuria Sacramento pœnitentiæ fieret, vel ne odium, in ipsum pœnitentiæ Sacramentum concipiatur, vel ab eo suscipiendo fideles retrahantur. Circa quam denunciationem, refert, & explicat Bullam Gregorii XV. Bonacina *in Tractationibus varijs disput. 6. puncto 3 per totum, vbi multa ex Bulla hac dicit.*

Sollicitante debent denunciari.

Primò dicit, quòd omnes tàm mares, quàm fœminæ tenentur denunciare Confessarium, qui eos ad turpia sollicitare, vel prouocare ten-

tauit, occasione, vel prætextu confessionis. Ratio est, quia Pontifices de omnibus loquuntur, ita Pius V. in Bulla quæ incipit, *Cùm nupèr.* Paulus V. in Bulla, *Dilecte fili edita 1608.* qui præceperunt, vt contra hujusmodi delinquentes, tanquam de hæresi suspectos inquiratur. Gregorius XV. ipsorum constitutiones confirmauit, ampliauit, & extendit ad omnes vbiq; locorum existentes in Bulla, cujus initium est *Vniuersi Dominici gregis*, edita 1622.

Dicit 2. Quòd Confessarius obligatur sub peccato mortali, monere pœnitentem sollicitatum, de obligatione denunciandi Confessarium sollicitantem, alioquin peccabunt mortaliter confessarii, omittentes admonere. Ratio est, præceptum Summi Pontificis in Bulla, vbi dicitur à Gregorio XV. Mandantes omnibus Confessariis &c.

Dicit 3. Quòd ipse pænitens, tenetur sub mortali denunciare sollicitantem confessarium. Ratio est, quia hæc obligatio, præcepta est pœnitentibus à Summis Pontificibus ob salutem animarum, & reuerentiam Sacramenti. Porrò denuncians, non debet propalare suum peccatum, an peccauerit cum sollicitante, nec ne? sed solùm obligatur ad denunciandum sollicitantem. Addit Bonacina ibidem Inquisitores, vel Episcopos, non debere pœnitentes interrogare, an ipsi consenserint, imò si consenserint, non tenentur se prodere, sed negare possunt, cum aliqua in mente restrictione.

Dicit 4. *num. 6.* Quòd obligatio eadem denunciandi, vrget etiam si Confessarius alliciat pœnitentem ad peccandum, siue secum, siue cum tertia persona.

Dicit 5. Quòd hæc obligatio, vrget pœnitentem, vt denunciet Confessarium sollicitantem, siue sollicitauerit in actu confessionis, siue ante, siue post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis, siue absolutio secuta fuerit, siue non, imò etiam extra occasionem Confessionis, si prouocatio fiat in confessionali, seu in loco, vbi confessiones audiuntur, vel vbi Confessarius, simulabat se ibi confessiones audire. ita Bulla Gregorii XV.

Dicit 6. Verbum (*sollicitare*) in hoc loco significat, prouocare, seu allicere, seu precibus rogare, seu alia ratione inuitare ad inhonesta. V. G. osculo, tactu, vel ictu oculorum, aut alio signo ad libidinem prouocare. Ita Bonacina. *num. 2.*

Dicit 7. Hæc obligatio denunciandi Confessarium sollicitantem, obligat

obligat pœnitentem, siue consenserit, prouocationi confessarii, siue non, sufficit enim quòd confessarius tentauerit sollicitare. *num. 4.*

Dicit 8. Quòd Sacerdos sollicitans pœnitentem in confessione, grauibus pœnis sit afficiendus, vt potè pœnâ suspensionis ab exeutione ordinis, pœna priuationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcunq; ac perpetuæ ad illa inhabilitatis, nec non pœnâ priuationis vocis actiuæ, ac passiuæ, si sint Regulares tales sollicitantes, pœna exilii, damnationis ad triremes, vel carceres perpetuos, sine vlla spe gratiæ. Ita Bonacina. *num. 22. Bullæ verba citans.*

Dicit 9. Quòd hæc denunciatio debeat esse ad inquisitores, & Episcopos ordinarios locorum. Puto autem in iis locis, vbi non sunt inquisitores, posse fieri, & omninò debere denunciationem ad Superiores talium Confessariorum.

Dices Hoc crimen per testem singularem, & maximè per fœminam, non potest plenè probari, cum fœminæ non admittantur ad testimonium. *C. Mulierem 33. q. 5.*

Respondeo. Quòd testes singulares probant, quoties crimen aliâ ratione probari non potest. Vnde & fœminæ in quibusdam delictis enormibus admittuntur in judicio, qualis est sollicitatio in Confessione, Ita Bonacina *ibidem num. 25.* & est communis.

ORATIO.

Domine JESV CHRISTE, qui non venisti vocare justos, sed peccatores, illumina nostri intellectus tenebras, vt peccata cognoscamus, & cognita defleamus, & gratiæ tuæ luce perfusi, veram pœnitentiam faciamus, & ea quæ agenda sunt promptè exequamur, & fugienda pro amore tuo declinemus, ne cruciatibus æternis mancipemur, sed iis qua promissa sunt pœnitentibus misericorditer potiamur in cælis.

QVÆSTIO IX.

De Indulgentiis, & Suffragiis.

In tres Sectiones præsens Quæstio diuiditur: in prima quæretur de Indulgentiis. in 2. de Suffragiis. in 3. de Purgatorio.

SECTIO I.

Vtrùm in Ecclesia sint Indulgentiæ, quid sint, & quotuplices?

In præsenti Sectione examinabimus hæc, quæ sequuntur.

1. Vtrum in Ecclesia sit aliquis Spiritualis thesaurus, seu indulgentiæ?
2. Ex quo constat hic thesaurus Spiritualis?
3. Quid sit Indulgentia?
4. Quæ sit causa efficiens Indulgentiarum?
5. Quis sit effectus Indulgentiarum, & quotuplices sint Indulgentiæ?
6. Quæ sit causa finalis Indulgentiarum concessionis?
7. Quæ sit forma concedendi Indulgentias?
8. Quid sit Jubileus, quotuè conditiones requisitæ illius?

ARTICVLVS I.

Vtrùm in Ecclesia sit aliquis Spiritualis thesaurus, seu indulgentiæ?

Negant hæretici Indulgentias.

NOTA. Negant omnes hæretici nostri temporis, Indulgentias, & Lutherus ab hoc Articulo fidei, incepit suam apostasiam à fide Catholica, & à Romana Ecclesia. Caluinus in Comment: in Epistolam priorem ad Corinth: ad illa verba, *Nunquid pro vobis crucifixus est Paulus?* multas calumnias, & blasphemias congerit, contra Indulgentias. Sequuntur mali filii, pessimos parentes. Porrò Catholici vnanimi consensu affirmant esse in Ecclesia thesaurum Spiritualem, seu indulgentias:

DICO Extat in Ecclesia thesaurus Spiritualis, seu Indulgentiæ. *Probatur* 1. ex Sacris literis Matth. 18 dicitur. *Quodcunq; solueris super terram, erit solutum, & in cœlis.* Non dixit Christus Dominus, *Quemcunq; solueris*, sed *Quodcunq; solueris.* Quibus verbis, dedit Petro supremam potestatem in Ecclesia sua, quæ ad actus cælestes se extendit, & inter alios, ad actum concedendi indulgentiam, ac proinde potestas concedendi indulgentias in hoc loco fundatur: Item ex his verbis *Tibi dabo claues Regni cælorum,* colligitur potestas concedendi Indulgentias, per metaphoram enim clauis, suprema potestas Petri & successorum ejus significatur. Deindè vsus Indulgentiarum deducitur ex *2. ad Corinth. 2.* Vbi S. Paulus, illi incestuoso, quem priùs grauiter punierat, concessit indulgentiam alicujus partis, pœnæ debitæ dicens, *Nam & ego quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi.* In quo loco Apostolus, incestuosum absoluit à culpa, & ligauit ad

ad pœnam temporalem, deinde ipsum absoluit ab illa pœna, quæ soluenda remanebat. Ergo hæc remissio, facta fuit coram DEo, & in foro conscientiæ, non autem solùm in foro Ecclesiæ, & ad pacem quandam externam, siue politicam, vt hæretici volunt, sed falsò, quia quòd in Persona Christi fit, ad forum conscientiæ fit, & coram DEo, non enim DEus, dedit suam potestatem hominibus, ad efficiendum effectus humanos, & politicos puros, sed ad efficiendos effectus Supernaturales, & coram DEo. Firmum ergo manet, quod cùm Apostolus dicat se condonâsse illi incestuoso pœnam debitam, ne tristitiâ nimiâ absorberetur, & in gratiam Corinthiorum, & hoc fecisse in Persona Christi, verè coram Christo, & in conscientia Pœnam illam sibi injunctam dimisisse, ita vt pro illa ampliùs nullibi debitor extiterit. Atq; hinc sequitur, quòd quando dicit Apostolus, *Donaui*, gratis relaxâsse illi pœnam debitam, non potuit autem Apostolus ita gratis dimittere, vt respectu DEi aliquid non soluerit, pro illa pœna, quia Diuinæ justitiæ, non satisfactum fuisset: obtulit ergo pro illa pœna debita, merita Christi, & Sanctorum, quæ in thesauro Ecclesiæ sunt. Vnde licet respectu fornicarii, pœna illa fuit gratis dimissa, tamen non fuit absolutè gratis dimissa, sine debita compensatione. Ex hac authoritate, valdè stabilitur auctoritas Prælatorum, in concedendis indulgentiis, quæ authoritas mirè torquet hæreticos, quare Caluinus in Commentariis ad istum locum, legi vult, *in conspectu Christi*, non *in Persona Christi.* Sed Thomas Stapletonus in antidotis ad illum locum, hanc corruptelam Caluini vanam ostendit, quia phrasis, quâ vtitur ibi Apostolus, est eadem, quâ vtitur idem Apostolus *eâdem Epistolâ cap. 4.* illis verbis. *Ad illuminationem sententiæ claritatis DEi in facie JESV CHRISTI.* Vbi Caluinus eo loco, *in facie*, exponit, *in Persona Christi.* Sed Caluinus conscius suæ deprauationis, aliam adinuenit, nimirùm vt Persona Christi, pro misericordia Christi accipiatur. At quis non videat sensum Caluini esse extortum, & peruersum? Persona enim Christi, non pro misericordia, sed pro vice, potestate, & dignitate Christi accipitur, ita vt sensus sit *in Persona Christi*, id est, vice Christi, potestate Christi, & dignitate accepta à Christo.

Locus insignis pro indulgentiis, contra hæreticos.

Hæretici corrumpũt scripturam.

Alia Caluini expositio falsa.

Probatur 2. Ex traditione antiquissima Indulgentiarum, quæ sunt concessæ Ecclesiis Romæ, adhuc ante S. Gregorium Magnum, vt constat ex lib: Actorum Damasi Papæ, vbi dicitur. *Populus Romanus per Cymiteria Martyrum stationes sine clericis celebrabat*, quas Stationes S. Gre-

Ex traditionibus.

S. Gregorius postea, certo sub numero limitauit, & ordinauit, vt patet ex Joanne Diacono *lib. 2. de vita S. Gregorii.*

Ex Conciliis. Probatur 3. Conciliis Nicæno *Canone 11.* Carthag: *4. cap. 75.* Nouissimè in Tridentino Sess. 25. tale decretum est. *Cùm potestas conferendi Indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit, atq; hujusmodi potestate, diuinitùs sibi traditâ, antiquissimis, etiam temporibus illa vsa fuerit, Sacrosancta Synodus Indulgentiarum, vsum, Christiano populo maximè salutarem, & Sacrorum Conciliorum authoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, & præcipit, eosq; anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.*

Ex Patribus. Probatur 4. ex SS. Patribus, Cyprianus *Epistola 30. ait.* Remissionem illam, quæ fieri solebat ad instantiam Martyrum, & appellabatur pax, quæ dabatur lapsis, Cyprianus appellat indulgentiam, & remissionem etiam coram DEo, & dicit esse factam per communicationem Euangelicam, quam supra diximus esse in Ecclesia, juxta illud Symboli, *Communionem Sanctorum.* Ergo illæ remissiones erant indulgentiæ prorsùs in ea significatione, quam nos Catholici, nunc vsurpamus.

Probatur 5. Christus Dominus post Ascensionem suam in cælum, apparens Sancto Francisco, & ab eo rogatus, vt omnes, & singuli ad templum S. MARIÆ Angelorum venientes, atq; Ecclesiam introeuntes, peccatorum omnium, quorum Confessionem Sacerdoti facerent, veniam & indulgentiam plenariam obtinerent, & ab omni culpa, & pœna, liberarentur in cælo, & in terra, quam indulgentiam precibus B. Virginis MARIÆ adjutus, (quæ illi cum CHRISTO Domino, & multitudine Angelorum apparuit) impetrauit, eamq; Saluator Mundi, ore suo benedicto concessit in perpetuum, diemq; ipse istius Indulgentiæ determinauit, nimirum 2. Augusti, & S. Franciscum ad suum Vicarium remisit, Honorium III. vt eam confirmaret, quæ Indulgentia multis miraculis est confirmata, vt refert Lucas Waddingo *in Annalibus Minorum An. Domini 1221.* Et An. 1223. Hanc Indulgentiam calumniantur hæretici, maximè Kemnitius *in 4. parte exam: Concilii Trident.* Sed non sine causa, quoniam per eam tria dogmata Catholica confirmantur, quæ hæretici execrantur. Vnum de Indulgentiis. Aliud de Pontifice maximo, quòd habeat summam potestatem ligandi, & soluendi omnia in cœlo, & in terra, & consequenter indulgentiam concedendi, nam quamuis Christus Dominus ipse ad preces S. Francisci hanc indulgentiam concesserit, tamen non nisi per ministerium sui vicarii, Pontificis Maximi,

Christus Dominus indulgentias concessit.

Cur heretici calumniantur Portiunculam.

xìmi,

ximi, eam voluit obtineri. Tertium est dogma de Confessione, quia non nisi contritis, & confessis, illa indulgentia conceditur, intrantibus in illam Ecclesiam. Modo verò hæc indulgentia, per Bullam Gregorii XV. extensa est ad omnes Ecclesias Fratrum Minorum Regularis, & Strictioris obseruantiæ in perpetuum, pro omnibus fidelibus vtriusq; sexus, pro die 2. Augusti, etiam in Confraternitate S. Francisci non existentibus, quam Bullam, afferam Articulo 7.

Deniq; Probatur cùm Ecclesia Catholica Romana sit Ecclesia vniuersalis, & à Spiritu Sancto regatur, in nullo potest errare, & consequenter neq; in hoc Articulo fidei, de indulgentiis, errare potuisset.

OBJICIUNT 1. hæretici. Remissâ culpâ, nullas restare pœnas luendas. Ergo superfluæ sunt indulgentiæ. Responsum est *Quæst. 6. Sect. 1. art. 1.*

OBJICIUNT 2. DEVS est Supremus judex, & ejus voluntas est immutabilis. Ergo nemo potest auferre, & tollere pœnam, quam ipse DEus pro peccatis statuit, juxta illud Psal. 88. *Si peccauerint visitabo in virga iniquitates eorum,* quam auctoritatem maximè vrget Lutherus *art: 28.*

RESPONDEO. Non esse inconueniens, quòd sit DEus immutabilis, & tamen quandoq; cum hominibus exerceat actus justitiæ, quandoq; misericordiæ; Quando ergo statuit pœnas pro peccatis, si de perpetùo obstinatis loquamur, illæ sunt immutabiles, at loquendo de pœnis statutis à DEo, pro peccatis eorum, qui resipiscere volunt, potest hæc pœna auferri, vel per Sacramenta vel per contritionem, vel per opera pœnalia, vel per indulgentias, quod insinuat Psalmista loco citato. *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo*; quod crassus Lutherus non aduertit. *Deus immutabilis exercet actus justitiæ, & misericordiæ.*

OBJICIUNT 3. Indulgentiis impediuntur bona opera, pœnitentibus imposita. Ergo non sunt vtiles, imò noxiæ. RESPONDEO. Nego Antecedens. Non enim datur indulgentia, vt quicquam boni operis prætermittatur, sed vt molestia pœnarum leuetur, vtq; pœnitentia debita, & subindè propter criminum enormitatem viribus impar, Ecclesiæ thesauro soluatur, & vt opera bona, majori fiduciâ, feruore, & fructu, ab iis qui DEo jam nihil ampliùs pœnarum, aut satisfactionum debent præstentur. *Indulgentiæ non impediunt bona opera.*

OBJICIUNT 4. CHRISTI Domini merita applicantur fidelibus per fidem, & Sacramenta, ad peccatorum remissionem. Ergo non per indulgentias.

RESPONDEO Nego consequentiam; quia non vnico, sed variis modis *Variis mo-*

dis applicantur, & bic meritaChristi. modis applicantur merita Passionis Domini, vt Sacramentis, bonis operibus nostris, & aliorum. Porrò Sacramento pœnitentiæ applicantur ad culpæ condonationem, non autem semper ad remissionem totius pœnæ, nisi peractâ pœnitentiâ, quæ peccatis debetur. Indulgentiis autem applicantur ad satisfactionem hujus pœnitentiæ temporalis.

ARTICVLVS II.

Ex quo constat hic thesaurus Ecclesiæ spiritualis?

Hæreticorum error de indulgentiis. NOTA Hæreticos negare hunc thesaurum spiritualem, esse posse ex meritis Christi Domini, quia dicunt quòd per merita illius simul culpa, & pœna dimittatur, & consequenter nunquam dimitti culpam, sine dimissione pœnæ temporalis, dicunt enim merita Christi Domini ad justificationem nostram prodesse, non ad hoc opus remissionis pœnarum, & satisfactionem, quod appellant sordidum opus, quasi nos vilificemus meritum Christi Domini. ita Lutherus *articulo 17.* à Leone X. condemnato. Et multò minùs volunt merita Sanctorum, nobis ad hoc prodesse, quæ omninò negant.

Thesaurus iste est ex meritis Christi. DICO I. Thesaurus iste spiritualis constat ex satisfactionibus Christi Domini: Est communis Theologorum. D. Subt: *in Quodl: 20. art. 1* Sanct. Bonauent: *in 4. d. 20. p. 2. q. 2.* Palud: *q. 4.* Soto. *dist. 21. q. 1. art. 2.* Suarez. *disp. 51. Sect.* 1. & alii, quos ibi citat. Probatur 1. Ex sacris literis. Ad Eph. 1. vocat merita CHRISTI Domini, *abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate.* Et *cap. 3.* appellat, *inuestigabiles diuitias Christi.* Et hunc thesaurum dicit dispensandum nobis, & pro nobis Sicut igitùr thesaurus materialis fit ex diuitiis materialibus ad vtilitatem illorum, pro quibus dispensatur, ita proportionaliter merita, & gratiæ Christi Domini, quibus Regnum cæleste adipiscimur, meritò dicitur thesaurus Ecclesiæ. Et cùm istæ diuitiæ, facientes thesaurum istum, sint *abundantes, & inuestigabiles*, sequitur necessariò illas nobis prodesse, nedùm ad gratiam consequendam, & culpam delendam, sed etiam ad dimittendam pœnam, & quidem eo modo, quo dispensator diuitiarum hujus thesauri, ab ipso Christo Domino constitutus, judicauerit expedire. *Probatur 2.* Ex Extrauaganti *Vnigenitus de pœnitentia & remiss:* Vbi asserit Pontifex, Christum Dominum in redemptione nostra, voluisse effundere totum sanguinem, cùm vna guttula sufficeret, vt ex eo, in Ecclesia fieret thesaurus, & quoddam velut meritorum ærarium, ære alieno grauatorum, solatium; vt viduæ vasis omnibus repletis, ad debitorum solutionem, stetit oleum, adhuc effluxurum,

xurum, si vasa adfuissent 4. Regum. ita & hic. Probatur 3. Quia meritum Christi Domini fuit infiniti valoris, non ex natura præcisè operum, sed ex acceptatione *Diuina*, id est, sufficiens pro infinitis hominibus, & peccatis Syncategorematicè, & hæc infinitas, non est infinitas simpliciter, sed secundùm quid, juxta D. *Subt*: *in 3. dist. 19. q. vnica*, non verò intrinsecè infinitum, quia cùm meritum consistat, in actu liberè elicito, creatæ voluntatis, de necessitate est Ens limitatum, & creatura, infinitas autem creaturæ repugnat. Vndè nescio quare *Suarez disp. 51. Sect. 1.* dixit, negare D. *Subtilem* Christi Domini meritum infinitum. *Subsumo*. *Sed* merita Christi *Domini* absolutè fuerunt data Ecclesiæ, cùm absumi non potuerint, quia acceptata pro infinitis. Ergo adhuc in Ecclesia extant.

Meritum Christi Domini infinitum.

Dico 2. Iste thesaurus constat etiam ex meritis, & operibus Sanctorum. Probatur 1. ex SS. literis ad Colos: 1. dicit Apostolus. *Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia, cujus factus sum ego minister, secundùm dispensationem DEi.* Ex quo loco habetur, non solùm Christum Dominum, passum esse pro Ecclesia, sed etiam S. Paulum addidisse sua merita, meritis Christi Domini. *Adimpleo ea* inquit *quæ desunt passionum Christi*. Non quòd meritis Christi Domini, aliquid deesset, sed ad majorem Sanctorum perfectionem, & charitatis communicationem, voluit Sanctorum satisfactiones, & merita sua conjungi. Conjunctio ergò hæc satisfactionum, cum satisfactionibus Christi implent thesaurum Ecclesiæ. Confirmatur 2. *ad Corinth. 8.* dicitur. *In præsenti tempore, vestra abundantia, illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.* Vbi hortatur eos, vt suis bonis temporalibus, suppleant inopiam eorum, qui egent, vt participent bonis spiritualibus, qui illorum abundant. Probatur 2. Communicatio suffragiorum esse non potest, nisi adsit thesaurus aliquis, in quo omnia illa constituta sint, & pro necessitate cujusq; educantur. Sed in Ecclesia est communio Sanctorum. Ergo & communis thesaurus.

Thesaurus hic constat ex meritis etiam Sanctorum.

Dices 1. Christi Domini satisfactiones, soluendis omnibus debitis pœnarum, sufficiunt, non est ergò in hoc thesauro opus meritis sanctorum, nisi per ea obscurare velimus, merita Christi Domini.

Merita SS non obscurãt merita Christi Do-

Respondeo Nego consequentiam, non enim ad obscuranda, sed ad illustranda Christi Domini merita, reponuntur satisfactiones sanctorum in hoc thesauro, vt quæ vim omnem suam merendi, & satisfaci-

mini sed illustrant.

faciendi, non à se, sed à meritis Christi Domini accipiunt, qui merita sanctorum suis addi voluit, propter ipsorum Sanctorum, honorem, & sui ipsius. Sicut igitur Sol, non obscuratur lumine lunæ, vel stellarum, sed illustrior redditur, vt potè tam clarus, & lucidus, vt omnibus astris, non solùm lumen aliquod, sed insignem splendorem conferat, per quem etiam has terras illustrent; ita virtus meritorum Christi Domini, ex eo censetur major, quòd vim satisfaciendi etiam Sanctorum operibus tribuat. Porrò gloria Christi Domini est, qui sic mereri voluit, vt non solùm ipse, sed etiam sui filii, pro aliis mereri valerent: ac vt in Ecclesia esset hoc vinculum charitatis, vt vnus alteri prodesset. Infinito ergo ejus merito, fit additio, ex SS. meritis, non intensiuè, quia sic infinito, non potest fieri additio, sed extensiuè, per additionem horum diuersorum meritorum: & hanc esse voluntatem Christi Domini, cognoscimus ex articulo communionis Sanctorum, nobis ab ipso proposito, & imposito.

Infinito merito fit additio extensiuè.

Dices 2. Sanctorum merita, non sunt infinita. Ergo jam exhausta, tam amplis Indulgentiis, quæ à Pontificibus largissimè conceduntur.

Respondet Clemens VI. *in Extrauag. cap. Vnigenitus*, his verbis. *De thesauri hujus consumptione, seu minutione, non est aliquatenùs formidandum, tàm propter infinita Christi Domini merita, quàm pro eo, quòd quantò plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tantò magis accrescit ipsorum cumulus meritorum.* Ex quo occluditur os hæreticis. Tùm quia merita Sanctorum, fundantur in meritis Christi Domini, quæ non prosunt ad redemptionem à culpa, & pœna, vt hæretici blasphemant, sed ad satisfaciendum pro nostris pœnis, supposità redemptione, factâ à Christo Domino, & ordinatione ipsius, vt sic justi juuent apud ipsum peccatores. Tùm quia, non derogant merita Sanctorum, meritis Christi Domini, quia non addimus illa, ex indigentia, & insufficientia illorum, sed quia Christus Dominus voluit, ad nutriendam charitatem in Ecclesia sua inter fideles, vt mutuò sibi subuenirent, & propter honorem ipsorum Sanctorum, quos voluit socios, & judices, aliorum constituere.

Non derogant merita SS. meritis Chrsti.

Dices 3. Potestas concedendi Indulgentias, cùm innitatur virtuti clauium, debet esse absolutio, non satisfactio, seu solutio: Si autem fiat ex hoc thesauro indulgentia, erit translatio operum vnius ad aliud, non absolutio, & sic virtute clauium nihil fieret, quòd est contra sacram scripturam.

Respondeo. Etsi applicatio Indulgentiarum, sit solutio, seu trans-

latio

latio operum, tamen non sequitur, quòd claues nihil efficiant, applicant enim merita Christi Domini, & Sanctorum, & liberant pœnitentem ab obligatione reddendi illam pœnam: & hæc est absolutio pœnarum debitarum, apud Diuinam justitiam.

Petvnt *hic hæretici, vbi est iste thesaurus?* Respondeo. Quòd existat in DEi acceptatione, & præsentia, qui ad hunc effectum acceptauit merita Sanctorum, fundata in meritis Christi Domini; & principaliter ipsa merita Christi Domini; quæ merita agnoscit Ecclesia, non solùm valere pro remittendis pœnis, sed etiam, & præcipuè valere pro remittendis culpis, ex quo agnoscit ipsum Redemptorem, & Dominum suum. *Vbi est thesaurus iste.*

Dices B. Virgo, & omnes Sancti, præmiati sunt ultra condignum juxta illud Luc: 6. *Mensuram bonam, & supereffluentem.* Et juxta illud Apostoli ad Rom. 8. *Non sunt condigna passiones hujus temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Ergo quamuis multa, & maxima merita habeant Sancti, tamen nihil redundat, quod in thesauro Ecclesiæ, reponi possit.

Respondent aliqui vt Suarez *disp. 79. Sect. 9.* Opera Sanctorum mercedem receperunt, vt meritoria, non verò vt satisfactoria seu supererogationis, & hæc posteriora reposita sunt in thesauro Ecclesiæ.

Respondent alii ex D. Subtili *Quodl: 20. a. 1.* Meritum valere alicui tripliciter. Vno modo specialissimè, & sic semper valet oranti, quando est in gratia. Alio modo generalissimè, & sic valet soli Ecclesiæ. Tertio modo valet illi cui per orantem specialiter applicatur, supposità acceptatione Dei. Et sic ad objectionem Respondeo, quòd quoad meritum personale de condigno, & supra condignum remunerati sunt, non tamen remunerati sunt juxta valorem generalem Ecclesiæ, quod est superabundans, & pro tota Ecclesia meritum, quod Sancti applicauerunt nobis, si non actu, saltèm virtute, quatenùs sunt membra Ecclesiæ vniuersalis. *Triplex valor meriti.*

ARTICVLVS III.

Quid sit Indulgentia?

Nota Cùm ad definitionem quidditatiuam requiratur genus, & differentia, est difficultas de genere, & differentia inter Doctores, ex quibus constituitur definitio Indulgentiæ. Quoad genus; Alii dicunt

Indulgentiam esse sub genere absolutionis, seu remissionis, pœnæ temporalis: & hi definiunt Indulgentiam, esse absolutionem, vel remissionem pœnæ temporalis. Ita Armilla. Angelus. in definitione Indulgentiæ. Alii dicunt Indulgentiam esse sub genere solutionis, quia existimant, Indulgentiam, esse solutionem quandam pœnæ debitæ, quæ per se non requirit jurisdictionem, sed æqualem debiti solutionem. ita Palud: *in 4. d. 20. q. 4.* Durad. *q. 3. num. 5.* Siluester *Verbo indulgentia.* Alii dicunt indulgentiam pro viuis, esse per modum absolutionis, pro defunctis verò per modum solutionis. ita Bellarm: *lib. 1. de Indulgentiis cap. 5.* Alii dicunt genus vniuocum indulgentiæ, esse actum Spiritualis jurisdictionis: indulgentia enim pro viuis, & defunctis, est quid vniuocum, non æquiuocum, & ideò sub hoc actu, tanquàm sub genere continetur, vtraq; species Indulgentiæ, ita Suarez *disp. 49. Sect. 4.*

NOTA 2. Quantùm ad differentias, variæ assignantur, juxta varias definitiones, traditas à Doctoribus, sed quæ propriæ, ac specificæ sint, ex hac definitione, quæ mox dabitur elucescet.

Definitio Indulgentiæ pro Viuis.

DICO itaq; 1. Indulgentia Ecclesiastica pro viuis, est relaxatio pœnæ temporalis debitæ, pro peccatis actualibus jam dimissis, quoad culpam, coram DEo, virtute clauium, extra Sacramentum, per applicationem thesauri Ecclesiastici, per modum absolutionis. Explicatur. Dicitur *Relaxatio pœnæ*, quia per Indulgentias homo absoluitur à pœna, quam pro peccatis luere deberet in purgatorio. Dicitur *pœnæ temporalis*, quia non culpa, sed pœna remittitur per indulgentias, non æterna, sed temporalis. Neq; obstat *in Clementina 1. de indulgentiis*, concedi indulgentiam à culpa, & pœna: sensus enim est, per hujusmodi indulgentiam, concedi facultatem eligendi confessarium, qui absolutionem impendat, à quolibet peccato, vt fit in Jubileo, non verò per ipsammet indulgentiam, peccata immediatè deleri. Dicitur, *debitæ pro peccatis actualibus*; quia per indulgentias aufertur pœna sensus, quæ debetur actualibus peccatis, peccato verò originali, non debetur pœna sensus, sed pœna damni, quæ consistit in carentia fruitionis, ac visionis DEi. Dicitur *jam dimissis*, quia per indulgentiam, non potest auferri pœna, nondùm ablatâ culpâ, in qua fundatur pœna. Dicitur, *coram DEo*, ad differentiam erroris, eorum, qui dixerunt indulgentiam Ecclesiasticam, esse remissionem pœnæ temporalis coram Ecclesia. Dicitur *Virtute clauium*, ad differentiam illius pœnæ, quæ in dimissione culpæ, & commutatione pœnæ æternæ, in temporalem fit. Dicitur, *Extra Sacramentum*, ad differen-

Indulgentia à culpa & pœna quid?

tiam relaxationis pœnæ temporalis debitæ peccato, quæ fit in Sacramento pœnitentiæ. Dicitur *per applicationem thesauri Ecclesiastici*, per quod significatur relaxationem istam non esse gratis factam, sed per solutionē compensantem debitum, quæ solutio ex thesauro, præcedenti Articulo explicato, desumitur. Dicitur, *per modum absolutionis*, quia non omnis indulgentia est absolutio, licet omnis indulgentia fiat virtute clauium, & potestatis jurisdictionis, per Prælatos legitimos.

Indulgentia pro defunctis.

DICO 2. Indulgentia pro defunctis, est relaxatio pœnæ temporalis, debitæ pro peccatis dimissis, quoad culpam coram DEo, virtute clauium, extra Sacramentum, ex satisfactionibus Ecclesiæ recompensata, facta per modum suffragij. *Patet ex dictis.*

ARTICVLVS IV.

Quæ sit causa Efficiens Indulgentiarum?

Summus Pōtifex concedit indulgentias jure Diuino.

DICO 1. Solus Summus Pontifex, potest primariò concedere Indulgentias, alii verò quatenùs ipsis conceditur ab ipso. Probatur. Tùm quia facultas distribuendi bona publica, principaliter conuenit Supremo Principi, & vniuersali Ecclesiæ Rectori. Sed talis est Summus Pontifex, vt constat ex primo Articulo. Hinc

COLLIGE Concilium Generale absq; capite, id est absq; Summo Pontifice, non posse Indulgentias concedere: Concilium verò cum capite, id est Pontifice, potest concedere Indulgentias, quia si Papa potest solus concedere indulgentias, nihil impedit, quin etiam idem possit in Concilio, sed tunc non membra; sed caput Ecclesiæ concedet Indulgentias. Putant tamèn multi Doctores, Concilium Generale Sede Apostolicâ vacante, posse jure Diuino Indulgentias concedere, quia hujusmodi Concilium, repræsentat totam Ecclesiam. Ita Corduba *loco citato.* Nauar: *de Indulgentiis Notab. 31.* Henriquez *de Indulgentiis cap. 31.*

Episcopi jure Ecclesiastico indulgentias concedunt.

DICO 2. Episcopi, non habent de jure Diuino, facultatem concedendi Indulgentias, sed jure Ecclesiastico, & ex sedis Apostolicæ priuilegio. Ita Richardus *in 4. d. 20. a. 5. q. 3.* Corduba *loco citato.* Vnde facultas concedendi Indulgentias Episcopis concessa est, cum limitatione, & restrictione, vt patet in Dedicatione Ecclesiæ, in qua Episcopi concedunt Indulgentiam vnius anni, aut aliàs, concedunt solùm Indulgentiam 40. dierum *cap. cum ex eo, de pœnitent: & remiss.* Quare si majores concedat Episcopus sunt irritæ, quoad excessum. Probatur

conclusio. Potestas concedendi Indulgentias fundatur in illo loco Matth. 18. *Tibi dabo claues regni cælorum.* Sed claues immediatè datæ sunt Petro, & à Petro Ecclesiæ, & Prælatis Ecclesiæ, ideò Episcopi accipiunt eam à Successoribus S. Petri. Quarè Episcopi habent potestatem limitatam concedendi Indulgentias, quoad quantitatem, & quoad Personas, quia non nisi suis subditis. Vndè Episcopi non possunt concedere Indulgentias defunctis, nec per modum absolutionis, quia defuncti non sunt subditi Episcopis, sicut nec Summo Pontifici, qui tamen concedit defunctis Indulgentias per modum suffragii, vt patebit Sectione tertia.

Vicarius Episcopi an possit concedere Indulgentias?

COLLIGE Vicarium Generalem, non posse absq; speciali facultate indulgentias concedere, nam actus concedendi Indulgentias, est reseruatus dignitati Episcopali. Ita Corduba *lib. 5. q. 13.* Suarez *disp. 55. sect. 5.* De licentia tamen Episcopi posse; facultas enim, quæ alicui jure ordinario competere potest, potest aliis delegari, nisi adsit in contrarium prohibitio. Ita Sa. *verbo Indulg.* Suarez *loco citato Sect. 6. num. 6.*

DICO 3. Nullus Episcopo inferior, potest Indulgentias concedere, absq; Summi Pontificis licentia. Est communis. Ratio est, quia non habent jurisdictionem, nec à DEo, nec ab Ecclesia. Porrò Cardinal. possunt concedere 100 dierum.

ARTICVLVS, V.

Quis sit effectus Indulgentiarum, & quotuplices sunt Indulgentiæ?

Indulgentiæ non remittunt culpā.

DICO 1. Indulgentiæ non se extendunt ad dimittendam culpam, mortalem, vel venialem, neq; ad pœnam æternam. Quoad mortalem, patet quia hæc dimittitur per Sacramentum Pœnitentiæ, vel per contritionem includentem in voto Confessionem. Vndè formulæ omnes, quibus vtitur Ecclesia in concedendis Indulgentiis, semper explicant, concedi hominibus contritis, vel confessis. Quòd nec culpam venialem dimittant Indulgentiæ constat. Quia indulgentia, est relaxatio pœnæ, non culpæ. Ergo ex natura sua, non extenditur per se loquendo, ad dimissionem culpæ, sed requiritur motus, vel Sacramentum: ita communiter D D. Quòd non dimittatur per indulgentias pœna æterna, patet, quia pœna æterna non relaxatur, nisi cùm relaxatur culpa mortalis. Sed hæc dimittitur per Sacramentum. Ergo & pœna æterna.

Neq; pœnam æternam.

DICO 2.

Dico 2. Per indulgentias remittitur pœna temporalis, debita peccato, culpâ jam dimissâ, nedum injunctâ, sed injungendâ, & hoc apud DEVM. Probatur: Quia S. Petro, generatim data est potestas, soluendi vincula post peccatum relicta. Ergo etiam soluendi hoc, quia nulla in eo apparet incongruitas. *Indulgentiæ remittunt pœnam.*

Dico 3. Per indulgentias, non solùm quis liberatur à pœnitentiis, ipsi injunctis, sed etiam à pœnis, quæ in purgatorio soluendæ iis respondent. Probatur, quia aliàs per eas potiùs obesset lucranti, quàm prodesset, quia liberando eum â pœnitentia, priuaret eum fructu, quem ex opere operato haberet, si eam impleret, & ita efficeret, vt grauissimas pœnas lueret in purgatorio.

Dico 4. Non solùm per indulgentias remittuntur pœnæ, respondentes pœnitentiæ injunctæ, sed quæuis aliæ debitæ, ex peccatis remissis, pro magnitudine Indulgentiarum. Patet, quia sæpè conceduntur indulgentiæ multorum millium annorum. Certum autem est, nulli vnquam talem pœnitentiam imponi. Ergo. Hinc *Quæuis pænæ remittuntur per indulgentias plenarias.*

Collige 1. Quando Pontifex concedit indulgentiam, cum limitatione, V. G. cum hac adjectione de injunctis, indulgentia intelligitur de solis pœnis injunctis in sacramentali absolutione. Quandò verò Papa concedit indulgentiam sine limitatione, V. G. plenariam indulgentiam, vel tot annorum absolutè, tunc se extendit ad injunctas, secundùm proportionatam quantitatem. Ita Nauar *in Com: de Jubileo & indulg: not. 2. num. 13.* Soto *in 4. dist. 21. q. 2. a. 1.* Ratio est, quia indulgentiæ tantùm valent, quantùm sonant. *Indulgentiæ de injunctis.*

Qværes 1. *Quotuplices sunt Indulgentiæ?*

Dico 1. De speciebus Indulgentiarum propriè loquendo, nullam diuisionem Indulgentiarum facere possumus. Ratio est, quia omnes sunt vnius speciei; omnes enim sunt relaxationes pœnæ temporalis, debitæ peccato, coram Deo, dimissâ culpâ. Tùm quia quæ specie differunt, differunt per differentias specificas. Sed hic nullæ sunt differentiæ specificæ. Ergo. *Vnius speciei sunt indulgentiæ.*

Dico 2. Variæ diuisiones afferuntur de indulgentiis, penes effectum ipsarum, qui est remissio pœnæ temporalis, juxta antiquiores Theologos, in rigore tamèn loquendo, duplex est tantùm indulgentia, scilicet totalis, & partialis, seu plenaria, & non plenaria. Hæc diuisio habet fundamentum *in Extrauaganti vnigenitus de pœnitentiis, & remissionibus:* *Penes effectum variæ sunt indulgentiæ.*

Vbi dicitur. *Thesauri Ecclesiastici dispensationem, Petro esse commissam, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis, pro peccatis debitæ applicanda.* Totalis, seu plenaria dicitur, quæ totam pœnam remittit ei, cui applicatur, vnde est æqualis omnibus, quantùm est ex se, licet ex accidenti, minor sit in vno, quàm in alio, nam qui lucratur indulgentiam plenariam, & habet peccata plura, quàm alter, habet majorem indulgentiam ex accidenti. Partialis verò, & non plenaria ea, quæ limitatè conceditur, vt partem aliquam pœnæ remittat, seu tantam, quantam Bullæ exprimunt, vt habetur *c. Hoc ipsum, 33. q. 2.* Et *cap. Accusasti de accusationibus.* Hæc autem partialis, diuiditur in Carenam, Quadragenam, & Septenam. Carena dicitur à carendo cibo, & potu, is enim cui Carena injungebatur, juxta Canones ducebat vitam in pane, & aqua per 40. dies, vt Glossa interpretatur *cap. Accusasti citato.* Quadragena dicitur Indulgentia, quâ remittitur pœna, respondens pœnitentiæ quadraginta dierum, vide Cordub. *lib. 5. q. 9.* Bonacinam *disp. de Indulgentiis q. 1. puncto 2.* Hinc

Plenaria indulgentia. *Partialis indulgentia.* *Carena.* *Quadragena.*

Colligε Quando Indulgentia in Bullis conceditur septem annorum, vel quadraginta dierum, sensus est, remitti tantam pœnam peccatis debitam, quanta deleretur, per pœnitentiam septem annorum, vel quadraginta dierum juxta Canones assignata; quia in ipsa forma indulgentiarum, non dicitur Relaxamus tot annos pœnæ, sed pœnitentiæ. Ita Palud. *in 4. d. 20. q. 4. art. 1.* Sotus *q. 21.* Bonacina *loco citato.*

Septem annorũ quid?

Dico 3. Diuiduntur rursùs indulgentiæ, in personales, locales, & reales; Personalis est illa, quæ directè conceditur Personis, ita vt talis fauor inhæreat ipsi personæ, vt illam secum deferat, quocunq; pergat, vt sunt Indulgentiæ concessæ Religiosis personis, & confraternitatibus à Sede Apostolica confirmatis, & variis Indulgentiis dotatis.

Personalis Indulgentia

Indulgentia localis, est quæ inhæret alicui loco stabili, & firmô, in ordine ad personas, in tali loco orantes, vel aliquod opus pium exercentes, vt Indulgentiæ concessæ Ecclesiis Romæ, & Ecclesiis Ordinis Minorum in festis Sanctorum Patronorum Canonizatorum, concessæ sunt Indulgentiæ plenariæ & multis aliis temporibus, vt refert Hieronymus à Sorbo *in Compendio Priuilegiorum.* Indulgentia realis, est idem, quòd localis, solùm differt ab ea, quòd hæc conceditur alicui mobili rei, in ordine ad homines; cujusmodi indulgentiæ, sunt concessæ imaginibus, granis, rosariis, metallis &c.

Indulgentia localis. *Realis indulgentia.*

Qværes II. *Qualis dispositio requiratur in recipiente Indulgentias?*

Dico 1.

Ad Indulgentiam requiritur fides.

Dico 1. Requiritur fides. Patet. Tùm quia concessio Indulgentiarum, est actus jurisdictionis, actus autem jurisdictionis, exerceri non potest in eos, qui non sunt fideles. Tùm quia Indulgentiæ, fundantur in articulo communionis Sanctorum, qui autem sunt extra Ecclesiam, non possunt participare communionem Sanctorum, quia sunt membra præcisa, & mortua. Ex quo patet, hæreticos, & apostatas à fide, non esse capaces indulgentiæ, quomodò enim illi influxum Ecclesiæ percipient, qui non sunt conjuncti, & vniti Ecelesiæ per fidem, quæ est primum vinculum, quô Ecclesiæ membra connectuntur. Ex quo itidem sequitur, quòd indulgentiæ, non prosint excommunicatis, quia effectus excommunicationis est, priuatio communium Ecclesiæ suffragiorum, vt patebit *sequenti Q. Sect. 2. a. 5.*

In susceptore indulgentia requiritur gratia.

Dico 2. In susceptore Indulgentiarum, requiritur gratia habitualis, maximè in illo puncto temporis, quô indulgentia consumatur, & effectus illius confertur. Ratio est, Tùm quia de Regulis juris in 6. dicitur. *Venia non datur, nisi correcto.* Tùm quia non potest remitti pœna, nondùm remissâ culpâ mortali. Hinc

Falsa opinio tribuitur D. Subtili.

Colliges. Falsò attribui D. Subtili, quòd non requiratur gratia in susceptore Indulgentiarum, ex eo fundamento, quia tenet *in 4. d. 15. q. 1. a. 4.* hominem existentem in peccato mortali, posse satisfacere pro pœnitentia sibi imposita, pro peccatis sibi dimissis, quoad culpam. Sed ex hoc fundamento, hoc quod ipsi tribuunt D. non deducitur; magna enim est differentia, inter solutionem pœnæ, quam quis facit, adimplendo pœnitentiam Sacramentalem, & inter solutionem pœnæ, quam quis facit ad lucrandam Indulgentiam, quia in prima, in rigore loquendo, solùm requiritur justitia, vt visum est *Q. 6. Sect. 3. art. 3.* at in posteriore, supponitur reconciliatio, & amicitia cum DEo, quia DEus suos fauores, & gratias, ad deletionem pœnæ, non communicat inimicis.

Prærequisita omnia facienda.

Dico 3. Necesse est, vt susceptor Indulgentiarum, præstet ea omnia, quæ præscripta sunt à Superiore, concedente Indulgentias. Ratio est, quia Superior concedit Indulgentiam, sub conditione talis operis.

ARTICVLVS VI.

Quæ sit causa finalis Indulgentiarum concessionis?

Causa requiritur ad indulgenti-

Dico 1. Ad concedendas indulgentias, necessaria est causa; Patet, quia nullæ indulgentiæ conceduntur, sine dispensatione thesauri Ecclesiastici, vt patet. Sed dispensatio facta sine causa, ab eo, qui non

am conce-dendam. est dominus, sed merus dispensator, (qualis est Pontifex respectu illius thesauri) est invalida. Ergo concessio Indulgentiarum, fit invalidè, si absit justa causa. Constat *ex cap. vnigenitus, de pœnit: & remissionib:* Et ex *cap. Cùm ex eo.*

Ex quo est justa causa pro indulgentiis.

DICO 2. Proportio, siue justa causa,ob quam Indulgentiæ conceduntur,spectanda est. Primò ex fine,ob quem conceduntur, qualis est promotio cultus DEi, vel Sanctorum, propagatio fidei, hostium Ecclesiæ subactio,vel conuersio,major Ecclesiæ Apostolicæ reuerentia,nam ad honoré, & quoddam externum DEi bonum spectat,si ipsius, siue Ecclesiæ thesaurus expendatur,ad res hujusmodi promouendas. Secùndo. Ex proportione,& vtilitate,quam concessio indulgentiarum,opusuè ad illas lucrandas requisitum, habent ad dictos fines consequendos. Aduerte tamèn hic,non requiri,vt opus injunctum,sit per se sufficiens, pro pœnis remittendis, quia sic nulla esset liberalis remissio,quam supponimus esse,sed sufficit, vt sit justa occasio,ob talem finem remittendi tantas pœnas. Addo posse Pontificem Indulgentias absolutè concedere,nullum opus requirendo: V. G. si defuncto benè de Ecclesia merito, indulgentiam concedat, vt alios hoc pacto, trahat ad consimilia merita. Ita Corduba *q. 6. & q. 22. de Indulgentiis.* Bonacina *loco citato puncto 4.* Hinc

COLLIGE Indulgentiæ conferunt omnem remissionem, quam exprimunt,si modò sit legitima potestas in conferente,causa proportionata, & legitima dispositio.

ARTICVLVS VII.

Quænam sit forma concedendi Indulgentias?

Forma indulgentiarum.

NOTA Duobus modis conceditur à Papa Indulgentia. Aliquando enim concedit Papa indulgentiam,eò ipso,quòd ipse fecerit tale, vel tale opus,& sit in gratia,habeat V. G. plenariam Indulgentiam; & hæc Indulgentia dicitur ipso jure,seu facto concessa. Aliquandò Pontifex, non concedit ipse indulgentiam, sed concedit alteri facultatem, vt tali tempore, possit absolui ab omni culpa,& pœna, V. G. quandò conceditur alicui plenaria Indulgentia in articulo mortis. Isti modi sunt diuersi, quia in priori, non requiritur actus alterius hominis,vt indulgentia effectum suum sortiatur,præter ipsam concessionem Papæ; in secundo verò modo, requiritur etiam actus alterius hominis,præter primariam concesionem Papæ.

DICO I.

Dico 1. In primo modo concedendi Indulgentias, non requiritur alia forma, præter eam, quæ habetur in concessione Indulgentiæ, quæ diligentèr est obseruanda, quia juxta significationem verborum est valor. Obseruandum est, quandoq; cum concessione Indulgentiæ, concedi etiam alios fauores, & gratias, vt fit in concessione Jubilei, vbi non solùm conceditur indulgentia, sed etiam conceditur facultas, vt posint à culpis reseruatis, & censuris absolui, ab illis, à quibus Pontifex in forma Jubilei concedit.

Dico 2. Loquendo de forma concesionis indulgentiæ posteriori modo, seruanda est hæc forma. *Concedo tibi V. G. plenariam indulgentiam.* Addunt aliqui Doctores vt Suarez *disp. 56. Sect. 1.* multos alios citans, neq; hæc verba, (*Concedo tibi plenariam indulgentiam,*) esse necessaria, sed satis esse, quòd determinatio materiæ, à qua quis absoluitur, & quantitas ejus, mente concipiatur, & intendatur simul cum aliis circumstantiis, sicut est relatio ad indultum, etiamsi in forma non exprimatur. Ex quo Colligitur, quòd cùm quis in Articulo mortis absoluitur, à peccatis per confesionem Sacramentalem per idem verbum *Absoluo*, quô absoluit à peccatis, posse etiam illi applicare indulgentiam, & eum liberare à pœna, quæ per indulgentiam relaxatur. Ratio est, quia verbum *absoluo*, potest esse commune ad peccata, & ad pœnas debitas peccatis, ideò sufficit intentio in Sacerdote, absoluendi eum â peccatorum culpis sacramentaliter, & à pœnis temporalibus debitis, per indulgentias concesis. *Intentio sufficit absoluendi à culpa & à pœna.*

Quæres. *Vtrùm forma Indulgentiæ, tantùm valeat, quantùm sonet, & quamdiù durent Indulgentiæ?*

Quantùm ad valorem. Dico Indulgentia, seu forma indulgentiæ, confert suscipienti totum illum effectum, quem ipsa forma ex vi significationis verborum promittit. Ita Sanctus Bonauentura *in 4. d. 20. p. 2. art: 1. q. 4.* Richardus, Albertus *ibidem.* Suarez *disp. 54. & alij.* Probatur. Quia omnis Indulgentia confert suum effectum, quando adsunt tres conditiones, potestas in concedente, dispositio in recipiente, & pia, ac justa causa. Vide Cordubam *lib. 5. q. 23. in principio.* Hinc *Indulgentiæ ita valent, vt sonant.*

Collige 1. Moriens acceptâ indulgentiâ plenariâ, statim in cælum euolat.

Collige 2. Eum qui alienam habet coronam, vel granum benedictum posse illam indulgentiam consequi, quæ illis rebus est affixa. Ita Pinellus *de indulg. c. 11.*

COLLIGE 3. Vno, & eodem actu, seu eadem oratione posse nos consequi indulgentias, diuersis viis concessas, affirmat Corduba *q.35.* Emmanuel *Sa verbo Indulg. num.18.* negat verò Gabriel *in 4. dist. 45. q. 3.* Suarez *disp. 52. sect. 8. num. 10.* Mihi dicendum videtur standum esse intentioni concedentis indulgentias, intentionem autem esse concedentis, vt pro qualibet Indulgentia consequenda, singuli actus, & singula opera præstentur. Ratio est, quia sicut ad indulgentiam vnam lucrandam, requiritur opus semel factum, ita ad Indulgentiam duplam, requiritur opus repetitum, seu duplicatum. Excipe, nisi tale opus sit, quod eodem die repeti non possit.

Vno & eodem tempore diuersis actibus diuersæ indulgentiæ lucrari possunt.

COLLIGE 4. Potest aliquis vno, & eodem tempore, diuersis actibus (V. G. missam audiendo, & horas canonicas recitando) consequi plures indulgentias, concessas Missam audientibus, & horas Canonicas recitantibus, quia vnus actus, non impedit alium. Ita Bonacina *de Indulg. disp. 6. q. 1. puncto 5. num. 32.*

COLLIGE 5. Ille qui non est consecutus indulgentiam, propter aliquem actum omissum, vel non modo præscripto absolutum, potest iterum actum præscriptum facere ad consequendam indulgentiam, modò non sit elapsum tempus, ad consequendam indulgentiam. *Ita idem ibidem num. 33.*

Quamdiu indulgentiæ durant.

Quantùm ad durationem. DICO. Indulgentiæ tam diù durant, quamdiù concedens eas durare voluerit, & non vltra. V. G. si in perpetuum concessæ, in perpetuum durant, si ad tempus, ad tempus. Ratio est, quia gratia dependet à voluntate concedentis, ipsiusq; voluntatis verbis expressam, non excedit, & actus agentium, non operatur vltra intentionem ipsorum. Quarè indulgentiæ concessæ indefinitè, sine limitatione formali, vel virtuali, intelliguntur perpetuæ: ita communiter Theologi *in 4. dist. 20.* Per mortem concedentis non extinguuntur Indulgentiæ.

COLLIGE. Per Jubileum suspenduntur omnes indulgentiæ plenariæ, tantùm exceptâ Indulgentiâ *Portiunculæ* Assissii, per bullam Vrbani VIII. quam refert Lucas Waddingo in Annalibus, *Anno Domini 1223. num. 5.* Puto tamèn quòd hæc exemptio tempore Iubilei, ad illum solùm locum extendatur, S. MARIÆ Angelorum, Assisii, non verò ad alios Conuentus Fratrum, ad quos, extensa est hæc eadem plenaria Indulgentia, pro die 2. Augusti, per Bullam Gregorii XV. circà quam Indulgentiam multa dubia exoriebantur, imò, & publicè in Concioni-

Vbi est Indulgentia portiuncula.

bus,

bus, à quibusdam prædicabatur, hic, & non alibi esse hanc indulgentiam. Quare hanc Bullam inserendam esse hic, non abs re arbitratus sum, vt quiuis cognoscat, vbi hæc indulgentia sit.

GREGORIVS PAPA XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Splendor paternæ gloriæ, qui suâ mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementissima ejus Majestate sperantium, tunc præcipuè benigno fauore prosequitur, cùm deuota ipsorum humilitas, Sanctorum precibus, & meritis adjuuatur. Volentes igitur omnes, & singulas Ecclesias, Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de obseruantia, etiam Reformatorum, vbiq; existentes, aliquo spirituali munere illustrare, de Omnipotentis DEI misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, Omnibus vtriusq; sexus Christi fidelibus, verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacra communione refectis, qui aliquam ex dictis Ecclesiis, in secunda die Mensis Augusti, à primis vesperis vsq; ad occasum Solis, diei hujusmodi, singulis annis deuotè visitauerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad DEum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, misericorditèr in Domino concedimus. Præsentibus, perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eadem fides prorsùs adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. MARIAM Majorem, sub annulo piscatoris die IV. July M. DC. XXII. Pontificatus nostri, Anno Secundo. Bulla Gregorij XV.

QVÆRES *An translato festo transferantur Indulgentiæ?*

Negat Azor *tom. 2. Moral. Inst. lib. 1. cap. 28. q. 8.* Affirmat Syluius V. *Indulgent. 2. §. Si autem.* Maximè si cum officio transferatur etiam festum, & in concessione non fiat mentio diei mensis, sed solùm festiuitatis, tunc cum festo translato transfertur Indulgentia, quia tunc est dies festus alicujus Sancti, cum ejus officium, & festum celebratur.

Addo Fratres Minimi transferunt festum cum Indulgentia post Pascha S. Francisci per priuilegium. Ergò & hoc priuilegio alii Mendicantes vti possunt.

AR-

ARTICVLVS, VIII.

Quid sit Jubileus, quotuè conditiones illius?

Iubileus vnde dictus.

Nota 1. Jubileus secundùm nominis significationem, non est aliud, quàm annus remissionis, Leuitici *cap. 25. Ipse enim est Jobel, vel Jobeleus.* Jobel idem est, quod annus afferens omnia bona, & reducens quemq; in pristinam libertatem, & hæreditatem; ita Serarius, Ribera, & alii. Cajetan: Jobel deducit à Jebel, id est, germen, ita vt annus Jobel, idem sit, quod annus germinans omne bonum. Jobel ergò significat remissionem, seu annum, quo plenaria fiebat remissio, qui annus erat quinquagesimus. Deniq; Jobel significat buccinam, vel potiùs clangorem buccinæ, quæ festiuè eo anno personabat, vndè Jubilum, & jubilare latinum deductum est, teste Eugubino. Erant autem illæ buccinæ, non argenteæ, sed corneæ, ex cornu bubulo. Nunc Jubileus vsurpatur ad significandum annum illum, in quo maximæ indulgentiæ conceduntur, qui fuit priùs centesimus, tempore Bonifacii VIII. postea Clemens VI. clementèr consideratis vitæ humanæ breuibus terminis, concessit singulis annorum quinquagenis, tandem Paulus II. cujus Pontificatus cæpit, anno 1364. intelligens paucis contingere quinquagesimum ætatis annum, vt plures immenso, illo Jubilei anno, bono fruerentur, ad 25. annos reduxit Jubileum. Tamèn occurente aliquâ necessitate, solet extraordinariè concedi Iubileus, ad instar horum ordinariorum,

Quid sit Jubileus modo.

Differentia inter Jubileum & indulgentiam plenariam.

Nota 2. Differunt Iubileus, & plenaria Indulgentia, siquidem Iubileus continet plenariam indulgentiam, & aliquid aliud, nimirùm præter ablationem pœnarum debitarum pro peccatis, & relictarum post remissionem culparum, quod facit plenaria indulgentia, importat plures fauores in foro conscientiæ, nimirùm facultatem supra casus reseruatos, etiam Bullæ Cœnæ Domini excepta hæresi, ab hac enim ordinariè non conceditur facultas absoluendi in jubileo, vt dicam *Q. 10. Sect. 1. art. 1* deindè supra vota omnia dispensatio conceditur, confessariis approbatis, exceptis votis Religionis, & castitatis; deniq; & supra juramenta, quod in indulgentiis plenariis, non conceditur. Quare concionatores debent abstinere à nomine Iubilei, dum Indulgentias promulgant, ne simpliciores decipiantur, & credant, omnia, quæ Iubileus complectitur concedi; nisi priuilegia ipsa, talem indulgentiam alicui confraternitati per modum Iubilei concesserint, sicut in confraternitate S. Annæ, Sixtus V. concessit facultatem absoluendi ab omnibus casibus etiam Sedi Apostolicæ reseruatis,

natis, (excepta hæresi,) ipso die ingressus in confraternitatem, & semel in vita, & in articulo mortis, vt constat ex Bulla.

Dico 1. Iubileus est indulgentia plenaria, omnium pœnarum pro peccatis debitarum, cum fauore absoluendi ab omnibus peccatis, & censuris, vt constat ex Notandis. *Definitio Jubilei.* Vocatur verò hæc Indulgentia Iubileus ob similitudinem illius Iubilei in veteri testamento. *Cur vocatur Jubileus* Quia sicut ille cum sono buccinæ, solebat pronunciari, sic hic voce Apostolicâ pronunciatur, & à tot prædicatoribus denunciatur. *Fructus Jubilei.* Tùm sicut in illo jubileo cessabat labor arandi prædia, sic in hac indulgentia, cessat labor noster, & satisfactiones pro peccatis debitæ, & subrogantur pro illis merita Christi Domini, & Sanctorum. Tùm quia sicut in illo Iubileo remittebantur omnia debita temporalia, ita in hoc nostro remittuntur debita spiritualia. *Leuitici cap. 25.* Tùm quia sicut in illo dabatur libertas corporalis, ita in nostro spiritualis. Tùm quia in illo recuperabantur possessiones terrenæ, in hoc verò recuperantur virtutes, & merita, mortificata per peccatum, sine vllo pretio, aut compensatione propria peccatorum. Tùm quia in eo serui manu mittebantur, & fiebant liberi, ita in hoc exules à cælo, reuocantur ad patriam cælestem, cum gaudio, & lætitia. *Anagogicè Jubileus quid?* Anagogicè Jubileus significat æternam illam quietem. Primò quia omnes quiq; labore vacabunt, nam DEi laus, & visio, jucundum Beatorum negotium erit. 2. Clangent buccina, quia ob consummatam victoriam, per omnes vicos cæli juge halleluja cantabitur. 4. Reuertentur ad primam possessionem, id est ad paradisum, ex quo cum primo parente ejecti sunt, acceptâ jam plenâ peccatorum remissione. 5. Non seretur terra, quia tunc nulla erit nouorum meritorum satio, sed veterùm fructu suauissimè perfruentur.

Dico 2. Ad consequendum Jubileum, sex conditiones requiruntur, *Requisita Iubilei.* nimirùm Ecclesiæ visitatio, oratio, jejunium, Eleemosyna, Confessio, & communio. Circa quas conditiones.

Nota 1. Non requirit conditio Iubilei, vt omnes actiones enumeratæ impleantur in statu gratiæ, (optimè tamen faciet, vt rem talem aggressurus, recolligat se, compungatur, & proponat in gratiam DEi redire) sufficit enim, quòd principale, nempè communio, & vltimum opus, si quod post communionem restaret faciendum, fiat in gratia, ita communiter DD.

Nota 2. Ordo inter hæc bona opera, non est de necessitate, optimum tamen est, vt communio vltimo loco fiat. Porrò opera illa, quæ alli-

gantur certis diebus, vt jejunium feriæ quartæ, sextæ, & sabbato, non possunt ad alium diem transferri, aut præueniri, neq; per alium quemq; compleri. Ita Rod. noster *cap.* 183. *num.* 3. cætera verò opera possunt fieri quocunq; die.

Opera quâ hebdomadâ præstanda. Nota 3. Istæ omnes conditiones, prærequisitæ ad lucrandum jubileum, tutiùs, & securiùs est, vt expleantur intra vnam septimanam, quàm, vt aliqua præstentur in prima, & aliqua in secunda hebdomada. Ratio est, quia hoc est conformiùs Bullæ Jubilei: ita Henriquez *lib.* 7 *de Indulgent: cap.* 11. *n.* 2. Sanchez. *in opere morali lib.* 4. *cap.* 54. *num.* 28. Sanctarellus *de Jubileo cap.* 7. *dub.* 1. Bonacina *de Pœnit: disp.* 6. *q.* 1. *puncto* 5 *num.* 34. dicit hanc opinionem esse consulendam; tùm quia est tutior; tùm quia graues Doctores, eam sequuntur. Tùm quia in materia indulgentiarum, non prodest opinio probabilis, ad consequendam indulgentiam, si veritas sit in oppositum. Oppositam tamen opinionem dicit probabiliter sustineri posse, quòd non necessariò præstanda sunt omnia opera in vna hebdomada, sed sufficit quòd in prima, vel secunda fiant, & maximè hoc verum est, si necessitas id exigat, & rationabilis causa suadeat: ita Nauar. *orat: miscel:* 95 Rodericus indicat *in summa p.* 1. *c.* 184. *num.* 14. Explicantur prædictæ conditiones.

Ecclesiæ visitatio. *Ecclesiæ Visitatio*, id est, tot debent visitari Ecclesiæ, quot assignantur, & totidem diebus, quot sunt assignati. Vnde qui non poterunt adesse processioni, debent visitare Ecclesias illas, distinctis diebus, non enim possunt fieri in eodem die omnes visitationes Ecclesiarum assignatarum, sed diuersis diebus. Ita Rodericus *loco citato num.* 5.

Oratio. Deinde debet fieri *Oratio*, quæ potest fieri ad libitum, siue recitando Orationes Dominicas, cum salutationibus Angelicis, vel psalmos aliquot, vel Litanias, dummodò oratio illa applicetur illis, pro quibus fieri mandatur vt pro Exaltatione Ecclesiæ, Hæresum extirpatione, Principum Christianorum concordia, & specialiter pro necessitatibus in Bulla expressis.

Eleemosyna. 3. *Eleemosyna*, quæ danda est, secundùm arbitrium dantis, monet tamèn Rodericus, ne diues pro lucrando Jubileo contentus sit dare Eleemosynam talem, qualem pauper. Similiter monet Roder: *n.* 3. vt Eleemosyna detur tribus diebus. *Jejunium.* 4 *Jejunium* quod debet fieri istis, & tot diebus, quot præscribitur in Bulla, nimirùm feria 4 feria 6. & Sabbato. Aduerte hic quod non valentes Ecclesias visitare, vt sunt Moniales in clausura, vel in carceribus detenti, vel infirmi, istis debet subrogari per commutationem aliud opus pium, per Confessarium, V. G. vt orationem, vel jejunium

nium faciant, certis diebus, tot, quot visitaturi Ecclesias erant. Similitèr, qui non possunt Eleemosynam dare, vt Religiosi, vel pauperes, istis à Confessariis, assignandum est, opus æquiualens. Idem dicendum de non potente jejunare, quæ commutatio omninò est facienda, aliâs non lucrabitur Jubileus. Ita Rodericus *num. 9. & 10. & communiter DD.*

5. Requiritur Confessio, quæ debet fieri Sacerdoti approbato ab Ordinario, quæ Confessio debet fieri intrà Jubileum, etiamsi aliquis non impleat omnes conditiones præscriptas, ante confessionem. Hinc *Confessio.*

Collige 1. Qui infra tempus Jubilei confitetur, animo suscipiendi Jubileum, & posteà mutat animum post confessionem, nolens jejunare, & alia prærequisita implere, talis non consequitur jubileum, validè tamen est absolutus à reseruatis, & relaxatio votorum facta, valida est, peccat tamen grauiter, non implens alia opera necessaria ad jubilei consecutionem, si absq; justa causa facit, quia videtur in fraudem jubilei facere. Cæterum si dùm confitebatur, non habuit animum continuandi illas actiones, tunc decepit confessorem, & grauiter peccauit, & absolutio ejus inualida, & reseruatio casuum, non est ablata. ita Henriq. *lib. 6. cap. 16. num. 5.* *An in Jubileo confessus absoluitur à reseruatis.*

Collige 2. Qui in jubileo confessus est bonâ fide, sed inculpabiliter oblitus est peccatũ aliquod reseruatum manifestare illud, jam amittit reseruationem. Censura verò si annexa fuit, directè sublata est, quamuis post confessionem bonâ intentione factam, mutato animo, noluerit suâ culpâ, obtinere jubileum. Ita Rodericus. *num. 9.* Sanchez *lib. 4. Moral. cap. 54. num. 36. & 39.*

Collige 3. Si quis ad finem jubilei accedat, facturus meritò longam confessionem, quia fortè vix aliquando integrè confessus est præ pudore &c. aut habeat multos casus, qui indigent multa deliberatione, & confessarius præ angustia temporis, non potest eum tunc integrè audire, potest eum intra tempus Jubilei absoluere à censuris, & tollere reseruationem casuum, quos habet, & differre absolutionem à peccatis in sequens tempus. Ita Sanchez *num. 33.* Rodericus *num. 12.* Henriquez *lib. 7. cap. 11. num. 3. & 4.* *Nota diligenter.*

Collige 4. Qui tempore Iubilei, cæpit confiteri elapso eo, potest absolui, ita citati Doctores.

Deniq; in Iubileo præscribitur *Communio*, quæ tunc à quocunq; potest ministrari, nisi incidat in tempus Paschale, tunc enim vel à proprio parocho sumenda est, vel licentia petenda.

PETES 1. *Si quis sub tempus jubilei, hebdomada ad id electa aliquoties inciderit in casum reseruatum, vel Censuram, possit toties absolui durante jubileo?* Responsum est ad hoc *Q. 8. Sect. 6. art. 8.* vtramq; opinionem esse probabilem.

PETES 2. *An Iubileus semel susceptus, ampliùs iterari non possit?*

Semel tantùm lucratur jubileum.

RESPONDENT Doctores quòd non. Palud. *in 4. dist. 20. q. 4. a. 1.* Corduba. *q. 30.* Sanchez *cap. 54. num. 29.* Ratio est, quia hæc est intentio concedentis, & talis est praxis, quæ est optima harum concessionum interpres.

COLLIGE Qui legitimè fuit impeditus primis duabus hebdomadis, potest jubileum consequi transactis illis, seruatis conditionibus præscriptis.

SECTIO II.

De Suffragiis.

Præsentem Sectionem in tres Articulos diuidemus.

In 1. Quæremus. An fideles possint se inuicèm per suffragia juuare?

In 2. Quæ conditiones requirantur in eo, qui suffragia offert, in eo, pro quo suffragia offeruntur?

In 3. Qualis gratia, seu qualis fructus conferatur iis, qui à Prælato alicujus ordinis, admittuntur in communionem bonorum operum, ac meritorum, totius Religiosæ congregationis?

ARTICVLVS I.

An fideles possint se invicèm per suffragia juuare?

Suffragium.

NOTA 1. Suffragium juxta D. Subt; *in quodl. 20.* & alios Theologos *in 4. dist. 20. & 21.* est auxilium quoddam, quod vnus fidelis præbet alteri fideli, ad obtinendam à DEo remissionem pœnæ temporalis, debitæ peccatis, vel ad obtinendum aliquid aliud hujusmodi. Triplex autem est suffragium, quod potest vnus alteri communicare, & per quod potest illum juuare: nimirùm Indulgentiæ, de quibus præcedenti fusè Sect. egimus. Aliud est Sacrificium Missæ, de quo in disputatione de Eucharistia in fine dicetur. Tertium sunt operationes pœnales, & satisfactoriæ, vt orationes, jejunia, &c. de his hîc.

NOTA 2. Controuersia est inter Doctores, quomodo suffragia prosint aliis. An per modum solùm impetrationis, an etiam per modum

dum satisfactionis, quod veriùs, & probabiliùs sit, conclusione 2. resolvetur.

Dico 1. Fideles possunt se juuare inuicem, per suffragia. Probatur 1. ex SS. literis. Jacobi 5. dicitur. *Orate pro inuicem vt saluemini.* Ad Rom. 15. *Obsecro ergo vos fratres per Dominum JESVM Christum, & charitatem Spiritus Sancti, vt adjuuetis me in orationibus vestris.* Probatur 2. ex Symbolo Apostolorum, vbi dicitur, *Credo Sanctorum communionem.* Et sensus est, inter eos fideles, qui sunt viva Christi membra, per gratiam gratum facientem esse communicationem aliquam in bonis operibus, quatenùs vnusquisq; suis bonis actionibus, alios juuare potest: quia homines justi, sunt membra vnius corporis Ecclesiæ, sub vero capite Christi, vnita principalitèr per charitatem, sicut autem vnum membrum, alteri præbet auxilium, ita potest vir justus, alteri opem ferre per suffragia. *Fideles juuant se per suffragia.*

Dico 2. Fideles possunt suffragari aliis, nedùm per modum impetrationis, & meriti de congruo, sed etiam per modum satisfactionis. Patet ex D. Subtili *Quodl: 20. art. 1.* vbi dicit quod in opere meritorio, quod aliquis facit pro alio, est triplex meritum, scilicet Personæ operantis, deinde pro Ecclesia, tandem meritum illius, pro quo orat, vel cui applicat. Meritum operantis, non potest alteri communicari, quia fieret contra rectum ordinem charitatis, ideò siue illud meritum sit ratione beatitudinis consequendæ, siue pœnæ debitæ soluendæ, nũquam illud amittitur operanti, nec alteri communicatur, sed communicatur solùm gradus meriti tertius, & secundus, qui tanti valoris, meriti, & satisfactionis est, quanta intensio est actus, & charitatis, quæ inest operanti. Confirmatur Si enim opera bona, sunt meritoria pro aliis, necessariò sequitur, quòd sint satisfactoria pro illis, quia meritum est pretium, quô vita æterna comparatur, & pœna soluitur. Ergo potest esse satisfactorium pro aliis, si est meritum pro aliis. Hinc *Fideles juuant se etiam per modum satisfactionis.* *In opere meritorio triplex gradus.* *Meritum est pretium.*

Collige Hanc satisfactionem pro alio, esse de justitia, & de condigno ex acceptatione Diuina, quia si DEus ordinauit communionem Sanctorum in Ecclesia, certè sequitur in casu, quô hæc communio per suffragia fiat, DEum teneri ad illam acceptandam, alioquin statutum, & lex illa communicationis meritorum, esset frustra, quod non est dicendum.

ARTICVLVS II.

Quæ conditiones requirantur in eo qui suffragia offert, & in eo pro quo suffragia offeruntur?

Offerentis conditiones. Intentio.

Quoad offerentem. Dico In persona offerente suffragia, hæ conditiones requiruntur. Primò vt offerens habeat intentionem offerendi pro eo, cui prodest. Ratio est, quia voluntas est domina actuum suorum, ideò, nisi ipsa ea alteri donet, procul dubiò sibi manent. Necessaria est ergo intentio, vt tale opus pœnale applicetur, & valeat pro eo, cui offertur. Ex quo sequitur Suffragium oblatum pro pluribus, non tantùm singulis prodesse, quantùm si pro vno solo offerretur, & hoc verum est, non solùm quoad rationem satisfactionis, sed etiam quoad rationem impetrationis, vt probat D. Subt: *Quodlib*: *20*. 2. Vt opus voluntariè fiat, seu sustineatur, ob id enim satisfactio, differt à satispassione, vnde qui casus, & infortunia, aliundè prouenientia voluntariè non acceptat in satisfactionem, aut illa non refert ad DEum, non dicitur condignè satisfacere. 3. Vt satisfaciens faciat opus, quod ex se sit aptum natum satisfacere, id est, habeat in se valorem & pretium, ad soluendum debitum illius, pro quo satisfacit. Ratio est, quia nemo potest soluere debitum, nisi soluendo pretium. Ergo quod datur alicui in pretium, debet habere in se priùs valorem pretii. 4. Requiritur, vt operans sit in gratia. Hanc conditionem necessariam esse, asserunt S. Thom. *in 4. dist. 45. q. 2. art. 1.* Soto *ibidem q. 2.* Suarez *disp. 48. Sect. 7.* maximè si suffragium fiat ex opere operantis in persona propria. Ratio est, quia existens in peccato mortali est indignus remissione, tàm culpæ quàm pœnæ, consequenter non poterit obtinere alteri remissionem pœnæ. Porrò Suarez *disp. 48. S. 8.* negat suffragia prodesse alicui, facta nomine Ecclesiæ, facta ab homine existente in peccato mortali. Sed in hoc reijcitur à Doctoribus *in 4. dist. 45.* nam S. Thomas ibidem *q. 2. art. 1.* Soto ibidem, & alii tenent, non esse necessarium, vt offerentes, orationes, & suffragia nomine Ecclesiæ, sint in gratia. Patet, quia sicut si Rex petat aliquid per nuncium, dignitas petitionis pensanda est ex dignitate petentis, non nuncii, ita dignitas orationis considerandæ est, secundùm dignitatem Ecclesiæ, cujus nomine offertur, non juxta dignitatem improbi ministri: tunc autem censetur aliquis orare nomine Ecclesiæ, quando preces, & orationes institutas ab Ecclesia, recitat, vt minister deputatus ad hoc ex præcepto, vel ordinatione. Porrò juxta principia D. Subtilis non est necessarium, vt satisfaciens sit in gratia juxta dicta *Q. 6. Sect. 2, art. 3.* Nam si peccator existens, in peccato mortali, potest satisfacere pro pœna temporali, debita suis peccatis, quæ jam dimissa erant, quoad culpam, nulla videtur ratio, propter quam, non possit etiam satisfacere pro alio.

Vt voluntariè fiat.

Vt opus habeat valorē.

Vt operans sit in gratia.

Suffragia nomine Ecclesiæ valent in peccato mortali.

Quan-

Conditiones ejus pro quo offeruntur suffragia.

Quantùm ad eum pro quo offertur suffragium: DICO quod hæ conditiones requirantur. Primò vt sit ille in gratia. verùm hæc conditio juxta principia D. Subtilis, non est necessaria ad satisfaciendum etiam pro illo, qui est in peccato mortali: aliud enim est mereri, aliud satisfacere, existenti itaq; in peccato, non potest mereri vita æterna, secùs est de satisfacere. 2. conditio est vt ille pro quo offertur indigeat, & sic non prosunt Beatis, nam Beati tantis bonis affluunt, vt nullius ope indigeant: quandò verò aliqui Patres dicunt, *Nos pro iis sacrificia offerre*, intellige, non vt iis aliquid impetremus, sed vt gratias DEo, pro eorum gloria agamus. Non prosunt etiam damnatis, quia in inferno nulla est redemptio. Addo, suffragia non acceptari à DEo, pro futuro tempore, ne detur aliquibus occasio peccandi, credentibus se fore liberos à pœna, si peccent, quamuis nouam satisfactionem, non exhibeant. Tertia conditio est, vt peccata pro quibus exhibetur satisfactio, jam sint deleta quoad culpam: ita communiter DD. Suarez *disp. 48. Sect. 2. & alij.* De suffragiis mortuorum sequenti Quæstione.

ARTICVLVS III.

Qualis gratia, seu qualis fructus conferatur iis, qui à Prælato alicujus ordinis, admittuntur in communionem bonorum operum, ac meritorum, totius Religiosæ congregationis?

DICO 1. Talis communicatio operum, ac meritorum, non habet rationem indulgentiæ. Patet quia indulgentiæ conceduntur viuis per modum jurisdictionis, & absolutionis, à pœnis DEo debitis, per applicationem satisfactionum Christi Domini, & Sanctorum. Sed Prælatis ordinum hæc facultas, non competit. Ergo. Ita Roder. *tom. 1. qq. Regularium q. 33. art. 7.* Nauar. *de Indulg. notab. 31.* Corduba *q. 39.* Suarez *disp. 55. Sect. 5.*

DICO 2. Per talem generalem bonorum spiritualium communicationem, directè, & immediatè, non applicantur satisfactiones subditorum. Ita Suarez *loco citato.* Contra Nauarrum *loco citato num. 18.* Ratio est, quia cujuscunq; hominis etiam Religiosi opera bona, & fructus ipsorum, antequam fiant, vel dum fiunt, subjacent, particulari dominio ipsius operantis. Ergo non debent censeri bona communia. Neq; obstat *cap. Non dicatis 12. q. 1.* vbi dicitur, *Religiosos non solùm facul-*

Confraternia quomodo prosint.

facultatibus, sed etiam voluntatibus propriis renunciâsse. Non enim sensus est, quòd sicut terrenarum substantiarum, ita etiam suorum liberorum actuum Domini esse desinant, sed quòd per obedientiæ votum, ita suam voluntatem Superioris imperio subjecerint, vt contra justum ejus imperium, nihil licitè velle possint. Dixi (directè & immediatè) non enim negandum est, quin fructus satisfactionum, ascitis in Religionem prodesse soleat mediatè, interueniente videlicèt ipsorum subditorum applicatione generali, vel speciali, quam semper habent in omnibus operibus suis.

Dico 3. Assumptis in participationem meritorum alicujus Religionis, fructus quicunq; proueniunt, præcipuè sunt per modum impetrationis, siue directè, siue indirectè, siue per intentionem specialem, siue generalem. Ita Adrian. *Quodl:* 8. Suarez. *loco citato num.* 2. Ratio est, quia ratio amicitiæ postulat, vt DEus propter amicissimos etiam aliis benefaciat, qui illis amicitiâ conjuncti sunt. *Porrò* nihil inde decedit Religiosis. Vide Roder: *loco citato art.* 2.

SECTIO III.

De Purgatorio.

In hac Sectione, tria præcipuè examinabimus.

1. Vtrùm aliquæ animæ, post hanc vitam in purgatorio, pœnis temporalibus expientur?
2. Quô loco sit purgatorium?
3. Quâ ratione animæ, quæ sunt in purgatorio, nostris suffragiis juuari possint?

ARTICVLVS I.

Vtrùm aliquæ animæ, post hanc vitam in purgatorio, pœnis temporalibus expientur?

Purgantur animæ in purgatorio.

Dico Partem affirmatiuam, vniuersa semper ab initio tenuit Ecclesia. *Probatur* 1. ex lib. 2. Machab. cap. 12. Vbi dicitur Judas Machabæus collegisse pecunias, & misisse duodecim millia drachmarum Jerosolymam, vt offerretur sacrificium pro iis qui ciciderant in bello. Et subditur. *Benè & religiosè de resurrectione cogitans (Nisi eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis.)* Et quia considerabat, quòd hi qui cùm pietate dormitionem acceperant, optimam

mam haberent repositam gratiam. *Sancta ergo & salubris est cogitatio, pro defunctis orare, vt à peccatis soluantur.* Ex quo loco habetur. 1. Mortuos post hanc vitam, posse à peccatis solui, & sic esse purgatorium. 2. Orationes, & sacrificia prodesse defunctis. vbi dicitur. *Duodecim millia drachmarum, misit Hierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum, sacrificium.* Tertiò habetur non semper in morte expiari omnes reliquias peccatorum, scilicet pœnas temporales debitas, vt volunt hæretici, nam si hoc esset verum, non debuisset Judas curare, vt fierent orationes, & sacrificia pro illis defunctis, vt à peccatis soluerentur, quia jam in morte omnes reliquiæ peccatorum expiatæ fuissent. Quartò habetur hominem posse piè, & sanctè mori, & tamèn habere aliquod debitum ad soluendum, propter satisfactionem, non plenè expletam; nam hoc loco dicitur. Judas jussit orari pro illis, qui cùm pietate dormitionem acceperunt, mortui enim erant propter legem DEi seruandam. 5. habetur doctrinam de purgatorio esse de fide; quia quidquid est in Sacra Scriptura, est de fide. Sed doctrina de purgatorio, est in S. scriptura. Ergo est de fide.

Explicatur locus.

Respondent hæretici ex hoc loco, non posse vllo modo probari esse purgatorium. Quia isti libri non sunt Canonici. 1. quia author illorum, in fine petit sibi concedi veniam, si qua in re errârit, quod in scriptorem hagiographum non cadit. 2. Quia in eo laudatur Rasias, quod se ipsum occiderit, quod tamen impium est. 3. Quia in duobus illis libris sunt aliquot antilogiæ. 4. Quia S. Augustinus *lib. 1. capite 31. contra Gaudentium*, dicit eos libros sobriè legendos esse. 5. Quia auctor videtur supponere animas, simùl cum corporibus mori, quia sentit illis non profuturas nostras orationes, nisi esset resurrectio. Sed hoc est omninò impium. Ergo &c.

Responsio hæreticorum.

Contrà Responsio hæreticorum repugnat communi Ecclesiæ sensui, nam Concilium Carthaginense 3. Syricio Papa gubernante Ecclesiam, Anno Domini 384. inter Canonicos libros, eosdem, *can. 47. numerat.* S. Hieronymus *in Prologo istorum librorum.* S. Augustinus *lib. 18. de Ciuitate. cap. 36.* Ex *lib. de cura pro mortuis cap. 1.* ex hoc loco probat orandum esse pro mortuis: & sic falsò dicunt hæretici, istos libros, receptos esse in Canone eorum librorum, qui valent ad ædificationem morum, non ad confirmanda dogmata. Ad primam probationem dico, falsum assumi; nam auctor nullo modo petit veniam narratorum, sed tantùm petit sibi condonari, si quid minùs concinne, & eleganter narrauerit, quod facilè in hagiographum cadit. Ad 2. Respondeo non laudari ibi factum Rasiæ, sed

Libri Machabæorum Canonici.

Mors Rasiæ qualis. sed tantùm narrari fortitudinem animi ipsius in contemnenda morte. Addo omninò credibile esse eum mortem oppetiisse ex singulari DEi instinctu, qui potuit ei dare veniam se ipsum occidendi, sicut de multis Martyribus legimus, quæ tamen exempla magis admiranda, quàm imitanda. Ad 3. Dico non esse veras, sed solùm apparentes Antilogias, quod in multis aliis locis sacræ scripturæ, vsu venit. Ad 4. Respondeo rectè monere S. Augustinum, vt cautè exempla in his libris similia legamus, ne putemus nobis similia licere, quæ nulli penitùs, sine singulari Dei instinctu licent. Ad 5. Dico, authoritatem loqui ex communi sensu tunc Hebræorum, idem esse, non esse resurrectionem mortuorum, & animas esse mortales, & ex eo quòd anima sit

2. locus. immortalis, sequi esse resurrectionem mortuorum. Probatur 2. ex 1. ad Corinth. 3. vbi dicit Apostolus. *Vnusquisq; autem videat quomodo superædificet, fundamentum enim aliud, nemo potest ponere, præter id quod positum est, quòd est Christus JEsus. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fænum, stipulam, vniuscujusq; opus manifestum erit. dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & vniuscujusq; opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet, si cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* D. Subtilis *in 4. dist. 21. q. 1.* dicit hac authoritate apertè probari dari purgatorium; quia per Aurum, argentum, lapides pretiosos, intelligit Sanctus Paulus bona opera in vniuersali, quæ complectuntur etiam prædicationem doctrinæ fructuosæ, & ducentis ad vitam æternam; per fundamentum, vt apertè ipse Apostolus exponit intelligitur Christus, super quem fundantur omnia opera nostra bona: per lignum verò, fænum, & stipulam intelligit peccata, quæ manent cum gratia, & possunt dici esse superædificata in Christo fundamento, quia licet illud non promoueant, tamen illud non diruunt; possunt etiam intelligi per lignum, peccata mortalia, per pœnitentiam quoad culpam remissa, quoad pœnam verò temporalem purganda. Ita S. Hieronym. l. 2. con. Iouinianum dicens *Cùm viderit dæmon nos super fundamentum Christi ædificare fænum, ligna, stipulam, id est venialia peccata, tunc supponit incendium, id est tentationem ad mortalia.*

Per ignem purgatorii. Vnde subjungit. *Ædificemus ergo aurum, argentum, & lapides pretiosos, & tentare non audebit.* Per ignem, intelligit ignem purgatorii verum, & realem: hoc enim igne, cùm aduenerit dies Domini, qui est dies mortis vniuscuiusq;, in quo particulare judicium fit, opus vniuscuiusq; manifestabitur, quale fuerit, quia ignis illud probabit, quale illud sit, ideò cujus opus fuerit aurum,

aurum, argentum &c. id est, opera bona,& meritoria, non patietur detri-
mentum,sed mercedem accipiet: cujus verò opera erunt lignum, fænum,
stipula,id est, peccata venialia, vel debita peccatorum mortalium, non
perfectè purgatorum igne,detrimentum patientur, qui verò illa operatus
fuerit saluus fiet, sic tamèn quasi per ignem. Dicit (*Quasi*) quia non ab-
solutè per ignem saluabitur, sed per gratiam DEi, & per ignem tanquam
per instrumentum misericordiæ Diuinæ. Quando verò S. Paulus dicit,
Vniuscujusq; opus, quale sit probabit ignis: non quòd bona opera, vel faci-
entes illa, igne comburentur, sed quia manifestabit qualia sint opera,nam
bona opera attingere non poterit. Probatur 3. ex 1. ad Corinth. 15. vbi di- *Tertius locus.*
citur: *Alioquin quid facient, qui Baptizantur pro mortuis, si omninò mortui
non resurgent?* Ex quo loco Nota, Apostolum hic disputare contra Sadu-
cæos ex communi traditione Judæorum, qui solebant baptizari pro mor-
tuis, Saducæi enim negabant animæ immortalitatem, & resurrectionem
mortuorum. Porrò illi ab Apostolo dicuntur *baptizari pro mortuis*, qui *Baptizari pro mortuis quid significat.*
pœnitentias, afflictiones, & alia opera pœnosa assumebant pro mortuis,
hoc enim baptizari significat in sacris literis. Lucæ 12. *Baptismo habeo ba-
ptizari &c.* & Marci 10. Neq; valet responsio hæreticorum, antiquos
Judæos fecisse tantùm illa lamenta, luctus ostendendi causa, quia Dauid
2. *Regum.* 12. jejunauit,fleuit pro infirmo filio, eò defuncto luctum omnem
deposuit, quia sciebat, eum non indiguisse.

Confirmatur 1. Tobias senex filio præcipit, *vt panem, & vinum super* *Locus Tobiæ*
sepulturam justi constituat. Tobiæ 4. Confirmatur 2. Ecclesiastici 7.
dicitur. *Mortuo non prohibeas gratiam.* Et cap. 38. *In requie mortui, requie-
scere fac memoriam ejus.* Quod obseruant Catholici, dum dicunt & orant,
Requiescant in pace. Probatur 4. Ex vniuersali totius ab initio Ecclesiæ *Vniuersalis consensus Ecclesiæ.*
consensu, quæ semper curauit, orari pro defunctis, vt constat ex anti-
quissimis liturgiis,ac ritualibus D. Jacobi; D. Marci. Diui Basilii. D. Petri,
in quibus instituuntur certæ preces,pro defunctis,vt habetur *Tomo 6. Bibli-
othecæ Patrum.* 5. Probatur ex communi consensu Sanctorum Patrum. *SS. Patrum authoritas.*
S. Aug. *Sermone 17. de verbis Apostoli*; vbi docet pro Martyribus non esse
orandum, sed orationibus ipsorum sese commendandum. Subdit. *Pro
cæteris autem defunctis, rogetur DEus,vt participes fiant altaris, atq; incruenti
sacrificij.* Et clarissimè libro de cura pro mortuo habenda capite. 1. *In
libris Machabaeorum legimus sacrificium pro mortuis oblatum esse: Sed si nus-
quàm in scripturis veteribus legeretur, non parua est vniuersa Ecclesiæ, quæ*
in

in hac consuetudine claret, authoritas. S. Ambrosius lib. 2. Epistola 8. ad Faustinum, agens de obitu sororis, ait *Itaq; non tam plorandam quàm prosequendam orationibus reor &c.* S. Chrysostomus in acta Apostolorum Homilia 21. *Non frustrà inquit pro defunctis oblationes fiunt, non frustrà Eleemosynæ, hæc omnia Spiritus Sanctus disposuit, volens vt nos mutuò juuemus.* S. Gregorius 4. Dialogorum. Probatur 5. Sæpè contingit, vt post remissam culpam, restet aliqua pœna persoluenda, & consequenter, potest aliquis mori antequam pro omni tali pœna satisfaciat. Ergo tunc, debet alicubi satisfacere, vel satispati post hanc vitam: nulla enim est ratio, cur dicamus Deum, tunc relinquere ea peccata impunita, aut omnes eas pœnas remittere. Eadem est ratio de iis, qui subitò cum venialibus moriuntur, tales enim post hanc vitam, punientur: non enim rectâ proficiscuntur in cælum, quia illùc *nihil coinquinatum, aut immundum ingreditur.* Apocal. 21. neq; tales pœnas æternas merentur. Ergo est aliquis locus medius, in quo purgabuntur. De quo loco Zacharias dicit, cap. 9. *Tu autem sanguine testamenti, eduxisti victos de lacu, in quo non erat aqua.* Vbi propheta loquitur de Christo Domino, qui descendens ad inferos, captiuam eduxit captiuitatem. Per lacum autem, in quo non erat aqua, non potest intelligi limbus Patrum, nam diues epulo, rogauit sibi ex eo, per Lazarum adferri aquam, ad linguæ refrigerium. Lucæ 16. Ergo intelligendus est locus purgatorii, carens aquâ consolationis, ex quo non paucos eduxit Christus Dominus. Deniq; exempla sunt innumerabilia, quæ adducere nolo, cùm illis hæretici credere nolint, sed exemplum in nostra Polonia, de Petrauino, nobili Polono, (quem S. Stanislaus virtute omnipotentis, ante triennium mortuum, vt veritati, ante tribunal Regium, testimonium perhiberet, resuscitauit,) omnes hæreticos confundit, qui per triennium in purgatorio se pœnas persoluisse testatus est, coram S. Stanislao, cujus precibus se commendauit, vt à reliquiis pœnarum, quamprimùm liberaretur: quæ historia à tot seculis, à grauissimis authoribus scripta, in parietibus sculpta, in imaginibus depicta, à Breuiario Romano relata, conuincit proteruos hæreticos.

Rationibus.

Exemplis.

Obiiciunt 1. Hæretici Ecclesiastis 11. dicitur. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut Aquilonem, in quocunq; loco ceciderit, ibi erit.* Confirmatur. *Matthæi 25.* Omnes mittuntur, vel ad cælum, vel ad infernum. Ergo non est media via.

Duplex sta-

Respondeo. Ecclesiastes ponit, ex similitudine arboris caden-

tis,

tis, ſtatum poſt mortem hominis morientis, eſſe immutabilem, nimirùm gratiæ, & odii DEi. Ad auſtrum itaq; cadunt, quotquot ad purgatorium tranſeunt, quia in gratia DEi, ex hac vita migrant. *tus morientium.*

Ad Confirmat: dico illo loco, eſt ſermo de ſtatu animarum futuro, qui ſolùm erit duplex æternus nimirùm beatorum, & damnatorum. Neq; valet Conſequentia Hæreticorum, ſunt tantùm duæ viæ, ita vt excludatur purgatorium: nam in altera viarum, quæ ducit ad cælum, eſt etiam quoddam diuerticulum, ſeu diuerſorium, vbi merces examinantur, hoc eſt, animæ purgantur, & purgatæ ad cælum transmittuntur.

Obiiciunt 2. Qui eunt ad purgatorium, vel benè moriuntur, vel malè. Si benè, Ergo cruciatus nullos ſentiunt: Si malè. Ergo non moriuntur in gratia. Reſpondeo. Illi qui benè moriuntur, id eſt in gratia DEi, cùm certa expectatione vitæ æternæ moriuntur: Nec ex eo ſequitur, quòd poſt mortem nihil patiantur, quia ille etiam dicitur benè ambulare, qui terminum ſuum certò attingit, licet non ſinè labore. Vrgent ex Apocal: 14. *Beati mortui qui in domino moriuntur.* Ergo ſtatim perfruuntur beatitudine cæleſti, & nihil tales patiuntur.

Respondeo S. Joannes loco citato loquitur de illis, qui moriuntur circà tempus judicii extremi, vt conſtat ex Antecedentibus, & conſequentibus verbis, quo tempore nullæ erunt pœnæ purgatorii, quia illæ perſecutiones Antichriſti ſufficient illis pro purgatorio. Inſtant, Multi ſtatim leguntur admiſſi poſt mortem ad gloriam cæleſtem. Ergo nulli purgantur.

Respondeo. Illi admiſſi ſunt, & admittuntur ſtatim ad cælum, qui nihil purgandum habebant, vel habent, qui autem habent aliquid expiandum, admittuntur ſuo tempore, ſed quaſi per ignem: nam expreſſè in ſacris literis habetur, *Matth.* 12. quòd aliqua peccata remittantur in futuro ſeculo. Ergo ſi aliqua peccata remittuntur in futuro ſeculo, non poteſt intelligi, niſi per ſolutionem, & exactionem pœnæ. Ergo purgantur animæ, & perſoluunt pœnas in futuro ſeculo. *In alia vita remittuntur peccata.*

ARTICVLVS II.

Quo loco ſit purgatorium?

1. Opinio affirmat, eſſe ſupra terram, & infra cælum, in media regione aeris quadam. Ratio eſt, quia animæ purgatorii, ſunt erutæ de pote- ſtate *Reiicitur hac opinio.*

ſtate tenebrarum, & ſunt in loco tuto à malignis ſpiritibus. Sed dæmon eſt princeps aeris tenebroſi. Ergo videtur, quòd animæ exiſtentes in purgatorio, ſint in loco ſuperiori ad illum locum caliginoſum.

Contra hanc opinionem ſunt auctoritates, & reuelationes in contrarium, quia ſæpè inuenti ſunt, qui purgabant ſua peccata, in his locis inferioribus, vt dicetur infra. Ergo non eſt purgatorium in medio aere.

2. Opinio aſſerit purgatorium, non eſſe in vna parte, & in vno loco determinato, ſed variis in locis animas ad purgandum deputari, maximè vbi animæ peccauerunt. Ita Hugo de S. Victore *lib. 2. de Sacr. p. 16. cap. 4.*

Rejicitur. Contra Peccata grauia, ſolent peccatores in diuerſis locis perpetrare; non eſt autem vero veriſimile, quòd per omnia illa loca anima decurrat, cùm in vno loco, de omnibus peccatis, vbiq; commiſſis poſſit puniri; neq; valet exemplum de S. Paſchaſio, qui in thermis Angulanis pœnas ſuſtinebat, teſte S. Gregorio *4. dialogorum cap. 40.* nam Paſchaſius, non fecit illud peccatum in illis thermis, contra Symachum Papam, & tamèn ibi puniebatur, Ergo hæc opinio, non eſt probabilis.

NOTA. Præter cælum, quatuor eſſe ſubterranea receptacula animarum poſt mortem, ex ſacris literis deducitur. 1. infernus damnatorum. Prouerb. 9. *In profundis inferni conuiuæ ejus*, 2. locus eſt limbus puerorum, tam fidelium, quàm infidelium, ſine baptiſmo decedentium, juxta illud Marci 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit, &c.* Vbi non patientur pænam ſenſus, ſed pœnam damni, id eſt, carebunt viſione, & fruitione DEi in æternum. 3. locus limbus Patrum, qui vocatur Sinus Abrahæ Lucæ cap. 16. ad hunc deſcendit Chriſtus Dominus poſt mortem, vt habetur in Symbolo, *Deſcendit ad inferos.* Et ad Eph. 4. *Deſcendit in inferiores Partes terræ.* Et Gen. 37. Jacob Patriarcha dicit, *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum*, vbi Caluinus, loco *(infernum,)* vertit ſepulchrum, ſed quàm impudentèr, nemo eſt qui non aduertat. Tùm quia in hebræo eſt Scheol, quod propriè infernum ſignificat, & ſic verterunt 70. ſicut & noſter interpres. Tùm quia ratio conuincit, nam Jacob putabat Joſephum à beſtiis deuoratum eſſe, ideoq; inſepultum. Ergo non optabat ad eum deſcendere in ſepulchrum, ſed in infernum, puta in limbum Patrum. Tùm quia anima non ſepulchro, ſed limbo tenebatur. Iacob igitur animam Joſephi in limbo videre cupiebat, quem deuoratum eſſe à beſtiis putabat. 4. locus eſt Purgatorium. Quis autem ex prædictis ſit vicinior inferno? Reſpondeo, Probabiliùs eſt quòd Purgatorium; deinde ſubſequi limbum

Loca animarum poſt mortem.

puero-

puerorum; maximè disjunctum limbum Patrum, juxta illud Luc: 16. *Inter nos, & vos magnum est chaos:* vnde Dauid Psalmo 85. gratias agit DEo, quòd eum liberauerit ab inferno inferiori; Ergo ipse præter infernum damnatorum, credebat alios infernos superiores.

Purgatorium vbi sit?

DICO itaq; Purgatorium est in vno loco determinato sub terra, propè infernum, loquendo secundùm legem DEi communem: loquendo verò secundùm legem DEi particularem, seu dispensationem Diuinam; quandoq; animæ aliquæ in aliquo loco particulari purgantur. *Primam* partem probat S. August. *l. 12. de Genesi ad literam, cap. 33.* exponens illud Apocalyp. 5. *Omnem creaturam, quæ in cælo est, & super terram, & sub terra dicere sedenti in throno, & Agno, gloriam, & honorem.* Per hos qui sunt (*sub terra*) intelligit animas existentes in purgatorio, quæ DEVM laudant, illi verò qui sunt in inferno non laudant, sed blasphemant. Ergo purgatorium est in terra, & consequentèr in loco determinato. 2. pars patet, nam quòd aliquando animæ in aliquibus locis particularibus purgentur, hoc fit ex speciali dispensatione DEi, vel propter eorum celeriorem liberationem vt possint suam indigentiam manifestare, vel propter instructionem nostram, vt intelligamus, quanta pœna maneat peccatores post mortem, vel propter alicujus Sancti impetrationem, sicut legitur de S. Patritio, qui impetrauit cuidam, vt in quodam particulari loco puniretur in terra. Vide Sanctum Bonauenturam *in 4. dist. 21.*

Pœna purgatorij.

PETES *Quàm sit acerba pœna purgatorij.* Respondet D. Subtilis, cum communi sententia Theologorum *in 4. dist. 21. q. 2.* pœnam sensus in purgatorio excedere omnem pœnam hujus vitæ. Patet ex S. Aug. qui lib: de cura pro mortuis agenda cap. 18. ait. *Et si ignis ille æternus non sit, miro tamèn modo grauis est, exceditq; omnes pœnas, quas aliquis in hac vita passus est.* Et super Psal: 37. inquit. *Ita planè quamuis salui per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in vita.*

ARTICVLVS III.

Quâ ratione animæ in purgatorio, nostris suffragijs juuari possint, & quibus?

DICO I. De fide est, nostris suffragiis, posse nos juuare animas in purgatorio existentes. Patet hæc conclusio ex Sacris literis in primo Articulo relatis.

DICO 2.

Suffragia quibus juuantur animæ.

DICO 2. Licet animæ in purgatorio detentæ, juuari possint omnibus pietatis officiis, maximè tamen Sacrificio Missæ, oratione, Eleemosynâ, & jejunio. Probatur ex S. August. qui Serm. 22. de verbis Apostoli, ait. *Pompa funebris, agmina exequiarum sumptuosa, diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta constructio, viuorum sunt qualiacunq; solatia, non adjutoria mortuorum. Orationibus verò Sanctæ Ecclesiæ, & Sacrificio salutari, & Eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuuari, vt cum eis misericordiùs agatur, hoc enim à Patribus traditum, vniuersa obseruat Ecclesia.* Confirmatur Genes. 50. Joseph planxit obitum parentis 77. diebus. Dauid in morte Abner jejunauit, & fleuit. Vnde & Sapiens monet, Eccl. 38. *Fili mi in mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare.* De Eleemosyna habetur Tobiæ 4. *Panem tuum, & vinum tuum, super sepulturam justi constitue.*

Suffragia prosunt per modum satisfactionis.

DICO 3. Suffragia pro defunctis, secundùm legem DEi ordinariam, prosunt solùm per modum satisfactionis. Est communis Doctorum. Ratio est, quia non videtur conuenire Diuinæ justitiæ, remittere pœnam pro peccato alicui debitam, nisi factâ satisfactione debitâ, licet enim DEus sit misericors, tamen etiam est, & justus.

Per modum impetrationis.

DICO 4. Probabile est, suffragia prodesse defunctis, non solùm per modum satisfactionis, sed etiam per modum impetrationis, secundùm legem DEi extraordinariam. Ratio est, Tùm quia in hoc mundo videmus, quòd etsi viâ ordinariâ, pœna non remittatur, nisi per solutionem illius, tamèn via extraordinaria, Principes pœnam quandoq; ad instantiam charorum, solent dimittere gratis ex liberalitate. Cùr ergo hunc modum velimus negare ipsi DEo?

DICO 5. Defunctis prosunt indulgentiæ per modum suffragij satisfactorii, (hæ tamen indulgentiæ non prosunt defunctis, nisi hoc ipsum etiam Papa concesserit.) Ratio est, quia S. Petro & successoribus, concessa est potestas dispensandi thesaurum Ecclesiæ, in vtilitatem omnium fidelium. Ergo & defunctorum, ratione communionis Sanctorum, & vinculi charitatis,

An verò certò, & infallibiliter, prosint indulgentiæ defunctis? Affirmat Sotus *in 4. dist. 21. q. 2. art. 3.* Nauar. *notab. 22. num. 8.* Suarez *disp. 59. Sect. 3. num. 3.* Negat S. Bonauent. *in 4. dist. 20. p. 2. a. vnico q. 5.* Richard. *art. 3. q. 3.* Corduba *de Indulgentiis q. 13.* Henriquez *lib. 7. cap. 7.* sed solùm ex acceptatione DEi.

QVÆ-

QVÆSTIO X.
De Censuris Ecclesiasticis.

PRæsentem Quæstionem in sex Sectiones diuidemus. In 1. Naturam, causas, & conditiones Censuræ examinabimus. In 2. de excommunicatione tractabimus. In 3. de Suspensione. In 4. de Interdicto. In 5. de Irregularitate. In 6. de Degradatione.

SECTIO I.
De Natura, Causis, & conditionibus Censuræ?

Præsentem Sectionem in tres Articulos diuidemus.
In 1. quæremus, Quid, & quotuplex sit censura?
In 2. de Causis censurarum?
In 3. A quo possit auferri Censura?

ARTICVLVS I.
Quid, & Quotuplex sit Censura?

NOTA Censura ab aliis deducitur à verbo censeo, id est fero sententiam; ab aliis à censore, qui mores aliorum puniebat: ab Ecclesiasticis verò scriptoribus pro pœna, seu mulcta, quæ per se, ac directam rationem habet pœnæ spiritualis impositæ, propter aliquod crimen. *Censura vnde dicitur.*

DICO 1. Censura est pœna spiritualis, inflicta ab Ecclesiastica potestate, priuans hominem baptizatum, vsu aliquorum spiritualium [non enim censura priuat omnibus bonis spiritualibus] per ordinem ad salutem: [nam per Censuram intendit Ecclesia resipiscentiam.] Hinc. *Definitio Censuræ.*

COLLIGE In Ecclesia existit potestas inferendi Censuras, Matth. 16. vbi, collata fuit Apostolis potestas ligandi, iis verbis. *Quodcunq; ligaueritis super terram &c.*

DICO 2. Censura triplex est, Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum: ita definiuit Innocentius III. Porrò Censura alia est à jure, alia ab homine: alia latæ sententiæ, alia ferendæ. Censura à Jure quæ per legem, vel statutum est lata. Ab homine quæ per hominis sententiam fertur. Censura à jure durat perpetuò, nisi contraria lege, vel consuetudine abrogetur. Ab homine lata, pendet à jurisdictione ejus, qui eam tulit, vnâ *Censura triplex.*

vnâ cum eo, aut perit, aut suspenditur quoad Censuram nondùm contractam. V. G. Episcopus excommunicauit fures, qui furati sunt vasa templi, interim moritur, alii postea fures furantur ex eodem templo, alia vasa, vel ornamenta, posteriores fures excommunicatio illa non ligat, priores verò etiam mortuo Episcopo tenet.

Cur tantùm tres Censura. Congruentiam aliqui adferunt, cùr non plures, nec pauciores Censuræ quàm tres, quia Censuris constringuntur, aut clerici, aut laici, aut loca. Excommunicatione tàm clerici, quàm laici: Interdicto loca, licet aliquando, & Personæ. Suspensione soli clerici.

ARTICVLVS II.

Quænam sint causæ Censuræ?

Causa Efficiens Censuræ. DICO I. Causa efficiens, seu potestas ferendi censuras jure ordinario est in Summo Pontifice, respectu omnium Christianorum. Prætereà in Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis respectu suorum subditorum. Ratio est, Tùm quia hæc potestas ferendi censuras, est data prædictis Personis de jure Diuino. Tùm quia Summus Pontifex, & alii præfati habent jurisdictionem in foro externo necessariam, ad continendos subditos in officio. Sed ad talem jurisdictionem in foro externo exercendam, necessaria est potestas ferendi censuras, vt subditi per censuras retrahantur à peccatis. Parochis hanc jurisdictionem ademit Trident. *Sess. 25. cap. 3.*

Laicus non potest ferre censuras. COLLIGE Clericum posse per potestatem delegatam ferre Censuras, etiamsi habeat tantùm primam tonsuram; laicus verò non, neq; clericus conjugatus, quia non est capax jurisdictionis spiritualis.

Causa materialis censura. DICO 2. Causa materialis, ad incurrendam Censuram, est peccatum exterius, non internum, mortale, non veniale, & consummatum. DIXI (*ob peccatum mortale*) quia Excommunicatio major, non potest ferri ob veniale; Excommunicatio verò minor, potest ob veniale incurri. Major verò cum sit pæna grauissima, non debet ferri ob leuem culpam. DIXI [*externum, non internum.*] quia Ecclesia actum internum, nec vetare, nec punire potest, directè, & secundùm se, potest tamen per ordinem ad actum externum, quem informat. Hinc

Pro mortali fertur cēsura. COLLIGE I. Non pro quolibet peccato mortali; quamuis externo, ferendam esse grauem censuram, sed solùm quando peccatum alia ratione corrigi, vel impediri non potest, vt constat ex Trident; *Sess. 25. cap. 3. de refor-*

reformatione. Probabile tamen est validam esse censuram, latam pro quolibet peccato mortali.

Collige 2. Illum non incurrere censuram qui effectum non compleuit, quem legislator intendit, sub censura prohibere, nam lex non ligat, nec operatur, vltra legislatoris intentionem verbis expressam. Vndè ille non incurrit censuram Canonis, qui proijcit sagittam contra Clericum, sed illum non attigit, quia non adest effectus, qui prohibetur.

Collige 3. Pro peccato præterito commisso, non potest ferri censura, sed ad eam incurrendam requiritur contumacia; non enim esset medicina, sed vindicta.

Qui potest ligari Censurâ.

Collige 4. Qui ligari potest censurâ, debet esse viator homo, baptizatus, adultus, doli capax, homo determinatus, non enim aliqua vniuersitas, vel collegium excommunicari potest; suspensio verò, & interdictum, in communitatem ferri potest, deniq; vt sit inferior, patebit *seq. Sect: art: 6.*

Causa formalis Censura.

Dico 3. Forma, seu ritus seruandus in ferenda censura, est talis, vt exprimatur aliquo signo externo, non enim ligat, per solam voluntatem internam volentis, non tamen requiruntur determinata verba, aut etiam scriptura, debent tamen esse verba definita, & determinata ad aliquam Censuram particularem: verba enim faciunt, quod significant. Hinc

Censura in scriptis ferenda.

Collige 1. Ferens censuram solo verbo, sine scriptura, mortaliter peccat, & incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ per mensem, & à Diuinis; quam suspensionem incurrit ferens censuram sine expressione causæ. Patet *ex cap. 1. Cum medicinalis, de sententia excommunicationis.* Ratio verò cur requiratur expressio causæ in scriptis est; tùm vt judex cautior fiat in ferenda censura: tùm quia ligatus censurâ, potest confugere ad Superiorem, superior autem non potest facilè judicare, nisi nota sit sibi causa, ob quam lata est censura. Eximuntur ab his pænis, Episcopi ferentes censuram solo verbo. Item denunciantes aliquem esse excommunicatum: Item facientes ob vrgentem, & justam causam, Item Prælati Religionum ferentes censuram in suos subditos sine scriptura.

Collige 2. Censura lata, sine scriptura, vel sine expressione causæ, est valida. Ratio est, quia omissio scripturæ, seu causæ, non censetur omissio formæ substantialis, sed tantummodò accidentalis.

Dico 4. Finis censuræ est, quem superior in ferenda censura intendit, sibiq; proponit, qui est salus, vel emendatio, ac resipiscentia illius

contra quem censura fertur, juxta illud 1. ad Corinth. 1. *vt resurgat à peccato, & saluus fiat in die Domini.*

ARTICVLVS III.

A quo poßit auferri censura?

A quo aufertur Censura.

Dico 1. Censura reseruata, lata ab homine per sententiam generalem vel particularem, jure communi, potest auferri ordinariè per eum, qui eam tulit, vel per ejus superiorem, vel per successorem, aut per eum, cui specialis facultas fuit delegata. Ratio est, quia potestas ordinaria ferendi censuram, extendit se etiam ad illam auferendam juxta illud Matth. 8. *Quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunq; solueris &c.* Dixi (Ordinariè) nam in articulo mortis, quiuis Sacerdos absoluere ab omni censura potest. Hinc

Collige Sunt multi casus, in quibus nequit absoluere is, qui excommunicauit. 1. Quando est delegatus ad excommunicandum, sed non ad absoluendum. 2. Si excommunicans perdat jurisdictionem. 3. Incendiarii nominatim excommunicati, à solo Papa, possunt absolui. 4. Si excommunicationem Papa confirmat specialiter.

Non reseruata censura à quo tolli potest.

Dico 2. Censura non reseruata, lata per sententiam generalem, jure communi, tolli & auferri potest, à quocunq; potestatem habente, absoluendi à mortalibus. Ita communiter omnes. Ratio est, quia sententia generalis in multis, æquiualet statuto, & Canoni, teste Couaruuia, licet ipsa cesset per mortem conditoris. Sed Censura Canonis, & statuti, jure communi, potest auferri ab habente potestatem absoluendi à peccatis mortalibus. Dixi (*per sententiam generalem,*) quia per particularem lata, debet tolli ab eo, qui eam tulit. Dixi (*jure communi*) nam vbi est cautum, ne Confessarii absolutionem à censuris impendant, nisi ex speciali licentia, non possunt absoluere etiam per generalem sententiam latas.

Dico 3. A Censuris juris reseruatis, ille potest absoluere, qui eas tulit, vel ejus superior, vel successor in dignitate, vt patet ex 1. conclusione. A Censuris verò juris, nemini reseruatis, absoluere possunt, omnes prælati jurisdictionem habentes, in foro externo. Vt Episcopi, Priores, Guardiani &c. Imò etiam Parochus, & alius quicunq; Sacerdos, potestatem habens absoluendi à mortalibus, potest jure communi absoluere à Censuris juris, nemini reseruatis. Ratio est, quia Superior, eo ipso quòd

quòd non reseruat absolutionem, censetur cuicunq; Confessario concedere facultatem absoluendi.

SECTIO II.
De Excommunicatione.

Præsentem Sectionem diuidemus in 7. Articulos.

In 1. quæremus, Quid, & quotuplex sit Excommunicatio?
In 2. Quænam sint Excommunicationes Summo Pontifici reseruatæ?
In 3. Qui possint Excommunicare?
In 4. Quot sunt, & qui effectus Excommunicationis?
In 5. De Minori Excommunicatione?
In 6. Quinam possint excommunicari?
In 7. De absolutione ab excommunicatione.

ARTICVLVS. I.
Quidnam sit, & quotuplex Excommunicatio?

NOTA 1. Excommunicatio, significat extra communionem, eo quòd homo per excommunicationem separetur à communione fidelium, & participatione Sacramentorum, maximè Eucharistiæ, quæ per anthonomasiam communio appellatur. Dicitur etiam Excommunicatio, *Anathema*, quod ab Excommunicatione differt solùm ratione cujusdam majoris solennitatis, quia Episcopus fert Anathema, astantibus duodecim Sacerdotibus cum candelis, quas in terram proijciunt, & pedibus conculcant. Est autem hæc vox Græca *Anathema*, & significat donaria, quæ DEo, aut Sanctis ejus offeruntur, & in templis honoris gratia suspenduntur, ita accipitur Josue 6. *Sitq; hæc Ciuitas anathema, & omnia quæ in ea sunt &c.* atq; adeò, cùm Achan seruasset sibi spolia, iratus est Dominus, & sic spolia, ibidem vocantur anathema. 2. anathema significat à DEo separationem, 3. maledictionem, & alienationem ab Ecclesiæ consortio importat. Hinc *Excommunicatio quid? Anathema quid?*

COLLIGE. Excommunicatio, & anathema non conuertuntur, nam potest esse Excommunicatio sine anathemate; & è contrà: quando verò concurrit Excommunicatio cum anathemate, semper verba maledictoria in forma illius excommunicationis apponuntur.

NOTA 2. Excommunicatio, non est res noua, in statu enim legis naturæ, quædam vmbra Excommunicationis fuit: nam primi parentes ad modum excommunicationis prohibiti sunt ab esu ligni, scientiæ boni, *Vbi adumbrata fuit Excommunicatio.*

 & mali;

& mali: illis verbis, *videte ne fortè &c.* Apud Gentiles maximè Romanos vestigium Excommunicationis fuit, cùm enim aliquis nefandum crimen commisisset, furiis infernalibus deuouebatur, talisq; poterat impunè à quouis occidi. Apud Judæos in leprosis, Leuitici cap. 14. figura censuræ fuit, qui extra castra ob corporis contagionem excludebantur: Ergo multò magis ob contagionem spiritualem, à consortio hominum, excludi mali homines debent. Hanc potestatem tradidit Christus Dominus, illis verbis, Matth. 18. *Amen dico vobis, quæcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata, & in cælis*, Apostolis & Successoribus. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquàm Ethnicus, & Publicanus. Matth. 18.* Vnde potestas Excommunicationis est de jure Diuino, modus excommunicandi de jure humano.

Definitio Excommunicationis. Dico 1. Excommunicatio sic describitur: Excommunicatio est censura Ecclesiastica, à Canone, vel Judice Ecclesiastico lata, quâ Christianus, à Communione Ecclesiæ quoad fructum, & generalia suffragia ejus, & conuictu fidelium excluditur. Dicitur. *(Censura Ecclesiastica)* id est, pæna, hæc particula loco generis ponitur: *(Ecclesiastica)* vt pœnæ ciuiles excludantur. Dicitur *(à Canone, vel Judice Ecclesiastico lata)* homo enim, & jus hanc pœnam ferre possunt: tunc autem aliquis incidit in Excommunicationem à Canone latam, quando aliquid facit, quod prohibitum est sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ. Dicitur *(Christianus)* quia infideles, non subjacent his pænis, juxta illud *S.* Pauli 1. ad Corinth. 5. *Quid mihi de his, qui foris sunt, judicare?* Hæretici verò subjacent quia in illis remanet character indelebilis. Dicitur *(à Communione Ecclesiæ &c.)* quia per Excommunicationem, priuantur homines participatione Sacramentorum, communibus suffragiis, &c.

Diuisio Excommunicationis. Dico 2. Excommunicatio, alia est latæ sententiæ, quæ ipso facto incurritur, alia ferendæ, seu comminatoria. 2. diuiditur Excommunicatio in Majorem, & Minorem. Major priuat fidelem actiua, & passiua participatione Sacramentorum, suffragiis, & consortio fidelium. Minor verò sola participatione passiua Sacramentorum priuat. Vnde obseruandum est hic, quòd Excommunicatio Major simpliciter, & absolutè dicitur Excommunicatio: quarè vbicunq; ponitur hæc vox *(Excommunicatio)* semper intelligitur de Majori Excommunicatione. Tertio diuiditur Excommunicatio in justam, & injustam. Ad justam requiruntur tria. Primò vt sit causa justa, & rationabilis propter quam feratur. 2. Vt debito modo fera-

Major & minor.

Iusta & injusta.

feratur. 3. Vt animo recto, & ab habente potestatem, id est, à proprio judice. Quare deficiente aliqua ex prædictis conditionibus, Excommunicatio erit injusta. 4. Diuiditur Excommunicatio ex causa effectiua, in Excommunicationem à Iure, vel ab homine. Quæ est à jure manet in perpetuum, nisi per aliud jus contrarium, vel consuetudinem tollatur. Quæ est ab homine, non est perpetua, neq; incurritur pro illo actu, pro quo est lata, nisi quamdiù viuit ille, qui tulit illam, vel quamdiù manet in officio; quod intelligendum est, quoad eos, qui eam non incurrunt antequam ille moreretur, aut jurisdictione priuaretur; secùs est de illis, qui eam incurrunt ante mortem illius, vt exemplificaui *in Articulo primo Sectione 1. conclusione 2.* Deniq; Excommunicatio diuiditur, in generalem, & specialem. Reseruatam, & non reseruatam.

A jure.

ab homine.

ARTICVLVS II.

Quænam sint Excommunicationes Summo Pontifici reseruatæ?

RESPONDEO. Etsi certus numerus assignari non possit, quia crescente quotidiè malitia hominum, crescunt quoq; Summorum Pontificum Excommunicationes, tamèn quia necessarium est Confessario illas cognoscere, in eis recensendis hunc ordinem seruabimus. 1. Enumerabimus Excommunicationes Bullæ Cœnæ Domini, quæ præ cæteris omnibus magis sunt reservatæ. 2. quæ sunt in jure expressæ. 3. quæ in Extrauagantibus juri insertis. 4. quæ reperiuntur in Extrauagantibus, nec dum in jus relatis.

QVÆRES I. *Quænam sint Excommunicationes Bullæ cœnæ Domini?*

1. Contra quosuis hæreticos, Complices, & fautores eorum; contra legentes libros eorum, retinentesq;, & libros hæresim continentes imprimentes, sine licentia Summi Pontificis. Contra Schismaticos, Apostatas, & eos qui se ab obedientia Summi Pontificis subtrahunt: contra Apostatas à fide;

Excommunicationes Bullæ Cænæ Domini.

2. Contra Appellantes à Papa ad futurum Concilium, & contra dantes fauorem, & auxilium ad id.

3. Contra Piratas, latrunculos maritimos, eorum receptatores, & dantes auxilium, & fauorem.

4. In eos qui rapiunt naufragorum bona, aut scienter ab aliis rapta accipiunt.

5. Contra onerantes proximos novis vectigalibus, & imponentes noua pædagia, gabellas, &c. absq; principis authoritate.

Gabellas imponentes.

6. Contra falsificantes literas Apostolicas, aut supplicationes signatas authoritate Apostolicâ,

7. Con-

7. Contra Deferentes arma, ferrum, & aliam materiam suppeditantes, seu necessaria belli, infidelibus, vel hæreticis. Et contra eos, qui faciunt certiores Turcas, vel hæreticos de rebus Christianorum in perniciem, & damnum Reipub. Christianæ.

8. Injuriâ afficientes eos, qui in suis Causis Romanam sedem petunt; ac etiam in eos, qui talia fieri curant, & defendunt.

9. Contra impedientes, & inuadentes eos, qui victualia, seu alia ad vsum Romanæ Curiæ necessaria adducunt, vel pro eis aliquid soluere faciunt, & hoc extenditur ad fautores.

10. Contra illos, qui non habentes in Curia jurisdictionem, ejus prætextu capiunt, spoliant, detinent morantes in eadem, vel qui talia fieri mandant.

11. Contra offendentes, interficientes, mutilantes, capientes, incarcerantes, aut hostiliter insequentes Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedis Apostolicæ Nuncios, aut eosdem ejicientes è suis Diœcesibus, territoriis, terris, aut dominiis. Et fautores includuntur.

12. Contra impedientes quocunq; modo, executionem literarum Apostolicarum, vel etiam citationes, & quascunq; dispositiones, & decreta Sedis Apostolicæ, vel ejus Legatorum, aut Nunciorum.

13. Contra prohibentes quomodocunq;, ne tabelliones, executores, & Notarii in his officium suum exerceant.

14. Contra præsumentes prohibere, ne accedatur ad Sedem Apostolicam pro negotiis prosequendis, vel pro gratiis, vel literis impetrandis.

15. Qui impediunt quomodocunq;, ne impetrantes à sede Apostolica gratiam, vel literas, ipsis vtantur: aut qui Delatorem talium detinent.

16. Contra Judices, & officiales, eorumq; complices, auocantes Causas quocunq; modo spirituales, aut eis annexas à Iudicibus Ecclesiasticis, & qui quomodocunq; cursum talium causarum impediunt, vel ingerunt se cognitioni earum, tanquam Iudices, aut etiam partes Actrices, compellunt ad reuocandum juris processum, vel ad consentiendum ipsi absolutioni rei.

17. Contra Iudices seculares, qualescunq; sint, qui ratione talis officii, ad judicium seculare personas Ecclesiasticas, quomodocunq; trahunt, etiam prætextu literarum Apostolicarum, præter juris Canonici dispositionem.

18. Contra vsurpantes Sedis Apostolicæ, & quarumcunq; Ecclesiarum Jurisdictiones, fructus, reditus, & prouentus, aut eos sequestrantes.

19. Contra imponentes collectas, decimas, & alia onera Personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, monasteriis, aut eorum fructibus, absq; speciali, & expressa licentia Summi Pontificis, & in exequentes, procurantes, fauentes palàm, vel occultè. In qua Excommunicatione comprehenduntur, qui sic imposita etiam à spontè dantibus, & concedentibus recipiunt. Includuntur etiam quacunq; dignitate siue Imperiali, siue Regali præfulgent.

20. Contra impedientes quoscunq; judices Ecclesiasticos, ordinarios, & delegatos, ne sua jurisdictione vtantur; includuntur hic, auxilium & fauorem præbentes.

21. Con-

21. Contra facientes, ordinantes, publicas constitutiones, vnde libertati Ecclesiæ, Sedi Apostolicæ, & juribus Ecclesiæ præjudicatur. Et contra eos, qui vtuntur talibus ordinationibus, & retinent Ecclesiasticos reditus.

22. Contra Iudices seculares, cum suis Notariis, Executoribus, & complicibus, interponentes se in Causis criminalibus contra Personas Ecclesiasticas, eas processando, capiendo, banniando, sententiando.

23. Contra Inuadentes terras, & loca Ecclesiæ Romanæ, & in illis supremam jurisdictionem vsurpantes.

24. Contra raptores suppellectilium, librorum, scripturarum, & bonorum Cameræ, & palatii Apostolici, ex eodem palatio tempore infirmitatis Pontificis, & sedis Apostolicæ vacationis. Hinc

COLLIGE Confessores ab his excommunicationibus absoluere præsumentes, incidunt in excommunicationem papalem. An verò sit reseruata hæc Excommunicatio, in eadem Bulla, aliqui affirmant, probabiliùs tamen alii negant, si absit præsumptio mortalis, vt si faciat ex ignorantia, aut obliuione, aut causa probabili. *Notent Confessarij.*

QVÆRES II. *Qui ob hæresim incurrant excommunicationem papalem? & quis possit ab ea absoluere?*

NOTA 1. Hæresis est voluntarius error intellectus, cum pertinacia, contra aliquam fidei veritatem. Dicitur (*voluntarius*) quia si deficiat voluntarium, non est peccatum. Dicitur (*error intellectus*,) quia sicut actus fidei est actus, seu assensus intellectus, ita hæresis, quæ est contraria fidei, est error ipsius intellectus. Dicitur (*cum pertinacia*,) quia ille dicitur pertinaciter asserere errorem, qui sciens illum esse contra fidem Ecclesiæ Catholicæ, nihilominùs ei assentitur, aut de illo dubitat. Et hæc pertinacia, non attenditur penes durationem temporis, aut ob firmatam pertinaciam in errore, sed in pertinacia ista, attenditur consensus deliberatus in errorem, quem scit fidei Catholicæ contrarium. *Hæresis quid?*

NOTA 2. Duplicem esse hæresim, Internam seu mentalem tantùm, vt cùm quis hæresim, quam mente tenet, nullo signo exteriori manifestat. Externam, vt cùm aliquis facit aliquid contra fidem, & in mente non habet errorem V. G. cùm quis interrogatus an sit Papista, timore mortis respondet se Papam non sequi, in tali casu non est hæreticus, cùm non habeat errorem in intellectu, licet peccet mortaliter. *Hæresis duplex.*

DICO 1. Ob hæresim mentalem, nullo proditam signo exteriori, quod sit ex se peccatum mortale, & sufficienter expressiuum erroris, nemo est excommunicatus, hac Excommunicatione. Ratio est, quia Ecclesia non judicat de occultis. Sed DEus solus secretorum est judex, & cognitor. *Ob mentalem non excommunicantur.*

Ex leuitate non incurrunt.

Dico 2. Non incidunt in hanc Excommunicationem, qui aliquos errores effutiunt ex leuitate, irâ, timore, aut simili passione. Ratio est, quia talis hæresis, est solum externa, quæ non est verè hæresis, vt dixi in Notando 2. & tales non sunt judicandi pro hæreticis, in foro tamen externo, in quo præsumptiones locum habent, debent diligenter tales examinari, Hinc

Collige 1. Non incurrunt hanc Excommunicationem, qui adacti, vel capti ab hæreticis, timore mortis, coguntur gestare arma contra Catholicos. Neq; illi qui ex ignorantia errant circa res fidei, sed ita sunt affecti, vt sint parati corrigi, & obedire Ecclesiæ, cognito errore, & rei veritate. Ratio est, quia tales non habent errorem voluntarium, cum pertinacia in intellectu, licet à culpa tales graui, excusari non possint.

Collige 2. Illi qui hæreticorum Conciones audierunt, etiamsi sæpiùs audiuerint; modò fidem mente retinuerint, non incurrunt hanc pœnam, tamen grauiter peccârunt, propter periculum, cui se exposuerunt, qui enim exponit se periculo peccandi mortaliter, peccat mortaliter; sublato scandalo, & periculo peruersionis, non peccat grauiter.

Dico 3. Hæreticus qui suam mentem exteriùs sufficienter manifestat, verbis, aut signis, incurrit Excommunicationem Papalem, quamuis suam mentem occultè manifestet. Est definitum in jure cap. *Excommunicamus de hæreticis.* Et in Bulla Cœnæ Domini quotannnis Romæ publicatur.

Dico 4. Contrahunt hanc pœnam illi, qui hæreticis credunt pertinaciter, illud esse verum, quod illi docent, licet verè nesciant in specie, quid illi credant. Ratio est quia tales verè sunt hæretici, juxta Paludanum *in 4. dist. 23. q. 3.*

Qui fautores excommunicātur.

Dico 5. Hæc pœna extenditur ad receptatores, fautores, & defensores hæreticorum, secuto effectu. Nota nomine receptatorum, fautorum, & defensorum, intelliguntur illi, qui recipiunt, fauent, defendunt, ex motiuo hæresis, seu intentione fauendi hæresi: vnde si quis, ratione amicitiæ, vel consanguinitatis, aut metus, faueat hæreticis, illos occultando, ne capiantur à Judice, non ligatur hâc pœnâ. Dixi (*secuto effectu*) quia si quis habuit intentionem fauendi hæresi, sed fauor non est secutus, non incurrit excommunicationem; V. G. aliquis occultauit hæreticum, vt disseminaret hæresim, si non disseminauit, occultans pœnam euasit. Aduerte tamen hîc, non esse necesse, vt hæreticus, cui fauor præstatur, sit denunciatus excommunicatus, sufficit enim quòd habeat errorem cum pertinacia, contra fidem.

Dico 6.

Dico 6. Qui legit, retinet, imprimit libros hæreticorum scienter, absq; Pontificis licentia immediata, vel mediata, incurrit excommunicationem Papalem, quamuis legat, vel retineat, vel imprimat curiositatis gratia, & absq; prauo animo. Hæc conclusio patet ex verbis Bullæ Cœnæ Domini. Dixi (*scienter*,) quia si nesciat libros esse hæreticos, aut scit quidem esse hæreticos libros, sed nescit continere hæresim, aut tractare de Religione, non incurrit dictam censuram, quia ad eam incurrendam requiritur scientia. Nota tamen hîc, quòd ignorantia affectata non excuset, neq; crassa, secundùm aliquos, secundùm verò Sanchez *lib. 2. cap. 10.* & Durandum *q. 37.* excusat. Dixi (*Absq; Pontificis licentia*) non enim sufficit licentia Episcopi, aut inquisitoris. Dixi (legit) ad incurrendam enim hanc Excommunicationem, requiritur, vt per se aliquis legat; vnde ab hac excommunicatione excusantur, qui audiunt legentes libros hæreticorum. Notandum quoq; hîc est, non solùm illos legere, qui lingua exprimunt verba, sed etiam qui oculis tantùm percurrunt, nihil exprimendo, lectio enim non consistit in prolatione verborum. Hinc

Legentes, imprimentes retinentes incurrunt.

Audientes non incurrunt.

Collige 1. Ad incurrendam prædictam Excommunicationem excusat paruitas materiæ, vnde excusatur qui legit 6. aut 7. lineas, non verò qui integram paginam. Legentes scholia hæreticorum, in libris Catholicis, excommunicantur.

Materiæ paruitas excusat.

Collige 2. Non est necesse ad incurrendam prædictam Excommunicationem, vt legens legat formaliter, id est, vt intelligat quod legit, quia Bulla in detestationem hæresis, penitùs prohibet lectionem, quare etiamsi ille, qui legit non intelligat Græcè, vel Germanicè, innodatur hâc Censurâ, si legat librum verè hæreticum, Sanchez tamen talem excusat *lib. 2. cap. 10. num. 51.*

Collige 3. Non incurritur Excommunicatio hæc, ab illis, qui legunt libros hæreticorum, qui nihil tractant de religione, neq; continent hæresim, tamen peccant mortaliter, & incurrunt excommunicationem non reseruatam Papæ, maximè si author alicujus libri est hæreticus, antequam approbetur à Doctoribus, vel reuideatur juxta Decretum Tridentini; idem esto judicium de libris obscænis, & non purgatis, tam hæreticorum, quàm Ethnicorum, quàm Catholicorum.

Nota.

Collige 4. Eadem Censurâ innodantur legentes, vel retinentes libros Geomantiæ, Hydromantiæ, Chiromantiæ, seu alios, in quibus continentur Sortilegia, Diuinationes, Auguria, auspicia, incantationes

artis magicæ &c. Ratio est, quia Magi, & venefici in foro externo præsumuntur hæretici, quia abnegant DEVM.

PETES I. *Quis possit ab hæresi absoluere?*

Quis possit absoluere ab hæresi.

DICO 1. Papa, vel cui ipse facultatem concedit. Ratio est, quia illi soli reseruata est immediatè, & qui facultatem aliis absoluendi delegare potest.

DICO 2. Licet Episcopi juxta Concilium Tridentinum *Sess. 24. cap. 6. de reformatione*, possint absoluere ab hæresi, istam tamen potestatem eis limitauit Tridentinum, ita vt illis solis tantùm concedat, non autem eorum vicariis, & consequenter nulli alteri hanc facultatem delegare possunt, nisi expressam licentiam habeant delegandi à Summo Pontifice.

Cæremoniæ in absolutione hæreticorum.

DICO 3. Ab hæresi completa, id est internâ, & externâ, absoluens, debet Cæremonias quasdam adhibere. Primò vt hæresim abjuret, & professionem veram fidei faciat. 2. Vt juramentum in fine professionis fidei faciat. 3. Vt absolutus ab hæresi in præsentia duorum, aut trium testium, absoluenti se sistat. 4. Vt omninò priùs ab excommunicatione, quàm à peccatis absoluatur.

Delegatus, delegare non potest.

PETES 2. *Vtrum habens facultatem absoluendi ab hæresi in foro pœnitentiæ, seu conscientiæ, possit à sola excommunicatione absoluere, & causâ integra Confessionis faciendæ pœnitentem ad inferiorem confessarium remittere?*

RESPONDEO Non potest ille, qui habet facultatem limitatam, & Sacramento pœnitentiæ alligatam: Tunc enim Sacramentalem dare debet absolutionem in Sacramento pœnitentiæ, & non judicialem extra sacramentum, nisi hoc in facultate exprimatur. Ita habetur *in Compendio Priuilegiorum, verbo casus reseruati, in annotationibus Capucin:* Toletus *lib. 1. cap. 15. num. 7.* Suarez de Censuris *disp. 7. sect. 5.* Nauar. *c. 27. n. 37.* Ergo quando fit commissio, vel delegatio sub certa forma, eâ non seruatâ, corruit actus.

QVÆRES III. *An in Iubileis possint absoluere Confessarij ab hæresi?*

In Jubileis an possit dari absolutio ab hæresi.

RESPONDEO Ab occulta hæresi posse affirmat Filliucius *tom. 1. t. 8. c. 10. n. 265.* Peyrinus de priuilegiis tom. 1. præsertim quando non excipiunt in Iubileis hæresim Pontifices: Alii negant, vt Suarez *de fide disp. 21. S. 4. n. 21.* Sanchez *l. 2. c. 12. n. 12.* & talis est stylus Romanæ Curiæ: possunt tamen fautores, Receptores hæreticorum absolui, & libros hæreticorum legentes, in Iubileis. A publica tamen hæresi, neq; recidiuantes possunt absolui in Iubileis.

QVÆ-

QVÆRES IV. *Quanam sint Excommunicationes Summo Pontifici in jure reseruatæ.*

Prima habetur *17. q. 4. cap. Si quis.* Si quis suadente Diabolo injecerit manus violentas in Clericum subjaceat Excommunicationi, & à nullo præterquam à Papa, nisi in mortis articulo absoluatur, & conspectui Apostolico repræsentetur. Item habetur, *cap. Cum illorum &c. de Monialibus*, de *sententia excommunicationis.* Pro intelligentia.

NOTA 1. Nomine Clerici, intelliguntur initiati primâ tonsurâ, aut aliquo ordine, dummodò clericalem habitum gestent, & licet conjugati fuerint saltem non bigami, gaudent hoc priuilegio: & hoc verum est, etiamsi Clericus sit excommunicatus, toleratus, vel irregularis. Hoc etiam priuilegio gaudent omnes Monachi, & Religiosi professi, non Sacerdotes, neq; clerici, imò & Nouitii: similiter & Moniales *cap. de Monialibus de Sententia Excommunicationis.* Gaudent, & Tertiarii Sanctorum Francisci, & Dominici, qui se mancipârunt obsequiis alicujus approbatæ Religionis, sub obedientia Superioris, illius Religionis. Deniq; extenditur ad Eremitas, qui in communitate viuunt, in aliqua Congregatione gaudente hoc priuilegio. *Nomine clerici qui intelliguntur.*

NOTA 2. Per manus violentas, intelligitur actio injuriosa, contra Ecclesiasticam Personam, consistens in facto, & in opere, siue actio fiat manibus, siue pedibus, siue alio instrumento. Vnde ille qui voluit percutere, sed non percussit, non innodatur hâc Censurâ: neq; ille, qui verbis contumeliosis affecit clericum, absq; percussione: neq; ille, qui actu percutit ita leuiter, vt actus ille exterior, non censeatur sufficiens ad peccatum mortale, quamuis aliquando mortaliter peccauerit in intentione. Si tamen illa percussio censeatur valdè injuriosa clerico, incurritur hæc excommunicatio. V. G. si quis conspuat in Clericum, aut uirgâ percutiat, aut includat in carcere, aut vestes laceret in clerico, vel frænum frangat, aut equum cui insidet clericus, occidat. Similiter ille, qui occidit clericum veneno. Porrò ille non innodatur hâc censurâ, qui clerico dormienti furatur Crumenam, vel eum spoliat vestibus dormientem, si tales actiones verè non sunt violentæ: neq; ille incurrit, qui metu, aut vi, cogit Clericum exire de fundo. Hinc *Regulæ notandæ.*

COLLIGE 1. Ille qui sclopum explodit in clericum, qui ob terrorem moritur, etiamsi ne leuiter à globo attingatur incurrit hanc Excommunicationem, quia hæc actio censetur violenta, & injuriosa in clericum.

Regula notanda. COLLIGE 2. Regula hæc à Doctoribus assignatur, quandonam percussio clerici sit sufficiens ad incurrendam hanc censuram, quoties actio, & injectio manus violentæ, arbitrio prudentis viri seclusâ excommunicatione, esset sufficiens ad peccatum mortale, eadem est sufficiens ad incurrendam excommunicationem, positam ob violentam manuum injectionem in clericos, hæc enim supponit peccatum mortale: quâ de causâ excusantur pueri clerici, pugno se percutientes, & sanguinem è naribus elicientes in paruâ quantitate. *Pueri clerici.*

Se ipsum percutiens excommunicatur. COLLIGE 3. Clericus percutiens seipsum ex ira, incurrit excommunicationem majorem; Similiter, qui percutit clericum volentem, vel consentientem; vel si judex detineat clericum consentientem in custodia. Ratio est, quia tales actiones sunt injuriosæ statui Ecclesiastico. Neq; valet si dicas, *volenti, & consentienti, non fit injuria*; id enim verum est, quando consentiens consentit, in iis, in quibus potest consentire. Sed vnus clericus non potest cedere priuilegio concesso toti communitati, aut toti alicui ordini: Vnde talis clericus, sic consentiens, licet non sit excommunicatus, est tamen excommunicandus, vt constat, *ex capite Contingit, de sentent: excommunicationis.*

Clerici à quo castigandi. COLLIGE 4. Clerici, qui merentur percusionem, debent percuti ab ipsismet Superioribus causa regularis disciplinæ. Juxta consuetudinem verò possunt percuti per alios clericos, vel laicos; & sic benè pater filium Clericum, & Magister discipulum, justa de causa castigare possunt. Ita habetur *cap. vniuersitatis, de Sentent. Excom:* Et *c. cum voluntate, eodem titulo.*

COLLIGE 5. Consilium, & mandatum, quô quis consulit, aut tacitè, vel expresè mandat, clerici, vel Monachi percusionem, subjicitur huic excomunicationi, secutâ tamen percusione, & quòd mandatum reuera influxerit in percusionem. Habetur *cap. Mulieres de Sentent. excommunicat. Mandans clericum percuti excommunicatus est, sicut & percutiens.* Eandem censuram incurrunt consentientes. *cap. Quanta præsumptionis, eodem titulo.* Et non impedientes, qui tenentur ex justitia. *Mandans. Consentiens.*

Casus in quibus percutiens excusatur. COLLIGE 6. Multi sunt casus, in quibus percutiens Clericum, excusatur ab Excommunicatione. 1. casus est, quando aliquis percutit Clericum in continenti, vim vi repellendo, cum moderamine inculpatæ tutellæ, ad defendendum se ipsum, vel rem suam, vel honorem suum. *Capite si verò, de sentent: excommunicationis.* Ratio est, quia in tali casu, non

1. Casus.

est

est vis, sed defensio. Dixi (*in continenti*,) nam si clericus jam rem asportauit, non potest percuti absq; excommunicatione, si jam sit domi clericus. Si verò aliquis clericum furem insequatur, & in itinere detinet, vt suas res recuperet, non incurrit hanc excommunicationem: similiter fæmina percutiendo clericum, vel Sacerdotem, qui sibi vim vult inferre, non innodatur censurâ, quia hæc justa est causa, defensio castitatis, & honoris. 2. casus est, Quando aliquis percutit clericum, quem ignorantia probabili, nesciebat esse clericum, quia fuit in vestitu seculari, *cap. Si verò 2. de Sent. excommunicat.* 3. casus est, quando aliquis percutit clericum joco. *cap. Super eo, eodem titulo.* Ratio est, quia talis percussio, non videtur esse suadente diabolo, neq; est injuriosa, nec sacrilega mortaliter. Addo, & hoc verum est, licet aliqualis ira interueniat, modò attenta qualitate percussionis, aliisq; circumstantiis, non pertingat ad culpam mortalem. Secùs dicendum, quando actio per jocum inchoatur, sed postea mutatur in sacrilegium mortale per indignationem interueniente aduertentiâ sufficiente ad mortale peccatum, nulla enim subest excusationis causa. 4. casus est, Quando quis percutit, vel occidit clericum inuentum in peccato carnis; V. G. in turpi actu, osculis, amplexibus, vel in loco suspecto, vt si solus inueniatur, cum sola, in loco apto ad turpes actus exercendos, & de illo adsit rationabilis suspicio modo percutiat clericum in continenti, & non ex interuallo. Ita habetur in jure, *cap. si verò, de Sententia excommunicationis*: in quibus casibus percutiens peccat mortaliter, percutiendo priuatâ auctoritate, non tamen innodatur hâc censurâ, quia talis percussio, non fit suadente diabolo, sed ex vehementi passione. Ita Molina *Tomo. 4. de justitia. tract: 3. d. 7. num.* 3. Nauar. *cap. 27. num. 24.* Emmanuel Sa. *de Excommunicationibus Papæ reseruatis num. 2.* Vnde multò minùs innodatur censurâ, qui clericum in prædictis inuentum detinet, vt illum præsentet suo judici Ecclesiastico. 5. Casus est, Quando secularis capit clericum, illumq; trudit in carcerem, mandato sui Prælati *c. Si clericos in 6.*

2 *casus.* 3 *casus.* 4 *casus.* 5 *casus.*

PETES *Quis possit ab hac Excommunicatione absoluere?* *Quis possit absoluere.*

RESPONDEO Regulariter loquendo Summus Pontifex: quia illi est reseruata, & nunciis ejus. Dixi (*regulariter*) nam Episcopus aliquando per se, vel per alium potest absoluere, quando est percussio leuis, *cap. Peruenit de Sententia Excommunicationis*: Vbi dicitur. *Tuæ fraternitatis arbitrio duximus committendum.* Vnde inferiores Prælati, non possunt, quia non

vocan-

vocantur à Papa Fratres, sed filii. Quòd autem possit in hac leui percussione, absoluere per delegatum, patet, quia facultas absoluendi in percussione leui, est facultas ordinaria, quæ competit Episcopo ratione dignitatis: qui verò habet potestatem ordinariam, potest illam delegare Vnde & vicarius Generalis Episcopi, potest, vel per se ipsum absoluere, vel dare aliis facultatem absoluendi, nam ipse est Judex ordinarius, & facit vnum tribunal cum Episcopo.

Percussio leuis quæ?
Mediocris.

NOTA hîc 1. Percussio leuis dicitur, non quia sit peccatum veniale, sed respectu mediocris & enormis, dicitur leuis. Mediocris est illa, V. G. si dens euellitur, vel capillorum copia extrahitur, aut sanguinis copia effunditur, absq; graui læsione. Grauis verò illa, quæ conjuncta est cum graui injuria, & læsione. V. G. quæ fit cum magno ictu, vulnere, aut membri alicujus abscissione, aut quando Persona grauis percutitur in faciem, vel si percussio fiat scandalosa, V. G. vt quando Clericus, percutit clericum in publico, vel in claustro coram secularibus.

Grauis.

Episcopus quando absoluere potest.

NOTA 2. Dantur multi casus in quibus ab Episcopo possunt absolui percutientes enormiter, vel mediocriter, non tantùm leuiter clericos. 1. Clerici communiter viuentes. Similiter Religiosi à suis Superioribus, si percutiant Religiosum suæ Religionis: Si verò percutiat alterius Religionis, debet absolui, non solùm à suo, sed à superiore percussi, ita habetur *capite Cùm illorum, de Sent. Excom:*

Si verò Religiosus percutiat Clericum secularem, debet etiam absolui ab Episcopo, si sit percussio leuis. Ita Sayrus *cap. 28. Molina disp: 62. 2.* casus est de habente legitimum impedimentum perpetuum propter quod excommunicatus, non possit Summum pontificem adire, sine graui periculo vitæ. Ita habetur *capite de Cætero, de sententia Excommunicationis;* talis enim potest ab Episcopo absolui. 3. casus, Mulieres cujuscunq; conditionis, *capite Mulieres, de sententia Excommunicationis.* Et hoc verum videtur quamuis percussio conjuncta fuerit cum homicidio. Similiter serui &c. Hinc

COLLIGE 1. Habens impedimentum temporale, sublato illo, tenetur adire Summum Pontificem, quia talis, sub hac conditione absoluitur ab Episcopo.

COLLIGE 2. Habens priuilegium absoluendi, satisfacta parte, potest absoluere pœnitentem, qui solùm satisfacit clerico percusso, vel si ei percussus condonet; licet aliqui probabiliter putant, etiam esse necessari-

am

am Ecclesiæ, & statui Ecclesiastico satisfactionem. Et hanc posteriorem opinionem, putat esse probabiliorem Bonacina *de Excom: disp: 2. q. 4. puncto 5. numero 22.*

Collige 3. Religiosi circa seculares, quid in hoc casu possint, idem penitùs est judicium de Excommunicationibus, quod de casibus reseruatis dixi, *Q. 8. S. 6. a. 5.* & sic absoluere possunt in casu saltem ad Episcopum pertinente, dummodò satisfactio manifesta præmittatur, si sit possibilis, quia aliâs sufficeret cautio realis, aut juratoria. Vide Rodericum *Tomo 1. q. 61. art. 8.*

Excommunicationes papales in jure.

2. Excommunicatio in jure Papæ reseruata. Excommunicatus à delegato Papæ, si toto integro anno in Excommunicatione perseuerat, absoluendus est à Papa. Ita habetur *cap. Quærenti de officio legati.* 3. Excommunicatus à Diœcesano eô, quòd habuerit literas falsas Papæ, si eas infra 20. dies non destruat, aut resignet. Ita *Capite Dura, de crimine falsi.* 4. Clerici qui participant in Diuinis, tam in Ecclesia, quàm alibi spontè, & scienter, cum Excommunicato à Papa. *Cap. significauit de sententia excommunicationis.* 5. Incendiarius excommunicatus, & denunciatus. *cap. Tua, de sententia Excommunicationis.* 6. Excommunicati propter spoliationem Ecclesiæ, cum effractione, post denunciationem, *cap. Conquesti, de Sententia Excommunicationis.* 7. Excommunicantur omnes, qui interficere jusserunt, aut capere, aut vexare illos, qui Excommunicationem tulerunt, vel Interdictum, contra Reges, vel eorum Ministros, & fautores. *Cap. Quicunq; de sententia excommunicationis in 6.* 8. Imponens taleas clericis, *cap. Felicis de immunitate Ecclesiæ,*

Excommunicationes in Clementinis, & Extrauagantibus reseruatæ.

Quæres IV. *Quænam sint Excommunicationes in Clementinis, & Extrauagantibus, Papæ reseruatæ?*

1. Contra Inquisitores, qui odii, gratiæ, seu amoris, lucri, commodiq; alicujus temporalis obtentu, contra justitiam procedunt, vel alicui ex odio hæresim imponunt. Habetur *in Clementina Multorum, de hæreticis §. verum 2.*

2. Contra Religiosos, & Clericos, inducentes ad vouendum, jurandum, aut promittendum, eligere sepulturam in Ecclesia sua, *in Clementina Cupientes de pœnis.*

3. Contra compellentes Sacerdotes celebrare in loco interdicto; aut populum conuocantes, etiam sonitu campanæ, ad talem locum; aut qui prohibent ejici excommunicatos, & interdictos ab Ecclesia;

 quam-

quamdiu peraguntur Diuina. Ita habetur *in Clement. c. Grauis de sent. excom.*

4. Contra Religiosos administrantes Sacramenta, Extremæ Vnctionis, & Eucharistiæ; vel benedicentes nuptias sine Episcopi, vel Parochi licentia; vel absoluentes excommunicatos à Canone, vel etiam â culpa & pœna, præterquam à casibus in jure expressis, vel per priuilegia concessis, *in Clement. c. Religiosi, de priuilegiis.*

5. Contra illos, qui exenterant mortuos, ad eos conseruandos, aut eos concidunt in frusta, & ea coquunt; vt ossa carnibus denudata deferant, & sepeliant in alio loco: ita habetur *in Extrauaganti communi, cap. Detestandæ, de sepulturis.* Similiter & contra hoc præcipientes.

6. Contra eos, qui accipiunt, aut dant aliquid ob ingressum in Monasterium. *Ibidem cap. Sanè* de Simonia. Aduerte ex Cajetano *verbo Excommunicatio cap. 73.* Id non habere locum, si spontè aliquid dent, vel quando Monasterium est pauperrimum, & accipitur in sustentationem ipsius monialis.

7. Contra Religiosos mendicantes, sine speciali facultate Papæ migrantes ad non mendicantes, excepto ordine Carthusianorum. *Ibidem cap. Viam ambitiosæ, de Regularibus, & transeuntibus ad Religionem.* 5. Excommunicantur illi, qui docent peccare mortaliter eos, qui dixerint B. Virginem Mariam fuisse conceptam in peccato originali, è contrario, qui docuerint peccare mortaliter oppositum tenentes. Ita ibidem. *cap. Graue nimis, de reliquiis & veneratione Sanctorum.* Hæc eadem approbatur à Concilio Trident. *Sess. 5. in fin.*

8. Contra committentes simoniam, in ordine, vel beneficio, & ejus rei mediatores; *in Extrauag. cap. Cùm detestabile, de Simonia.*

9. Contra Religiosos, qui sine sui Superioris licentia, vltra mare eunt, vbi nec ad Prædicationem, neq; ad Diuinorum celebrationem sunt admittendi; *in Extrauag. Ad nostrum de Regularibus.*

10. Contra illos, qui prætextu confessionalium, vel gratiarum concessarum, mutilatores, vel occisores existentium in sacris, vel violatores Ecclesiasticæ libertatis, vel qui absoluunt à casibus reseruatis in Bulla cœnæ Domini. Item qui prætextu eodem, dispensant in votis Castitatis, Religionis, Hierusalem, S. Jacobi, & ad limina Apostolorum, nisi in prædictis gratiis, fiat horum expressa mentio, & derogatio Extrauaganti. Ita habetur *in Extrauaganti, Etsi Dominici gregis, de pœnitentia, & remissionibus.*

bus. Aduertunt hîc Doctores, maximè Toletus *lib. 1. cap. 37.* Non excommunicari hîc eos, qui prædicta faciunt, etiamsi malè faciant, nisi id faciant, prætextu Confessionalium, & priuilegiorum, quæ non habent.

Aduerte Multas esse Excommunicationes Papales, in Decretis, Decretalibus, in Sexto, in Clementinis, & Extrauagantibus juri insertis, quæ non sunt Sedi Apostolicæ reseruatæ, quas videre licet, apud Toletum *lib. 1. à capite* 37. vsq; ad 40.

Qværes V. *Quænam sint excommunicationes Papæ reseruatæ in Extrauagantibus nondum juri insertis?*

Respondeo Multas esse, aliquas saltem in medium adducam. Prima est contra duellum facientes, quam excommunicationem Clemens VIII. extendit, & ampliauit in sua Bulla ad Reges, Principes, Duces Magistratus, non prohibentes, duella fieri, vel ipsa non impedientes. Item contra suadentes, consulentes, & contra spectantes de industria, & contra incitantes: quam excommunicationem sibi soli reseruauit, & ad Episcopos, non nisi occultum duellum extendere voluit. Vnde Bonacina *de Excommunicat. disp. 2. q. 3. puncto 2. num. 38.* negat Religiosos Confessarios, posse ab hac excommunicatione absoluere. Vide quæ sunt à me dicta, *Quæst. 8. S. 6. art. 5.*

2. Contra Moniales exeuntes de clausura. (quæ extenditur vsq; ad portam exteriorem, per declarationem Gregorii XIII.) & contra dantes eis licentiam, comitantes eas, & receptantes. Ita habetur *in Extrauaganti Pii V. Decori & honestati &c.* Habetur *in cap. periculoso de statu Regularium in 6.* Et in Tridentino *Sess. 25. cap. 5.* Ita Rodericus *tom. 1. q. 49. art. 5.* Ab hac excommunicatione solus Papa; vel habens priuilegium ab ipso potest absoluere. Ita Bonacina *q. 1. de clausura puncto 5.*

Petes. *Quibus ex causis, facultas exeundi monialibus, concedi possit?*

Respondeo In motu Pii V. *quæ incipit Decori & honestati*, tres causæ exprimuntur. 1. Magnum incendium. 2. Infirmitas lepræ. 3. Infirmitas Epidemiæ, id est omnis morbus contagiosus. Addit Bonacina puncto 9. quòd possit facultas exeundi concedi in casibus similibus, aut vrgentibus, vt tempore belli. Item Abbatissa potest exire ad præstandum juramentum fidelitatis secularibus &c.

De Excommunicationibus in particulari reseruatis, & non reseruatis videndus est Bonacina *in fine tomi 2. disp. 2. per totam.*

ARTICVLVS III.

Quinam possint excommunicare.

Qui possunt excommunicare.

Dico 1. Potestate ordinariâ illi omnes, & soli, possunt ferre Censuras, qui habent jurisdictionem Ecclesiasticam in foro externo, vt est. Primò Papa respectu fidelium. 2. Episcopus respectu subditorum in sua diœcesi. 3. Vicarii Episcoporum, qui habent vnum tribunal cum Episcopo: vt dicitur *capite 2. de Consuetudine in 6.* 4. Capitulum Cathedrale, sede vacante. 5. Nuncii Papæ à latere in toto Regno, ad quòd missi sunt, *cap. 2. de officio legati in 6.* 6. Abbates exempti habentes jurisdictionem Episcopalem respectu eorum, in quos eam habent. 7. Quidam Archidiaconi, ac Archipresbyteri, ex consuetudine eam potestatem habent. 8. Cardinales in Ecclesiis sui tituli. 9. Concilia Generalia per orbem vniuersum, & Prouincialia in sua prouincia. 10. Ex priuilegio eam habent, Generales, & Prouinciales ordinum respectu suorum subditorum.

Cui potest committi.

Dico 2. Eandem potestatem habent ex delegatione illi quibus supra dicti eam commiserunt. Petes *cui potest committi?* Respondeo Cuiuis clerico gaudenti clericalibus priuilegiis, quia hic est capax jurisdictionis spiritualis, nec ad hanc potestatem requiritur vllo modo potestas ordinis. Vnde nec laico, neq; clerico conjugato ordinariè, ab Episcopis posse committi, nisi à solo Papa: Fœminæ verò, ne à Papa committi talis potestas potest, quia hæc est incapax omnis jurisdictionis exercendæ per claues. Hinc

Collige 1. Omnes qui habent potestatem ordinariam, possunt illam delegare aliis, vt patet *ex capite, cum Episcopus, de officio ordinarij in 6.* qui verò tantùm habet potestatem delegatam, delegare non potest.

Qværes *Quæ conditiones requiruntur in ferente Excommunicationes?*

Conditiones Excommunicantis.

Respondeo. 1. Vt habeat legitimam potestatem. 2. Vt ferens censuram agat liberè, non coactè. 3. Vt habeat justam causam. 4. Vt ferens censuram sit in loco suæ jurisdictionis. 5. Vt ejus potestas non sit impedita, per justam appellationem. Circa quam appellationem Nota, Quòd excommunicatus si ab ipsa declaratione Excommunicationis appellet, vel etiam ab ipsa denunciatione Excommunicationis, potest non abstinere à Diuinis, nec alii tenentur ipsum vitare, neq; fit celebrando irregularis; atq; sic appellatio interposita ante Excommunicationem, non est nulla.

Appellatio suspendit Excommunicationem.

nulla. Ita Valerus *in Differentiis vtriusq; fori, Differentia 19. & 20. vbi citat jura, & multos Authores.*

ARTICVLVS IV.

Quot sunt, & qui effectus excommunicationis Majoris?

Effectus excommunicationis est priuatio suffragiorum.

Primus effectus Excommunicationis est, *priuatio communium suffragiorum Ecclesiæ.* Ita *Capite, A nobis, de sententia Excommunicationis.* Atq; hinc sequitur. 1. Applicans Excommunicato communia suffragia, vt horas Canonicas, sacrificium Missæ, peccat mortaliter. Ratio est quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ, in re graui. Addo, qui publicè orat pro excommunicatis vitandis, præter peccatum mortale incurrit Excommunicationem Minorem, eo quòd videatur per hoc, cum illis communicare, communicanti autem cum excommunicato vitando, imposita est minor excommunicatio. Feria 6. Parasceues pro illis Ecclesia orat, partim ad imitationem Christi Domini, qui tempore passionis orauit pro inimicis; partim ad ostendendum valorem passionis Christi Domini, qui pro omnibus mortuus est.

Cur Ecclesia orat pro Excommunicatis.

Sequitur 2. Quilibet excommunicatus, quamuis toleratus, & non vitandus, priuatur communibus Ecclesiæ suffragiis. Ratio est, quia destrueretur propria ratio Excommunicationis, quæ in hoc consistit, vt excommunicatus, priuetur communibus Ecclesiæ suffragiis.

PETES *Qui dicitur excommunicatus toleratus, & non vitandus, & quis non toleratus, & vitandus?*

Vitandus, & non vitandus.

RESPONDEO Vitandus, & non toleratus dicitur ille, qui nominatim est denunciatus excommunicatus. V. G. si dicatur, Petrus esse excommunicatus, potest tamen aliquis non dici vitandus, quamuis sit nominatim excommunicatus, si tamen non sit denunciatus; V. G. cum Petro nominatim denunciato excommunicantur fautores, sed non denunciantur nominatim simul cum illo. E contrà judicandum facilè, quid sit toleratus. Hinc

Percussor clerici est non toleratus.

COLLIGE 1. Notorius Clerici percussor, est excommunicatus vitandus, & non toleratus, modò sit notorius notorietate facti, id est, si percussit Clericum in præsentia multorum, sex aut decem testium.

Sacrificium prodest ex-

COLLIGE 2. Sacrificium Missæ, oblatum à Sacerdote in Persona Christi Domini, & vt Ministro ab ipso deputato, prodest excommunicato,

communi-cato. si ei applicetur à Sacerdote, tanquam Personâ priuatâ, & particulari, & hoc quoad impetrationem, & quoad satisfactionem. Ratio est, quia sacrificium operatur, quoties adest capacitas in subjecto, & non adest impedimentum ex parte illius, cui applicatur. Sed Sacrificium Missæ, est institutum ad hoc, vt sit impetratorium, & satisfactorium, & hoc ex virtute, & meritis Christi Domini. Ergo. Neq; valet si dicas, excommunicato contrito, non prosunt Ecclesiæ suffragia. Ergo neq; sacrificium; Nam sacrificium dupliciter consideratur. Primò secundùm valorem, quem habet ex institutione Christi Domini, & vt sic, non potest computari inter communia suffragia Ecclesiæ. 2. quatenùs offertur nomine Ecclesiæ, & vt sic recensetur inter suffragia Ecclesiæ.

Excommunicato quando Sacrificium prodest.

COLLIGE 3. Sacrificium Missæ applicatum Excommunicato, non ei prodest quoad fructum, & valorem prouenientem ex parte Ecclesiæ. Ratio est, quia Ecclesia priuat talem suffragiis communibus. Porrò Sacerdos, tanquam priuata Persona mentaliter, & secretò in Memento Missæ, orare potest pro Excommunicato, etiam denunciato, cauere tamen debet Sacerdos, ne nominatim illum exprimat in Canone, vel in aliis orationibus publicis.

Quomodo Sacerdos debet orare pro Excommunicatis.

COLLIGE 4. Indulgentiæ non prosunt excommunicatis. Ratio est, quia indulgentiæ numerantur inter suffragia communia Ecclesiæ. Ego &c.

2. effectus Excommunicationis.

Secundus effectus Excommunicationis est, *priuatio participationis Sacramentorum actiua, & passiua*. Circa quem effectum.

DICO 1. Excommunicatus validè recipit Sacramenta, quoad substantiam; non tamen licitè; neq; incurrit aliquam pœnam, exceptâ susceptione Sacramenti ordinis. Probatur 1. pars, quia hic adsunt, vt suppono, omnia requisita ad valorem Sacramenti, materia, forma, & intentio suscipientis, & conferentis. Ergo. 2. pars constat, quia qui facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui, non facit licitè, & hoc regulariter loquendo, nam potest excusari ob ignorantiam vel necessitatem, vt ob vitandum scandalum, infamiam, mortis periculum, &c. non enim Ecclesia obligat cum tanto incommodo. 3. pars patet, Quia nulla pœna extat in jure expressa, contra recipientes Sacramenta in Excommunicatione. Dixi (*excepta susceptione Sacramenti ordinis*) nam excommunicatus, suscipiens ordines, incurrit irregularitatem.

Sacerdos ministrans

DICO 2. Sacerdos administrans Sacramenta Excommunicato tolerato, non peccat ex vi Censuræ; non tolerato verò, peccat mortaliter; & præter

præter peccatum incurrit excommunicationem Minorem, & interdictum ab ingressu Ecclesiæ. 1. pars constat, quia nulla extat prohibitio Ecclesiæ, quâ Sacerdos prohibeatur Sacramenta ministrare excommunicato tolerato. Dixi (*ex vi Censuræ*) nam si respiciamus jus naturale, seu Diuinum, grauiter peccat Sacerdos, præbendo Sacramenta excommunicato, nam excommunicatus indignè petit Sacramenta, jure autem naturali, & Diuino, non sunt Sacramenta administranda indignè petenti, nisi forte petens sit peccator occultus, & publicè petat. Addo, quòd ministrans, nullam incurrat Censuram, quia non est contra prohibitionem Ecclesiæ. 2. pars patet, quia in tali casu, facit contra prohibitionem Ecclesiæ, & hoc etiam verum est, etiamsi ignoret vitandus, se esse excommunicatum, Sacerdos verò sciat. 3. pars probatur, quia si aliis fidelibus, multò magis Sacerdotibus, participatio est interdicta cum vitandis. Addo, Clericus communicans cum excommunicatis à Papa, incurrit excommunicationem Papalem, si in Diuinis participet: maximè si sciat aliquem esse talem, & liberè id faciat, & ille sit excommunicatus, nominatim declaratus. Hinc

Sacramenta excommunicato tolerato quid incurrit?

Nota.

Colligе 1. Sacramenta administrata ab Excommunicato tolerato, sunt valida; & petentes à tali Sacramenta, non peccant mortaliter. Ratio est, quia Concilium Constantiense dedit facultatem fidelibus, communicandi in Sacramentis, & quibusq; Diuinis, cum excommunicatis, suspensis, & interdictis, Irregularibus toleratis. Ergo videtur etiam tacitè concedere facultatem non vitando, administrare Sacramenta; non absoluto, sed solùm contrito.

Sacramenta à tolerato valida.

Collige 2. Omnia Sacramenta administrata excommunicato vitando sunt valida, excepto Pœnitentiæ, quia ad illud caret jurisdictione; ipse verò vitandus administrans, vel celebrans incurrit irregularitatem. Porrò petens, aut recipiens Sacramenta ab excommunicato vitando, extra necessitatem grauiter peccat.

Tertius effectus, *est priuatio rerum aliarum sacrarum.* Circa quem.

3. effectus excommunicationis.

Dico 1. Quiuis excommunicatus ex vi excommunicationis, priuatur auditione Missæ, & si illam audiat peccat grauiter: Ratio est, quia priuatur excommunicatus participatione generaliter in Diuinis (si verò inseruiat Missæ, cùm nullus alius adsit excusatur ratione necessitatis). Præter peccatum mortale, nullam pœnam aliam incurrit, Si verò Sacerdos excommunicatus vitandus, sua auctoritate curet, coram se celebrari sacrum, incurrit irregularitatem, *in Capite Tanta, de excessibus Prælatorum.* Hinc

Nota.

Col-

Collige Excommunicatus admonitus à celebrante, vt exeat, nolens exire, incurrit nouam excommunicationem Papalem, hâc pœnâ mulctatur interdictus, & fautores. *Capite. Eos, de sententia excommunicationis.*

Non licet celebrare coram vitando.

Dico 2. Audientes Missam cum excommunicato vitando, peccant mortaliter: celebrantes verò coram talibus, incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ, Ex *capite Episcopum de priuilegiis in 6.* Admonendus est vitandus, vt exeat, si nolit, omittendum est Diuinum officium, & Missa, modò nondum sit inchoata consecratio: vel secundùm aliquos Major Canon, tunc enim tenetur prosequi sacrificium vsq; ad sumptionem inclusiuè, vt integrum fiat sacrificium. Alii tamen tenentur omnes è templo discedere relicto solo ministrante, cum Sacerdote. Addunt Doctores, quòd post peractam communionem, sacerdos debet ab altari discedere, & reliqua in Sacristia secretò perficere.

Nota diligenter.

Dico 3. Excommunicatus, etiam toleratus, peccat mortaliter, assistendo Diuinis, & Missæ, priuatim tamen si sit Sacerdos, vel Religiosus, tenetur per se (non cum alio, juxta aliquos) horas Canonicas recitare: non enim æquum videtur, vt commodum ex delicto suo reportet. *Vide c. Alma mater, de Sent. excom. in 6.*

Quibus rebus sacris potest vti.

Collige Excommunicatus, non priuatur vsu aliarum rerum sacrarum, V. G. potest ingredi templum, dum Diuina officia non recitantur, nam tunc non dicitur cum aliis communicare, imò etiam alii possunt priuatim fundere preces in eo loco, in quo est excommunicatus vitandus, si non recitent cum ipso. Similiter potest more laicorum, benedicere Mensam, munire se signo crucis.

Concioni possunt adesse excommunicati.

Dico 4. Excommunicatus tam toleratus, quàm vitandus, potest adesse concionibus. Ita habetur *in cap. Responso, de Sent. Excom:* Ratio est, quia communicatio non prohibetur excommunicato, quæ tendit ad ipsius salutem, & emendationem. Sed concio tendit ad hoc. Ergo. Addo licitum esse excommunicato tolerato concionari, quando ab aliis rogatur.

4. effectus carentia sepulturæ.

Quartus effectus Excommunicationis est, *priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ.*

Dico 1. Excommunicatus, qui non fuit absolutus in via, aut post mortem, priuatur sepulturâ Ecclesiasticâ, ita vt, nec possit sepeliri in loco sacro, nec à clero solenniter deduci, nec Ecclesiastica officia pro eo celebrari possunt. Ratio est, quia hæc reputatur ab Ecclesia, quædam cum iis

iis communicatio, quibus autem non communicamus viuis, nec mortuis communicare possumus. Et hoc verum est etiamsi moriens fuerit contritus, & procurâsse credatur absolutionem, debet tamen talis post mortem absolui, & ita frui sepulturâ Ecclesiasticâ.

Tolerati pænitentes possunt sepeliri in loco sacro.

Dico 2. Sepeliens loco sacro excommunicatum, etiam toleratum, quem publicè constat mortuum impœnitentem, peccat contra reuerentiam loci, & finem ad quem institutus est: non enim decens est, vt damnatus inferatur in terram sanctam: Si verò toleratus, dedit signa contritionis ante mortem, etiamsi non fuerit absolutus, licitè sepelitur in loco sacro, & licitè suffragia Ecclesiæ, ei applicantur, vt constat ex *Concilio Constantiensi*. Imò & in dubiis melior pars est præsumenda, si de aliquo dubitatur, an decesserit cum pœnitentia.

Vitandus non est sepeliendus.

Dico 3. Sepeliens excommunicatum vitandum in loco, sacro incurrit excommunicationem majorem, si scienter id fecit, & propriis manibus sepeliuit, vel mandavit; & ab hac excommunicatione non potest absolui donec satisfactionem dederit, ad arbitrium Episcopi. Hæc eadem excommunicatio posita est, contra sepelientes interdictos, vel manifestos vsurarios.

5. effectus inhabilitas ad beneficia.

Quintus effectus Excommunicationis est, *priuatio, & inhabilitas ad beneficia.* Circa quem

Dico 1. Collatio, & præsentatio beneficii facta excommunicato, quamuis tolerato, inualida est. Ratio est, quia excommunicatus est suspensus ab executione sui officii: & hoc verum etiam esse dicunt Suarez, & Auila etiamsi ignoret se esse excommunicatum, siue toleratum, siue non toleratum.

Dico 2. Collatio pensionis, facta excommunicato titulo clericali, est inualida: quia Excommunicatus, sicut aliorum priuilegiorum est incapax, ita & Pensionum.

Dico 3. Validè acceptatur beneficium ab eo, qui tempore collationis, & ejectionis, non erat excommunicatus, licet sit excommunicatus tempore acceptationis beneficii, hoc enim videtur esse jure receptum. Ita Sayrus *lib. 2. cap. 5.* Couaruuias in *c. Alma mater.*

Dico 4. Excommunicatus licitè potest omnes fructus percipere, si modo per se, vel per alium beneficio inseruiat: Si verò non præstat officium, & onera beneficii, amittit fructus, quia nullo titulo potest eos retinere. Hinc

Excommunicatus distributionibus careat.

Collige 1. Excommunicatus, qui non assistit Diuinis officiis, non potest recipere distributiones, quæ dantur assistentibus choro, etiamsi per ipsum non stet, ne absoluatur, & ne intersit choro. Ratio est, quia distributiones non conferuntur, nisi assistentibus choro.

Collige 2. Excommunicatus, qui bona fide beneficium accepit in Excommunicatione, eiq; deseruiuit, etsi postea re cognitâ, teneatur illud relinquere, potest tàmen retinere fructus interim perceptos, congruos sustentationi, quia hi ei pro seruitio impenso debentur: Qui tamen huic sustentationi superflui sunt, restituendi sunt, quia ipse non habet jus nisi ad congruam sustentationem.

6. effectus priuatio jurisdictionis.

Sextus effectus, *Priuatio jurisdictionis Ecclesiasticæ.* Circa quem.

Dico 1. Gesta per excommunicatum vitandum, seu non toleratum, sunt inualida, quoties fiunt ex officio jurisdictionis propriæ, excepta tamen electione Papæ à Cardinalibus excommunicatis factâ. Ratio est, quia Ecclesia, eo ipso quòd non tolerat tales excommunicatos, priuat eos vsu jurisdictionis propriæ.

Dico 2. Gesta per excommunicatum non vitandum, valida sunt, etiamsi pertineant ad jurisdictionem propriam, donèc contra ipsum excipiatur. Ratio est, quia Ecclesia tolerat talem.

Dico 3. Collator potest præsentationem tolerati acceptare, non tamen tenetur. Ratio est, nam etsi possimus, non tamen cogimur, cum ita excommunicatis communicare.

7. effectus priuatio ciuilis communicationis.

Septimus effectus est, *Priuatio Ciuilis communicationis.* Circa quem.

Dico 1. Prohibitum est fidelibus, communicare cum excommunicato vitando, non verò cum tolerato: Ita definitum est *in Concil: Constantiensi:* si tamen in rebus ciuilibus aliquis communicet, vt plurimùm peccat solùm venialiter, si non ita frequenter, secluso contemptu, & scandalo: materiæ enim leuitas excusat à mortali.

Cum quibus excommunicatis licet communicare.

Dico 2. Communicans cum Excommunicato vitando, incurrit minorem Excommunicationem: Quando verò communicat in crimine criminoso, id est, cùm cooperatur crimini, vel contumaciæ, propter quam lata est excommunicatio, peccat mortaliter, & incurrit Majorem Excommunicationem. Ratio est, quia agentes, & consentientes, pari pœnâ puniri debent: vnde & ab eodem debet absolui, à quo & principalis.

Quibus casibus prohi-

Qværes I. *In quibus casibus vetitum sit cum Excommunicatis communicare?*

Re-

Respondeo In his casibus, qui hoc versiculo continentur. *bitum sit communicare cum Excommunicatis.*

Os, orare, vale, communio, mensa negatur. Per (*os*) intelligitur, locutio, siue per verba, siue per literas. Per (*orare*) prohibetur oratio simul cum Excommunicatis; Per (*vale*) prohibetur omnis honorifica salutatio. Per (*communio*) intelligitur, Societas, quæ fit communicando cum excommunicatis in habitatione, exercitio, & contractu, &c. Per (*Mensam*) intelligitur, communicatio cibi, & potus ad eandem mensam, vel in eodem conuictu, vel Refectorio.

Quæres 2. *Quando licitum est communicare cum Excommunicatis?* *Quando permissum est à jure.*

Respondeo In his casibus, qui hoc versu continentur.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse. Per (*Vtile*) intelligitur, necessitas tam spiritualis, quàm temporalis, modo sit vera, non ficta. Per (*legem*) intelligitur jus matrimonii, Per (*Humile*) intelliguntur subjecti, vt liberi, serui, famuli. Per (*Res ignorata*) intelligitur, quæuis probabilis ignorantia, aut inculpabilis ignorantia juris, vel facti. Adverte tamen hîc, sæpè contingere ignorantiam, eo quòd aliquo modo culpabilis sit, non excusare omninò à peccato, excusare tamen, ne incurratur pœna statuta iis, qui cum excommunicatis communicant. Per (*Necesse*) intelligitur, necessitas excusans à peccato, participando cum excommunicato vitando V. G. juuando in rebus necessariis, tam spiritualibus, quàm temporalibus excommunicatum, vel ab excommunicato similia petendo.

Quæres 3. *Quale peccatum sit communicare cum excommunicatis?* *Triplex communicatio.*

Nota. Sicut triplex est communicatio. Vna in sacris; alia in actibus Ecclesiasticis; tertia merè humana, ita in omnibus his excommunicationibus, ponunt aliqui communicare cum excommunicatis, esse peccatum mortale: sed hæc opinio est nimis rigorosa, & licet communicare in Diuinis, cum vitandis, sit peccatum mortale, non tamen in actibus Ecclesiasticis, vel ciuilibus, nisi quando materia est grauis, secùs si leuis.

Octáuus effectus est, *priuatio forensis, & judicialis communicationis aut Ciuilis.* Circa quem. *8. effectus*

Dico 1. Omnis judex tam Ecclesiasticus, quàm Ciuilis, priuatur vsu jurisdictionis pro tempore, quo remanet excommunicatus vitandus: nam æquum est, vt qui repellitur ab Ecclesia, jurisdictionem non habeat in membra Ecclesiæ, Atq; hinc sequitur quòd inualida sint gesta illius, & mortaliter peccat sententiam ferendo, quia non habet jurisdictionem. Colligitur *ex cap. pia, de exceptionibus in 6.* *Judicare non potest.*

 Dico 2.

Dico 2. Excommunicatus etiam toleratus, non potest esse Actor in judicio in Causis Ciuilibus, & Ecclesiasticis, siue per se, siue per alium. Ita habetur *cap. Decernimus de Sent: excom: in 6.* Et licet non possit agere, nec quenquam accusare, potest tamen se ipsum defendere in judicio.

Testari an possit. Dico 3. Toleratus licitè potest ferre testimonium: quia actus testandi vergit in fauorem illius, pro quo præstatur. Excommunicatus verò vitandus illicitè exercet officium testantis, nisi in causa fidei; similiter illicitè exercet officium aduocati, aut procuratoris: quia sic participaret cum aliis, contra obligationem Censuræ, verumtamen est, acta illius esse valida. *cap. Decernimus de Sent: Excom: in 6.*

9. effectus Nonus effectus est, *annullatio impetrationis gratiarum.*

Decimus effectus est, *Suspicio de hæresi.* Circa quem.

Decimus. Dico Excommunicatus perseuerans in Excommunicatione per annum, suspectus est de hæresi, consequenter contra ipsum, tanquam de hæresi suspectum procedi potest, juxta Tridentinum *Sessione 25. c. 3. de reformatione.* Addo, Clericus persistens in Excommunicatione per annum, priuari potest beneficiis, quæ possidet, per Judicem, imò judex tenetur eum priuare.

ARTICVLVS V.

De Minori Excommunicatione.

Excommunicatio Minor. Dico 1. Excommunicatio minor, est Censura Ecclesiastica, separans fidelem à passiua Sacramentorum participatione. Ita communiter omnes. Dicitur Minor respectiuè ad majorem, & ad effectus illius.

Dico 2. Excommunicatio minor incurritur, participando in rebus prohibitis, cum excommunicato vitando, affecto majori excommunicatione & denunciato: Notandum est hîc, quòd ista excommunicatio minor incurratur, etiam quando est participatio venialis cum excommunicato. Incurritur etiam à participante cum percussore clerici notorio.

1. effectus excommunicationis minoris. Dico 3. Excommunicatio minor, parit duos effectus; Primò priuat directè passiua Sacramentorum participatione, & sic recipiens in minori excommunicatione Sacramenta, peccat mortaliter, V. G. sumendo Eucharistiam, contrahendo matrimonium, &c. Addo, quòd & ministrans tali Sacramenta, grauiter peccat, cooperatur enim peccato alieno.

Petes

PETES *An excommunicatus minori excommunicatione, peccet administrando Sacramenta?*

RESPONDEO Aliqui dicunt talem mortaliter peccare, sed probabiliùs Nauar. *cap. 27. num. 24.* & Suarez. *disp. 24.* neq; venialiter. Ratio est, quia excommunicatio minor, non priuat actiua participatione Sacramentorum, sed solùm passiua.

Secundus effectus Minoris excommunicationis est, priuat electione, præsentatione, & collatione beneficii passiua, ita vt excommunicatus minori excommunicatione, non possit licitè eligi, vel præsentari ad beneficia, quamuis electio, vel præsentatio valida sit. Atq; hinc sequitur, Excommunicatum minori excommunicatione, peccare mortaliter, recipiendo beneficium, quia facit contra obligationem Censuræ, & prohibitionem Ecclesiæ, sicut etiam & ille videtur grauiter peccare, qui scienter eligit talem, non tamen Minor Excommunicatio priuat electione, aut præsentatione actiua. *2. effectus.*

DICO 4. Ab Excommunicatione Minori lata à jure, ille solùm potest absoluere, qui habet potestatem, vel ordinariam, vel delegatam. Constat ex *Quæst: octaua.* Inde

COLLIGE 1. Parochus ab excommunicatione minori, potest absoluere, etiamsi nondùm sit Sacerdos, nam absolutio excommunicationis non est actus ordinis Sacerdotalis, sed est actus jurisdictionis, qui competit parocho, licet non sit Sacerdos.

COLLIGE 2. Qui potest absoluere à mortalibus, potest absoluere ab hac excommunicatione: an autem simplex Sacerdos possit absoluere, non habentem mortalia ab hac excommunicatione, affirmat Toletus, *lib. 1. cap. 11.* probabiliùs alii negant. Suarez. *disp. 7. Sect. 4.*

ARTICVLVS VI.

Quinam possint excommunicari?

Subjectum capax Excommunicationis.

DICO Subjectum capax Excommunicationis est homo viator, & viuus in hac mortali vita, adultus, & baptizatus, & qui in terris superiorem habet, & alteri subjectus est. Dicitur 1. *(Homo viator)* per hanc particulam excluduntur bruta animantia, quia non sunt capacia delicti: & Beati, tùm quia non sunt capaces delicti; quia sunt naturâ suâ extra forum Ecclesiæ, & licet S. Paulus Angelis videatur dicere anathema *ad Galat. 1.* per exagge-

exaggerationem illud dicit, ad ostendendam firmitatem fidei, & quàm sit execrabilis, qui contrarium docet, excluduntur etiam dæmones, & damnati, quia licet sint culpæ capaces, tamen jam non possunt emendare delictum, atq; adeò ratione status sunt extra forum Ecclesiæ. Dicitur *(Adultus.)* quia qui non est capax delicti, non est capax censuræ; nam vt aliquis ligetur Censurâ, necessariò requiritur in eo vsus rationis. Dicitur (*viuus in hac vita mortali,*) quia potestas excommunicandi tradita est à Christo Domino Ecclesiæ, propter incorrigibiles, & contumaces: non enim pro peccato præterito commisso fertur censura, sed ad eam incurrendam, requiritur contumacia. Vnde V. G. qui Missam die Dominica præterita non audiuit, non potest excommunicari propter omissionem Missæ, si non erat præceptum impositum audiendæ Missæ sub excommunicatione: ad incurrendam enim censuram requiritur admonitio, aliâs censura non esset medicina, sed vindicta. Vnde Christus Dominus tradens Ecclesiæ facultatem excommunicandi, nonnisi rebelles, & contumaces nominauit. Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus.* Atqui solus homo viuus potest esse contumax, contra Ecclesiam, solusq; potest emendari; mortuus enim, cùm sit extra Ecclesiam, non potest esse contumax, nec ampliùs emendari potest, si jam condemnatus est; tum quia est extra forum Ecclesiæ. Dixi *(Baptizatus)* quia Ecclesia non habet jurisdictionem de iis, qui foris sunt, juxta illud 1. ad Corinth. 5. *Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare?* Dixi (*vt alteri subjectus sit*) & sic Papa non potest excommunicari, omnes verò alii possunt, quando fertur generalis Censura à Papa, nisi eximantur. Similiter nemo potest seipsum excommunicare, quia nullus seipso est inferior. Hinc

Viuus.

Baptizatus

Alteri subjectus.

COLLIGE I. Qui exempti sunt ab Episcopi auctoritate, & jurisdictione, non ligantur censuris Episcopi, vt sunt, Imperator, Reges, & Religiosi.

Vniuersitas non potest excommunicari.

COLLIGE 2. Ad incurrendam Censuram Excommunicationis, necesse est, vt sit homo determinatus, non enim tota aliqua vniuersitas, vel communitas excommunicari potest, vt patet *ex cap. Romana, de sententia Excommunicationis in 6.* aliâs contineret in se errorem intollerabilem, punirentur enim innocentes grauissimâ pœnâ, aliud est de Suspensione, & Interdicto, potest enim interdictum ferri in communitatem, quia non sunt ita graues pœnæ, suspensio, & Interdictum, sicut Excommunicatio.

AR-

ARTICVLVS VII.

De Absolutione ab Excommunicatione: Seu Quis possit absoluere ab Excommunicatione?

DICO 1. Ab excommunicatione Majori, potest absoluere, qui eam tulit, vel ejus Successores: ab Excommunicationibus in jure positis, illi quibus sunt reseruatæ: idq; etiam extra Confessionem: aut quibus delegatum est, sed videre debent delegati, an habeant delegationem extra Confessionem. Qui verò ex priuilegiis possint absoluere ab Excommunicatione, videant diligenter sua priuilegia, quomodo, & quantùm se extendunt, vel extendere possint. *Quis possit absoluere ab excommunicatione.*

DICO 2. Ab omnibus Excommunicationibus, & peccatis, poterant Prælati suos subditos absoluere, cum jurisdictionem habeant in vtroq; foro ex jure communi, non solùm ex priuilegiis, etiam & ab hæresi, & hoc per priuilegium concessum ab Alexandro VI. Prælatis Ordinis Minorum, vt refert Portel *in dub. Regul. V. hæresis n. 2.* & ex priuil: Gregorii XIII. concesso Societati JEsu, quod & ego intimaui hîc *Q. 8. S. 5. a. 3. in fine*, quod priuilegium refert Suarez *T. 4. de Relig. lib. 2. c. 21. n. 10.* Verum per Decretum Vrbani VIII. An. 1628. revocantur omnia priuilegia Regularium absoluendi à casibus contentis in Bulla cœnæ, vt est hæresis &c. Vnde priuilegia concessa corruunt, nisi fortè de nouo alicui Religioni concessa sint. *Religiosorum Prælati an possint subditos absoluere à Bulla Cœnæ casibus.*

DICO 3. In articulo mortis quilibet simplex Sacerdos, etiam interdictus, irregularis, & excommunicatus, potest absoluere à Censuris, quando non patet aditus ad superiorem, vel non sit proprius, vel bonus, aut approbatus Sacerdos; quòd si ille excommunicatus periculum mortis euadat, & absolutus est ab aliquo ex præfatis Sacerdotibus, tenetur se præsentare coram Superiore, habente auctoritatem à tali Censura: *ita communiter DD.* *In articulo mortis quiuis Sacerdos.*

DICO 4. In absolutione Censuræ, non requiritur determinata forma, sed sufficiunt quæcunq; verba tollentia Censuram, ore, vel scripto expressa: in vsu communi hæc habentur. *Absoluo te à vinculo excommunicationis.* Hinc *forma absolutionis ab Excommunicatione.*

COLLIGE 1. Potest vna Censura auferri, manente alia, quia non sunt connexæ: vnde si aliquis petat absolutionem ab vna tantum censura, & superior absoluat illum ab omnibus, non absoluitur, nisi ab illa à qua petit.

COL-

Notent confeßarij in Jubileis.

COLLIGE 2. In Jubileis non potest dari absolutio ab Excommunicationibus reseruatis extra Confessionem; quia id Bulla Jubilei requirit.

COLLIGE 3. In absolutione Censuræ, quæ in foro externo impenditur, seruandæ sunt Cæremoniæ præscriptæ à jure, & publicanda est absolutio, si delictum publicum erat, vt sciant fideles esse absolutum. Videndæ sunt in Pontificali Cæremoniæ istæ.

COLLIGE 4. Absolutio Censurarum in rigore loquendo, potest validè ferri sub conditione, etiam de futuro. Ratio est, quia censura potest ferri sub conditione de futuro. Ergo & ejus absolutio potest ferri de futuro: nam absolutio Censuræ est quædam sententia humana, quæ humano modo fertur, juxta voluntatem ferentis.

COLLIGE 5. Habens facultatem delegatam, potest absoluere juxta concessionem sibi factam; quare quando conceditur facultas absoluendi absolutè, potest absolutionem impendere, extra Confessionem, facultas enim absolutè, & generaliter lata, generaliter intelligenda est, nec est restringenda ad absolutionem impendendam in confessione, cùm verba non importent hujusmodi restrictionem.

COLLIGE 6. Habens facultatem ordinariam, vel delegatam absq; limitatione satisfactæ partis, validè absoluit pœnitentem, si autem habeat priuilegium limitatum sub conditione satisfactionis, non potest validè absoluere pœnitentem, qui nondùm satisfecit.

Absens validè absoluitur ab excommunicatione.

COLLIGE 7. Absens localiter, validè potest absolui ab Excommunicatione: nam sicut absens potest ligari, ita & absolui. Vnde cùm confessarius absoluit, à peccatis habentibus annexam excommunicationem reseruatam, à qua ipse non poterat absoluere, potest obtentâ facultate absoluendi, absoluere absentem ab excommunicatione, cùm hæc pendeat ab intentione absoluentis.

SECTIO III.

De Suspensione.

Tria in præsenti Sectione examinabimus.

1. Quid sit & quotuplex suspensio, & quomodo differat ab aliis Censuris?
2. Quando incurratur suspensio, & quamdiu duret?
3. De effectibus suspensionis, & de absolutione ipsius?

ARTICVLVS I.

Quid sit suspensio, quotuplex, & quomodo differat ab aliis Censuris?

Suspensio quid?

DICO I. Suspensio, est censura Ecclesiastica, quâ Persona Ecclesiastica impeditur, ne functiones exerceat sui officii, vel beneficii, vel ordinis in totum, vel in partem, in perpetuum, vel ad tempus. Dicitur (*Ecclesiastica*) & per hoc distinguitur à prohibitionibus ciuilibus. Dicitur (*quâ personâ Ecclesiastica*) per hoc ostenditur subjectum suspensionis, non enim ligat laicos, sed personas Ecclesiasticas, suspensio enim impedit vsum facultatis, quam quis habet. Dicitur (*officii, vel beneficii*) per hoc ostenditur effectus suspensionis, de quo infra. Dicitur (*in totum, vel in partem, in perpetuum, vel ad tempus,*) per hoc indicatur suspensionem habere latitudinem, quia aliquando aliquis suspenditur ab omni officio, aliquando, à parte, aliquando pro certo tempore, & aliquando in perpetuum.

Multiplex Suspensio.

DICO 2. Suspensio alia est ab officio tantùm, siue officium sit ordinis, siue jurisdictionis; alia est à beneficio tantùm quocunq;; alia est à beneficio, & officio simul. Deinde alia est suspensio pœnalis, quæ fertur in pœnam, & vindictam delicti præteriti; alia est medicinalis, quâ intenditur emendatio, & bonum delinquentis, & hæc est propriè Censura. Prætereà Alia est temporalis, quæ fertur ad tempus; alia perpetua quæ fertur absq; limitatione temporis. Deniq; alia est à jure, alia ab homine.

Differt suspensio ab aliis Censuris

DICO 3. Suspensio differt ab aliis Censuris. Primò differt à Majori excommunicatione, tùm quia major excommunicatio plures parit effectus, quàm suspensio: tùm quia Excommunicatio priuat actionibus, quatenùs sunt quædam communicatio, suspensio verò illis priuat, quatenùs sunt quædam functiones officii, vel beneficii. tùm quia Episcopus ferens Excommunicationem non potest illam limitare ad aliquem solum ipsius excommunicationis effectum, sicut potest suspensionem, quia Excommunicatio habet à jure suos effectus. 2. Differt à Minori excommunicatione, quia hæc priuat solùm, passiuâ receptione Sacramentorum, suspensio verò priuat actiuâ, & plures habet effectus, vt patebit infra. 3. differt ab interdicto; tùm quia suspensio non inducit priuationem tantarum rerum, sicut interdictum: tùm quia suspensio fertur in personas Ecclesiasticas, interdictum verò fertur tam in laicos, quàm in clericos: tùm quia interdictum magis priuat vsu passiuo, quàm actiuo. 4. differt ab irregularitate,

Differt à Minori Excommunicatione.

Ab interdicto.

Ab irregularitate.

tate, quia hæc priuat susceptione Ordinis, vt ordo est, suspensio verò priuat exercitio ordinis, vel beneficii, vel potestatis Ecclesiæ.

ARTICVLVS II.

Quando incurritur suspensio, & quamdiu durat?

NOTA Suspensio incurritur à Clericis, ab Episcopis, à Capitulis, & Conuentibus, & à Religiosis, & omnes præfati, innumerabiles contrahunt suspensiones, quas moraliter loquendo impossibile est recensere, præcipuas breuiter vniuscujusq; indicabo.

Qui suspensionem incurrunt. Clericorum Suspensiones

DICO I. Suspenduntur omnes Clerici, recipientes sacros ordines ficto patrimonio, vel beneficio, hi enim incurrunt suspensionem ab ordine, ita suscepto; ita habetur *in Bulla Pij V. quæ incipit Romanus Pontifex.* 2. Suspenduntur recipientes ordines extra constituta tempora, vel ante legittimam ætatem, vel sine literis dimissoriis, vt habetur in *Extrauaganti Sixti V.* quæ incipit. *Sanctum & salutare.* porrò recipientes minores ordines ante legittimam ætatem non suspenduntur. Similiter non suspenduntur, qui recipiunt ordines non seruatis interstitiis, peccant tamen grauiter tales, quia faciunt contra præceptum Tridentini *Sess. 23. cap. 11.* si hoc faciant absq; licentia Episcopi, vel speciali priuilegio. 3. Suspenduntur Clerici, qui vno die recipiunt duos ordines sacros vel si recipiant eodem die Minores, cum subdiaconatu, remanent suspensi à subdiaconatu. Ita Nauar: *cap. 27. num. 71.* Emmanuel Sa, *verbo suspensio, num. 10.* Sayrus. *cap. 14. & alij.* Eadem suspensio extenditur ad eos, qui recipiunt duos ordines sacros, duobus diebus continuis, & immediatis, absq; dispensatione. 4. Suspenduntur Clerici per saltum ordines sacros suscipientes *cap. vnico, de cler.: per saltum promoto.* potest tamen Episcopus ex causa, cum hujusmodi promoto dispensare, si non ministrauerit ex Trid: *Sess. 23 cap. 14.* 5. Suspenduntur illi, qui recipiunt ordines ab Episcopo, excommunicato, suspenso, aut interdicto, aut denunciato vitando. Idem dicendum est de eo, qui recipit ordines ab Episcopo Simoniaco, per sententiam declarato: cap. *Si quis de Simoniacis.* 6. Suspenduntur illi, qui aliquem ordinem suscipiunt scienter per Simoniam, talis enim suspensus est ab ordinibus, quamuis Simonia sit occulta *cap. per tuas, de Simonia.* 7. Suspenduntur illi, qui scienter ordines recipiunt in excommunicatione, talis enim suspensus est ab ordine sic suscepto. *cap. Cum illorum, de sententia excommunicationis.* 8 Suspenduntur illi, qui recipiunt ordines sacros furtiuè, id est, sine titulo vero, sine dimissoriis,

sine

sine examine. *c. 1. de eo qui furtiuè.* 9. Illi qui suscipiunt ordines post matrimonium contractum, etiam non consummatum, exceptis casibus à sacris Canonibus permissis, nimirum, vt vxor consentiat, & religionem intret, vel votum continentiæ perpetuum faciat: vel quando vir innocens, licitè potest facere diuortium, quoad thorum, & habitationem, tunc potest vel sacros ordines recipere, vel religionem intrare; exceptis his casibus à jure expressis, suscipiens ordines post matrimonium contractum, suspenditur non solùm ab ordine sic suscepto, verum etiam ab officio, & beneficio. *Extrau: Antiquæ de voto.* 10. Suspenduntur illi qui Missam celebrant, & non communicant in illa. 11. Suspenduntur illi qui celebrant in loco interdicto à jure, vel ab homine. *cap. Episcop. de priuilegiis in 6.* 12. Suspenduntur illi qui præsumunt omittere Missam incompletam sine graui causa, tales enim suspensi sunt à corpore & sanguine Christi Domini. *cap. Nullus Episcopus, de Consecrat: dist. 1.* 13. Suspenduntur illi clerici, etiam Religiosi, qui admittunt ad Sacramenta publicè denunciatos, interdictos, & excommunicatos; *cap. Episcoporum de priuilegijs in 6.* 14. Suspenduntur illi qui admittunt ad communionem altaris, ad sepulturam Ecclesiasticam vsurarios manifestos, antequam dederint satisfactionem, vel idoneam cautionem de satisfactione. *cap. Episcop. de priuilegiis in 6.* 15. Suspenduntur omnes illi etiam Religiosi conjungentes matrimonium, vel benedicentes, subditos alterius paræciæ, absq; licentia parochi; vel ordinarii, tales enim suspenduntur ab officio, donec ab Ordinario parochi obtineant absolutionem, ita Tridentin: *Sess. 24. cap. 1. de reformatione.* 16. Suspenduntur qui alienis debitis Ecclesias sibi commissas grauare præsumunt, aut literas, aut sigilla alteri concedere, quibus obligari possint: hi enim suspenduntur ab administratione temporalium, & spiritualium. *cap. 2. de solutionibus.* 17. Suspenduntur Judices Ecclesiastici, non Episcopi, qui faciunt injuriam parti litiganti in judicio, amore, pretio, vel odio, tales enim suspenduntur per annum, ab executione officii *cap. Cum æterni de Sentent. excom.* ad hanc Censuram incurrendam duo copulatiuè requiruntur, nimirùm vt fiat contra justitiam, & contra conscientiam. 18. Suspenduntur clerici ferentes sententiam excommunicationis, sine scriptis, aut sine causæ expressione, tales enim suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ, & à Diuinis officiis per mensem. *cap Cum Medicinalis, de sententia excommunicationis.* 19. Suspenduntur visitatores qui in visitatione recipiunt munera, vel pecuniam, & hoc ab officio, & bene-

 ficio,

ficio, nisi intra mensem restituant eidem Ecclesiæ à quâ acceperunt. *cap. exigit de censibus in 6.* 20. Incurrunt omnes illi suspensionem, qui in actibus publicis, nimirùm Concionibus, lectionibus, disputationibus, asserunt B. Virginem conceptam fuisse in peccato originali, & hoc Decreto Sixti IV; Pauli V. Porrò Gregorius XV hoc decretum ampliauit, & extendit ad priuata colloquia, ad euitanda scandala, dissensiones & discordias, quæ oriri possent, & jam oriebantur in multis regionibus ex priuatis sermonibus, occasione opinionis affirmatiuæ. Vlteriùs sub eisdem Censuris, & pœnis mandauit, ne illi qui opinioni negatiuæ firmiter adhærent, & in publicis actibus afferunt, ne opinionem affirmatiuam impugnent, vel de ea aliquo modo agant, seu tractent, cùm non fuerit voluntas Sanctitatis suæ opinionem affirmatiuam reprobare, sed solùm silentium indicere, propter scandala, quæ in populo oriebantur. 21. Suspenduntur Clerici raptores in Trident. *Sess. 24. cap. 6.* non tamen suspensione ipso jure lata, sed ferenda. 22. Clerici concubinarii notorii, jure antiquo erant suspensi, modo sunt suspendendi, ex Trident. *Sess. 25. capite 14. de reformatione.*

Episcoporum suspensiones.

Dico 2. Suspensionem incurrunt Episcopi, Abbates, & alii à Sede Apostolica promoti, sine literis authenticis, ejusdem sedis; suam Ecclesiarum administrationem recipientes. *Extrauaganti 1. de electione inter communes* Capitula verò, vel Conuentus talium Ecclesiarum, qui hujusmodi Episcopos, vel Superiores absq; præfatis literis recipiunt, suspenduntur à beneficiis, donèc à Summo Pontifice gratiam obtineant. *Extrauagant. 1.* Sayrus *libro. 4 cap 12 num. 25.* Suarez. *disp. 31 Sect 5 num 23.* asserunt, non constare, vtrum singuli de capitulo, suspensionem à beneficiis incurrant, vel totum capitulum à beneficiis. Item Episcopus, vel alius Episcopo superior, qui consecrationem accipit ab excommunicatis, suspensis, interdictis vitandis, suspensus est à Pontificalibus *c. Gratia 1. q. 1.* etiamsi ignorauerit eos esse tales. Item Conferentes Ordines, vel primam tonsuram extraneo, absq; licentia sui Episcopi, ita Trident: *Sess 6 cap. 5. de reformatione.* Et *Sess 23. cap. 8* & sic ordinati si fungantur suis officiis, fiunt irregulares. Item Episcopi ordinantes in aliena Diœcesi sine licentia expressa ordinarii, aut ordinantes de licentia Episcopi personas non subditas, suspenduntur à Pontificalibus, in Tridentino *Sess. 14. cap. 2.* Item ordinans Religiosum non professum, suspenditur per annum à collatione ordinum, per Bullam Pii V. Item Ordinans bigamum, vel eum qui facit

pœni-

pœnitentiam publicam, suspensus est à celebratione per annum: *cap. Nullus dist. 55.* Item ordinans Sacerdotem indignum suspenditur à collatione ordinis Sacerdotalis *cap. Si qui Episcopi 1. q. 1.* licet hanc suspensionem non ipso jure latam tradunt nonnulli, quia in textu dicitur, *Ordinationis jus vlterius non habebunt*, quod verbum est futuri temporis. Item conferens tonsuram illiterato, suspensus est per annum, à collatione tonsuræ. Porrò illiteratus ille dicitur, qui nescit legere, neq; scribere. Eâdem Censurâ ligatur conferens tonsuram infanti, qui nondum compleuit septennium *cap. Finali de tempore ordinatorum lib. 6.* Item conferens duos ordines sacros eodem die, vel duobus diebus immediatis, suspenditur à collatione vtriusq; ordinis. *cap. literas, de tempore ordinat.* & Trident. *Sess.* 23. vbi reuocantur priuilegia conferendi duos ordines sacros eodem die. Item Episcopus Simoniacè conferens Ordines, vel primam tonsuram, suspenditur non solùm à collatione ordinum, & primæ tonsuræ per triennium. *cap. penult. de Simonia*, verum etiam à Pontificalibus, & ab ingressu Ecclesiæ, ex Bulla Sixti V. quæ ad hoc, non est reuocata. Item suspenditur Episcopus, qui debitam diligentiam non adhibet circa electum ad curam animarum, *cap. nihil de electis*, suspenditur verò talis, à facultate, confirmandi primum illius successorem, & à beneficio. Item Episcopus accipiens aliquid in visitatione in pecunia, vel victualibus, suspenditur ab ingressu Ecclesiæ, donèc duplum restituat; non obstante quauis remissione, *cap. Exigit de Censibus in 6.* Eandem censuram incurrunt, & alii visitatores inferiores, si munera recipiant, aut etiam in victualibus, ab iis, quibus visitationis officium non impendunt, nisi intra mensem duplum restituant, & hoc ab officio, & beneficio suspenduntur. *Ibidem in jure.* Item Episcopi abutentes officio inquisitorum in causis fidei, suspenduntur ab officio per triennium. *Clementina 1 §. verum de hæreticis* Item alienantes bona Ecclesiarum, vel monasteriorum, suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ, si id faciant absq; licentia Papæ. Eadem suspensio, extenditur ad Abbates, alii verò inferiores ligantur excommunicatione per *Extrauag. Ambitiosè.*

Suspensiones Capitulorum.

DICO 3. Suspenduntur capitula, Ecclesiæ, vel monasteria quæ Episcopum, aut Prælatum Religiosum, à sede Apostolica prouisum, sine literis ejusdem sedis, recipiunt, aut illi obediunt, suspenduntur à beneficiis *Extrauag. 1. de electione.* Item capitula, & Conuentus, qui aliquid directè, vel indirectè accipiunt, ob receptionem alicujus in Religionem,

aut post illam, suspenduntur ab officio, & beneficio, quæ suspensio, Papæ reseruata est. *Clementina sanè, de Simonia.*

Contra Religiosos.

Dico 4. Contra Religiosos, multæ fulminantur suspensiones, in iure communi. Primò Contra recipientes ordines sacros, absq; licentia suorum Prælatorum. 2. Contra Prælatos, alienantes bona suorum Conuentuum, absq; debita solennitate. *Clementina 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis.* 3. Contra Prælatum subjicientem laicis bona immobilia Ecclesiæ, vel jura illius absq; licentia Papæ. *Extr. Ambit.* 4. Contra Prælatum admittentem Nouitium ad professionem, non finito anno probationis, & talis solùm suspenditur à receptione aliorum Nouitiorum. *c. non solùm de Regularibus in 6.* 5. Contra Religiosos vsurpantes sibi decimas Parochiæ, absq; priuilegio, & hi suspenduntur ab officio, & beneficio. *Clement: 1. de Decimis.* 6. Contra Confessarios, non facientes conscientiam dè Decimis, iis, quorum Confessiones audiunt. *Clementina cupientes, de pœnis.* 7. Contra Religiosos, qui ex administratione SS. Eucharistiæ, Extremæ vnctionis, vel Matrimonii solennis, aut quacunq; absolutione indebita acquisierint aliquid, nisi restituant intra mensem postquam requisiti fuerint. Trident: *Seß. 24. cap. 1. de reformat.* 8. Contra Fratres Prædicatores, perturbantes in officio sanctæ inquisitionis, Fratres Minores, & è contra, per Bullam Clement. IV. 9. Contra Prædicatores promotos ad Episcopatum, si non reddant ordini libros, & alia, quæ habebant tempore promotionis, isti enim incurrunt suspensionem à Pontificalibus, Papæ reseruatam; *ex priuilegio Clement. IV.* 10. Contra Abbates, aliosq; quoscunq;, licet exemptos, qui dant aliis dimissorias, quàm suis Regularibus, vel si conferant Abbates, ordines Minores aliis, quàm suis subditis Regularibus, & tales suspenduntur ab officio, & beneficio per annum; ita Trident: *Seß. 23. c. 10.* 11. Contra Concedentes dimissorias, ad suscipiendos majores ordines Nouitio; quia talis Nouitius Clericus, non est Religiosus. 12. Contra Religiosos præsumentes introducere Mulieres in monasteria, isti suspendũtur à Diuinis, priuãturq; beneficiis; & ad illa inhabiles redduntur per Bullam Pii V. quæ incipit, *Regularium.* 13. Contra Monachos S. Benedicti, non vtentes habitu, & vestitu, ad formam præscriptam *in Clementina 1 § Si quis autem, de statu Monachorum.* 14. Contra Religiosos, qui ad ordines Sacros, nondum facta professione promouentur, isti enim suspensi sunt ab ordinum susceptione, per Bullam Pii Quinti. 15. Suspenduntur ab exercitio ordinum Apostatæ, ejecti ex Religione, per decretum Sanctæ Congregationis Cardinalium,

nalium, de facultate Vrbani VIII. editum die 21. Septembris 1634. quòd si talis celebret, innodatur vinculo irregularitatis.

Quantùm ad durationem suspensionis. Dico 1. Suspensio absolutè prolata absq; conditione, vel limitatione temporis, durat, donec auferatur per absolutionem. Ratio est, quia suspensio, est Censura, quâ ligatur anima, donec absoluatur, nisi aliter constet, de voluntate legislatoris. *Quamdiu durat suspensio.*

Dico 2. Suspensio lata cum temporis determinatione, durat intra tempus determinatum, & eo tempore elapso, cessat. Ratio est, quia censura non ligat vltra voluntatem conditoris.

Dico 3. Suspensus ab officio ab aliquo superiore, est vbiq; suspensus, consequenter non potest alibi exercere officium, si suspensio lata sit absq; loci determinatione. Ita Suarez. *disp. 26. Sect. 1. num. 11.* Ratio est, quia suspensio non est consideranda, vt est pura prohibitio, vel præceptum, sed vt inhabilitas instituta ab Ecclesia, quâ suspensus fit inhabilis vbicunq; sit. Quod dicitur de suspensione ab officio, idem sentiendum de suspensione à beneficio.

ARTICVLVS III.

De Effectibus Suspensionis, & de absolutione ipsius.

Quantùm ad effectus. Dico 1. Suspensio lata absolutè, absq; limitatione expressa, vel tacita, suspendit ab officio, & beneficio. Ratio est, quia verba accipienda sunt prout sonant, & cùm sint generaliter prolata, generaliter accipienda. *Effectus suspensionis.*

Dico 2. Suspensio lata cum expressione alicujus effectus particularis, extenditur ad illum effectum, & ad ea, quæ sunt illi annexa, & non ad alia. Ratio est, quia censura hoc operatur, quod significat: si ergò significat effectum aliquem particularem, ad illum duntaxat extenditur, & non ad alias actiones, quæ non sunt illi annexæ. vnde suspensus à celebratione, potest alia officia Sacerdotis præstare.

Colliges 1. Episcopus suspensus tantùm à Pontificalibus, intelligitur solùm suspensus ab illis, quæ concernunt Episcopum, qualia sunt confirmare, ordinare, Ecclesias consecrare, &c. non est autem suspensus ab iis, quæ pertinent ad jurisdictionem, cujusmodi sunt excommunicare, beneficia conferre: sicut etiam non intelligitur suspensus à celebratione Missæ, nam celebratio propriè, non pertinet ad Pontificalia. Ob eandem causam potest confessiones audire, baptizare, &c. *Pontificialia quæ?*

Col-

COLLIGE 2. Suspensus ab ordine, non est suspensus à jurisdictione, quia ordo non est necessariò annexus jurisdictioni, vt supra visum est.

COLLIGE 3. Suspensus solùm ab ordine, non est suspensus à beneficio, vel ejus fructibus, quia beneficium non fundatur in ordine, sed in prima tonsura. Aliqui tamen putant suspensum esse, & à fructibus beneficii, & verè probabiliter, si munus suum, non præstat per alium. Ita Sayrus *cap. 2. num. 21.*

COLLIGE 4. Suspensum simpliciter, & absolutè sine vlla limitatione ab ordine, vel ab officio, intelligi suspensum ab omni ordine, & ab omni officio etiam jurisdictionis.

COLLIGE 5. Collatio beneficii, facta suspenso ab officio, non est valida.

COLLIGE 6. Fructus beneficii pro tempore quo aliquis permanet suspensus à beneficio, conuertendi sunt in vtilitatem Ecclesiæ detractis iis, qui traduntur substituto ad inseruiendum. *cap. Si quis deinceps 17. q. 4.*

Suspensus ab officio non potest Sacramenta administrare.

COLLIGE 7. Suspensum ab officio, non posse Sacramenta administrare, quia exerceret officium, contra prohibitionem: potest verò Sacramenta recipere, quia receptio Sacramentorum, non est actus officii, & jurisdictionis, & consequenter potest recipere Indulgentias & sepeliri in loco sacro. Ita Suarez *disp. 27. Sect. 3.*

COLLIGE 8. Suspensum à Diuinis officiis, non posse Diuina officia persoluere ex officio, potest tamen illa absoluere vt laicus, non vt hebdomadarius.

Absolutio à suspensione.

Quantùm ad absolutionem à suspensione. DICO 1. Suspensionem latam ad tempus, eo tempore elapso cessare absq; alia absolutione, sicut etiam suspensio lata cum particula, *donec satisfecerit*, exhibitâ satisfactione cessat. Ratio est, quia suspensio operatur ex intentione prohibentis, & vltra non. Ita Rodericus *tom. 2. cap. 69.* Nauar. *cap. 27 num. 161.* & hoc vsu, & praxi receptum est in suspensione, & interdicto, non verò in excommunicatione.

Forma absolutionis.

DICO 2. Non sunt aliqua determinata verba, ad absoluendum à suspensione. Ita Rodericus *loco citato*. Hæc tamen verba vsurpantur: *Ego te absoluo à vinculo suspensionis in quam incurristi, & restituo te ad executionem tui ordinis, vel muneris, vel ad tuum beneficium.*

DICO 3.

Dico 3. Non est necessarium in absolutione explicare causam ob quam contracta est suspensio. Vnde non est necesse dicere. Ego te absoluo ab ea suspensione, quam contraxisti ob tale delictum, cùm intentio absoluentis ferri possit in aliquam determinatam censuram; licet non exprimatur causa censuræ. Fieri tamen potest aliquando, vt necesse sit causam exprimere, V. G. quando aliquis pluribus censuris est irretitus, & superior intendit vnam tantùm per absolutionem auferre, tunc causa censuræ exprimenda est. Inde *Causa in absolutione non semper exprimenda.*

Collige 1. Episcopus potest absoluere à suspensione Papæ reseruata, quæ prouenit ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum, ob priuilegium concessum Episcopis in Tridentino *Sess. 24. cap. 6.*

Collige 2. Regulares circa absolutionem à suspensionibus, idem possunt circa suos subditos, & circa seculares, quod possunt circa absolutiones à casibus reseruatis, vt dictum est, *Quæst: 8. Sect. 6. articulo. 5.*

Collige 3. Suspensus ex delicto, fit irregularis, violando suspensionem per exercitium solenne majoris ordinis, à quo est suspensus. Patet *ex cap 1. de sententia, & re judicata in 6.* Similiter suspensus à Diuinis officiis, fit irregularis, quoties illa persoluit ex officio.

Collige 4. Petens Sacramenta à Sacerdote suspenso ab officio, sed nondum denunciato, non peccat, vt constat, *ex Constantiensi Concilio*, in quo concessa est facultas communicandi, cum excommunicatis, & suspensis, nondum denunciatis.

SECTIO IV.

De Interdicto.

Præsens Sectio in 4. Articulos partitur.

In 1. inquiritur Quid, & quotuplex sit interdictum, & quæ causæ ejus?

In 2. de casibus in quibus incurritur?

In 3. de effectibus Interdicti, & de ejus absolutione?

In 4. de Cessatione à Diuinis?

ARTICVLVS I.

Quid, & quotuplex sit interdictum, & quæ causæ ejus?

Dico 1. Interdictum, est Ecclesiastica censura, quâ homo separatur à perceptione, quorundam Sacramentorum, à Diuinis officiis, & à sepultura Ecclesiastica. *Interdicti definitio.*

Triplex interdictum.

Dico 2. Interdictum aliud est locale, aliud personale, & aliud mixtum. Locale est, quo interdicitur locus, ne in eo diuina officia audiantur ab hominibus, licet personæ loci interdicti possint alibi audire diuina officia. Personale est, quo prohibetur populus, vel aliqua persona particularis, audire diuina officia vbicunq; sit. Mixtum, quo interdicitur locus, & Persona simul.

Locale generale, & particulare.

Dico 3. Interdictum tam locale, quàm personale, est, vel generale, vel particulare. Interdictum generale locale, est illud quo interdicitur locus vniuersalis, vt Regnum, Prouincia, Diœcesis, Ciuitas, Castrum aut Villa. Interdictum personale generale, est illud, quo interdicitur generaliter populus totius regni, vel prouinciæ, vel ciuitatis. Specialè verò interdictum est, quô interdicitur aliquis vnus, vel duo loca, vna persona, vel pars populi.

Petes 1. *Vtrum interdicto populo, intelligatur interdictus, Clerus, & è contra?*

Respondeo Negatiuè, quia populus absolutè prolatus, solèt distingui à clero; vnde interdicto clero, poterit populus extraneos Sacerdotes conuocare ad diuina facienda, & interdicto populo, poterit celebrare Clerus, submissâ voce.

Petes 2. *An interdicto populo, intelligantur interdicti exteri, alterius Ciuitatis?*

Respondeo Negatiuè, licet diu ibi habitent. Ratio est, quia non sunt pars illius populi, vel communitatis, interdictum autem generale personale, cadit tantummodo supra illos, qui sunt pars illius populi, & sic studentes extranei eximuntur.

Causa interdicti.

Dico 4. Causa efficiens interdicti, est Papa. Episcopi, & illi omnes, qui possunt censuras ferre. Prælati tamen Religionum non possunt ferrè interdictum locale. Causa materialis interdicti, est culpa hominum, nam interdictum est pœna spiritualis, pœna autem supponit culpam. Causa finalis interdicti, est emendatio delinquentis. Causa formalis, est forma, quæ seruatur in ferendo interdicto.

ARTICVLVS II.

De Casibus in quibus incurritur interdictum.

Quando incurritur in-

Dico 1. Interdictum locale incurritur. Primò quando dominus Regni, aut alterius loci impedit, ne legatus Papæ, fungatur suo officio, in quo

quo casu loca ipsius impedientis subjacent interdicto. *Extrauag. super gentes, de consuetudine.* 2. Quando dominus alicujus territorii, percutit injuriose Episcopum, aut capit, vel mandat hæc fieri, vel dat consilium, tunc enim illius territorium subjacet interdicto, vsq; ad condignam satisfactionem, *Clement. 1. de pœnis.* Idem dic de Ciuitate, quæ insequitur Cardinales, vel insecutoribus consilium, vel fauorem præbet, vel non punit intra mensem hujusmodi insecutores, si punire potest. 3. Interdictum locale generale incurritur, quando Episcopus, & alii inferiores Prælati, permanent per mensem in excommunicatione, vel suspensione, ob culpam quam admiserunt in concedenda domo, manifestis vsurariis, ad fœnus exercendum, *cap. 1. de vsur: in 6.* vbi omnes istorum terræ post mensem interdicto subjiciuntur, quamdiu ibi vsurarii commorantur. 4. Quando Clerici Regulares, vel seculares, inducunt aliquem ad vouendum, vel promittendum, vt in eorum Ecclesia, eligat sepulturam, si talis sepeliatur apud illos, eorum Ecclesiæ, vel Cæmeteria sunt ipso facto interdicta, nisi intra decem dies Ecclesiæ, in qua ille de jure sepeliendus erat, restituant omnia, quæ acceperunt, occasione sepulturæ, etiamsi non petantur, & præterea ipsum cadauer, si petatur. *Cap. 1. de sepulturis in 6.* Aduerte tale interdictum locale, non esse seruandum, ante denunciationem.

terdictum localè.

Personale interdictum quando incurritur.

Dico 2. Interdictum Personale generale incurritur. Primò Quando vniuersitas concedit repræsalias, vel pignorationes contra personas Ecclesiasticas, vel eorum bona, & quando iis concessis, non reuocat concessionem intra mensem, tunc prædicta vniuersitas incidit in interdictum. *cap. vnico, de injuriis in 6.* Eadem pæna extenditur, ad bona Ecclesiarum, occupantes. 2. Quando vniuersitates, vel capitula, vel collegia, appellant à sententiis Papæ, ad Concilium generale; eidem interdicto subjacent præbentes consilium, vel fauorem. 3. Quando capitulum sede vacante, intra annum à die vacationis, absq; necessitate, literas dimissorias concedit: ita Trident: *Sess. 7. cap. 8.* 4. Illi sunt personaliter interdicti, qui causam culpabilem interdicto dederunt. 5. Capitulum, & vniuersitas, quæ non obseruat constitutionem Joannis XXII. circa fructus beneficiorum vacantium, subjacet interdicto. 6. Interdicitur vniuersitas permittens vsurarios alienigenas. Hæc omnia Vide apud Bonacinam *disp. 5. punct. 8.*

Interdictum personale qui incurrunt.

Dico 3. Interdictum personale speciale ab ingressu Ecclesiæ incurrit, qui recipit Abbatiam, vel aliam dignitatem, de manu laici. *cap. Si quis deinceps 16. q. 7.* 2. Idem interdictum incurrunt prælati, qui sibi aliquid

quid vsurpant ex redditibus dignitatis vacantis. Remanet etiam interdictus Abbas, vel Episcopus, qui in alienatione bonorum Ecclesiæ non seruat. *Extrauag. Ambitiosè*, vbi est vsu recepta. 3. Sacerdos admittens ad diuina officia hominem interdictum, tunc enim incurrit interdictum ab ingressu Ecclesiæ, donec competentem præstiterit satisfactionem ad arbitrium illius, cujus sententiam contempsit. *cap. Episcoporum de priuilegiis in 6.* 4. Quando quis inferior Episcopo, fert censuram, sine scriptura, vel sine competente monitione, vel absq; expressione Causæ, incurrit suspensionem à Diuinis officiis, & ab ingressu Ecclesiæ. *cap. 1. de sententia excommunicationis, in 6.* 5. Violans interdictum locale generale, incurrit interdictum ab ingressu Ecclesiæ. *cap. Episcoporum de priuilegiis in 6.* 6. Prælati edentes commentaria in Tridentinum remanent interdicti ab ingressu Ecclesiæ.

ARTICVLVS III.

De Effectibus interdicti, & de ejus absolutione?

Primus Effectus interdicti.

Quantùm ad effectus. DICO 1. Primus effectus interdicti, est priuatio aliquorum Sacramentorum. Dixi (*aliquorum*) quia tempore interdicti tam localis, quàm personalis generalis, possunt administrari, & recipi Sacramentum Baptismi à paruulis, cum solennitate; ab adultis verò, existentibus in probabili periculo mortis, potest recipi Sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ, cum solita solennitate, recitando Psalmos & hymnos, quia hæc non sunt diuinum officium: & hoc à quouis Sacerdote, qui habet licentiam ministrandi Sacramentum Eucharistiæ, modo ipse non dederit causam interdicto, neq; sit ligatus speciali interdicto. Porrò nullus potest, neq; tenetur in Paschate ad implendum præceptum annuæ communionis, recipere Sacramentum Eucharistiæ, tempore interdicti localis generalis. Non possunt autem ministrari Sacramentum ordinis, tempore interdicti localis generalis, neq; Sacramentum extremæ vnctionis, nisi aliquibus permissum sit ex speciali priuilegio: neq; possunt personæ interdictæ, tempore interdicti localis generalis contrahere matrimonium.

2. effectus interdicti.

DICO 2. Secundus effectus interdicti, est priuatio diuinorum officiorum, id est horarum Canonicarum, quæ tempore interdicti publicè in choro cantari non possunt, comprehenduntur etiam ea, quæ aliquando conjunguntur cum horis Canonicis, vt est officium B. Virginis Mariæ, & officium defunctorum. Item comprehenduntur omnia Sacramentalia de

quibus

quibus dixi *Q. 7. S. 1. artic. 2.* non comprehenduntur verò benedictio mensæ, & orationes priuatæ. Hinc

Collige 1. Clericus tenetur ad recitandum diuinum officium, tempore interdicti priuatim, non enim par est, vt commodum reportent ex delicto suo, vel alieno.

Collige 2. Tempore interdicti localis generalis, prohibitum est celebrare Missas, in loco interdicto publicè, vti sono organorum campanarum, pro officio.

Dixi (*publicè*) quia Bonifacius VIII. *in c. Alma mater, de Sentent: Excom: in 6.* concessit facultatem celebrandi Missam secreto, in Ecclesiis, & monasteriis, cum his limitationibus. Primò januis clausis, vt hi qui prohibentur interesse, non possint videre, & audire Diuina. 2. Voce submissâ. 3. Exclusis excommunicatis, & interdictis. 4. Sine campanarum sono. *Nota concessionem Bonifacij.*

Petes 1. *An dentur aliquæ festiuitates, in quibus licitum est, tempore interdicti localis generalis, celebrare Missas, & Diuina officia publicè?*

Respondeo dari, nimirum Natalis Domini, Paschatis, & Pentecostes, quarum festiuitatum, non solùm intelligitur primus dies festi, sed alii duo consequentes, non tamen intelligitur tota octaua, quia hæc communiter, non accipitur pro festiuitate. Additus fuit à Martino V. & Eugenio IV. dies sollennitatis corporis Christi Domini, etiam cum octaua, à Leone X. dies Conceptionis B. Virginis Mariæ etiam cum octaua, suspenditur etiam interdictum in festo Assumptionis B. Virginis Mariæ, *in cap. Alma mater citato*, non est autem licitum istis diebus communicare laicis, quibus licitum est diuinis interesse. Inde *Festa quibus cessat interdictum.*

Collige 1. Omnes clerici non conjugati, etiam extranei tempore interdicti localis generalis, possunt admitti ad diuina officia, modo ipsi non sint excommunicati, nec interdicti, nec dederint causam culpabilem interdicto.

Collige 2. Illi tenentur interesse sacro, quando habent priuilegium assistendi diuinis, nam si in carcerem conjectus facultatem obtineret à judice, audiendi Missam, teneretur illam omninò audire, eò quòd cesset impedimentum, ita in proposito casu.

Petes 2. *An Religiosi tempore interdicti, possint admittere laicos ad suos conuentus, diebus festiuis ad audienda Diuina, & ferialibus?*

Religiosi quid possunt tempore interdicti.

Dico 1. Interdictum siue valeat, siue non valeat seruandum est ab omnibus Religiosis, etiam exemptis, quando seruatur ab Ecclesia Matrice, Ecclesia verò Matrix dicitur major, vel Baptismalis. Vide Rodericum *tom. 2. q. 108. art. 5.* Porrò si plures sunt Parochiæ in vno loco, & vna servat, alia non, tunc non tenentur exempti seruare. Ibidem Rodericus.

Dico 2. Non seruantes Regulares validum interdictum, quòd servat matrix Ecclesia, impositum à Papa, vel ab ordinario, ligantur excommunicatione & aliis pœnis; ibidem Rodericus.

Dico 3. Priuilegia, quibus poterant Regulares certis tantùm diebus non seruare interdictum, minimè sunt reuocata per Trident: *Sess. 23. de Regularibus cap. 4.* Porrò festiuitates istæ quibus possunt alta voce celebrare, pulsare, &c. sunt festa omnium Sanctorum sui Ordinis canonisatorum, Patroni Ecclesiæ, & post Concilium Tridentinum Minoritæ habent multa priuilegia, & Patres D. Hieronymi. Legatur Rodericus *tomo 2. q. 112.* Miranda *tom. 2. q. 38.* Laurentius de Portel. *verbo Suspensio, Interdictum.* Rodericus loco citato enumerat fusè, quæ, & quot Personæ debent admitti ad diuina.

3. effectus interdicti.

Dico 4. principaliter, Tertius effectus interdicti, est priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ. Ratio est, quia interdictum simpliciter & generaliter latum inter cæteros effectus, includit priuationem sepulturæ Ecclesiasticæ. Ergo. Vnde tempore interdicti localis, non possunt laici, quamuis non interdicti, sepeliri in loco sacro interdicto, possunt tamen tales non interdicti, sepeliri in loco sacro, non interdicto. Hinc

Collige 1. Laici violantes interdictum locale generale, vel speciale, peccant mortaliter, quia peccant contra prohibitionem Censuræ, in materia graui, quòd multò fortiùs dicendum est, de violatione interdicti personalis, non tamen aliam pœnam incurrunt, nisi cogentes aliquem celebrare in loco interdicto, tales excommunicantur.

Collige 2. Clerici tam Regulares, quàm seculares violantes interdictum quodcunq; peccant mortaliter, ex suo genere, & præterea per exercitium alicujus ordinis sacri, incurrunt irregularitatem. *Ex cap. is qui, de sententia excommunication. in 6.*

Absolutio ab interdicto.

Quantùm ad absolutionem ab interdicto. Dico 1. Interdictum latum ad tempus, vel sub conditione, elapso tempore, vel impleta conditione, cessat: Patet ex se.

Dico 2. Interdictum potest auferri, vel suspendi ab eo, qui tulit inter-

interdictum in totum, aut ad aliquos effectus: Patet, quia Censura ligat ad nutum, & voluntatem conditoris.

Dico 3. Episcopus potest absoluere ab interdicto locali, posito à jure; non verò posito à Papa.

ARTICVLVS IV.

Quid sit cessatio à Diuinis?

Dico 1. Cessatio, est prohibitio, quâ ministri Ecclesiæ prohibentur exercere Diuina officia, ministrare Sacramenta, & sepelire laicos in loco Sacro. Ita Nauar. *cap. 27. n. 188.* Baptismus, & Pœnitentia potest conferri. *Cessatio à Diuinis.*

Dico 2. Cessatio siue generalis, siue particularis, differt variè à Censura. Primò, Quia cessatio fertur per modum simplicis prohibitionis, censura verò est veluti quoddam accidens morale, afficiens, & quasi ligans subjectum, in quod lata est censura. 2. Quia violanti cessationem non est imposita pœna irregularitatis, quæ posita est violanti interdictum, nam irregularitas non incurritur, nisi in casibus in jure expressis. 3. Quia tempore cessationis non licet in choro clericis simul etiam submissa voce absoluere diuinum officium, sicut licet tempore interdicti. 4. Cessatio à diuinis nunquam à jure incurritur ipso facto, sed tantùm comminatoriè fertur, interdictum verò ipso facto incurritur. *cap. Quamuis de officio ordinarij in 6.* Vnde *Cessatio differt à Censura.*

Collige 1. Quando conceditur priuilegium audiendi missam, tempore interdicti, non censeri concessum tempore cessationis à diuinis, & è contra, quia cessatio distinguitur ab interdicto, & sicut in fauorabilibus, cessatio non clauditur sub interdicto, ita neq; in odiosis. Ita Rodericus *tom. 1 cap. 117.*

Collige 2. Regulares, non seruantes cessationem à diuinis generalem, excommunicantur; *Clementina 1. de sententia excommunicationis;* & hoc tunc, quando matrix, vel parochialis Ecclesia, seruat cessationem.

Collige 3. Habens priuilegium interessendi diuinis, & accipiendi Sacramenta tempore interdicti, non potest vti illo priuilegio in Cessatione, nisi illud exprimat priuilegium.

Dico 3. Effectus cessationis à diuinis, sunt priuatio Sacramentorum, eorum, quorum & tempore interdicti: pro communicando infirmo tempore cessationis licitum est celebrare Missam, quia communio tem- *Effectus Cessationis.*

tempore mortis, est de jure diuino. Secundus effectus tempore cessationis, vt abstineatur à Diuinis officiis publicè recitandis, à celebratione Missæ. Vnde cessatio à diuinis non suspenditur illis diebus festiuis, quibus suspenditur interdictum. Potest tamen Eucharistia solenniter deferri ad infirmum, tempore Cessationis à diuinis, dummodò nullum officium dicatur. Potest etiam ob necessitatem infirmorum renouari Eucharistia, semel in hebdomada, celebrando cum vno ministro. Tertiùs effectus cessationis à diuinis, est priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ, saltem quoad diuina officia. Ita Coninch: *disp. 17. dub. 7.*

SECTIO V.

De Irregularitate.

In hac Sectione quæram.

1. Quid sit Irregularitas, & quotuplex?
2. Quid requiratur ad incurrendam irregularitatem, & de Causis ejus?
3. De effectibus irregularitatis?
4. Vndenam contrahatur Irregularitas?
5. De dispensationibus ab Irregularitatibus?

ARTICVLVS I.

Quid sit, & quotuplex Irregularitas?

Quid irregularitas.

DICO I. Irregularitas, est quædam inhabilitas, jure canonico introducta, directè quantùm est ex se impediens susceptionem Ordinum, & indirectè vsum susceptorum.

Dixi (*inhabilitas*), quia Irregularitas tollit ipsam potentiam suscipiendi ordinem, & per hoc differt à Censuris, quia Censuræ impediunt vsum potestatis alicujus. Atq; hinc sequitur, quod neq; fæminæ sint irregulares, cum non sint capaces ordinum, neq; Infideles, cum non sunt capaces Ordinum, ob carentiam Baptismi, qui est janua Sacramentorum.

Quæ non potest facere irregularis.

COLLIGE Irregularis illicitè facit requirentia vsum ordinis, reliqua licitè, & sic Irregularis potest omnia alia Sacramenta recipere excepto ordine, cantare Diuinum officium, cum aliis in choro, & exercere actus Minorum Ordinum, etiam solenniter, non tamen debet dicere, *Dominus Vobiscum*, quia hæc verba ex vsu Ecclesiæ, certo ordini sunt deputata. Item potest exercere omnes actus jurisdictionis præter Sacramentalem absolutionem.

tionem, & realem degradationem, quia hæc includunt vſum ordinis. Item Irregularis non priuatur beneficio jam ante adepto, ejusq; fructibus, modo præſtet per ſe, vel per alium officium, ſi tamen beneficium requirat actus ipſi prohibitos, eo priuandus eſt, juxta *caput Si celebret, de Clerico excommunicato.* Item Irregulari valide beneficium juxta probabilem ſententiam conferri poteſt; quia nullo jure poteſt probari eſſe collatio inualida. vide Suarez *Diſp. 40.* Item Irregularis valide Sacramentaliter abſoluit, etſi non licitè.

Dixi (*Jure canonico introducta*) vt oſtendatur Irregularitatem, non jure Diuino, ſed Canonico eſſe introductam, & ideò Irregularitas non contrahitur, niſi in caſibus à jure expreſſis. Dixi (*Directè impediens ſuſceptionem Ordinum*) vt oſtendatur, quomodo Irregularitas impediat ſuſceptionem ordinum, alia ratione; quàm Cenſuræ, quia Irregularitas, directè impedit ſuſceptionem ordinum, illorumq; vſum, & exercitium, nam ſuſpenſio priuat vſu ordinum. Interdictum non ſemper priuat vſu ordinum. Excommunicatio minor, paſſiuâ receptione Sacramentorum. Major excommunicatio priuat participatione actiua, & paſſiua Sacramentorum. Dixi (*& indirectè vſum ſuſceptorum.*) nam aliqua irregularitas, licet impediat ſuſceptionem ordinum, non tamen vſum ipſorum, vt accidit in eo, cui ſuſcepto ordine Diaconatus abſq; ſua culpa, amputatur pollex digitus, hunc enim conſtat poſſe Diaconatus ordinem exercere, canendo Euangelium, quamuis ad Sacerdotalem ordinem promoueri nequeat.

PETES *An Irregularitas diſtinguatur à Depoſitione, & Degradatione?*

Differentia inter irregularitatē, & depoſitionem.

RESPONDEO quod ſic, quia per degradationem, & depoſitionem, Clericus ejicitur â ſtatu Eccleſiaſtico, per irregularitatem verò non admittitur ad ſtatum Eccleſiaſticum; turpiùs autem eſt ejici, quàm non admitti, juxta illud. *Turpiùs ejicitur, quàm non admittitur hoſpes.*

DICO 2. Irregularitas contrahitur ſine vllo proprio actu, aut peccato, V. G. ob aliquem corporis, aut natalium defectum. Alia verò contrahitur ex defectu mentis, alia ex defectu corporis. Alia eſt partialis, alia totalis. De quibus diuiſionibus, fuſius Articulo 4.

ARTICVLVS II.

Quid requiratur ad incurrendam irregularitatem; & quænam ſint Cauſæ illius?

Ad incurrendam ir-

Quantùm ad Primum. DICO Ad incurrendam irregularitatem ex delicto, requiritur culpa mortalis. Ratio eſt, quia pœna debet proportio-

Ad irregularitatem requiritur culpa mortalis

nari delicto. Ergo Irregularitas, quæ ob delictum incurritur cùm sit pœna grauissima, non debet incurri ob veniale peccatum, sed propter grauem culpam. Porrò ad incurrendam irregularitatem, requiritur actus externus consummatus. Ratio est, quia lex requirit factum. Ergo non sufficit actus internus, quia non subjacet potestati Ecclesiæ; quando verò in Bullis aliquibus inuenies, concedi dispensationem ab Irregularitatibus mentalibus, intellige occultis, quæ non possunt probari in judicio, sicut si quis occultè celebraret excommunicatus.

Causa efficiens irregularitatis Papa, & Canones.

Quantùm ad Causas irregularitatis. Dico Causa Efficiens Irregularitatis est Summus Pontifex, & Sacri Canones. Episcopus verò non potest, & alii Inferiores, Irregularitates ferre, quia ad ipsos non pertinet jus commune condere. Causa materialis, seu subjectum, est omnis homo capax ordinis, subjectus juri communi, irregularitas enim est inhabilitas, seu impedimentum ad recipiendos sacros ordines, impedimentum verò, seu priuatio, supponit capacitatem. Causa formalis irregularitatis, sunt verba irregularitatem exprimentia, V. G. Nunquam ordinetur, vel ad clericatum promoueatur, vel non aspiret ad ordines, vel ne fiat clericus. Causa verò finalis est, reuerentia Diuinorum.

Causa materialis.

Formalis.

Causa finalis.

Petes *Vtrum in dubio judicandus sit aliquis irregularis?*

Dico 1. Ex quocunq; capite dubium oriatur, talis tenetur de veritate diligenter iniquirere, quantùm pro loco, & tempore commodè potest, antequam quidquam agat, quod irregulari sit prohibitum. Ratio est, quia aliter operans, temerè se exponit præsenti periculo peccandi.

Dico 2. Quando post factam, diligentem inquisitionem manet dubium, an tali facto, annexa sit irregularitas, qui id commisit, in vtroq; foro debet judicari, non esse irregularis. Patet *ex c. is qui, de sentent. Excom: in 6.* vbi dicitur, non incurri irregularitatem, nisi sit jure expressa. Ratio est, quia nemo bona fide suam libertatem, aliamue quamcunq; rem possidens, tenetur se eâ spoliare, nisi sufficienter constet, se eam perdidisse, siue esse alienam. Sed sic ita se res habet. Ergo

Dico 3. Idem dicendum est in dubio facti, facta diligenti inquisitione. Ratio est eadem, quæ & prioris conclusionis. Confirmatur. Quia sicut Judex neminem potest condemnare, nisi probetur reus, ita nemo tenetur seipsum condemnare, nisi sibi probetur reus. Nota tamen Illum, qui scit se aliquem verberâsse, qui paulò post mortuus est, & manet dubius, an ex ipsius læsione sit mortuus, debere se gerere pro irregulari. Hoc videtur

tur *cap. Significasti*, *de homicidio*, definitum esse, quod tamen non procedit, de dubio mutilationis. Hinc

Collige Ille censetur Irregularis, qui fœminæ grauidæ præbuit pharmacum, ad abortiendum fætum, sed dubitat, an fætus esset animatus, hic enim versatur in dubio facti, circa homicidium injustum. Ita Rodericus *Tom: 1. cap. 275.* Item ille qui consulit homicidium, dubitans an ex ejus consilio factum homicidium.

ARTICVLVS III.

De Effectibus Irregularitatis.

Effectus irregularitatis.

Dico 1. Irregularitas impedit susceptionem Ordinum, & primæ tonsuræ, & vsum, atq; officium ordinum: collati tamen Ordines irregulari, tenent, multa enim fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. Patet *c. curandum dist. 34.*

Collige 1. Quando irregularitas est totalis, impedit exercitium omnium ordinum susceptorum; quando verò partialis, prohibet solùm illum actum, cui ponit impedimentum, vt accidit in irregularitate, ex defectu corporis contracta post susceptionem ordinum. V. G. si presbytero amputetur pollex manet irregularis respectu celebrationis, non verò respectu absolutionis, & sic tali posset conferri beneficium aliquod, non habens annexum onus celebrandi. Patet *ex cap. 7. de corpore vitiatis.*

Collige 2. Irregularis suscipiendo, vel exercendo ordines, non incurrit nouam irregularitatem, vel aliam pœnam; quia hæ non incurruntur, nisi in jure exprimantur: peccat tamen mortaliter, quia facit contra præceptum Ecclesiæ, in re graui.

Irregularitas facit hominem incapacem beneficij.

Dico 2. Licet sit occulta Irregularitas, facit hominem incapacem beneficii. Vnde inualidè talis recipit beneficium, neq; potest illud retinere, nisi obtenta dispensatione curauerit beneficium sibi de nouo conferri, ab eò, qui potest illud conferre. Ratio est, Quia beneficium datur propter officium, cum ergo irregularis, non possit fungi officio, eò quòd sit inhabilis ad vsum ordinum, sequitur eum esse inhabilem ad beneficium. Inde

Collige 1. Qui recipit beneficium in irregularitate, non potest recipere fructus beneficii, nec alios actus administrationis, qui sunt annexi beneficio, exercere, non enim habet jus ad illos fructus percipiendos, vel ad alios actus beneficii exercendos, cùm inualidè beneficium receperis, ratione cujus consurgit jus exercendi tales actus.

COLLIGE 2. Irregularitas subsequens beneficium, vel pensionem, non priuat beneficiarium beneficio, priuandum tamen jura decernunt, maximè ob homicidium, ita Trident. *Sess. 14. c. 7. de Reformatione*, non verò priuandum esse pensione.

Irregularis incapax jurisdictionis ordinariæ.

DICO 3. Irregularis, videtur esse incapax jurisdictionis ordinariæ, non verò delegatæ: quia ordinaria competit propter beneficium, officium, ac titulum spiritualem, ordinatum ad functiones Ordinum. Sed irregularis est incapax beneficii. Ergo & ordinariæ jurisdictionis: delegata vero jurisdictio, non fundatur in beneficio, nec confertur ratione beneficii, nec dirigitur ad exercitium ordinum. Atque hinc sequitur Irregularem, non posse accipere auctoritatem ordinariam fori pœnitentiæ, nam hæc auctoritas confertur per beneficium, auctoritatem verò delegatam validè potest accipere, quamuis non possit eam licitè exercere, & grauiter peccet eam exercendo, quando illius exercitium est conjunctum, cum vsu Ordinis sacri, qui interdicitur Irregulari. Porrò Irregularis, potest actus jurisdictionis, qui non includunt exercitium ordinis, exercere, non solùm validè; sed etiam licitè, & sic potest V. G. Parochus Irregularis Matrimonio assistere, non tamen potest solenniter benedicere, quia hic est actus ordinis. Item potest Irregularis, facultatem alteri absoluendi delegare, licet ipse non possit Sacramentaliter absoluere. Item Irregularis Superior, potest excommunicare. Porrò pœnitens absolutus ab irregulari, nominatim denunciato, si ignorabat eum esse talem, validè est absolutus, quia Irregularis habet potestatem ordinis, & jurisdictionis; sicut ergo ratione potestatis ordinis, validè potest consecrare, ita absoluere, vbi non deest jurisdictio, quam non tollit irregularitas.

Nota casus.

ARTICVLVS IV.

Vnde nam contrahatur Irregularitas?

Irregularitas contrahitur ex defectu animæ

DICO 1. Irregularitas contrahitur ex defectu animæ, id est, ex defectu vsus rationis; quia tales non possunt exercere actus ordinum. Deinde defectu scientiæ, quia si omninò sit illiteratus, est irregularis, nam ad primam tonsuram requirit Concil: Trident. vt initiandus sit confirmatus, & calleat rudimenta fidei, sciatq; legere, aut scribere. Ad Minores, vt sciat linguam latinam, ad Diaconatum, & Subdiaconatum, vt habeat instructionem eorum, quæ pertinent ad eos ordines exercendos. Ad Presbyteratum, vt habeat eam scientiam, quâ possit docere populum, & admi-

administrare Sacramenta. Ad Episcopatum vt sit Doctor, vel Licentiatus in sacra Theologia, vel in jure Canonico. Vide Trident. *Sess. 23. cap. 4.*

Dico 2. Irregularitas prouenit ex defectu corporis: ille verò defectus, seu vitium corporis, inducit irregularitatem, quod vel impedit vsum, & exercitium ordinum, vel notabilem gignit deformitatem, aut horrorem, quale vitium est nasi amputatio, aut priuatio vnius oculi, aut aliqua macula, quæ notabilem pariat deformitatem: atq; ita mutus, cæcus, carens manu, pollice, naribus, oculo sinistro, aut lumine oculi sinistri, est irregularis, quia sinister oculus est Canonicalis, carens verò lumine oculi dextri, non est irregularis, modo habeat vtrumq; oculum integrum, nam tale vitium, non inducit notabilem deformitatem, neq; impedit vsum ordinis; similiter neq; ille, qui habet visum breuem, vel qui non videt sine perspiciliis. Item est irregularis surdus, quòd si illi contingat surditas, post Sacerdotium, non debet admitti ad Missam solennem, ne risum excitet, si verò vnâ tantùm aure surdus sit, non videtur esse irregularis: quòd si careat vtraq; auricula externa, aliqui dicunt esse irregularem, quia inducit notabilem deformitatem. Item monstruosus est irregularis, non tamen habens sex digitos; si digitus superfluus, non impediat vsum aliorum digitorum. Item Hermaphroditus est irregularis, imò talis non potest facere professionem in Religione virorum, vel Mulierum. Vide Bonacinam, *Disputatione 7. de Censuris Q. 2. puncto 2. num. 11.* Item sunt irregulares laborantes morbo Gallico, qui foris apparet, laborantes leprâ, vel multâ scabie. Item laborantes peste, morbo caduco, abstemii, &c. Item qui caret membro, vel parte membri etiam occulti, si propria culpa contingat, inducit irregularitatem, quamuis ea membri priuatio, non impediat vsum ordinis, neq; notabilem adferat deformitatem, *cap. Maritum Dist. 33.* Si verò sit priuatio talis, sine culpa, non inducit irregularitatem.

Ex defectu corporis. *mutus. cæcus. surdus. mancus.*

Dico 3. Irregularitas contrahitur ex defectu natalium, V. G. qui natus est ex illegitimo thoro, siue adulterio, siue fornicatione, siue incestu &c. Et hoc ob delictùm parentum, & reuerentiam ordinibus debitam. Atq; hinc sequitur illegitimum peccare mortaliter recipiendo ordines absq; dispensatione, non tamen incurrit nouam pœnam, cùm hæc non sit in jure expressa, quamuis peccet mortaliter.

Irregularitas ex defectu nataliū.

Collige 1. Irregularitas proueniens ex illegitimitate, tribus modis tollitur: Primò per legitimationem à Papa. 2. per professionem, fit legiti-

Illegitimi quomodo legitimantur.

legitimus ex illegitimo ad Ordines, licet non fiat habilis ad plælaturam, siue sit Religiosus, siue Monialis. 3. Per dispensationem, quæ tamen dispensatio, non potest esse ab Episcopis ad Majores Ordines, etiamsi sit occultum delictum parentum, juxta veriorem sententiam.

COLLIGE 2. Neophyti sunt irregulares, id est, illi qui ex lege Judaica, Machometica, vel Ethnica conuersi sunt ad fidem Christianam.

Legitimæ ætatis. DICO 4. Defectus legitimæ ætatis, requisitæ ad ordines, inducit irregularitatem, quamdiu defectus durat. Addo Exercens functiones Sacri ordinis, nondum adeptâ legitimâ ætate, fit nouo titulo irregularis, ob violationem suspensionis per exercitium ordinis Sacri. Patet *ex cap. vltimo, de temporibus ordinationum.*

Libertatis. DICO 5. Defectus libertatis, inducit irregularitatem. 1. in Conjugatis. 2. In Mancipiis, quamdiu sunt mancipia, aliàs Episcopus ordinans mancipium, peccat mortaliter. 3. In obligatis ad ratiocinia. 4. Qui seruiunt ex obligatione curiis Principum secularium, vt sunt Judices, Aduocati, Milites.

Ex bigamia. DICO 6. Contrahitur Irregularitas ex bigamia, siue vera, siue interpretatiua, siue similitudinaria. Ita Trident: *Sess. 23. cap. 17. de Reformatione.* Porrò ad bigamiam requiruntur hæc, vt cum duabus matrimonium contrahatur, & sit verè vel interpretatiuè, vel similitudinariè ratum, Deinde vt sit consummatum, multiplicitas enim Matrimonii rati, non consummati, non inducit bigamiam; Notandum verò hic est, Bigamum illum dici, & esse irregularem, qui duxit in vxorem corruptam, putans esse virginem, talis enim ignorantia, non excusat à bigamia. Addo Infidelis, qui in infidelitate sæpiùs contraxit, fit irregularis existens Christianus; Bigamia enim non tollitur per Baptismum. *C. Aecutiùs dist. 26.* Nota etiam hic, solum Papam posse dispensare in irregularitate, ex bigamia.

Ex infamia DICO 7. Infamia tam juris, quàm facti, prouenientis ex delicto, facit hominem irregularem, & inhabilem ad recipiendos ordines: ablatâ verò infamiâ, est habilis, quia per ablationem infamiæ, tollitur irregularitas.

DICO 8. Irregularitas contrahitur ex culpabili iteratione baptismi, vnde tam rebaptizans, quàm rebaptizatus, peccant mortaliter, & contrahunt irregularitatem. Patet *ex capite, Ex literarum de Apostolis.* Et *cap. qui in qualibet. 1. q. 7.* Dixi (*ex culpabili iteratione*) nam qui caret culpâ, debet carere pœnâ irregularitatis vnde rebaptizans ex ignorantia, non fit irregularis. Item rebaptizatus ex ignorantia juris, vel facti, non est irregularis

Ex iteratione Baptismi

gularis. Addo Rebaptizans cum conditione eum, quem putat verè esse baptizatum, siue ista conditio apponatur in mente, siue exteriùs addatur, non est irregularis, quia hic non iteratur Baptismus, positâ conditione. Ita Nauarr: *cap. 27. num. 246.* Henriquez *lib. 14. c. 4 n. 3.* Hinc

Ex iteratione confirmationis nõ contrahitur.

COLLIGE 1. Ex iteratione confirmationis, & ordinis, non contrahitur irregularitas. Ratio est, quia hæc irregularitas non est in jure expressa, irregularitas autem non incurritur, nisi sit in jure expressa. Ita Couaruuias *in Clement. Si furiosus 1. parte, n. 8.* contra Nauarrum. Bonacina *disp. 7 q. 3. puncto 3. num. 8.*

COLLIGE 2. Adultus baptizatus ab hæretico, est irregularis, vt habetur *cap. qui in qualibet, 1. q 7.* & hoc esse verum affirmat Suarez *disp. 42. Sect. 1. num. 14.* etiamsi ab ipso Baptismum absq; culpa susceperit.

COLLIGE 3. In ista irregularitate, quæ contrahitur ex iteratione Baptismi publica, Papa dispensat, in irregularitate verò proueniente ex iteratione occulta, potest Episcopus dispensare, constat ex Trident: *Sess. 24 cap. 6.*

Recipiens ordines in excom: fit irregularis.

DICO 9. Recipiens Sacros Ordines in excommunicatione, cum ignorantià crassa, incurrit irregularitatem. Habetur *cap. Cum illorum, de sentent: Excom. in 6.* Ita Nauar. *num. 241.* Rodericus 1. *p. c. 168.* Circa quam conclusionem. Aduerte 1. quòd solùm ligatus maiori excommunicatione, non verò minori, incurrat hanc irregularitatem. Deinde recipiens Maiores, non verò Minores ordines.

Suspensus suscipiens ordines non est irregularis.

COLLIGE 1. Suspensus, & interdictus, non incurrunt irregularitatem, suscipiendo ordines sacros. Est Bonacinæ *disp. 7. q. 3. puncto 4. n. 1.* quia iura loquuntur solùm de excommunicato, non verò de suspenso, & interdicto.

COLLIGE 2. Recipiens ordines sacros per saltum, non est irregularis, sed suspensus. Ita Angelus *Verbo Irregularitas 1.* Ratio est, quia *in Capite sollicitudo*, directè prohibetur functio ordinis suscepti per saltum, hoc autem proprium est suspensionis.

DICO 10. Ligatus aliquâ censurâ, fit irregularis, exercendo ordines sacros, etiamsi sit occultus, & toleratus, nisi excusetur ratione necessitatis, vel scandali vitandi, vel ignorantiæ, vel obliuionis. Patet *ex cap. 15. cui, de sent: excom:* & hujus irregularitatis dispensatio ad Papam spectat, si delictum publicum, si verò occultum ad Episcopum. *cap. 1. de sent: Excommun: in 6.*

Exercens ordinis actum quem non habet est irregularis.

Dico 11. Clericus qui ministrat in ordine sacro, quem non habet incurrit irregularitatem, exercendo solenniter, scienter, & ex officio. Vnde cantans Epistolam sine manipulo, vel Euangelium sine stola, non sit irregularis, quia non cantat solenniter ex ordine, & ex officio. Ita Bonacina *loco citato puncto 6. n. 2.*

Haeretici apostatae sunt irregulares.

Dico 12. Hæretici, apostatæ à fide, eorum fautores, & defensores sunt irregulares, etiamsi sint occulti, *cap. Presbyteros dist. 50.* dummodo verè hæretici sint interiùs, & exterius. Similiter apostata à Religione, & à statu clericali, est irregularis. *cap. hi qui, dist. 50.* Item filii hæreticorum sunt irregulares vsq; ad secundam generationem per lineam paternam, per lineam verò maternam solùm ad primam. *cap. statutum. 2. de hæreticis in 6.* Si verò parentes ante mortem reconciliati sunt Ecclesiæ, filii talium, & nepotes, possunt promoueri. Ita Henriq: *lib. 13. c. 40. n. 1.* Item filii neophytorum irregulares non sunt. Ita Bonacina *num. 11.* Aduerte quòd àb irregularitate hac, solus Papa dispensat.

Judices qui irregulares.

Dico 13. Omnis judex excepto Summo Pontifice, ferens sententiam mortis, etiam justam, vel mutilationis, ejusq; cooperatores, assessores, satellites, torquentes reum, ad inquirendam veritatem, notarii, scribentes &c. irregularitatem contrahunt, si mors sit secuta. Item comitantes reum ad supplicium, causa securitatis. Custodes carceris, vel qui facit aliquid, ob quod mors acceleratur. Item clericus jubens Judicem sententiam exequi; Si verò dicit Judici, vt ex justitia judicium ferat, excusari potest ab irregularitate, quia modus hic loquendi, non importat cooperationem ad mortem. Vide Bonacinam *q. 4. puncto. 1. num. 21.* Vnde concionator reprehendens peccatores publicos in concione, etiamsi judex inde arripiat occasionem puniendi illos, non fit irregularis. Hinc

Collige Illum esse irregularem, qui satellitibus directè vel indirectè indicauit reum, vel fuit causa, vt reus caperetur, secutâ mutilatione, vel morte; secùs dicendum de eo, qui aliquem ostendit, nesciens ipsum quæri ad mortem. Et hæ prædictæ irregularitates ex defectu perfectæ lenitatis.

Accusans quando incurrit irregularitatem

Dico 14. Accusans alium in causa criminali, incurrit irregularitatem, modo accuset in vindictam, nam qui accusat petendo satisfactionem, vel vt se seruet indemnem, modò expressè protestetur, se non intendere pœnam sanguinis. Colligitur *ex cap. penultimo de homicidio in 6.* Item Testis ex cujus testimonio mors secuta fuit est irregularis, siue juridicè exami-

examinatus fuerit, siue non. Ratio est, quia quicunq; cooperatur morti, vel mutilationi fit irregularis *cap. Si quis viduam, dist. 50.* Ex quo sequitur Clericum non posse cogi ad ferendum testimonium in causa sanguinis contra reum, potest tamen testari in fauorem rei.

Occidentes sunt irregulares.

DICO 15. Occidentes in bello tam justo, quàm injusto incurrunt irregularitatem. *cap. Petitio tua, de homicidio.* Non item procedentes ad bellum sine animo pugnandi, si occidant inimicum ad sui defensionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Similiter consulentes bellum justum, vel animantes milites ad pugnam, non sunt irregulares.

Chirurgi an irregulares.

DICO 16. Laicus exercens chirurgiam, vel medicinam, secundùm regulam artis, non fit irregularis, etiamsi membrum aliquod abscindat causa sanitatis; Si verò culpâ, vel imperitiâ chirurgi, vel medici, mors sequatur, incurrunt irregularitatem. Porrò clericus exercens officium medici, vel chirurgi, juxta regulam artis, seclusâ adustione, vel incisione, non est irregularis, etiamsi mors sequatur, quia hoc est opus pietatis & misericordiæ. Porrò clericus sacris initiatus scindendo venam ad emittendum sanguinem fit irregularis, secutâ morte, quia propriè dicitur incidere.

DICO 17. Occidens alium ob defensionem vitæ suæ, non excedens moderamen inculpatæ tutelæ, non incurrit irregularitatem. Patet *ex Clement. si furiosus, de homicidio.* Ratio est, quia tale homicidium, non est voluntarium, sed necessarium.

Homicidium casuale non inducit irregularitatem.

DICO 18. Homicidium casuale, quod non est volitum in se, nec in causa. *cap. Dilectus de homicidio.* Ratio est, quia tale homicidium, nullo modo est voluntarium. Ergo. Vnde commissum à furioso, vel ebrio, non inducit irregularitatem.

DICO 19. Homicidium non omninò casuale, sed volitum in causa, vel implicitè voluntarium inducit irregularitatem. Vnde qui inter dormiendum, occidit infantem, fit irregularis. Ratio est, quia tale homicidium est voluntarium, eò quòd non adhibeatur debita cautio. Similiter qui jubet alterum percuti, afficitur irregularitate, secutâ morte, etiamsi expresè imposuerit mandatorio, ne lethaliter vulneret.

Homicidæ irregulares.

DICO 20. Homo baptizatus occidens, vel mutilans voluntariè, fit irregularis. Habetur *in Clemen. Si furiosus de homicidio.* Item consulens, mandans, cooperans, non impediens, qui tenetur ex justitia, fit irregularis. Patet, quia isti efficaciter influunt in homicidium,

ARTICVLVS V.

Quis poßit dispensare in Irregularitatibus?

Papa in omni irregularitate dispensat.

Episcopi in quibus?

DICO 1. Summus Pontifex, potest in omni irregularitate dispensare. Ratio est, quia sicut potest legem condere, ita & potest legem abrogare.

DICO 2. Episcopus in sua diœcesi, potest cum suis subditis in irregularitatibus prouenientibus ex occultis delictis dispensare, exceptâ irregularitate proueniente ex homicidio voluntario, etiam occulto. Ita Trident. *Seß. 24. cap. 6.* Potest verò Episcopus dispensare in irregularitate proueniente ex injusta mutilatione occulta, quia concil: Trident. excipit tantummodò irregularitatem prouenientem ex homicidio. Item potest dispensare in homicidio verè casuali, non potest verò in vllo homicidio voluntario, etiam justo, & licito, vt in homicidio commisso à judice, ferente justam sententiam sanguinis, vel commisso à milite in bello justo. Colligitur ex Trident. *Seß. 24. cap. 6.* Vide Suarez. *disp. 41. Sect. 2. n. 3.*

Sublatâ causâ tollitur irregularitas.

DICO 3. Ad presbyteratum suscipiendum, est irregularis, donec attingat annum ætatis 25: postquam illum attigerit, presbyteratum recipere poterit. Similiter irregularitas ex ignorantia, tollitur per scientiam. Ratio est, quia cessante causa, cessat effectus.

Prælati Regulares quid possunt circa irregularitates.

DICO 4. Prælati Regulares, possunt dispensare cum suis subditis per priuilegia, in omnibus irregularitatibus, exceptis his, quæ proueniunt ex homicidio voluntario notorio; possunt verò dispensare in homicidio voluntario occulto. Item non possunt dispensare in bigamia; & deformitate essentiali, non enim possunt dispensare, cum carente digito pollice, vel oculo Canonis; Neq; cum leproso, vel caduco &c. Ita Rodericus *Tom: 1. q. 4. art. 3.* Item non possunt Prouinciales, neq; Generales dispensare cum infami, notato infamiâ juris, & condemnato legitimè. Item non possunt dispensare, cum promotis ad Ordines Simoniacè. Ita Laurent: de Portel *verbo irregularitas.* Addò quòd Prouinciales possint dispensare, cum mutilatione membri voluntaria occulta, non deducta ad forum contentiosum. Hinc

COLLIGE Irregularitas quæ prouenit ex defectu natalium, per professionem aufertur, quoad Ordines suscipiendos, non verò quoad Prælaturas. Quare illegitimus, in Ordine aliquo professus, non potest esse Prior, Guardianus, Diffinitor, vel Prouincialis, nisi per dispensationem, quam dare quidem possunt, Prælati Majores in Capitulis Generalibus, vel Prouincialibus,

bus, extra capitulum verò non. Habetur *in c. 1. de filiis Presbyterorum.* Vide Rodericum *tomo 1. q. 13 art. 6.*

PETES *An Prælati Regulares, poßint illum habilitare, qui ante legitimam ætatem suscepit Ordines, vt exequatur Sacros Ordines?*

RESPONDEO Cum communi sententia Doctorum, negatiuè. Pro intelligentia.

Prælati ordinum non possunt habilitare ætatem non habentes.

NOTA. Tria esse consideranda in ordinatione, seu promotione ad Sacros Ordines ante legitimam ætatem. Primum est ætas legitima, quam Concilium Trid: requirit *Seß. 23. c. 12.* Secundum est suspensio, quam incurrit ordinatus ante legitimam ætatem, per *Extr. cùm ex sacrorum Pij II.* quæ suspensio non tollitur etiam adueniente legitima ætate, absq; dispensatione, vt docet Rodericus *Tom: 3. q. 23. art. 14.* Et ratio est, quia hæc suspensio lata est, absq; vlla temporis determinatione, proinde durat, quousq; per absolutionem non fuerit sublata. Tertium est irregularitas, quam contrahit promotus ante legitimam ætatem, per hoc quod celebret, seu potiùs consecret, vnâ cum Episcopo ordinante, in ipsa ordinatione, vt docet Nauar. *Consil. 8. de Clericorum Excommunic.* Et Hieron: à Sorbo *in Compendio Priuilegiorum. verbo, Ordines sacri,* vbi ex Nauarro subdit. *Idcircò per primam celebrationem cum Episcopo, absq; eo, quòd aliâs celebret, irregularitatem incurrit, in susceptione presbyteratus, quam irregularitatem non incurrit, in susceptione aliorum ordinum, nisi suspensionem, in qua suspensione, si ordines exequatur, contrahit irregularitatem.* Dato igitur, & concesso, quòd Prælati Ordinum Mendicantium, possint ordinatum ante legitimam ætatem, à suspensione absoluere, & cùm ipso dispensare in irregularitate, hoc enim verum est: Non possunt verò illos, qui annos requisitos non habent, habilitare ad exequendos ordines susceptos, quia nihil possunt contra Concilium Trident: quod omninò legitimam ætatem requirit, imò nec Episcopi possunt dare annos, non habentibus. Confirmatur ex jure *l. Itaq; fullo in ff. de furtis,* vbi dicitur, *Nemo ex delicto debet reportare commodum.* Atqui hic ex delicto reportaret commodum, nimirum habilitationem. Tùm quia *quod prohibetur, prohibentur etiam omnia, quæ sequuntur ex illo.* per *Regulam juris 39. in 6.* Hinc

COLLIGE 1. Absolutus à suspensione per bullam cruciatæ, non potest celebrare ante accessum 25. annorum, absq; peccato mortali. Ita Rodericus *Tom. 3. q. 23. art. 11.*

COLLIGE 2. Qui bonâ fide ordinatus fuit ante legitimam ætatem,

tem, non remanet ſuſpenſus, nec celebrans irregularis, tamen ſi poſteà celebraret, ſciens ſe adhuc non habere legitimam ætatem, peccaret mortaliter, toties quoties, non tamen incurreret irregularitatem, cùm talis à principio non incurrerit ſuſpenſionem ipſo facto, ſed judex poſſet illum ſuſpendere. Ita Rodericus *loco citato art. 11.* & in Summa *p. 2. c. 16. n. 2.* citans multos Doctores. Atq; hinc ſequitur, quòd Superiores ordinatum ante legitimàm ætatem, non poſſunt legitimare, vt ordines exequatur, neq; ſic ordinatus debet in hoc Superioribus obedire, ſed annos præſcriptos expectare.

QVÆRES *An ignorantia excuſet ab incurſione Cenſurarum?*

Præſuppoſitis illis diuiſionibus ignorantiæ, de quibus dictum eſt *Q. 8. S. 7. a. 3.*

DICO 1. Ignorantia inuincibilis excuſat ab incurſione Cenſurarum. Eſt communis.

Ignorantia quæ excuſat à Cenſuris & pœnis.

DICO 2. Ad incurrendam Excommunicationem, ſuſpenſionem, & irregularitatem, non ſufficere quod ſciam opus eſſe prohibitum ab Eccleſia, ſed vt ſciam de pœna, idq; prohiberi ſub Excommunicatione, vel ſuſpenſione, vel interdicto, vel irregularitate; Ita Laurentius de Portel *in Additionibus ad dubia Regularia V. ignorantia n. 2. 5.* citans Suarez *de Cenſuris diſp. 4. ſect. 9. n. 19.* Coninchum *diſp. 18. dub. 4. n. 31.* Bonacinam *de Cenſuris diſp. 1. q. 2. p. l. n. 13.*

DICO 3. Ignorantia vincibilis juris, vel facti excuſat ab incurſione Cenſurarum, & aliarum pœnarum. Ita Portel *loco citato n. 25.* Sanchez *de Matrim. Tom. 3. l. 9. diſp. 32. n. 31.* vbi dicit. *Exiſtimo ignorantiam etiam mortaliter culpabilem, ſiue juris, ſiue facti, modò non ſit craſſa excuſari à Cenſuris, & pœnis. Et idem dico licet adſit ſcientia legis, ſi adſit ignoratia non craſſa Cenſura.* Et hoc intelligendum eſſe docet, de quibuscunq; pœnis, ſiue latis à jure communi Papæ, ſiue à particulari Epiſcoporum. Et hæc omnia Confeſſarii in mente habeant, quia non pauci ab incurſione Cenſurarum immunes erunt.

SECTIO VI.

Degradatio.

Quid ſit degradatio, & quis, aut quem degradare poſſit?

DICO 1. Degradatio alia eſt realis, alia verbalis. Realis eſt pœna Eccleſiaſtica, quâ perſona Eccleſiaſtica, priuatur omni beneficio, officio, & pri-

& priuilegio clericali in perpetuum, absq; vlla spe illius consequendi, (nisi fortè à solo Papa restituatur) Ita, Emman: Sa *Verbo Degradatio, num. 3.* Syluest. *ibidem num. 8.* Degradatio verbalis, quæ etiam appellatur depositio, est sententia Ecclesiastica quâ persona Ecclesiastica priuatur omni officio, & beneficio in perpetuum, sine spe illa consequendi, non amisso priuilegio clericali. Ita Julius clarus *in pract. criminali q. 74.* Atq; hinc sequitur multiplicem esse differentiam inter degradationem realem, & verbalem. Prima est, quia actualis fieri solet cum majori solennitate, nam fieri solet assistentibus personis constitutis, in dignitate, & degradandus induitur sacris vestibus, nec non vasa sacra pertinentia ad illum ordinem, à quo degradatur, defert, ad conspectum Episcopi à quo gradatim exuitur, & priuatur, ac tandem capillis tondetur, prolatis quibusdam verbis, terrorem incutientibus. Vide Pontificale. Secunda est quia verbalis fieri solet in absentem contumacem, realis autem in præsentem. *Cap. Nouimus, de verb: sign.* Tertia. Quia depositus realiter non gaudet priuilegio fori, & Canonis. *Cap. degradatio. de pœnis in 6.* Depositus verò verbaliter gaudet priuilegio Canonis, vnde qui illum percutit excommunicatur. Similiter gaudet priuilegio fori, nam non potest cogi, nec puniri à judice seculari. Ita Nauar. *c. 27. num. 81.* Sayrus *lib. 5. cap. 20.*

DICO 3. Proprius Episcopus consecratus, debet degradare realiter degradandum, neq; potest delegare hanc facultatem alteri degradandi, & deponendi. Ita Trident: *Sess. 13. cap. 4.* Henriquez *cap. 43. n. 5.* & communiter Doctores *in cap. Degradatio, de pœnis in 6.* Porrò depositio verbalis presbyteri spectat ad proprium Episcopum, vel ejus Vicarium generalem. Degradatio verò Episcopi spectat ad Papam. *Ex cap. Dudum. 3. q. 6.* Prælati autem Religiosorum non habent facultatem deponendi, vel degradandi subditos, nisi illis concessum sit per priuilegium, vel consuetudinem. Vide Trident: *loco citato.* Syluest. *Verbo, degradatio n. 1.* *Quis potest degradare.*

DICO 4. Personæ quæ degradari possunt, sunt Personæ Ecclesiasticæ in ordine Ecclesiastico constitutæ, etiam in Minoribus Ordinibus. Patet ex Tridentino *loco citato.* Et habetur *in cap. si quis Episcopus 27. q. 1.* Vide Bonacinam *de Censuris dispu. 4. puncto vnico.* Aduerte hîc, quòd degradatus, siue depositus realiter, auctoritate Episcopi, non potest in pristinum statum restitui si depositio sit valida, sed solùm à Papa. Colligitur *ex cap. Qui semel dist. 50. Depositus* enim realiter caret omni priuilegio clericali. *Quæ personæ possunt degradari.*

Sciendum quoq; est, Sacerdotem degradatum, validè sed non licitè consecrare, quia per degradationem non amittit characterem Ordinis.

Differentia inter censuras & irregularitatē.

QVÆRES *Quæ sit differentia, inter degradationem, cessationem à Diuinis, Censuras, & irregularitatem?*

RESPONDEO esse multiplicem. Primò ex parte principii efficientis, quia degradatio, cessatio à Diuinis fit ab homine, non à jure, irregularitas semper à jure, censuræ verò partim ab homine, partim à jure. 2. Differunt ex parte subjecti, quia interdicto subjiciuntur homines, & loca, Excommunicationi soli homines, de reliquis constat ex dictis. 3. Differunt ex parte causæ propter quam, quia irregularitates multæ incurruntur sine culpa, reliquæ censuræ, & pœnæ propter culpam propriam mortalem. 4. Ex parte effectus proprii cujusq;. Cessatio enim à Diuinis, solùm impedit à laudibus Diuinis, publicè in choro recitandis. Degradatio priuat spe consequendi id, à quo est degradatus realiter. Suspensio priuat aliquo actu legitimo, vt Ordinis, vel officii, vel jurisdictionis, vel beneficii. Interdictum priuat ipsis Ecclesiasticis officiis. Irregularitas facit inhabilem ad actum primum, & secundum, Ordinum. Excommunicatio verò multos parit effectus, vt vidimus. Deniq; ex parte effectuum, quos inducunt, quia violatio, suspensionis, interdicti, & excommunicationis regularitatem inducit, transgressio verò irregularitatis, & cessationis à Diuinis minimè, constant hæc omnia ex dictis.

Conclusio, & Oratio ad Dominum JESVM.

DOmine JESV CHRISTE qui es α, & ω, sapientia, ac infinita veritas, cujus oculis omnia nuda sunt, & aperta, ostende nobis in tenebris ignorantiæ, & peccatorum inuolutis, vias, per quas ad te verum principium, & finem curramus, ne vllis censuris hic irretiti, vel laqueis diaboli, aut mundi illecebris capti, sed ipsis, te illustrante, perfectè cognitis, Te ipsum cum Patre, & Spiritu Sancto, & in via, & in patria collaudare, & concelebrare possimus. Amen.



DISPV-



DISPVTATIO V.

De Augustisimo Sacramento Eucharistiæ.



Equitur lucerna fulgentisima Sacramentũ Eucharistiæ, hujus lucernæ tanta est lux, vt infirmos oculos reuerberet, estq́; aliis super eminens dignitate, & fulgore, quia illum qui est vera lux per essentiam, à quo omnis lux deriuatur, verè, realiter, & præsentialiter continet qui absconditus radios lucis suæ spargit in corda fidelium, vt ea illustret, & accendat, vt in progressu Disputationis elucescet. Quã in 10. Quæstiones diuidemus, In prima de Definitione, & Institutione Eucharistiæ tractabimus. in 2. de Materia, & forma Eucharistiæ. In 3. De reali præsentia corporis, & sanguinis, Domini. in 4. De Actionibus, quæ insunt Christo Domino in Eucharistia. in 5. de transsubstantiatione. in 6. de Accidentibus. in 7. De causa Efficiente. in 8. de suscipientibus Eucharistiam. in 9. de Effectibus. in 10. de Sacrificio Missæ; quamlibet verò Quæstionem, in certos Articulos, juxta necessitatem.

QVÆSTIO I.

De Definitione, & Institutione Eucharistiæ.

In præsenti Quæstione sequentia inquirentur.

1. Quomodo Sacramentum Eucharistiæ definitur.
2. An Eucharistia sit vnum aliquod Sacramentum.
3. Quidnam in Eucharistia habet rationem Sacramenti.
4. In quibus Eucharistia differt à cæteris: & in quo conuenit.
5. Quando hoc Sacramentum fuit institutum.
6. An Eucharistia potuit institui ante incarnationem.
7. Quæ necesitas fuit instituendi Eucharistiam.

NOTA 1. Variè DD. appellant Eucharistiam. Alii mensam. *ita Tertul.* Alii cænam vt S. Aug. & hoc ideò, quia hoc Sacramentum in cæna fuit institutum; vel quia cæna legalis, id est Agnus Paschalis, ejus figura fuit; vel quia est cæna mystica. Denominatur à materia ex qua fit, vel à re contenta, Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini; vel à loco in quo celebratur, Sacramentum altaris: vel à figuris dicitur Pascha, vel manna, quæ illud præsignarunt: vel ab vsu viaticum, quia viatoribus, vel transeuntibus in aliam vitã tribuitur, vocatur ab aliis Synaxis, quia ad illam populꝰ Christianus con-

Nomina Eucharistiæ.

Sacramentum altaris. *Pascha.* *Viaticum.* *Synaxis.* *Vita.*

congregatur. Denominatur ab effectibus, vita, communio &c. Deniq; dicitur Eucharistia à Greco εὐχαριστέω, quod est gratias ago: tum quia summa animi gratitudine, summam gratiarum, quæ nobis in hoc Sacramento conferuntur, debemus accipere. Antiqui Patres non tam vim verbi Græci, quàm rem ipsam intuentes, Eucharistiam appellarunt bonam gratiam, tum quòd Christum Dominum fontem gratiæ continet realiter: vel quia significat futuram gloriam, & ideò appellatur pignus hæreditatis: vel quia abundantiorem gratiam accidentalem confert.

Bona gratia

Eucharistia prænunciata fuit per prophetas.

Nota 2. Hoc Sacramentum prænunciatum fuit; tum ratione difficultatis assensus illius, quia cùm inter cætera credibilia illud sit difficillimum, congruum fuit, vt prophetiarum, & figurarum manuductione ad illius assensum perueniretur. Et sic prænunciatum fuit propheticis Prouerb. 9. *Sapientia mactauit hostias suas miscuit in cratere vinum suum*. Psal. 21. dicitur, *Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ*. In quem locum S. Augustinus ait. *Tunc manducauerunt quando adducti sunt ad mensam Domini & ibi accipiunt de corpore, & sanguine ejus*. Et Psalm. 77. *Panem cæli dedit eis, Panem Angelorum manducauit homo*. Quæ verba intelligunt Patres de Sacramento Eucharistiæ. Et Psalmo 110. *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, & miserator dominus, escam dedit timentibus se*. Deinde prænunciatum fuit figuris, vt in pane Melchisedech, & vino, vt S. Hieron: inquit Epist. ad Euagrium. *Melchisedech in pane & vino, Christi dedicauit Sacramentum*. Significatum fuit per panes propositionis *Exodi 40.* propter eorum singularem sanctitatem, quæ nihil ferebat impuritatis in comedentibus, vt docet S. Damasc. *lib. 4. de fide orthod. cap. 14.* Præterea *per panes primitiarum Leuit. 23.* Vnde Irenæus l. 4. cap. 32. appellat Sacramentum hoc *primitias diuinorum munerum in nouo Testamento*. Deinde significatur *in pane Heliæ. 3. Reg.* 19. Insuper in pane, quem vidit Gedeon euertentem castra Madian, *Judic. 7.* Tandem in Agno Paschali, *Exodi* 12. Deniq; in manna Joan. 6. *Patres vestri manducauerunt manna, & mortui sunt, qui manducat hunc panem viuet in æternum*. Plures figuras qui volet legat Sanctum Bonauenturam *in 4. dist. 8. 1. p. art. 1. q. 1. 2. & 3.* Et Richardum *ibidem. a. 1. q. 3.* Secundò prænunciari debuit, tùm vt expectati dignitas ostenderetur: tum vt expectantes de eo certiores redderentur.

Per figuras.

Eucharistia est Sacramentum.

Nota 3. Sacramentum Eucharistiæ, est nouæ legis verum Sacramentum. Probatur Cui conuenit definitio, conuenit & definitum: Sed Eucha-

Eucharistiæ conuenit definitio Sacramenti. Ergo. Minor Probatur, quia *Eucharistia est signum sensibile, effectum gratuitum, ex institutione Diuina, significans, nempe corpus, & sanguinem.*

ARTICVLVS I.

Quomodo Sacramentum Eucharistiæ definitur?

Definitio Eucharistiæ

Respondeo, Eucharistia à D. Subt. *in 4. d. 8. q. 1.* tali depingitur penicillo. *Eucharistia est Sacramentum, Corporis Christi & sanguinis, veraciter contenti sub speciebus Panis & Vini, post consecrationem factam, à Sacerdote, sub certis verbis, cum debita intentione prolatis, ex institutione diuina, veraciter significans corpus Christi & Sanguinem sub eis realiter contineri.*

Explicatur prior definitio.

Quæ definitio sic breuior reddi potest. *Eucharistia est signum sensibile, effectum gratuitum, nempe Corpus & Sanguinem Christi realiter continens, sub speciebus panis, & Vini, ex institutione diuina, significans. Sacramentum,* denotat genus definiti, scilicet relationem in recto: *Corporis & Sanguinis &c.* terminum seu significatum: *sub speciebus panis & Vini, &c.* denotant fundamentum proximum, & materiam conuersionis: *post consecrationem, &c.* denotat actionem Sacramentalem: *à Sacerdote,* ministrum: *certis verbis,* formam: *ex institutione diuina veraciter significans, &c.* modum significandi.

Non est ulla repugnantia in Eucharistia.

Circa hanc descriptionem obseruat D. Subt. *in 4. d. 8 q. 1. n. 2.* non esse in se falsam, quia nulla pars repugnat alteri. Sed ex 5. *Metaph.* illa ratio non est in se falsa, cujus vna pars non repugnat alteri. Quòd vero non repugnet, patet: Possibile enim est sine contradictione, Corpus Christi Domini contineri sub speciebus Panis, & Sanguinem sub speciebus Vini, vt patebit inferiùs; possibile est etiam ista signa instituta esse à Deo, ad significandum veraciter illa signata sub eis contineri; quia quod Deus potest facere, potest per aliquod signum sensibile, à se ipso impositum significare.

Deinde non modò eâ ratione prædicta definitio, non est in se falsa, sed etiã de facto illi subest aliquod ens in effectu, nempè Corpus Christi Domini, vt patet authoritate S. Scripturæ. *Matt. 26.* vbi Christus Dominus post cænam istud Sacramentum instituit, vt sub istis speciebus, Corpus ejus & Sanguis contineretur, non tantùm quando ipsemet confecit, sed quando postea hoc Sacramentum à Sacerdotibus in Ecclesia conficeretur, ad quod dedit

dedit authoritatem dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Item 1. ad Corinth. 11. *Panis quem frangimus, scilicet nos Sacerdotes, nonnè participatio Domini est.* Tandem subjungit D. Subt. *loco citato.* duraturum hoc Sacramentum in Ecclesia militante, vt constat ex 1. ad Corinth. 11. *mortem Domini annunciabitis, donec veniat*, supple ad judicandum. Vnde hic cultus, & vsus Eucharistiæ publicus in Ecclesia erit vsq; ad tempus Antichristi, ille auferet juge Sacrificium, quantum ad cultum publicum, sicut persequetur Ecclesiam, & fidem Christianam; sed in priuato frequentabitur à fidelibus, ita vt non desinat vsus ejus; donec Christus Dominus venerit ad judicium.

Durabit Eucharistia.

ARTICVLVS II.

An Eucharistia sit vnum aliquod Sacramentum?

Vnitas specifica in Sacramentis qualis.

NOTA 1. Controuersiam esse de vnitate numerica, & specifica, per vnitatem specificam tam in hoc, quàm in aliis Sacramentis, non intelligi vnitatem aliquam naturæ, & Metaphysicam, quâ est V. G. vnitas naturæ humanæ, sed vnitatem specificam in genere moris, qualis reperitur in rebus artificiatis, & dependentibus ex arbitrio instituentis, quæ eâ ratione habent vnitatem, quia nimirum perfectæ sunt, & integræ, quatenùs sunt entia moralia, vt est exercitus, domus, &c. Dubitatur autem de ea vnitate, propter distinctionem specierum panis, & vini, quarum quælibet seorsim, videtur esse Sacramentum specie morali distinctum ab alia.

NOTA 2. Excitatur difficultas de vnitate numerica hujus Sacramenti propter varias hostias, aut etiam varias hostiæ partes consecratas in eodem loco, an scilicet illæ sint vnum, vel plura numero Sacramenta.

Eucharistia est vnum vnitate specifica morali. Ratione contenti.

DICO 1. Eucharistiæ Sacramentum, est vnum vnitate specificâ atomâ in genere moris. Probatur 1. ex ratione vnitatis contenti, scilicet Corporis, & Sanguinis Christi Domini, qui continetur sub alia specie. Est enim Sanguis aliquid etiam Corporis sumpti communiter pro corpore, habente tam partes animabiles, quàm eos humores, sine quibus partes illæ animari non possent, licet non sit aliquid ejus vt includentis tantum partes animabiles. Deinde probatur ratione vnitatis vsus, ordinatur enim hoc Sacramentum ad commemorandam Passionem Dominicam vnam, prima ad Corinth. 11. *Quotiescunq; manducaueritis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* 3. Ratione vnitatis significati, significat enim vnam Ecclesiam fidelium. 1. ad Corinth. 10. *Vnus Panis, vnum corpus, multi sumus omnes, qui de vno pane, & de vno calice participamus.* Deniq; proba-

Vnitate vsus

Vnitate significati.

probatur, quia illud quod est in Sacramento hoc, ordinatur ad vnicam nutritionem Spiritualem animæ. Quare sicut conuiuium, quod constat ferculis, & potibus diuersis, potest dici Physicè plura, moraliter tamen, & in ratione conuiuii est simpliciter vnum: ita hoc Sacramentum, licet ratione cibi, & potus spiritualis, dici possit, aliquo modo Physicè plura, tamen in ratione, conuiuii, est simpliciter vnum moraliter; nam Christus Dominus in eo carnem suam, & Sanguinem, tanquam vnum cæleste epulum commendauit, *Joan. 6.* Dixi in conclusione, *vnitate specificâ atomâ vnum*, quia plusquam numero distinguitur à reliquis Sacramentis. Et quia immediatè reponitur sub genere infimo, scilicet sub signo sensibili, effectum gratuitum ex ordinatione diuina significante. Hinc *Vnitate nutritionis.*

COLLIGE. Vnitas hujus Sacramenti, non est vnitas indiuisibilitatis, vt puncti, nec continuitatis, vt lineæ, nec essentiæ; vt in simplicibus substantiis, vel in compositis ex materia & forma substantialibus, nec vnitas naturæ; nec suppositi, aut etiam subjecti, & accidentis, sed est vnitas perfectionis, & integritatis, quæ consistit in concursu eorum omnium, quæ ad completam nutritionem animæ requiruntur. *Qualis vnitas Eucharistia.*

Dices. Majorem vnitatem habuisset hoc Sacramentum, si sub vna tantùm specie institutum fuisset. Ergo &c. Respondeo Eucharistia instituta est sub duabus speciebus, propter 4. rationes. 1. Ratione significationis expressæ mortis Domini. 2. Ratione significationis perfectæ nutritionis. 3. Ratione cibationis vtriusq; partis totiùs hominis, vt dicit Sanctus Thomas in Hymno. *Quibus sub bina specie, carnem dedit, & Sanguinem, vt duplicis substantiæ, totum cibáret hominem.* Deniq; ratione vnionis Christi Domini nobiscum, & vicissim nostri cum eo, ille siquidem vt vinum in nos sese infundit, nos veluti grana illi adhæremus, vt docent SS. Patres. *Cur Eucharistia instituta est sub duabus speciebus.*

Dico 2. Vnitas numerica hujus Sacramenti desumitur ex ordine ad species consecratas diuersas, & vnâ consecratione, ab eodem Ministro, & in eodem loco consecratas: non vero desumitur à diuersis partibus ejusdem hostiæ. I. pars probatur. I. quia quælibet hostia cõsecrata seorsim ab altera: est signũ rei Sacræ, habetq; integrã significationẽ sine alia; Vnaquæq; enim per se nutrire potest spiritualiter, & causare gratiam sanctificantẽ, independenter ab alia. Confirmatur quia ad vnitatem numericam, non requiritur continuatio Physica, sed sufficit moralis, & sic plures hostiæ in eadem pyxide faciunt vnum numero, donec distinguantur moraliter, distribuendo eas seorsim. 2. pars patet, quia diuersæ partes ejusdem hostiæ statim sumendæ, ad *Vnitas numerica vnde desumitur.*

vnicam tantùm refectionem spiritualem ordinantur; non enim sumitur vna pars sine alia, ex vulgari ritu Ecclesiæ, sed omnes simul sumuntur, ab eodem consecrante, in eodem Sacrificio, tanquam partes ejusdem consecrationis spiritualis.

ARTICVLVS III.

Quidnam in Eucharistia habet rationem Sacramenti?

Sensus difficultatis est, quidnam in Eucharistia habeat veram rationem Sacramenti an consecratio, vel sumptio, vel solæ species, vel solùm corpus Christi Domini, vel deniq; species simul cum Corpore Domini.

Eucharistia est Sacramentum permanens.

NOTA I. Antiqui Scholastici, & Patres distinxerunt, inter Sacramentum, & rem Sacramenti, ita vt per Sacramentum intellexerint aliquando solum signum sensibile, & per rem Sacramenti signatum, & contentum sub signo sensibili.

Consecratio non est Sacramentum.

NOTA 2. Concilium Tridentinum *Sess. 13. can. 4. & 7.* determinauit Eucharistiam esse Sacramentum permanens, & non successiuum, quod consistat in solo vsu, aut applicatione, veluti cætera. Ratio est, quia Christus Dominus est hostia ad Sacrificium destinata, & de Sacrificio relicta, quæ vt sic debet esse res aliqua permanens, & sic vocatur in Scriptura, Panis, cibus, Caro, Mensa, Corpus, &c.

DICO I. Consecratio non habet veram rationem Sacramenti. Patet tum quia consecratio est via ad Sacramentum. Tum quia nulla actio producens rem permanentem, habet rationem rei producendæ, quia esset antequam produceretur. Sed consecratio est motus, quo producitur Sacramentum Eucharistiæ. Ergo non est ipsum Sacramentum.

Vsus seu sumptio non est Sacramentum.

DICO 2. Sumptio seu vsus Sacramenti Eucharistiæ, non est Sacramentum Eucharistiæ. Probatur quia nulla actio consequens rem in sua existentia perfectam, pertinet ad ejus essentiam. Sed sumptio sequitur completum esse Sacramenti. Ergo ratio Sacramenti in ea non consistit.

Deinde sumptio Sacramenti per se, nos non sanctificat, sed est tantùm applicatio rei sanctificantis; sicut sumptio cibi, nos non nutrit, sed tantùm est applicatio rei nutrientis: Sacramentum autem est id, quod sanctificat. Vnde optimè D. *Subt. in 4. d. 8. q. 1.* docet vsum hujus Sacramenti; non esse Sacramentum, sicut neq; vsum verborum Sacramentalium, sed hunc esse quandam viam ad Sacramentum, vsum verò & sumptionem hujus Sacramenti, esse quandam dispositionem Sacramentalem, seu viam, quâ potest Sacramentum applicari membro Ecclesiæ: quare prædicta, non sunt quid

quid formale, & primum significatum Eucharistiæ, sed sunt quidam actus Sacramentales, inquibus benè potest gratia recipi, si dignè fiant.

Species Sacramentum sunt.

Dico 3. Solæ species sunt Sacramentum, & Corpus Christi Domini res Sacramenti. Probatur, quia Sacramentum est signum sensibile, Sed solæ species, & non corpus Domini sunt signum sensibile. Et eo sensu. Ius Canonicum, & Concilia, maximè Trident. *Sessione 13. c. 1.* dicit, corpus Christi Domini esse, vel contineri in Sacramento Eucharistiæ, hoc est sub signo sensibili: quòd certè nonnisi incompletè appellari potest Sacramentum; ad completam enim constitutionem hujus Sacramenti pertinet etiam Corpus Domini, saltem in obliquo, nempè quatenùs est res, terminus, & significatum illius. Hinc

Quomodo corpus Domini est Sacramentum.

Collige Quòd Corpus Domini dicitur Sacramentum, non præcisè prout est res Sacramenti, sed per ordinem ad quidpiam aliud, quod efficit, vel repræsentat, dicitur Sacramentum, nimirum quia causat, & efficit gratiam. Tum quia significat vnionem fidelium inter se, & in Christo Domino. Tùm quia significat, & efficit nutritionem spiritualem. Et sic vario respectu dicitur Christus Dominus à multis Sacramentum simul, & res Sacramenti: res Sacramenti, quatenùs est significatum specierum, & Sacramentum propter rationes allatas.

Verius dicitur corpus Domini esse Sacramentum.

Dico 4. Verius est Corpus Christi Domini esse Sacramentum, quàm species, sumendo Sacramentum quoad efficientiam, & non quoad significationem per habitudinem ad gratiam. Patet quià corpus Christi Domini veriùs efficit gratiam, quàm species: efficit enim vt instrumentum conjunctum Diuinitati, species autem vt signum illius instrumenti, seu ad summùm instrumenta extrinseca, seu non conjuncta, vel vt instrumenta instrumenti primarii, & conjuncti.

Ad Completam rationē Sacramenti pertinet vtrumque.

Dico 5. Sacramentum vulgariter acceptum, & in completa significatione dicit species, cum habitudine ad Corpus & Sanguinem Domini, seu prout significant Corpus & Sanguinem Christi Domini ibi contineri, tanquam spirituale animæ alimentum. Patet quia de ratione cujuscunq; Sacramenti est esse signum cum habitudine ad signatum. Ergo & de ratione hujus. Vnde neq; solæ species, neq; solùm Corpus Domini, habet rationem Sacramenti completam, sed vtrumq; simul.

ARTICVLVS IV.

In quibus Sacramentum Eucharistiæ conuenit, & differt à cæteris.

Eucharistia conuenit cũ aliis Sacramentis.

Quantùm ad conuenientiam, conuenit. 1. quia est signum sensibile, causatiuum gratiæ. 2. Quia vt cætera, constat rebus & verbis; & sic verba consecrationis possunt dici de essentia Eucharistiæ, non quòd intrinsecè permaneant, sed quia necessariò requiruntur, ad ejus constitutionem, siue ad dandum esse huic Sacramento; & possunt dici forma, respectu panis & vini, quæ sunt materia remota hujus Sacramenti, proxima verò & propriè, sunt species panis & vini; forma verò propriè hujus Sacramenti, est relatio significationis Corporis & Sanguinis Christi Domini: Et sic differt hoc Sacramentum à reliquis, quia reliquorum res, & verba sunt partes eorum.

In quo differt ab aliis

Deinde differt ab aliis, quia verba hujus Sacramenti non cadunt immediatè supra suscipientem, sed supra res ipsas consecrandas, & transmutandas: Reliquorum verò verba, in suscipientem cadunt; *Vt Ego te Baptizo, Ego te vngo, Ego te absoluo, &c.* 3. quia istud Sacramentum est simpliciter veracissimum in significando; alia non sic, quorum nimirum quandoq; effectus impeditur ex indispositione suscipientis; hoc autem non dependet à dispositione suscipientis: hic autem gradus certitudinis in Eucharistia, præ reliquis sumitur per ordinem ad gratiam subsistentem, & non ad gratiam sanctificantem. 4. Quia istud præ aliis realiter continet, quod significat, alia verò non realiter, sed in virtute tantùm, & efficacia: ita Tridentinum. *Sess. 13. cap.* 3. 5. Quia habet esse permanens, juxta promissionem Christi Domini. *Ego vobiscum sum usq; ad consummationem sæculi.* 6. Quia continet gratiam, subsistentem & authorem ipsum gratiæ, cætera gratiam inhærentem. 7. Quia istud est Sanctum formaliter, cætera tantùm habitudine, nimirum quia efficiunt & significant sanctitatem. Ex his omnibus differentiis, & excellentiis, colligitur quantùm istud Sacramentum reliquis præstet. *Vnde Tridentinum Sessione 7. de Sacramentis in genere Can. 3. inquit. Si quis dixerit hæc Sacramenta septem, ita esse inter se paria, vt nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.* Qui Canon de Eucharistia intelligitur. Et idem Concilium *Sess. 13. cap. 1.* appellat hoc Sacramentum Diuinum, mirabile, Sacrosanctum, & Sanctissimum Sacramentum. Et c. 2. dicit in hoc Sacramento Christum Dominum, memoriam fecisse suorum mirabilium. Et cap. 3. ait amoris sui Diuitias effudisse.

Excellentia Eucharistiæ.

ARTICVLVS V.

De Institutione Sacramenti Eucharistiæ, & quando fuit institutum.

NOTA I.

Nota 1. Christus Dominus hujus, sicut & reliquorum Sacramentorum fuit institutor, vt constat ex Trident. *Sess. 7. Can. 1 Et Sessione 24. Can. 1.* quod inde constat, quia *Matt. 26.* habemus Baptismi institutionem, Eucharistiæ, *Matt. 28. & Luc. 22. Et 1. Ad Corinth. 11.* à quibus traditur Christum Dominum inter cænandum ea noctè, quâ tradebatur instituisse hoc Sacramentum. Et pœnitentiæ. Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* Et sic de reliquis Sacramentis. Hinc Sanctus Ambros. *lib. 4. de Sacrament. c. 4.* inquit, *Author Sacramentorum quis est nisi Dominus JEsus?* Ratio est, quia institutio Sacramenti prout contingit de facto, est & habet voluntatem determinatam, & efficacem, producendæ gratiæ annexam, quantùm est ex natura institutionis, & determinatione causæ principalis: de facto enim nulli puræ creaturæ data est potestas instituendi Sacramenta, vt probat Sanctus Bonauentura *in 4. dist. 5. art. 3. q. 1.*

Institutor Sacramentorum quis.

Nota 2. Variæ rationes assignantur à Doctoribus institutionis Eucharistiæ. 1. Vt amor Christi Domini magis ostenderetur, qui se dedit non tantùm in mortem, sed & in cibum. Ita S. Chrysost. *Homil. 24. in 1. Corinth.* 2. Vt in lege gratiæ esset Sacramentum continens ipsummet Authorem, & fontem gratiarum. Ita Alensis, & Richardus. 3. Vt post acceptam vitam spiritualem in Baptismate, alimentum spirituale hujus vitæ conseruandæ non deesset. Ita Theologi *in 4. dist. 8. q. 2.* 4. Propter summam vnionem, quam Christus Dominus voluit esse, inter ipsum, & nos, itemq; inter nos ipsos. Ioan. 6. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Ita S. Cyril. *lib. 10. in Joan. 5.* Vt nobis superesset amoris diuini pignus, quo frueremur, absente sponso in propria specie.

Cur Eucharistia instituta.

Dico 1. Institutum fuit ad vesperam, jam imminente Christi Domini Pasione, lunâ 14. Mensis primi. Hæc conclusio patebit *sequentibus.* Vbi examinabitur, an in pane azymo, aut fermentato Christus Dominus consecrauerit?

Quando instituta Eucharistia.

Dico 2. Institutum fuit Eucharistiæ Sacramentum post lotionem pedum. Est communis Sanctorum Patrum. Quia lotione pedum, voluit Christus Dominus significare mundationem animæ, quæ ante sumptionem hujus Saramenti præmittenda est.

Dices Hoc Sacramentum institutum fuit cænantibus adhuc illis, *Matt. 26.* Sed non ampliùs cænabant, imò cænâ factâ, Christus Dominus lauit pedes, *Joan. 13.* Ergo instituit hoc Sacramentum ante lotionem pedum.

Respondeo Particulæ illæ *cænantibus illis*, non sic sunt intelligendæ, quasi adhuc

adhuc

adhuc cænarent, sed statim vt cæna peracta est, antequàm surgerent, & ciborum reliquiæ remouerentur.

Post Cænam legalem, & visualem instituta.

DICO 3. Institutum fuit Sacramentum Eucharistiæ post cænam legalem, & visualem. Patet ex Sancto Luca, & Sancto Paulo, dicentibus *Christum Dominum accepisse panem & calicem postquam cænauit*: quod certè non potest intelligi, nisi de cæna visuali, quæ simpliciter appellabatur cæna. Deinde si non fuit institutum post cænam visualem. Ergo vel ante cænam, vel inter cænandum. Non primum, quia expressè dicitur, *postquam cænauit*, quod non potest intelligi de cæna legali, quia cæna legalis non appellatur simpliciter cæna, sed Pascha. Non inter cænandum quia propter reuerentiam tanti Sacramenti, institui, & sumi non debuit inter epulas vulgares. Deniq; decuit hoc Sacramentum nouissimo loco tanquam omnium mysteriorum complementum, institui debuisse. Aduertè hic probabiliùs est præsente Juda hoc Sacramentum institutum fuisse, & inter discumbentes hoc Sacramento vsum fuisse: nam licet legatur in Sacris literis Iudam continuò discessisse, hæc particula *continuò*, non significat statim discessisse, sed solùm non expectâsse concionem illam, quam Christus Dominus habuit post institutam Eucharistiam.

Præsente Iuda institutum.

ARTICVLVS VI.

An Sacramentum Eucharistiæ, potuit institui ante Incarnationem?

Potuit incarnari Verbum ante.

NOTA Hæc difficultas supponit Verbum incarnandum Adamo non peccante, vt probat Doctor Subt. *in 3. dist. 7. q. 3. n.* 3 & hoc tum ad communicandum aliis hominibus incarnationis beneficium: tum ad augmentum gratiæ, tum ad pignus gloriæ: tum ad hoc, vt habuissent homines perfectum sacrificium laudis, gratiarum actionis: tùm ad manifestandam omnipotentiam Diuinam, & reliqua attributa, quæ ex eo relucent: & hoc verum esse de possibili, supposito innocentiæ statu.

Nomine incarnationis quid intelligatur.

DICO Potuit institui ante incarnationem. *Ita Doctor Subt. in 4. d. 10. q. 4. n.* 6. Aduerte hic nomine incarnationis non intelligi, vnionem verbi cum humanitate, aliâs enim non esset Christus, nec consequenter Corpus Christi) sed intelligi conceptionem, & formationem ejus ex Virgine. Probatur existens simpliciter Corpus Domini est indifferens ad modum existendi naturaliter, & ad modum existendi Sacramentaliter, Ergo potest vnus modus ei inesse absq; alio. Vnde sicut de facto extitit

modo

modo naturali, antequam existeret modo Sacramentali, ita potuit existere modo Sacramentali, antequam existeret modo naturali, prior pars propositionis probatur, quia præsentia naturalis, nec est de essentia præsentiæ Sacramentalis, nec causa ejus est, nec vlla ratione ad eam constituendam concurrit, sicut nec vice versa, præsentia naturalis dependet à præsentia Sacramentali, siquidem præsentia Sacramentalis, est immediatus effectus omnipotentiæ Diuinæ. Ergo per potentiam absolutam absq; contradictione, potest poni præsentia Sacramentalis, absque naturali præsentia.

Dices Nulla res potest esse secundùm quid, quin priùs sit simpliciter. V. G. sortes non potest, esse albus, aut sedens, quin simpliciter existat. Sed modus existendi Sacramentaliter, est modus existendi secundùm quid, modus autem existendi naturaliter est modus existendi simpliciter. Ergo non potest existere Corpus Christi Domini Sacramentaliter, quin existat naturaliter.

Nota solutionem.

Respondeo Major absolutè non est vera, creaturæ enim sunt priùs in Deo secundùm quid, quàm simpliciter. Sed ad priorem partem minoris; nego quòd in tali casu modus existendi Sacramentaliter non esset modus existendi simpliciter: tunc enim simpliciter Corpus Christi Domini produceretur, essetq; simul, & existens simpliciter, & existens Sacramentaliter, non esset tamen existens naturaliter. Atq; alia pars minoris falsa est, quia res existens simpliciter, est indifferens ad modum existendi naturaliter, & modum existendi Sacramentaliter: Vnde falsum est inceptionem modi existendi naturaliter, esse inceptionem existendi simpliciter. Quare in nostra Hypothesi, si Corpus Christi Domini productum fuisset ex Virgine postmodùm, illa productio fuisset tantùm inceptio ejus secundùm quid, quia supposuisset existentiam simplicem ejusdem corporis; sicut nunc in Eucharistia incipit esse tantùm secundum quid, quia supponitur idem corpus simpliciter existens in cælo.

Obiicies In Conceptione Christi Domini incepit corpus ejus simpliciter. Ergo similiter fuisset inceptio simpliciter, etiamsi in Eucharistia præcessisset, non enim fuisset minùs verum esse Corporis Domini sub modo naturali tunc, quàm nunc. Respondeo Ad inceptionem simpliciter non tantùm debet incipere esse simpliciter, sed debet esse primum ejus. Et sic in incarnatione fuisset inceptio, non tantùm esse simpliciter corporis, sed etiam primi esse, Quòd si dicas in hac Hypothesi, Corpus Christi Domini fuisset verè formatum ex purissimis Sanguinibus Beatæ Virginis, & sic fuisset

Nota diligenter responsionem.

fuisset genitum, atq; adeò simpliciter productum: nam Sanguines purissimi Beatæ Virginis fuissent principium materiale corporis Christi Domini existentis modo naturali, & tamen non fuissent principium materiale intrinsecum ejusdem existentis priùs modo Sacramentali. Ergo non fuissent idem corpus. Respondeo sicut per potentiam Diuinam formatus est primus parens, habens veram carnem ex limo terræ, ita in tali hypothesi, primò formatum corpus Christi Domini fuisset verè humanum, & ita non fuisset transsubstantiatio panis, aut alteriùs materiæ in Corpus Christi Domini præexistens, sed vera formatio primi esse illius corporis ex illa materia; postea verò in incarnatione non fuisset vera formatio, aut generatio ejusdem corporis, sed transsubstantiatio Sanguinum Virginis in Corpus Christi Domini præexistens, & ita purissimi Sanguines Virginis non fuissent principium intrinsecum materiale ejusdem corporis, vt nunc, sed materia, ad cujus desitionem, incepisset esse Corpus Christi Domini in vtero Virginis: sicut panis in Eucharistia non est principium intrinsecum Christi Domini corporis, sed materia, ad cujus desitionem incipit corpus Domini in Eucharistia.

In incarnatione non fuisset generatio in hac hypothesi.

Obiicies. Si sic, sequeretur quòd B. Virgo Maria, non fuisset vera Mater Christi Domini, quia eum non genuisset de propria substantia. Respondeo. Nego sequelam, nam licet eum non genuisset de propria substantia, tanquam de principio materiali intrinseco, sed vt à termino à quo: ad veram enim maternitatem, satis est, quòd mater subministret propriam substantiam, siue illa constituat intrinsecè genitum; siue sit tantùm terminus à quo, ad cujus desitionem, idem genitum ponatur.

Obiicies. D. Subt. *in 3. d. 8. q. 1. §. ad argumenta* dicit, filiationem fundari super existentiam naturæ acceptæ per generationem. Sed Christus Dominus fuisset jam existens simpliciter. Ergo non superfuisset existentia naturæ acceptæ per generationem, quæ hujusmodi filiationem fundare potuisset.

Respondeo Quòd filiatio potest fundari noua super existentiam antiquam, non enim ad id requiritur, vt existentia sit noua, vel vt sit naturæ, de nouo productæ, sed sufficit vt sit naturæ acceptæ per generationem, licet illa generatio ad aliquid existens terminetur. Quòd si dicas, Corpus Domini ponitur nunc in Sacramento ex vi horum verborum. *Hoc est Corpus meum.* Sed hæc verba referuntur ad Corpus Domini, quod præexistit. Ergo non potuit fieri hoc Sacramentum antequam Christi Domini Cor-

Filiatio potest fundari super antiquam existẽtiam.

Corpus præextiterit. Respondeo Si non posset aliter fieri quàm ex vi horum verborum, tunc objectio esset vera, sed in nostra hypothesi supponerentur alia verba, hæc vel similia, *Hoc est Corpus Christi venturi in propria specie, & ex virgine nasciturі.*

Obiicies. Præsentia Sacramentalis nunc dependet ab existentia naturali, ita vt si Christus Dominus non esset naturaliter, non posset esse Sacramentaliter. Ergo nullo modo posset esse Sacramentum Eucharistiæ, non existente Christo Domino naturaliter. Antecedens patet, corrupto enim corpore Christi Domini, non potest manere Sacramentum Eucharistiæ. Ergo desinente totaliter corpore Christi Domini secundùm existentiam naturalem, non potest esse Eucharistia. Respondeo negatur vtrumq; Antecedens, & ad posterius dicitur, non esse parem rationem, quia inuoluit contradictionem, nimirum eandem formam absolutam informare idem, & non informare; nam corrupto corpore Christi Domini, forma ejus non ampliùs informat, manente verò Sacramento Eucharistiæ, forma ejus adhuc informat, quia supponitur ibi esse totum Corpus Christi Domini constans ex materia & forma: istud autem nullam includit contradictionem, quia destruitur tantùm vnus respectus in absoluto, alio manente, scilicet respectus præsentiæ naturalis ad locum, manente respectu præsentiæ Sacramentalis. Vide D. Subtilem *in 4. d. 10. q. 6. post. 5. Conclusionem.* Hinc

Collige Cajetanum *3. p. q. 76. a. 2.* falso appellare chymericam, opinionē hanc, putabat enim ille, ex hac hypothesi D. Subtilis, sequi dari respectum sine fundamento, & præsentiam sine re præsente, quia comparat præsentiam Sacramentalem, ad præsentiam naturalem, tanquam ad esse simpliciter corporis Christi Domini, cùm tamen D. Subtilis velit illud esse simpliciter corporis Christi Domini habere se ad præsentiam Sacramentalem, & ad præsentiam naturalem, tanquam ad duos respectus disparatos, ad quos est indifferens; & quos fundare potest, tùm simul, tùm seorsim. *Cajetani opinio*

ARTICVLVS VII.

Qualis necessitas fuit instituendi Sacramentum Eucharistiæ.

Nota. Duplicem esse necessitatem Sacramentorum, nimirum necessitatem medii, & necessitatem præcepti. Necessitas medii dicitur etiam *Necessitas Sacramentorum duplex.*

etiam necessitas finis, id est, quando sine medio, non potest acquiri finis. Dicitur itaq; medium necessarium relatiuè in finem. Porrò hoc modo necessarium medium, dupliciter dicitur, siue in re applicatum, siue in voto, hoc est in desiderio, & proposito applicandi, si subesset facultas ejus. Porrò Necessarium necessitate præcepti appellatur, quod quidem necessarium est, vbi facultas suppetit, & occasio, non tamen ita, vt ob defectum occasionis prætermissum impediat salutis consecutionem, si sine culpa omittatur.

Necessarium necessitate præcepti.

DICO 1. Realis sumptio Eucharistiæ, non est medium necessarium. Ita Trident. *Sess. 21. Can. 1. & Sess. 6. cap. 4.* vbi definitur justificatio, quæ est per Baptismum. Ex qua doctrina sequitur, etiamsi infans Baptizatus decedat in gratia Baptismali, saluari eum sine sumptione Eucharistiæ.

Eucharistia non est medium necessarium in re.

DICO 2. Sumptio Eucharistiæ, nec in re, nec in voto, est medium necessarium ad justificationem, etiam in adultis. ita D. Subt. *in 3. d. 40. num. 5.* vbi dicit. *Nullum aliud Sacramentum nouæ legis habere necessitatem medij præter Baptismum & Pænitentiam.* Prima pars probatur, quia Sacramentum Eucharistiæ non est medium institutum ad justificationem, medium enim institutum ad aliquid, debet illud præcedere, ad quod est institutum. Sed vt istud Sacramentum debitè suscipiatur, debet potiùs subsequi, quàm præcedere justificationem. Ergo non est ad illud institutum. Probatur 2. Quia Concilia, & SS. Patres, non tribuunt tantam necessitatem Eucharistiæ. Ergo sine Eucharistia potest adultus justificari. Secunda pars patet, votum alicujus medii tunc est necessarium ad aliquid, quia medium ipsum est ad illud institutum; V. G. Votum pænitentiæ est adultis necessarium, quia pœnitentia ipsa, est per se instituta ad justificationem. Sed Eucharistia non est ad hoc instituta. Ergo votum ejus non est simpliciter ad justificationem necessarium.

Neque in voto.

Aduertendum tamen est; Aliquo tempore propositum de communicando saltem implicitum, necessarium est ad justificationem adulti, saltem per accidens, nimirum ratione præcepti.

Propositum communicandi.

DICO 3. Licet Eucharistia non sit instituta, tanquam medium adultis necessarium ad vitam æternam; nec instituta sit, vt infallibiliter tribuat donum perseuerantiæ; est tamen medium vtile, & adeò efficax ad perseuerandum in gratia, vt sine vsu ejus longo tempore, incurratur periculum lapsus. Prima pars patet. Si quis enim justificatus moriatur in gratia, salutem consequetur. Sed justificari aliquis potest absq; vsu Eucharistiæ, vel

Est medium vtile, non verò necessarium.

ejus

ejus voto; Ergo & ſalutem conſequi. 2. Pars conſtat, quia per alia medis conducentia impetrari poteſt perſeuerantia, non tamen infallibiliter, quia neq; ſub meritum noſtrum cadit, neq; etiam ſub efficaciam alicujus *S*acramenti, tanquam effectus communiter datus, & infallibilis. Vide Tridentinum *Seſſ. 6. cap. 13. de dono perſeuerantiæ.* 3. Pars deducitur ex Tridentino *Seſſ. 13. cap. 2.* vbi dicitur, *Euchariſtiam eſſe antidotum, quô liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus praſeruemur.*

Obiicies 1. *S*icut ex illo loco Joannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum* Dei, colligitur neceſſitas medii ad ſalutem, ita & ex his verbis Joannis ſexto. *Niſi manducaueritis carnem Filij, hominis, & biberitis ejus Sanguinem non habebitis vitam in vobis.* Et ex illis inferiùs poſitis. *Ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, ipſe viuet propter me.* Sed viuere per hoc *S*acramentum in Chriſto, ſicut Chriſtus viuit propter Patrem, denotat neceſſitatem medii. Ergo.

Reſpondeo Ex duobus prædictis *S.* ſcripturæ locis, non colligi parem neceſſitatem, quia Baptiſmus eſt ſpiritualis regeneratio omnibus neceſſaria, vt ex filiis iræ filij Dei conſtituamur: Euchariſtia verò nullum effectum habet ita neceſſarium ad ſalutem conſequendam, vt ſine ea abſolutè obtineri non poſſit: Euchariſtia enim eſt Sacramentum viuorum, ſupponens gratiam ſanctificantem, proinde hoc loco *Joannis* 6. ſolùm declaratur neceſſitas præcepti tantum, quia verba ſimilis tenoris recipiunt interpretationem, ex materia ſubjecta, ſermo enim accommodatur rei, non res ſermoni: vnde cùm de fide ſit, hoc Sacramentum non poſſe ſumi, niſi in ſtatu gratiæ, quam confert Baptiſmus, & Pœnitentia; nihilq; aliud requiri, quàm ſtatum gratiæ ad ſalutem, ſequitur quòd illa tantùm, quæ delent peccatum in ſe, habeant neceſſitatem medii ad ſalutem. Quando itaq; dicitur, nos *non poſſe habere vitam, niſi manducemus carnem filij hominis;* hoc ideò dicitur; tùm quia tenemur ex præcepto illam congruo tempore ſumere; tùm quia diu vitam ſpiritualem conſeruare non poſſumus abſq; ea.

Non eſt par neceſſitas vtrobique.

Nota:

Quæ habent neceſſitatem medij.

Explicatur locus S. ſcriptura.

Obiicies 2. Sine reſurrectione non contingit ſalus. Sed ſumentibus Euchariſtiam promittitur reſurrectio. Ergo eſt medium neceſſarium ſalutis. Reſpondeo ſicut vita, & ſalus, contingit ſine reali ſumptione hujus Sacramenti, ita etiam de reſurrectione dicendum eſt. Hinc

Ad reſurrectionem quomodo neceſſaria.

Colliges 1. Conſuetudo communicandi infantes antiqua ſpectat ad ritum, non ad neceſſitatem, vt conſtat ex Tridentino. *Seſſ. 21. Can. 1.*

Collige 2. Quando aliqui Patres dicunt necessariam æquè esse Eucharistiam, sicut & Baptismum intelligunt de manducatione mystica, & spirituali, non autem reali.

Obiicies Nutrimentum corporale, est medium necessarium ad sustentationem vitæ. Ergo & hoc spirituale. Respondeo. Nego paritatem, quia hoc nutrit in voto tantùm, non illud. Ergo non est similitudo in omnibus.

QVÆSTIO II.

De Materia, & Forma Eucharistiæ.

1. Quæram hîc, Qualis panis sit materia Eucharistiæ.
2. An panis Azymus, vel fermentatus debeat esse?
3. An solùm vinum de vua sit materia Eucharistiæ?
4. An vino necessariò sit aqua miscenda?
5. An aqua priùs conuertatur in vinum, quàm in sanguinem?
6. An materia consecranda debeat esse determinata?
7. Quænam sit forma consecrationis?
8. An verba à Sacerdote proferantur recitatiuè, vel significatiuè?
9. Quænam sint verba de essentia consecrationis?

Nota 1. Circa materiam Eucharistiæ multi fuerunt hæreticorum errores turpissimi, quos referre pudet, quos refert S. August. hæresi 46. contra quos est Decretum Concil: Carthaginensis Tertii c. 24. *In Sacramento corporis, & sanguinis Domini, nihil aliud offeratur, quàm quod tradidit ipse Dominus, hoc est panis & vinum aquâ mixtum &c.*

De materia remota hic inquiritur.

Nota 2. In hoc articulo non quærimus de materia propinqua hujus Sacramenti, sed de materia remota, seu de ea ex qua fit, & hæc non potest esse alia nisi Panis & Vinum, vt determinatum est in multis Conciliis. Et quidem de pane patet ex Sacris literis. *Matth. 26. Marci 14. Luca 22.* Cænantibus illis accepit panem &c. De vino constat, quia post consecratum calicem, fertur Christum Dominum dixisse, *Non bibam ampliùs de hoc genimine vitis.* quare qui in alia materia præterquam in pane & vino, consecrare attentaret, nihil efficeret. Variæ autem rationes afferuntur quibus congruebat hoc Sacramentum institui sub speciebus panis & Vini; tum quia hujusmodi elementa sunt ad communem vsum facillima; tùm quia sunt mundissima, & sacrificio incruento aptissima: tùm quia sunt primitiæ creaturarum inanimatarum, & earum quæ vitam præbent hominibus;

Cùr sub speciebus panis & Vini instituta.

nibus; tùm quia in conuiuiis adhiberi solent: tùm quia repræsentant vnionem cum Christo, & inter nos, nam ex multis granis fit panis, & vinum ex multis racemis exprimitur.

ARTICVLVS I.

Qualis panis necessarius sit ad Sacramentum Eucharistiæ.

NOTA Non omnem panem frumentaceum esse materiam hujus Sacramenti, multi enim sunt panes frumentacei, vt ex siligine, spelta, auena, hordeo, &c. multò minùs panis ex leguminibus confectus, (si is sit dicendus panis) vt ex fabis; pisis, lente; similiter neq; ex fructibus arborum, vt amygdalis, castaneis nucibus, &c.

DICO 1. *Solus panis triticeus est materia hujus Sacramenti.* Suadetur; tum quia panis quo vsus est Christus Dominus fuit panis quo vescebantur in esu Agni Paschalis: probabile autem est eum fuisse optimum, cujusmodi est panis triticeus: tum quia in figura hujus Sacramenti dicitur. *Adipe frumenti satiat te.* Psal. 147. Sed triticum est adeps frumenti. Ergo. Deinde est antiqua Ecclesiæ traditio, nec non definitio Concil. Florent. *in literis Eugenij ad Armenos*, vbi dicitur materiam Eucharistiæ esse panem triticeum, & vinum de vite.

Solus panis triticeus est materia.

Ratio est, tùm quia panis triticeus, est propriè panis hominum, non ita autem panis siligineus, vèl hordeaceus: Tùm quia panis triticeus magis nutrit, & confortat, sicq; expressiùs significat hoc Sacramentum excellenter confortans, & nutriens. Per triticum intelligunt DD. illam nobilissimam speciem frumenti, Polonicè *Pszenica*, Dubitant aliqui de farre, siligine, Amylo seu Amydo, sed probabiliùs judicant, hæc omnia tanquam materiam insufficientem, aut saltem nimis dubiam, reijci; De Amylo D. Subtilis *in 4. d. 11. q. 6.* dicit, etsi ex vero tritico conficetur, tamen non esse ejusdem speciei cum tritico, sed ab eo substantialiter immutari, cùm in Amylo sit alia qualitas in tota specie, quàm in tritico. Ergo Amylon non est materia hujus Sacramenti. Quòd neq; sit panis hordeaceus materia Eucharistiæ, patet, quia tali pane, non est vsus Christus Dominus, in esu Agni Paschalis.

Nomine tritici quid intelligatur.

Amydum Siligo non est materia.

DICO 2. Panis triticeus qui Eucharistiæ Materia statuitur debet esse verè, & propriè panis. Patet quia Christus Dominus *Accepit panem*. Hinc massa farinæ, seu pasta, reijcitur, quia vt inquit D. Subt. *loco citato.* licet

Debet esse Panis triticeus verè Panis.

licet non sit diuersæ speciei à pane, tamen non est vsualis panis, neq; nutrimentum corporale. Hinc

Pasta non est materia.

Collige 1. Pastam coctam, melle, butyro; aquâ rosaceâ, vel aliquo alio liquore, præterquàm aquâ naturali delibutam, à materia Euchariſtiæ reijci; quia tunc non panis, sed libum, vel placenta esset.

Collige 2. Mixtio alterius farinæ in parua quantitate, cum farina triticea, vel liquoris alterius cum aqua naturali, non impedit confectionem Eucharistiæ, tutiùs tamen est, vt sit pura aqua naturalis, & farina pura triticea, ne peccatum committatur. Similiter ne materia corrupta, vel dubia adhibeatur.

ARTICVLVS II.

An materia Eucharistiæ debeat esse panis azymus, vel fermentatus?

Opinio Græcorum.

I. Opinio est Græcorum, asserentium panem debere esse fermentatum. Probant. 1. Quia Joan. 13. dicitur Christum sumpsisse vltimam cœnam, *Ante diem festum Paschæ.* dies autem festus ille incipiebat luna 14. ante vesperam. Ergo in pane fermentato. 2. *Judæi non introierunt in prætorium, ne contaminarentur, sed vt poßent comedere Pascha, Joan. 18.* Ergo illud nondum comederant, Christus tamen jam comederat. Ergo, 3. Christus Dominus fuit occisus luna 14. non autem luna 15. quæ erat festus dies Paschatis, quia Judæi dum consultarent de occidendo Christo, dicebant, *Non in die festo ne fortè tumultus fieret in populo.* Ergo instituit cænam lunâ 13. in pane fermentato. 4. *Joannis 19. dicitur in die Parasceue Pascha,* Christum Dominum passum esse. Ergo ante diem festum Paschatis, non ipso die Paschatis passus est, & Cænam fecit luna 13. 5. Eo die, quo Christus mortuus est, Josephus mercatus est sindonem; & mulieres parauerunt aromata ad sepeliendum, & vngendum corpus Domini, & Iudæi criminaliter processerunt contra eum, quorum omnium nihil licebat die Paschæ; in quo Leuitici 23, omnia opera seruilia prohibebantur. Ergo Christus mortuus non fuit ipso die Paschatis, sed Luna 14. & cænam fecit luna 13. 6. Joan 19. dicitur *vt non remanerent corpora in sabbatho, erat enim ille dies magnus Sabbathi.* Ergo ille dies magnus erat Luna 15. & Christus Dominus passus luna 14. vt exponit Origenes *tract. 31. in Matthæum.*

Opinio Latinorum.

Secunda opinio est Latinorum asserentium materiam Eucharistiæ esse panem azymum, non fermentatum. *Pro intelligentia,*

Notan-

Notandum est. Controuersiam totam esse sitam de tempore, quo Christus Domimus Agnum Paschalem comedit, & hoc Sacramentum instituit. Dicunt enim Græci hæc peracta non esse tempore à lege præscripto *Leuit. 23.* scilicet luna 14. Mensis primi, sed lunâ 13. & anteuertisse tempus à lege præscriptum, vno die, quia eomet die, quo Iudæi secundùm legem tenebantur Agnum Paschalem comedere; crucifixus est Christus Dominus. Sed hoc fundamentum ipsorum euertemus in resolutione argumentorum oppositorum; & ostendemus passum fuisse luna 15. & cænam instituisse luna 14. Ita D. Subtilis *in 4. dist. 11. q. 6. n. 6.*

Quo die Christus Dominus passus est.

DICO I. Tam azymus, quàm fermentatus panis, modo sit triticeus, est materia sufficiens hujus Sacramenti. Ita Doctor Subtilis loco citato dicens: *Hoc ergo simpliciter tenendum est, quòd de necessitate panis consecrabilis, non est, neq; quòd sit azymus, neq; quòd sit fermentatus, quia secundùm Anselmum in libro suo de azymo, & fermentato, non differunt substantialiter azymus & fermentatus, & ideò non negamus verè conficere Græcos.* Hæc conclusio definita est in Concilio Florentino. Ratio est, quia vterq; panis, propriè est panis, etiam azymus, quia *Matthæi 26.* dicitur Christum accepisse panem, & tamen eum fuisse azymum mox patebit: & quamuis hoc negent Græci, tamen non possunt negare quin panis quem post resurrectionem Christus Dominus in Castello Emaus *Lucæ 24.* accepit, & benedixit, fuerit azymus, cum hoc factum sit secundum nos tertio, aut secundum illos secundo die azymorum (quo tempore apud Iudæos, nullus erat fermentati vsus,) absolutè tamen, id quod Christus Dominus ibi fregit, dicitur panis Græcè ἄρτος, non tamen ab illa conficta à Græcis etymologia à verbo ἄρω, id est tollo, quod fermento attollatur, etsi enim ab αἴρω ἄρτος diceretur, inde tamen non sequeretur ita dici, quia fermento attollitur, sed quia vim habet, homines ad justam staturam attollendi. Quare tametsi Christus non consecrârit, 13. lunâ, vt proteruè Græci volunt, Ecclesia tamen Latina, concedit eis hanc consuetudinem in fermentato consecrandi, quia panis fermentatus, est verè, & propriè panis.

Azymus & fermentatus panis vterq; est materia.

COLLIGE Caluinum *lib. 4. institut: cap. 43.* errâsse imponentem Ecclesiæ, quòd initio vsa fuerit fermentato vsq; ad tempora Alexandri Papæ, nam nullam certam historiam, nec quis sit ille Alexander dicit, & habemùs ex Leone Nono in Epistola ad Patriarcham Constantinopolitanum, & ex Innocentio *lib. 4. de offic: Missæ. cap. 4.* in Ecclesia primitiua tam Græcos, quàm Latinos consecrâsse in azymo, postea verò propter Ebionitas

Calumnia Caluini.

Iudaizantes, vtramq; Ecclesiam in fermentato confecisse, quâ sectâ extinctâ, Ecclesia Latina, rediit ad azyma, Græca verò retinuit fermentatum, non sine contumelia Latinorum, vt notauit Doctor Subt: *in quarto d. 11. q. 6. n. 6.*

Potius in azymo quā in fermentato.

DICO 2. Latinorum consecrantium in pane azymo, potior est, quàm Græcorum consuetudo in fermentato. Probatur quia Christus Dominus quando istud Sacramentum instituit, Agnum Paschalem comedit. Ergo tunc panibus azymis vsus est, quia præceptum Dei erat tam de azymis, quàm de Agno Paschali: siue ergo Christus Dominus consecrârit lunâ 13. vt volunt Græci, siue lunâ 14. vt volunt Latini, in ipso esu Agni Paschalis, legem & Ceremoniam de azymis transgredi non debuit; verùm quòd lunâ 14. eodem tempore quo Iudæi, & quo fermentati vsus non erat, tum Agnum comederit, tùm hoc Sacramentum instituerit, patet *ex capite 26. Matthæi. Prima die azymorum accessêre discipuli ad Iesum dicentes, Vbi vis paremus tibi comedere Pascha.* quo in loco congruitas temporis Paschalis Iudaici significatur. Clariùs cap. 14. Marci *Primo die azymorum, quando Pascha immolabant.* nempe *Iudæi.* Clarissimè Sanctus Lucas 22. *venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha nimirum ex præcepto legis.* Respondent Græci, hos tres Euangelistas lapsos fuisse, & à Sancto Ioanne postea correctos, quod quâm impudenter dicant, nemo est qui non intelligat.

Impudentia Græcorum.

Confirmant nostram sententiam Patres, tam Latini, quàm Græci, vt Sanctus Chrysostomus *Homil 82. in Matth*: dicit *Christum Dominum ea die, quam lex præscripsit seruaße ceremoniam*, vt vsq; ad vltimum diem ostenderet se, non esse legi contrarium.

Congruentiæ pro azymo.

Rationes seu congruentiæ; tùm quia azymus est à communi pane distinctus, congruit autem maximè tanti Mysterii dignitati, vt adhibeatur aliquod purissimum, & à communi distinctum, quemadmodum *Leuit. 24.* panes propositionis, cùm essent tantùm figuræ hujus Sacramenti, Dei tamen præcepto fieri debebant ex simila, quæ est farinæ defæcatæ pars generosissima. Tùm quia panis azymus, vt pote fermentato purior significat Christum Dominum sine viro conceptum. Tùm quia significat vitæ puritatem necessariam conficientibus & suscipientibus hoc Sacramentum, cùm fermentatus, è contra malitiam, & nequitiam significet. 1. ad Corinth. 6. *Pascha nostrum immolatus est Christus: itaq; epulemur non in fermento veteri, neq; in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis synceritatis, & veritatis.*

Sacerdos Græcus sine

DICO 3. Sacerdos Græcus sine peccato consecrat in fermentato: Latinus in azymo: vterq; aduena in terris alterius liber sit, potiùs tamen Eccle-

Ecclesiæ suæ morem teneat: si verò incola in terris alterius, nec propriam Ecclesiam habeat, seruet consuetudinem Ecclesiæ illius. Hæc Conclusio definita est *in Concilio Florent. in literis vnionis post Sessionem vltimam, & tradita ab Eugenio Quarto.* Vnde Latinus tenetur consecrare in azymo, & Græcus in fermentato: non enim Ecclesia Latina Græcos censet Schismaticos, quòd vtantur fermentato: sed quòd malo fundamento nitantur, & Latinorum damnent consuetudinem. Quare Verba Doctoris quæ habet *in 4. d.* 11. *q. 6.* aliquantulùm sunt seueriora contra Græcos, vbi ait: *Fortè peccant Græci non conformantes se Ecclesiæ Latinæ.* peccatum autem istud non reducit in necessitatem præcepti sic consecrandi, sed potiùs in contumaciam Græcorum, inquantùm sic consecrant, quasi necessitate materiæ, & institutionis Christi Domini, culpantes Latinos, quasi errent; contemptum ergo hunc culpat Doctor, non verò ritum absolutè, cùm aliâs ritum Græcorum approbet in forma Baptisandi, docens necessariò Ministrum quemq; debere sequi ritum Ecclesiæ suæ. *peccato consecrat in fermentato.*

Ad primum Respondeo, Eo loci computâsse dies non secundùm vsum Sacrum quo festa incipiebant à vespera præcedente, sed secundùm vsum ciuilem, & communem, secundùm quem, dies primus azymorum, quem S. Ioannes vocat diem festum Paschæ, incipiebat sequenti mane, ab ortu solis. Adde quòd dies sequens lunam 14. erat dies festus & solennis, *Leuit.* 23. *Mense primo* 14. *die ad Vesperam, phase Domini est, &* 15. *die mensis hujus solennitas azymorum Domini est.* sensus itaq; horum verborum, *Ante diem festum Paschæ,* id est, ante 15. diem, qui erat primus dies azymorum, & quidem solennis. Ad secundum Respondeo, per Pascha ibi intelligi victimas Paschales, quæ singulis festis Paschalibus solebant offerri. *Num.* 18. nec non azyma quibus quotidie vescebantur. Cauebant itaq; contaminationem legalem per totum tempus Paschale propter vsum azymorum, & victimarum Paschalium. Ad tertium Respondeo, initio quidem Iudæos timuisse turbas, datâ tamen occasione ex proditione Iudæ promittentis eum tradere sine turbis, statuisse eum occidere, & quidem die festo, vt major esset ignominia. Ad 4. Respondeo per Parasceue Paschæ, non intelligi, parasceue festi Paschalis, nullum enim festum Iudaicum habebat parasceue præter Sabbatum; quia in eo non licebat cibos parare, licebat autem in quolibet alio festo, sed intelligi profestum Sabbati, vt dicitur Marci 15. *Erat parasceue ante Sabbatum.* Et Luc. 23. *dies erat parasceues, & Sabbatum illucescebat,* imò etiam S. Ioan. paulò post se explicās ait, *quia parasceue erat, ne remanerēt in cruce corpora Sabbato,* dicitur, autē Parasceue *Paschæ*, quod incideret in primū diem festi Paschalis.

Dies azymorum quando incipiebat.

Per Pascha quid intelligitur.

Judæorum consilia mutata.

Parasceue quid?

Quæ licita erant diebus festiuis.

Ad 5. Respondeo, Non omnia opera ita strictè fuerant interdicta illis diebus azymorum, atq; diebus Sabbati præsertim opera pietatis exhibita à Josepho, & mulieribus, maximè verò cùm sepultura differri non poterat propter imminentem diem Sabbati. Porrò Iudæi criminaliter procedentes contra Christum Dominum, procurando mortem ejus, existimabant obsequium se præstare Deo: hinc dum de ea consultarent, non timuerunt diem festum propter transgressionem, sed propter tumultum, supponentes scilicet festum non violandum per mortem Christi Domini. Ad 6. Dico Quòd Iudæi crucifixo Domino, ne arguerentur impietatis in obseruantia legis, statim petierunt à Pilato, vt crura crucifixorum frangerentur, quia hoc eorum malitiam argueret, dicerentur enim ex hoc violare festum Paschæ, cùm illo die debebant adhuc immolare quædam sacrificia. Tùm quia sabbatum concurrebat cum Paschate, quod erat solennius, quàm ipsum Pascha solum. Authoritas Origenis non vrget, sicut in multis aliis, licet in aliis locis nobiscum sentiat.

Dices. Veritas debuit correspondere figuræ. Sed immolatio Agni Paschalis erat figura sacrificii crucis Christi Domini, juxta illud Joan. 19. *Os non comminuetis ex eo.* Sed agnus immolabatur lunâ 14. ad vesperam. Ergo & immolatio in cruce Christi Domini fuit lunâ 14.

Agnus Paschalis cujus figura.

Respondeo. Quòd oblatio Agni Paschalis non solùm fuit sacrificii cruenti figura, in cruce, sed etiam fuit figura sacrificii mystici, quando scilicet Christus Dominus debuit instituere sacrificium oblationis Eucharistiæ, quod & instituit lunâ 14. Ita S. Gregorius: *Homil. 22. in Euangelia.* S. Gregorius Nazianzenus *Oratione 2. de Paschate* dicit, *Deum imperâsse, vt Agnus lunâ 14. immolaretur, quia tunc Christus Dominus daturus erat discipulis, suum corpus, & sanguinem.*

ARTICVLVS III.

Vtrum solum vinum expressum de vua, sit materia conueniens Sacramenti Eucharistiæ.

Vinum vitis materia.

Dico. Vinum vitis, & nihil aliud, est materia legitima calicis. Ita D. Subtilis *in 4. d. 11. q. 7.* Patet ex Sacris literis. *Matth. 26. & Lucæ 22.* vbi traditur Christum Dominum in vino consecrâsse. Acccedit antiqua praxis Ecclesiæ, & determinatio Concilii Florentini in literis Eugenii ad Armenos. Hinc

Collige 1. Quòdcunq; vinum ex vuis expressum, siue album, siue rubrum

rubrum, siue ejusdem, siue diuersæ speciei, est materiâ sufficiens huic Sacramento, debet tamen vinum esse maturum, quare peccant illi, qui mustum adhibent propter fæces admixtas, quæ vinum non sunt. Rationem assignat D. Subt. *in 4. d. 11. q. 7.* assumptionis hujus materiæ, nempe vini, quia est secunda pars principalis nutritionis, id est potus, qui principaliter consistit in vino.

Liquores alii non sunt materia.

Colligé 2. Alii liquores non expressi de vuis vitis, non sunt materia hujus Sacramenti, vt sunt liquores expressi ex pomis, ex fructibus. Item expressi ex vuis vitis immaturis, vt est agresta, quia vinum, non est, nec materia apta ad potandum. Item reiiciuntur vuæ ipsæ, quia non sunt materia potabilis, sed habent potius rationem comestibilis, vt inquit D. Subtilis *loco citato*, nec sunt propriè vinum: tùm quia vinum in vuis, non se habet vt liquor in vase, sed vt pars in toto, & Sanguis in animali.

Mulsum non est materia.

Colligé 3. Mulsum non potest esse materia hujus Sacramenti, quod adhibent quidam stolidi Sacerdotes Schismatici in Russia, & Moschouia. Item neq; acetum ex vino, quia est vinum corruptum. Vinum verò acidum, vel acescens pergens ad corruptionem, est valde dubia materia, quâ vti non licet, nisi in casu grauis necessitatis.

In vino cõgelato an possit esse consecratio.

Colligé 4. Etsi in vino congelato possit valida esse consecratio, quia ista mutatio est merè accidentalis, puta secundùm quantitatem, neq; mutat substantiam vini, sicut neq; alterius liquoris congelatio; tamen meliùs est, priùs vinum congelatum soluere calore ante consecrationem, nam non traiiceretur in stomachum nisi priùs dissoluatur. Si tamen ita congelatum esset vinum, vt rationem amiserit vini, vel mutaretur in crystallum, non esset materia sufficiens.

ARTICVLVS IV.

An vino necessariò sit aqua miscenda?

Aqua vino miscenda.

Dico 1. Aquam misceri vino consecrando necesse est. *Probatur* 1. ex praxi antiquissimarum Ecclesiarum; nam in Liturgia D. Iacobi dicitur, *Christus accepit calicem, permiscens ex aqua & vino.* In Liturgia S. Basilii dicitur. *Accipiens & miscens calicem.* In Missa S. Chrysost: habetur *Mittens vinum & aquam in Calicem.* Probatur 2. ex Conciliis, Concilium Constanstinopolitanum *in Trullo Can. 32.* statuit permixtionem aquæ cum vino à Christo Domino, & à S. Iacobo fuisse profectam. Item statuit Concil. Carthg. 3. Tridentinum, *Sess. 22. c. 7.* Idem definiuerunt Summi Pontifices,

tifices, vt Alexander Quintus à S. Petro in Epistola ad omnes Orthodoxos, docet, id profectum esse à Christo, & à Patribus.

Ex SS. Patribus.

Probatur 3. ex SS. Patribus, nam Iustinus Martyr Apologia 2. pro Christianis, dicit, *Christianos offerre panem, & calicem aquâ dilutum.* S. Cyprianus integram scripsitEpistolam *ad Concilium hac de re*, ostendens aduersari Christi Domini institutioni, aut aquam solam, aut vinum solum in sacrificium offerre. S. Ambr. ad hanc permixtionem probandam totum consumit primum caput lib. 5. de Sacramentis. Idem docet S. August. *de dogmatibus Ecclesiasticis. c. 65.*

Rationes:

Probatur 4. rationibus. Prima desumitur ex facto Christi Domini, qui non nisi vinum dilutum potabat: tùm ex sobrietate, tùm ex consuetudine gentis illius. iuxta illud Prouerb: 9. *Bibite vinum quod miscui vobis.* Saltem negari non potest, quin instituendo hoc Sacramentum vinum temperauerit, vt prolixè S. Cyprianus probat *loco citato*, aliâs Apostoli id nobis non tradidissent. 2. Vt significetur vnio duarum naturarum in Christo Domino. 3. Vt repræsentetur Sanguinem & aquam simul fluxisse è Christi Domini latere. Ita Alexander. 4. Congruentiam assignat D. Subtilis *in 4. d. 11. q. 7.* vt significetur populus vniri Christo, iuxta illud *de Consecrat: d. 2.* vbi dicitur, *Cùm in calice aqua vino miscetur, populus Christo vnitur, id est, copulandus significatur per fidem, & dignam Sacramenti perceptionem.*

Qua necessitate aqua miscenda:

Dico 2. Aquæ permixtio, non est necessaria necessitate sacramenti, sed tantùm necessitate præcepti. Est Doctor: Subtilis, *loco citato* & communis Scotistarum, & aliorum. Vbi dicit D. Subt. *Aquam non esse necessariam necessitate Sacramenti, sed necessitate Ministri, propter præceptum Ecclesiæ.* Patet ex Tridentino *Sess. 22. c. 7.* vbi dicitur. *Monet deinde Sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miscerent; tum quòd Christum ita fecisse credatur; tùm etiam quia è latere eius aqua simul cum sanguine exierit.* Vbi Concilium docet mixtionem prædictam præceptam esse ab Ecclesia, ideoq; esse tantum necessarium necessitate præcepti. Ergo qui aquam vino non misceret, peccaret grauitèr, consecraret nihilominus.

Dices Tantæ necessitatis esse aquam vino misceri, quantæ necessitatis est aquam misceri farinæ. Sed sine aqua elementari, non potest farina esse materia consecrationis. Ergo neque vinum sine aqua.

Negatur paritas.

Respondeo Negatur paritas, nam si desit aqua farinæ, nullum est Sacramentum, quia farina per se, & sine aqua, cibus non est; At verò vinum

num sine aqua potus est. Quòd si aliqua Concilia dicant, non posse esse Sacramentum sine mixtione aquæ: dicendum est, non posse esse licitè, & debitè, posse tamen esse absolutè, vt docet *S.* Bonauentura, licet desit illa significatio vnionis populi cum Christo capite. Quare si vinum aliás esset in dolio, vel lagena, aquâ temperatum, & Sacerdos id sciret, deberet tamen aquam infundere calici propter hanc significationem vnionis populi cum Christo, ad quam prophana mixtio non ordinatur. *Non potest esse licita consecratio sine aqua.*

ARTICVLVS V.

Vtrum aqua vino mixta calici, conuerti priùs in vinum debeat, quàm in Sanguinem Domini conuertatur?

Dico 1. Absolutè est tenendum aquam conuerti post consecrationem in Sanguinem Christi Domini. Ita *SS.* Patres. Ambrosius *lib. 4. de Sacramentis c. 5.* dicens, *Ante Verba Christi Calix è vino, & aqua plenus. vbi verba Christi operata fuerint Sanguis efficitur.* Damascenus *lib. 4. c. 14. Qui fecit omnia* inquit, *potest ex vino & aqua Sanguinem suum conficere.* Probatur rationibus. Primò quia si tota materia calicis in Sanguinem non conuerteretur, esset falsa forma consecrationis. Secundo. Quia tota materia existens in calice adoratur, adeoq; debet esse tota illa materia Sanguinis Christi Domini. 3 Quia Sacerdos post susceptum calicem censetur adhuc ieiunus. 4. Quia valde indecens esset aliquid cum Sanguine Christi Domini peracta consecratione, manere. Tota difficultas est hic, vtrum aqua priùs in vinum, quâm in Sanguinem conuertatur? credunt aliqui non esse necesse. Alij verò existimant ita necesse, vt si priùs in vinum non conuertatur, conuerti quoq; non posse in Sanguinem. *Aqua conuertitur in Sanguinem.* *Rationibus.*

Dico 2. Aqua vino consecrando immixta priùs, in vinum, quàm in Sanguinem conuertitur. Ita Innocentius III. quem sequuntur Antiqui Scholastici. Et ratio est, quia solùm vinum est materia necessaria, calicis & aquæ admixtio est ceremonia, ex præcepto Ecclesiæ seruanda: quò fit vt solùm ex vino, non ex aqua debeat effici Sanguis Domini. Tùm quia peracta consecratione manent tantùm species Panis & Vini, non verò species aquæ. Ergo priùs illa in Vinum, quàm in Sanguinem conuertitur. Tùm quia eâ ratione præcipitur aquam misceri vino consecrando, in modica quantitate, & sufficienti temporis interuallo, vt facilior sit eius in vinum conuersio. Ergo priùs aqua conuertitur in vinum, deinde in Christi Domini Sanguinem. *Aquæ priùs conuertenda in vinum.*

Dices 1.

Aqua conuertitur in Sanguinem coniuncta per transmutationem.

DICES 1. SS. PP. dicunt, aquam simul cum vino in Sanguinem Christi Domini conuerti. Respondeo eos solùm velle tantùm aquam esse miscendam, de modo autem, quod transit in Sanguinem non curare,

DICES 2. Aliquando contingit in Missa immediatè post infusionem vini & aquæ fieri consecrationem, vt perfectum sit sacrificium, in tali verò casu, aqua in vinum, non conuertitur, propter breuitatem temporis. Respondeo ita contingere, nullum tamen ex eo sequi incommodum, nam in eo casu id accidit irregulariter, magis autem conueniens est dicere, vt priùs aqua in vinum conuertatur, quàm in Christi Domini Sanguinem, Quòd si dicas in tali casu adoraretur aliquid præter Christi Domini Sanguinem. Respondeo negando aliquid aliud adorari, nam id solùm adoratur, quòd est consecratum, & quod sub speciebus vini continetur: si autem aliquid aliud remaneat in Calice, quemadmodùm etiam remanere possunt paleæ cum speciebus panis aut aliquid aliud, istud non adoratur.

Nota instantias varias & solutiones

Quòd si instes, Sacerdos in tali casu non remanet ieiunus, quia aquam simul cum Sanguine Christi Domini accepit, quomodò ergo rursùs, præsertim in die Natalis Domini celebrare poterit,

Respondeo 1. Quòd in tali casu censetur moraliter ieiunus, quia totum illud accepit per modum vnius Sacramenti.

Respondent alij in tali casu, meliùs Sacerdotem facturum, si à repetita celebratione abstineat.

Non aqua sed humor extrahitur.

Dices 3. Postquàm aqua vino mixta est, facilè extrahi potest. Ergo signum est illam in vinum non conuerti. Respondet S. Thom: non aquã, sed humorem aqueum extrahi, qui non modò ex vino aqua temperato, sed etiam ex vino purissimo extrahi potest.

ARTICVLVS VI.

Vtrum materia consecranda, tam calicis, quàm panis debeat esse determinatæ quantitatis?

NOTA Hic inquirendum est primò, quòd Sacerdos per suam intentionem debeat determinare panem, & vinum consecrandum: Deinde quòd vtraq; materia debeat habere certum terminum magnitudinis, & paruitatis, vltra quem, non possit esse consecratio. Tandem quomodo debeat esse præsens materia ministro.

DICO I.

Dico 1. Materia consecranda, debet esse determinata per intentionem consecrantis. Patet, quia reales operationes, debent esse circa singularia determinata, non autem circa singularia indeterminata, & idcirco oportet, vt intentio, quæ est causa consecrationis, feratur in aliquam determinatam materiam: sicut Baptizans non determinando hunc, vel illum hominem, non baptizaret; ita consecrans, ex pluribus hostiis nullam determinando, nihil faceret, non seiungendo per certam intentionem aliquas hostias, secùs esset; si V. G. à sex hostiis duas separet per intentionem ab aliis: similiter non licet consecrare vnam partem hostiæ determinatam, absq; alia parte, quia pars consecrata non facile à non consecrata posset separari. Quare Sacerdos debet intendere, & consecrare totum quod est in vase, vel quod est in calice per modum vnius continui, quô fit vt guttulas adhærentes labris calicis, vel intra, vel extra, à toto seiunctas non consecret. *Materia consecranda determinanda per intentionem*

Collige 1. Existimans se consecrâsse tantùm vnam Hostiam, si alteram postea repererit, ambas consecrauit; quia in tali casu censetur moraliter intendisse, consecrare illud totum, quod habet præ oculis. *Nota casum*

Collige 2. Si plures hostias tulit ad altare; vel obtulit in offertorio, & omnes habuit intentionem consecrandi, & in instanti consecrationis recordetur tantùm illius, quam habet præ manibus, omnes illas consecrauit, propter priorem intentionem, modò adsint in loco apto, & sufficienter consecranti præsentes.

Dico 2. Materia consecranda, sufficiens est in minima quantitate sensu perceptibili; non tamen imperceptibili. 1. pars patet, quia licet quantitas sit minima, tamen panis verus, est panis; dummodò possit obiici sensibus; & per formam designari, quia sic potest esse signum sensibile. 2. pars constat. quia quod est imperceptibile, non potest designari per pronomen *Hoc*, quod tamen requiritur vt consecrari possit: materia enim consecrabilis debet esse hic, & nunc demonstrabilis per Sacerdotem. *Quantitas materiæ quæ sit.*

Collige Sacerdotem cæcum posse consecrare, dummodò ab illo cæco materia consecrationis sit sensibilis alio sensu, vel à ministrante idoneo visibilis, & cæco demonstrabilis, quod verum esset, si Sacerdos cæcutienti ministraret.

Dico 3. Non debet juxta graues Doctores, materia consecranda esse in quauis maxima quantitate. Ita Sanctus Bonauentura expresse, & Alexander Alensis tenet. Ratio est, quia materia consecranda attendi debet juxta modum præscriptum à Christo Domino; tum quia in quauis *Non debet esse in maxima quantitate.*

maxima quantitate, non potest esse ministro sufficienter præsens: tum quia id est determinandum iuxta iudicium prudentis, vt scilicet tanta materia consecretur, quantam requirit vsus, finis, & ratio hujus Sacramenti.

Dices Absolutè data est potestas consecrandi Sacerdoti. Respondet Sanctus Bonauentura in ædificationem, non in destructionem & scandalum.

Materia consecranda debet esse præsens.

Dico 4. Materia consecranda debet esse præsens ministro. Patet tùm ex facto Christi Domini: tum ex vi formæ, in qua habentur ista pronomina *Hoc*, & *Hic*, denotantia præsentiam materiæ consecrandæ: quare debet esse cooperta linteo, vel inclusa in uase; modò sit hoc pacto juxta consecrantem, neq; debet maximè distare à consecrante, sed juxta ipsum existere & quæ facilè possit videri, & tangi à consecrante. Petes *An necessariò semper debeat confici hoc Sacramentum in vtraq; materia, panis & vini?*

An in vtraque materia confici debeat.

Respondeo 1. Non est vtraq; materia necessaria necessitate Sacramenti. Patet quia vtraq; forma consecrationis habet efficaciam suam independentem ab efficacia alterius. Tùm quia vtraq; materia consecrata, continet, & significat effectum aliquem gratuitum, & supernaturalem, independenter ab alia.

Vtraque materia consecranda sub præcepto Dei

Respondeo 2. Vtraq; materia est necessaria ad conficiendum hoc Sacramentum, necessitate præcepti Diuini. Patet ex Concilio Tridentino *Sess. 23. ab initio*, Vbi Sancta Synodus declarat, id Christum Dominum præcepisse. Ratio est, quiâ hâc hostiâ, antiquata fuerunt omnia sacrificia veteris legis. Ergo de jure Diuino illa debet esse integrum, & non mutilum sacrificium: esset autem, si non adesset vtraq; species, per quam significatur in mystica Sanguinis separatione, perfecta immolatio. Ergo de jure diuino hoc Sacramentum debet confici in vtraq; materia.

Papa non potest dispensare.

Respondeo 3. Summus Pontifex, non potest dispensare, vt aliquis consecret in vna solùm materia. Patet tùm quia summus Pontifex non potest dispensare in jure diuino: tùm quia id spectat ad perfectam rationem sacrificii, quod omni jure, Deo debet offerri.

ARTICVLVS VII.

Quænam sit forma Consecrationis?

Hæretici negant Christum Dominum panem benedixisse.

Nota 1. Negant hæretici Christum Dominum benedixisse panem & vinum, sed dicunt ipsum gratias egisse DEo, seu benedixisse Deum: non verò panem & vinum, vt nimirum omnem benedictionis, consecrationis, & sanctificationis rationem ab hujus Sacramenti materia penitùs arce-

arceant. Ratio eorum est, quia Euangelistæ promiscuè his verbis vtuntur *Eucharistein*, & *Eulogein*, quæ quidem gratias agere significant: vbi enim eorum aliqui *Eucharistein* verbo vtuntur, alii ibidem, & ad eandem rem significandam *Eulogein* substituunt, ideò juxta Hæreticos Christus Dominus gratias egit, & benedixit Deum, non verò panem. Sed omnes Catholici asserunt Christum Dominũ panem benedixisse, nam *Eulogein* significat benedicere, & constat ex *S.* Marco, qui verbum benedictionis cum materia panis conjunxit. *Accepit inquit panem, benedixit, ac fregit*, Tum quia gratias agendo Deo, res consecranda benedicitur, vt constat ex 1. *ad Timoth. 4.* vbi dicitur. *Quòd cum gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Et 1. Cor. cap. 10. indicat benedictionem cadere supra materiam subjectam, vbi enim vulgata habet *poculum benedictionis*, Græcè dicitur *poculum quod benedicimus.* Deniq; patet ex vsu Ecclesiarum omnium, in quarum antiquissimis Liturgiis, inducitur Christus Dominus gratias agens Deo Patri, & proposita dona benedicens.

Catholici affirmant.

NOTA 2. Hæreticos negare hoc Sacramentum confici verbis, sed vel concione ad populum, vel oratione aliquâ; vel fide recipientis, vel mentis designatione, vel fractione, vel manducatione, seu vsu, omnia ad instructionem referentes, & nihil supra panem & vinum effici existimantes:

Hæretici negant dari Eucharistiæ formam.

Verùm Catholici docent huius Sacramenti formam dari determinatam. Probatur Omnia enim Sacramenta habent formas quasdam determinatas, vt constat ex S. Augustino Tract: 80. in Ioannem. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Vnde idem *S.* Augustinus de hoc Sacramento. *lib. 2. contra Faustum Manich. cap. 13.* inquit. *Noster panis & calix certâ consecratione, fit mysticus nobis.* Et S. Ambr. *lib. 4. de Sacram: cap. 40.* ait. *Sermo Domini hoc conficit Sacramentum:* Et Doctor Subt. *in 4. d. 8. q. 1.* optimam congruentiam adfert, ob quam Sacramentum istud debuerit per verba quædam institui dicens. *Congruum etiam fuit vt signum sensibile, sub quo nobis Deus voluit se dare, haberet ordinem ad verba aliqua, ab aliquo ministro proferenda, quia aliter nesciremus, quando in tali signo esset Christus Dominus, & quando non, & sic periret reuerentia, & debita deuotio.*

Catholici affirmant.

DICO 1. Christus Dominus his verbis consecrauit. *Hoc est Corpus meum. Hic est calix Sanguinis mei*, Ita D. Subt, *loco citato Quæst. 2.* §. *de tertio.* Et probatur ex consensu omnium Ecclesiarum, quòd hæc Verba prædicta

Christus Dominus consecrauit.

retineantur. Deinde omnes SS. PP. docent. S. Ambr. *lib. de mysteriis cap. 9.* inquit. *Consecrationem diuinam ipsam Verba Domini Saluatoris operantur, sermone enim Christi hoc conficitur Sacramentum;* Et S. Chrysost. hom. de prod. Iudæ. *Hoc verbo.* inquit, *Hoc est corpus meum, proposita dona consecrantur.* Præterea ita omnes Scholæ Theologorum sentiunt. Deniq; non sunt aptiores formæ traditæ in Scriptura; nam in hac forma consecrationis seu mutationis panis in Corpus Christi Domini; *Hoc est Corpus meum,* per particulam (*Hoc*) optimè designatur terminus à quo, per particulam (*Corpus Meum*) terminus ad quem, & per Verbum (*est*) ipsamet mutatio.

DICES. S. Ambr. *loco citato.* dicit. *Benedictione naturam mutari:* Ergo non his verbis, *Hoc est corpus meum.* Respondeo, totam istam actionem sacram complectentem gratiarum actionem, benedictionem, & consecrationem, appellari benedictionem.

Iisdem verbis Sacerdotes consecrant.

DICO 2. Sacerdotes iisdem verbis quibus Christus Dominus consecrauit, consecrant, & non per preces aliquas, vt volunt recentiores Græci. Ita Definitum est in Concil. Florent. *in literis Eugenij ad Armenos.* Et ex *SS.* PP. etiam Græcis, vt *S.* Chrysost. supra 2. *ad Corinth. cap. 2.* Vbi dicit *Quemadmodum verba sunt eadem, quæ olim Christus dixit, & quæ nunc Sacerdotes pronunciant, ita est oblatio eadem;* hoc idem docet *S.* Damascen. *lib. 4. de fide Orthod. cap. 14.* Ratio est, quia Sacerdotes nihil efficiunt, nisi in Persona Christi Domini, qui est summus Sacerdos, ad quem spectat formas essentiales Sacramentorum instituere. Ergo non in aliis verbis præterquàm ipsius verbis debent conficere. Confirmatur, quia preces illæ quibus vtuntur Græci, non reperiuntur in Sacris literis, sed ab hominibus sunt adinuentæ, & variæ juxta varietatem liturgiarum. Ergo illæ non possunt esse valida forma consecrationis.

Cur consecratio tribuitur precibus.

DICES. Antiqui Patres tam Græci, quàm Latini dicunt corpus Christi Domini confici precibus; Iustinus Martyr *Apocal.* 2. dicit *Oratione confici Eucharistiam.* S. Irenæus lib. 4. cap. 17, *Inuocatione nominis Dei.* Cyril. Hierosol. Catech. 3. *Inuocatione Spiritus S.* Hieron. ad Euagrium, *Sacerdotis precibus.* *S.* August. 3. de Trinit. cap. 4. *prece mysticâ.* Respondeo consecrationem Christi Domini Corporis, tribui precibus, quia tribuitur toti illi actioni Sacræ, continentis simul preces & consecrationem.

Respondeo 2. Consecratio ab antiquis appellabatur inuocatio, seu deprecatio, quia per eam vis Diuina ad sanctificationem Elementorum enocatur: & sic Jacobi 5. Extrema vnctio appellatur *oratio super infirmum.*

AR-

ARTICVLVS VIII.

An verba à Sacerdote proferantur recitatiuè, vel historicè, an verò formaliter & significatiuè.

DICO. Verba formæ consecrationis dicuntur à Sacerdote materialiter seu recitatiuè; & formaliter seu significatiuè. Primam partem probant verba antecedentia Canonis, intentio Sacerdotis proferentis verba in Persona Christi Domini, vt patet ex Florentino *in literis vnionis.* Sicut ergo Sacerdos, non in propria Persona loquitur, sed in persona Christi Domini, ita etiam prolatio formæ, vt ad propriam personam refertur, est materialis, & recitatiua, vt ad personam Christi Domini significatiua. *Vtroquè modo proferuntur.*

DICES Si formæ dicerentur à Sacerdotibus recitatiuè, continerent propositiones falsas, quia qui refert verba ab alio dicta, non vtitur significatione illorum, vt eis idem velit significare.

Respondeo. Referens alicuius verba recitatiuè, potest eadem dicere significatiuè; & eorum virtute significare, & efficere corpus Domini.

Secunda pars conclusionis probatur, Quia in formis Sacramentorum instituit Christus Dominus verba significantia effectum Sacramenti, vt patet in omnibus aliis. Ergo & hîc. Tum quia non tantùm Sacerdos recitat, quæ Christus Dominus dixit, sed etiam affirmat hîc; & nunc, eorum virtute significari, & effici corpus Domini. Aduerte tamen hîc intentionem dicendi verba significatiuè, esse de essentia consecrationis, quia ratione hujus solius profert illa Socerdos in Persona Christi Domini, & significat quid hic, & nunc fiat; quid Doctor Subtilis sentiat, dicam infra. *Significatiuè profert* *Nota.*

DICES. Illa Verba de futuro, quod pro vobis tradetur, qui pro vobis effunderur, non posse dici significatiuè, quia hoc tempore, quo Sacerdos ea profert, Sanguis Christi Domini non est effundendus. Ergo verba formæ significatiuè non proferuntur.

Respondent aliqui hæc verba citata non proferuntur significatiuè, sed recitatiuè, quia non sunt de essentia formæ, vt mox patebit.

Respondent alij quòd in Græco sit ἐγχεινόμενον id est, qui funditur; at eo tempore quo Sacerdos ea profert Sanguis Christi Domini verè effunditur, hoc est oblatione incruentâ sacrificatur, & immolatur. Ergo & hæc verba significatiuè proferuntur.

ARTICVLVS IX.

Quænam sint verba de essentia consecrationis?

Eucharistiæ Sacramentū est vnum.

Nota. Sacramentum Eucharistiæ esse vnum, vnitate integritatis, & non indiuisibilitatis, includens duo signa partialia, quæ primò significant duo propria & proxima significata, scilicet corpus & Sanguinem Christi Domini, & præterea remota, nimirum cibationem, & potum spiritualem.

Verba consecrationis.

Dico 1. Hæc quatuor verba, *Hoc est Corpus meum*, sunt de essentia consecrationis corporis. Ita Doctor Subtilis *loco citato. n.* 4. Probatur 1. Authoritate Ecclesiæ, quæ in Canone Missæ his verbis Vtitur. 2. Probatur authoritate Euangelistarum, & Sancti Pauli qui aliis verbis omnibus immutatis, vnanimi consensu referunt hæc quatuor à Christo Domino prolata. 3. Probatur ex *SS. PP.* Sanctus Chrysost. Hom. de prodit. Iudæ: *Hoc est Corpus meum. Hoc Verbum* inquit *res propositas transmutat.* 4. ratione, quia istis quatuor verbis, potest fieri consecratio, vno illorum ablato, fieri non potest. Ergo sunt de essentia consecrationis Corporis Domini.

Collige Particulam *enim* non esse de essentia formæ hujus Sacramenti: nam hæc conjunctio *enim* ponitur solùm ad notandum ordinem consecrationis, & ad vsum materiæ consecratæ, non est tamen omittenda.

Verba antecedentia.

Dico 2. Antecedentia verba, ab illo loco, *Qui pridie quàm pateretur &c.* videntur Doctori Subtili *loco citato.* esse necessariò præmittenda. Probat Doctor, Verba Sacramentalia ex vi verborum, debent significare illud, quod efficitur, ex vi Sacramenti: sed ex vi consecrationis hujus, efficitur ibi verum Corpus Christi. Ergo verba sufficientia ex vi propria debent significare illud ibi contineri. Sed hæc verba, *Hoc est Corpus meum.* prolata sine præcedentibus non significant hoc absolutè, quia particula *meum*, significat referri ad personam ipsius loquentis, licet enim minister posit intendere, vt loquatur in Persona Christi Domini, non tamen propter hoc significatum illorum verborum demonstraret Corpus Christi Domini, sed Corpus loquentis. Ergo vt significetur Sacerdos loqui in Persona Christi Domini, debent præmitti verba antecedentia. Vnde hujusmodi verba præcedentia non sunt adeò necessaria, vt sine illis omninò non possit esse consecratio valida, sed sunt necessaria, vt verba consecrationis, referantur ad Personam Christi Domini.

Cur verba antecedentia necessaria.

Subsequentia verba.

Dico 3. Sequentia illa verba, *Quod pro vobis tradetur, seu frangetur*, non sunt de essentia formæ consecrationis. Probatur quia SS. Matthæus, & Marcus, hæc verba non habent, sed probabile est Ecclesiam conse-

crâsse,

crâsse, antequam *S.* Lucas scriberet: quòdsi verè consecrauit, certè credendum est consecrâsse illis verbis formæ â SS. Matthæo & Marco præscriptis, & quia Ecclesia Latina hanc perpetuò formam retinuit, credibile est eam S. Petrum Ecclesiæ tradidisse, antequam *S.* Lucas scriberet. 2. Probatur quia his verbis *Hoc est corpus meum*, sufficienter designatur transsubstantiatio, & realis præsentia corporis Christi Domini in *Sacramento*. Ergo

DICO 4. Formam calicis, quâ vtimur, essentialiter consistere in his verbis. *Hic est calix Sanguinis mei.* Patet quia illa habent Euangelistæ æquiualenter, licet non sub eisdem verbis: quia Euangelistæ intendebant narrare rem gestam, non autem tradere formam consecrandi. Quare in Ecclesia Romana de necessitate est, vt Sacerdos vtatur hâc formâ, quæ est in Canone Missæ præscripta. *Verba consecrationis calicis.*

DICO 5. Verba quæ consequuntur formam calicis, non esse essentialia. Ita D. *Subt*: *loco citato, num. 8.* Ratio est, quia alioquin vniuersa Ecclesia orientalis, non verè consecrâsset calicem: neq; S. Iacobus Frater Domini, neq; S. Marcus, neq; Æthyopes, qui vtuntur Liturgia, tradita à *S.* Matthæo: in quibus Liturgiis desunt aliqua verba, quibus vtitur Ecclesia Latina; nam in ea *Sancti* Iacobi deest, *Mysterium fidei*. Et in aliis desunt *Noui testamenti, Mysterium fidei.* Vnde in in *Florent*. supponitur Græcos verum Sacramentum habere. *Verba sequentia formam calicis non sunt de essentia.*

Confirmatur. Quia hæc verba, *Noui & æterni testamenti; mysterium fidei*, non sunt ab Ecclesia declarata esse de essentia formæ calicis; nam licet totam formam Ecclesia præscripsit, tamen hæc prædicta, essentialia esse non declarauit.

PETES *Quid hæc verba sequentia designent?*

Respondeo. Hæc *Noui & æterni testamenti*, designant in Sanguine Christi Domini effuso in passione, vltimam voluntatem ejus. Vnde S. Paulus ad Hebræos 9. inquit, *testamentum in mortuis confirmatum est alioquin non valet, dum viuit, qui testatus est, &c.* quia morte testatoris confirmatur, & reuocari ampliùs nequit; & subdit. *Vnde neq; primum sine Sanguine dedicatum est*, supple vetus testamentum, *confirmatum Sanguine hircorum, & taurorum & aliarum victimarum. Mysterium fidei* quando dicitur, explicatur dignitas Sanguinis Christi *Domini*. Hæc verò sequentia, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, denotant efficaciam Sanguinis Christi Domini, cui proprium est remittere peccata, per se solum, *Verba sequentia quid significant,*

lum. Non sine causa verò dixit, *qui pro vobis, & pro multis*, nam Sanguis Christi Domini, fuit quidem effusus in ara crucis pro omnibus, etiam pro Iuda sufficienter, licet non efficaciter.

QVÆRES, *Quomodo difficultates in hac Propositione, Hoc est corpus meum incluse, resoluuntur?*

Verba efficiunt. DICO 1. Verba consecratoria efficiunt, & constituunt morali efficientia hoc Sacramentum in esse signi, & Sacramenti, secundò intentionaliter sumpti. Patet quia Deus instituit, vt post prolationem verborum, mox caderet significatio practica actiua efficax supra accidentia, & relatio signati supra corpus. Ergo.

DICO 2. Significatio innixa speciebus, & non verbis, est causa formalis constituens hoc Sacramentum in esse signi, & Sacramenti, secundò intentionaliter sumpti.

In vltimo instanti. DICO 3. Conceptus qui causatur per orationem prolatam, non habetur per eam, nisi in vltimo instanti prolationis orationis: conceptus enim orationis totius, non habetur sine conceptibus verborum. Pro hac Conclusione D. Subt. multas affert rationes aliorum *in 4. d. 8. q. 2. n. 14.* quas ego in priori editione retuli.

DICO 4. In hac oratione *Hoc est corpus meum*, pronomen *Hoc*, substantiuè sumitur, & significat singulare Entis, quod tamen supponit tantùm pro corpore Christi Domini, demonstrato, specificato, & expresso in fine orationis. Ita D. Subt. *loco citato Concl. 8.* Vndè sensus hujus propositionis est. *Hoc est corpus meum*, Hoc Ens, siue hæc res, est corpus meum. Aliqui DD. pronomen *Hoc* accipiunt adjectiuè.

DICO 5. Nulla etiam leuissima immutatio fieri potest in verbis essentialibus formæ, quare nec mutatio vnius literæ, modò non proueniat ex defectu linguæ. Vndè grauiter peccarent addentes ad formam consecrationis aliqua verba, quæ non habentur in Canone: Vt si quis diceret, *Hoc est corpus meum, natum de Virgine.* Porrò Latinus seruet consuetudinem Ecclesiæ suæ, & Græcus suæ. Præterea nullo modo debet poni loco Pronominis *Hoc*, aduerbium hìc, vt peruersè quidam hæretici volunt.

QVÆSTIO III.

De Reali præsentia corporis & sanguinis Christi Domini in Eucharistia.

In hac Quæstione inquirentur hæc quæ sequuntur.

1. An corpus & sanguis Christi Domini sub specibus panis & vini, realiter, & substantialiter contineatur.
2. Quid sit præsentia Sacramentalis.
3. Quomodo corpus Domini vnitum sit speciebus.
4. An possibile sit corpus Domini esse simul in cælo, & in Sacramento.
5. Quid vi verborum ponatur in Eucharistia, quid per concomitantiam.
6. An corpus Christi Domini sit in Sacramento cùm tota quantitate.
7. An totus Christus Dominus sit sub singulis partibus specierum.
8. An corpus Christi Domini sit præsens in Sacramento sine mutatione locali.

ARTICVLVS I.

An corpus & sanguis Christi Domini sub speciebus panis & vini, realiter & substantialiter contineatur?

Nota. Multos circa hanc materiam grauiter errâsse. Primò Capharnaitas qui Christo Domino promittenti hoc Sacramentum credere noluerunt. Ioan. 6. *Quomodo potest hic Carnem suam dare nobis ad manducandum?* & infra. *Durus est hic sermo.* 2. Berengarius negat præsentiam corporis Christi Domini in Eucharistia, vnde Lindanus dialogo 2. Berengarium, vocat parentem Caluinistarum, sed antiquiores illi videntur habuisse parentes, nimirum Iudam, vt ait Sanctus Chrysostomus *Homil.* 64. & efficaciter colligit ex verbis Christi Domini, qui cùm sciret quòd multi non credidissent præsentiam Corporis Domini, quam prædicauerat, dixit: *sunt quidā ex vobis qui non credunt, sciebat enim ab initio IESVS, qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum:* quæ conjunctio non obscurè indicat Iudam fuisse vnum ex non credentibus. Multi præterea Hæretici negabant præsentiam Corporis Domini in Eucharistia, nouissimè Caluinus lib. 4. institutionum cap. 12. num. 12. inquit. *Quemadmodum Christi Corpus cælo contineri quo semel receptum est, donec ad judicium redeat minimè ambigimus, ita sub hæc corruptibilia elementa retrahere ipsum prorsus nefas ducimus esse.* Ex quo dicto Caluini multa absurda, præsertim Beza *in libro Quæstionum, & responsionum de Sacram. q.* 41. & 49. contra veritatem Catholicam infert quæ breuiter intimabuntur, & refutabuntur. *Hæreticorū errores circa præsentiam. Iudas Caluinistarum pater.*

Dico. In Sacramento Eucharistiæ, Corpus, & Sanguis Christi Domini, existunt verè realiter, & substantialiter. Est de fide. Probatur 1. ex S. literis quæ ad quatuor capita reuocantur. Primum est institutio Christi Domini, Matthæi 26. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Marci 14. *Corpus Domini realiter est in Sacramento.*

Luc. 22. Ex quibus verbis sic argumentor, si verba Christi Domini prædicta non sunt figuratè accipienda. Ergo significant, & continent rem ipsam. Sed non sunt figuratè accipienda. Ergo. Minor probatur ex cæna agni paschalis præmissa, quâ ostendit cessare figuram, & incipere rem ipsam, & inde Apostolus vocat Christum Dominum pascha nostrum. Ex quo sic argumentor; Figuram agni non poterat implere spiritualis manducatio quia etiam tempore agni typici, spiritualiter manducabatur Christus Dominus à patribus. Ergo debuit succedere realis manducatio, quæ impleret figuram agni. Item sicut occisio spiritualis, quâ Christus Dominus fuit occisus ab origine mundi, non impleuit figuram occisionis agni. Item Christus Dominus cum Apostolis sumpserat iam agnum figuram corporis sui. quorsum debuit dare aliam figuram panem? cùm agnus multò expressiùs significaret Christum Dominum, quàm panis, & iam fide Apostoli manducauerunt Christum Dominum, quem agnus figurabat. Confirmatur 1. quia hæc verba Christi Domini, *Hoc est Corpus meum*, habent annexam visibilem actionem, ac præceptum, circa rem agendam. Ergo non sunt figuratiua, vt Caluinistæ volunt. Patet, nam quando Christus Dominus dixit; *Ego sum vitis*, figuratiuè dixit, vt colligitur ex consequentibus, *& vos palmites*; discipuli enim substantialiter non erant palmites; at si in manus partem aliquam vitis accepisset, & actionem arcanam magnâ quâdam cæremoniâ instituisset super eam, & præterea iussisset vt idem faceremus, tunc non esset figuratiua locutio. Sed hæc hîc reperiuntur. Confirmatur 2. Institutio Sacramenti, non potuit institui, neq; debuit per verba tropica, nam si Sacramenta veteris legis, verbis propriis instituta fuerunt. Ergo multò magis hoc Sacramentum, quod ad finem mundi est duraturum. Confirmatur 3. summum aliquod dogma in Religione Christiana, semper propriis & literalibus verbis à Deo traditum fuit, Sed hoc dogma de Eucharistia est summum. Ergo propriis, non tropicis verbis traditum est. Quare sicut Manichæi peruersè verba illa, *Verbum Caro factum est*, detorquebant ad carnem quandam imaginariam; & Arriani ista, *Hic est Filius meus dilectus* ad filiationem quandam impropriam, vt Christus non substantialiter, sed nuncupatiuè tantùm esset Filius Dei; ita Caluinistæ detorquent hæc verba propria, *Hoc est corpus meum* ad tropos & figuras. Confirmatur 4. Testamenta propriis verbis conduntur; Sed Eucharistia est nouum testamentum. Ergo claris verbis debuit tradi, & institui.

1. Probatio ex institutione.

Ex reali manducatione probatur.

Summa dogmata tradita perspicuis verbis.

Patet

Patet eadem veritas ex forma consecrationis Calicis, quæ habetur Luc. c. 22. Hic calix nouum testamentum est in meo Sanguine, qui pro vobis effundetur. Vbi illud relatiuum qui, refertur ad calicem, vt patet ex Græco textu. Τȣ̃τὸ το ποτήριον ἡ καινὴ διαθηκη, ἐν τῷ αἵματί μȣ τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Id est, *Hoc poculum nouum testamentum est, in meo Sanguine, quod pro vobis effundetur.* Vnde sic argumentor. In poculo illo quod Christus Dominus tradidit Apostolis bibendum, in Cæna Eucharistica, vel erat propriè, & verè vinum, vel verè & propriè Sanguis Domini: non potuit verè & propriè esse vinum, quia poculum vini, non est effusum pro salute nostra: at Christus Dominus loquitur de poculo, quod pro salute nostra effusum est. *Hoc* inquit *poculum est in meo Sanguine, vel mei Sanguinis, quod pro vobis effunditur, vel effundetur.* Ergo necessarium est in illo poculo fuisse verè & propriè Sanguinem Christi Domini. Beza Caluini discipulus videns vim hujus argumenti cùm aliud non posset, maluit deprauare textum Sacræ scripturæ, quàm hæresim deserere, sic enim verba Christi Domini corrupit, conjungens ἐκχυνόμενον, non cum ποτήριον sed cum verbo αἵματι, & sic sensus est juxta ipsum Bezam.

Hoc poculum nouum testamentum in meo Sanguine, qui pro vobis effundetur, Fatetur ipse Beza in omnibus Græcis codicibus ita haberi, nimirum sic *Hoc est poculum in meo Sanguine, quod pro vobis effundetur:* & tamen omnibus refragantibus, loco *quod*, ponit *qui*, hæc est impudentia Hæreticorũ vt propter defendendos suos errores, scripturas peruertere non vereantur. *Impudentia Bezæ.*

Secundum caput S. Scripturæ pro Catholicis est promissio hujus Sacramenti, Joannis 6. *panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Quem locum SS. Patres, & Scholastici intelligunt de vera & reali hujus Sacramenti susceptione; nam cùm litigarent Iudæi, & murmurauerint discipuli, de verbis Domini, eò quòd mirabile aliquid, & vix credibile in se continere viderentur, non solùm Christus Dominus verba non correxit, sed iterum dixit, *Nisi manducaueritis carnem Filii hominis &c.* Sed si per manducationem intellexisset fidem, seu solam spiritualem manducationem, sine causa cum tantò auditorum scandalo rem tantam obscuritatibus inuoluisset, cum vnico verbo facilè explicari potuisset. Præterea comparatio illa inter corpus Christi Domini, & manna, in hoc capite, non est ratione fidei in Christum, dicit enim panem à se dandum præstantiorem. At ratione perceptionis per fidem, manna æqualiter præstabat. Igitur comparatio sumitur ratione Sacramenti. Accedit quòd manducatio

2 Probatur ex reali promissione.

in loco citato loquitur de manducatione reali.

Promisit donum antea non habitum.

ducatio per fidem est omnium temporum. Christus vero Dominus in hoc capite, in futuro promittit donum, antea non habitum. *Panis quem ego dabo caro mea est.* Supposito itaq; quòd hoc loco loquatur de Eucharistia, vt intellexerunt Concilium Ephesinum, septima Synodus, & Tridentinum *Sess. 13. c. 3.* nec non SS. Patres quos prolixè refert Maldonatus in cap. 6. Ioannis, & Scholastici.

Clarè probatur præsentia realis

Vnde ex hoc loco probatur præsentia corporis Christi Domini. Quòd est verè tale, non potest impropriè, & figuratè appellari tale. Sed Christus Dominus dicit, *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus.* Ergo id non debet dici de carne impropriè, & figuratè, sed propriè & in se, aliàs incassum Christus Dominus dictum suum juramento confirmâsset, *Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem &c.* hoc enim voluit persuadere, quod dicebat. Atqui juramenta non afferuntur ad metaphoras, quæ non intelliguntur, sed ad verba, vt propriè & simpliciter sonant, nimirum ne dubitetur de re etiamsi difficilis videatur; verba verò Christi Domini propriè carnem significant. Et ita Capharnaitæ, & discipuli quidam intellexerunt, verba Christi Domini, de ipsissima vera ipsius carne. Atqui si illi errâssent, debuisset Christus Dominus, in re tanti momenti, aliquando monere, & scandalo illi, quod auditores acceperant occurrere, id autem nuspiam fecit, imò potiùs passus est, vt ab illo retrocederent, quàm vt id, quod dixerat retractaret; vel spirituale, vel per rationem signi, & figuræ, vel per fidem declararet, prout Hæretici faciunt. Confirmatur, dicit Christus Dominus panem hunc esse, qui de cælo descendit, præstantiorem verò Manna Iudaico, quòd si figuratè tantùm esset ibi Corpus Christi Domini, longè nobilius esset manna, nam manna, Corpus Christi Domini, significabat, & multas prærogatiuas alias habebat, quas simplex panis triticeus non habet.

Si non est corpus Domini verum in Eucharistia præstantius esset manna.

Tertiò probatur ex vsu

Tertium caput scripturarum pro Catholicis est ex vsu. 1. ad Corinth. 10, *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Calix cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Domini est?* Vbi S. Paulus dicit communicare nos corpori, & Sanguini Christi in Eucharistia. Sed id non est intelligendum figuratè. Ergo propriè, quia sensus literalis semper eligi debet, nisi contrarium euidenter probetur: & sic exposuerunt *S.* Chrysost: *in hunc locum. S.* Cyril. *lib. 10. in Joan. c. 13.* Et indicat *S. Paulus* cùm dicit, *Qui manducat indignè, reus erit corporis &c. 1. ad Corinth.* 11. Adhæc si in hoc *Sacramento* est sola figura, non esset necessaria quotidiè noua conse-

Authoritas S. Pauli.

cratio

cratio ad rationem Sacramenti, sed sufficeret institutio prima Sacramenti, sicut ad aquam in Baptismo, non exigitur necessariò consecratio, sed sufficit prima Christi Domini institutio. Atqui S. Paulus dicit, *Calicem cui benedicimus &c.* quod de consecratione accipiendum esse, nullum est etiam apud aduersarios dubium, cùm etiam illi dicant se consecrare. Ergo est ibi verum corpus.

Dices, Per consecrationem illam hoc duntaxat efficitur, vt commune vinum, sit Sanguinis signum. Respondeo vel fieret per consecrationem signum, quia habet naturalem analogiam ad talem significationem, vel Sacramentum est signum ad placitum. Si primum tunc non indiget consecratione, quia rationem signi habet à natura; Si secundum, nec tunc eget, quia ad rationem signi ad placitum, sufficit prima institutio.

Quartum caput probationis sumitur ex figuris: Figuræ debent esse inferiores rebus figuratis. Atqui figuræ Eucharistiæ Sacramenti, vel sunt excellentiores, vel non inferiores simplici, & naturali pane, significante corpus Domini. Ergo Eucharistia non est simplex, & naturalis panis, significans corpus Christi Domini, sed est ipsum corpus Christi Domini. Major probatur ad *Colos. 2. ad Hebr. 10.* vbi comparat S. Paulus figuras vmbris, impletionem verò, seu rem figuratam corpori, & rem figuratam, veritatem appellat, & illam dicit esse imaginem veram, ita vt figura sit solùm imaginis vmbra: *4. Probatur ex figuris.* *Figura vmbra.*

Minor Probatur, Agnus Paschalis præstantior est, tùm physicè, agnus enim præstantior est pane; tùm Symbolicè in significatione, quia caro, & mors Christi, melius carne, ac morte agni illius, quàm pane significatur. Item mansuetudo, innocentia Christi, commodiùs significantur agno illo anniculo sine macula, quam pane. Item effectus Sacramenti, nimirum spiritualis nutritio, meliùs repræsentatur esu carnis, quàm panis, meliùs enim nutrit caro, quàm panis, juxta illud vulgare dictum, *non est cibus, nisi caro.* Quòd autem agnus Paschalis fuerit figura Eucharistiæ, communiter docent SS. PP. quos citat Bellarm. *lib. 1. de Euchariſt. c. 3.* & ex ipsismet Euangelistis colligitur *Matth. 26. Lucæ. 22.* *Agnus Paschalis esset nobilior.*

Secunda figura fuit manna in deserto, *Exodi 16.* quod sine dubio præstantius multò fuit, quam esset Eucharistia, si in illa non contineretur corpus Christi Domini, sed simplex panis, vt volunt Caluinistæ. *Manna similiter.*

Tertia figura fuit Sanguis ille animalium, *Exod. 24. & ad Hebr. 9.* quo testamentum sancitum est, quæ figura in institutione Eucharistiæ im- *Sanguis animalium.*

pleta est, vt patet *ex cap. 26. Matth. & Lucæ 22.* vbi dicitur. *Hic est Sanguis meus noui testamenti.* Sed Sanguis ille fuit nobilior, & meliùs repræsentabat Sanguinem, & passionem Christi Domini, quàm simplex vinum. Ergo.

Dices In veteribus figuris, eadem res fuit contenta, quæ est in Sacramentis nouæ legis, juxta illud Apostoli. 1. *ad Corinth. 10. Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt.* Ergo.

Patres antiqui quomodo biberunt eandem escam.

Respondeo. Non dicit Apostolus, quòd eandem nobiscum, sed quòd omnes illi eandem inter se: nec dicit escam illam fuisse corpus vel Sanguinem Domini, sed vocat escam spiritualem illud manna, ob significationem typicam.

Cur Eucharistia panis dicitur.

Obiiciunt 1. Caluinistæ, Eucharistia appellatur panis in multis locis S. Scripturæ. Ergo non est verè corpus Christi Domini. Respondeo nego consequentiam: non enim appellatur panis propriè, & substantialiter. Sed similitudinariè tantùm, & Metaphoricè, Eucharistia igitur panis dicitur: tùm quia fit ex pane; tùm quia species panis habet; tùm quia est panis quidam mysticus;

Obiiciunt. 2. In his verbis, *Hoc est corpus meum*, verbum, *est*, accipitur pro significat, sicut & in his locis. *Semen est verbum Dei. Ioannes est Elias*; *septem spicæ septem anni sunt*, & alibi frequenter. Confirmatur quia Hebræi verbo, *est*, semper vtuntur pro verbo significat.

Verbum, est, non semper sumitur pro significat.

Respondeo. Verbum (*est*) potest accipi pro significat, vbi tropus est manifestus, tamen falsum est, verbum istud (*est*) semper vsurpari pro significat, imò in dogmatibus Religionis retinet semper propriam significationem, vt in hoc loco, *Hic est filius meus dilectus.* vbi antiqui Hæretici deprauabant idem verbum, *est*, ne Diuinitatem Christi Domini agnoscerent. Igitur in proposito, vbi nulla ratio est admittendi tropicam locutionem, verbum (*est*) retinere debet propriam significationem: nam si tantùm significatiuè deberet vsurpari, longè veriùs Christus Dominus dicere potuisset de Agno Paschali, *Hoc est corpus meum*, & de Baptismo, *Hic est Sanguis meus*, vel mors, aut sepultura mea; & de eodem Sacramento; *Hoc est Ecclesia mea*; nam Agnus Paschalis, Christi Domini corpus significabat, Baptismus Christi Sanguinem, mortem, & sepulturam repræsentat, & hoc idem Sacramentum etiam totam Ecclesiam significat.

Non est tantùm commemoratiuè in Eucharistia.

Obiiciunt 3. Corpus Christi Domini in Eucharistia est commemoratiuè tantùm. Ergo non realiter. Antecedens patet ex his verbis, *Hæc quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis.* Consequentia probatur, quia meme-

memoria rei, non eſt res ipſa. Reſpondeo nego Antecedens, & ad verba citata dico, ea eſſe intelligenda, non quidem de memoria ipſius Chriſti Domini, ſed de memoria paſſionis ejus, prout teſtatur Sanctus Paulus: *Quotiescunq; manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Chriſtus Dominus autem ipſe, poteſt eſſe memoria paſſionis ſuæ, præſertim vt exiſtit in hoc Sacramento.

Explicantur verba de genimine vitis.

Obiiciunt. 4. Poſt conſecrationem calicis Chriſtus Dominus dixit, *Non bibam à modò de hoc genimine vitis, &c.* Ergo erat adhuc genimen vitis. Ergo non Sanguis Chriſti Domini realiter. Reſpondent aliqui hæc verba, eſſe intelligenda de alio quodam calice, qui ſolebat diuidi in manducatione agni Paſchalis, non de calice Sanguinis Domini. Reſpondeo 2. quòd etiamſi intelligerentur de calice Sanguinis Domini; eo modo generatio vitis diceretur de Sanguine, quomodo panis dicitur de Corpore ſcilicet ſimilitudinariè, & Metaphoricè.

Panem acceptum conuertit in corpus.

Obiiciunt 5. Illud acceperunt Apoſtoli, quod comederunt, ſed acceperunt panem, quia Chriſtus Dominus accepit in manus panem, quem fregit & benedixit. Ergo Apoſtoli comederunt panem. Reſpondeo Ad minorem, licet priùs Chriſtus Dominus accepiſſet panem, benedixiſſet, & fregiſſet, tamen panem acceptum dando conuertit in ſuum corpus, ideoq; in ipſa datione, non remanſit illud idem, quod Chriſtus Dominus acceperat, ſed effecit ante comeſtionem Apoſtolorum, panem corpus ſuum.

Obiectio hæc eſt contra hæreticos.

Obiiciunt 6. *Caro non prodeſt quidquam, Spiritus eſt qui viuificat; verba quæ locutus ſum vobis; ſpiritus, & vita ſunt. Ioan. 6.* Ergo caro Chriſti Domini nec eſt, nec ſumitur in Sacramento.

Stolidum argumentum Caluiniſticum.

Reſpondeo dato, & non conceſſo, quòd caro non profit quidquam, ſtolidum eſt argumentum Caluiniſtarum, à non prodeſſe, ad non eſſe. *Non prodeſt, Ergo non eſt?* Fructus vetitus, primis parentibus non profuit: Ergo non fuit? Sol talpæ non prodeſt, Ergo non eſt? venenum homini non prodeſt quidquam, Ergo non eſt? En quam ſtolidus argumentandi modus. Dico itaq; verba illa caro non *prodeſt quidquam*, non intelligi de carne Chriſti Domini, quæ virtute Diuinitatis, tantùm nobis profuit ad ſalutem, ſed de carnali ſenſu, & intelligentia, ita vt nimirum ad hoc Sacramentum intelligendum, ſit opus fide, & non carnali intelligentia, vt exponit. S. *Chryſoſt. homil. 85. in Ioannem, Spiritus* id eſt, ſpiritualis verborum intelligentia, *eſt, qui viuificat, caro*, id eſt carnalis verborum meorum explicatio,

Caro non prodest quidpiam explicatur. catio, *non prodest quidquam.* Quasi Christus Dominus dixerit, Vos Capharnaitæ inter vos murmuratis, *Quomodo potest hic suam carnem dare nobis ad manducandum?* quia tanquam homines carnales, omnia carnaliter intelligitis; putabatis me carnem meam vobis ad vorandum, instar lanionis in macello porrecturum, sed erratis. Dabo carnem meam, verè quidem, & realiter, & substantialiter, ac spirituali quodam, ac Diuino modo, ab omnipotentia Diuina promanante: Et sic illa verba citata, *Verba quæ ego locutus sum vobis Spiritus & vita sunt, intelliguntur*, id est, causant Spiritum, & vitam mortuis illis elementis, quæ virtute eorum conuertuntur in corpus & Sanguinem viuificum. Vel *Spiritus, & vita sunt*, non cruento, aut humano modo sumenda, sed altiori, Diuiniori, & magis spirituali. Si ergo verba Saluatoris rectè intelligantur, non hæresim Caluinianam, sed Catholicorum doctrinam confirmant. *A simili* Sicut si Angelus hîc præsens realiter, & præsentialiter adesset, nō præsentia carnali, sed spirituali, quia neq; visu, neque auditu, neque aliquo corporis sensu perciperetur: ita corpus Christi Domini in Eucharistia, est verè realiter, & substantialiter præsens in Eucharistia, sed spiritualiter, quia non est ibi visibiliter, tangibiliter, passibiliter, sicut olim fuit inter manus Iudæorum.

Ex Conciliis probatur. *Secundò principaliter probatur ex Conciliis generalibus*, in quibus hæc veritas est definita, in Concilio Ephesino tom. 1. cap 14. Vbi posteaquam dictum fuisset, per oblationem mysticam nos participes fieri Sacræ carnis, & Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi, Subditur. *Nec enim illam vt carnem communem suscipimus, absit hoc: neq; item vt carnem hominis sanctificati, sed tanquam verè viuificam, ipsiusq; Verbi propriam.*

Septima synodus *tom. 7. act.* 6 condemnat hæreticos in eo, quòd asseverent Eucharistiam, solùm esse imaginem, seu figuram Christi Domini, quam opinionem abominandam, & extremam dementiam esse dicit, & traditioni Apostolorum, & omnium Patrum, & veritati, & proprietati verborum Christi Domini contrariam. Concilium Vercellense sub Leone Nono, Berengarii errorem damnauit.

Idem fecit Concilium Turonense sub Victore II. Concilium Rhemense sub Nicolao 1. in quo Berengarius suam Hæresim abiurauit, vt refertur *cap. Ego Berengarius, de Consecratione dist. 2. & in 2. tom. Conciliorum.* Concil. Roman. sub Gregorio II. in quo Berengarius iterum errorem suum detestatus est, & Catholicus dicitur mortuus. Lege Sabellicum *Ænead. 9. lib. 3.* Concil: Constanciense *Sect. 8. & 15.* damnauit oppositum errorem

tem, Ioannis Hus, & Vicleph. Eodem modo Lateranense sub Innocentio III. vt habetur *cap. 3. de summa Trinitate.* Et alia Concilia, & decreta Pontificum. vt habetur *de Consecratione dist. 2. Et in Decretalibus titulo de custodienda Eucharistia, & de celebratione Missarum.* Nouissimè Sacrosanct: Concilium Tridentinum saluberrimo decreto, Catholicæ Ecclesiæ veritatem pariter constabiliuit, & eam impugnantes hæresiarchas, vnico velut ictu ac fulmine percussit, & exterminauit. *Sessione 13. cap. 1.*

Sancta Synodus, inquit, profitetur, post panis & vini consecrationem, Dominum nostrum IEsum Christum, verum Deum, atq; hominem, verè, realiter, & substantialiter, sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Quæ verba omnia & singula, tot mysteriis abundant, vt si diligenter examinentur, in singulis singulæ pariter hæreses damnentur. *Concilii Trident. authoritas adducitur.*

Tertiò principaliter probatur ex SS. Patribus. Primò ex iis, qui excludunt expresè figuram. S. Damasc: lib. 4. cap. 14. inquit. *Non est figura panis & vinum; absit enim hoc, sed est ipsummet corpus.* Theophylactus in caput. 26. Matth. dicit. *Hoc est corpus meum, hoc quod sumitis, non enim figura tantùm, & exemplar est corporis Dominici panis, sed in illud conuertitur.* S. Ambrosius lib. 6. de Sacramentis. c. 1. *Sicut verus est Dei filius Dominus noster IESVS Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia patris, ita vera caro est, sicut ipse dixit, quam accipimus, & Sanguis, quem potamus.* Secundò probatur ex iis Patribus qui dicunt hîc interuenire magnum quoddam miraculum, nimirum quòd Christus Dominus existens in cælo, simul reperiatur in Eucharistia: S. Chrysost. hom. 3. in Epist. ad Eph: inquit, *Helias ascendens pallium discipulo dimisit; filius autem Dei ascendens, nobis suam carnem dimisit, sed Helias quidem exutus; Christus autem nobis suam carnem reliquit, & ipsam habens, ascendit.* *Patribus probatur qui figuram excludunt.*

Tertiò ex iis, qui reddunt rationem, cur hîc voluerit Christus Dominus adesse sub aliena specie, videlicet, ne horrori esset sumentibus, quæ ratio locum non haberet si Christus Dominus verè & substantialiter non sumeretur hîc ore corporis. Ita *S.* Ambros: *lib. 4. de Sacramen: c. 4.* inquit *vt nullus horror cruoris sit, & pretium tamen sit remdemptionis.* 4. Ex iis qui dicunt non esse hic credendum sensibus, sed verbis Christi Domini, proponuntq; articulum hunc, tanquam creditu difficillimum, & ideò Christi omnipotentiam, & authoritatem exagerant, & magnam fidem requirunt, quæ omnia sunt vana, si panem tantùm significantem corpus Christi Domini comederemus. Ita S. Chrysost. *Homil. 83. in Matth.* inquit, *Non sensibus credendum.* *S. Chrysost.*

Credamus vbiq; Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui, & cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicit; superet & sensum, & rationem nostram, sermo quæso ipsius; nam verbis ejus fraudari non possumus; sensus verò noster, deceptu facillimus est, quoniam ipse dixit, Hoc est corpus meum, nullâ teneamur ambiguitate, sed credamus, & oculis intellectus id perspiciamus. S. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* 4. *Mystagogicâ* inquit. *Ne ergo consideres, tanquam panem nudum, & vinum nudum, corpus enim est, & Sanguis Christi, secundùm Domini verba; quamuis enim sensus tibi hoc non suggerat, tamen fides te confirmet; ne ex gustu rem judices, quin potiùs habeas ex fide pro certissimo, ita vt nulla subeat dubitatio, esse tibi donata, corpus & Sanguinem.*

S. Cyrillus.

Obiiciunt 1. Hæretici, SS. PP. vocant Eucharistiam signum, figuram, & Symbolum. Ergo negant præsentiam realem corporis Christi Domini in Eucharistia.

Eucharistia est signum corporis præsentis.

Respondeo. Aliud esse signum corporis, & aliud esse signum corporis absentis. sicut ad Hebr. 1. dicitur Christus Dominus, *figura substantiæ Patris*, neq; tamen licet inferre substantiam Diuinitatis in Christo Domino non esse. Item ad Colossen. 1. dicitur *imago Dei*, hoc tamen non impedit, quin sit DEus substantialiter. Et ad Philip. 2. dicitur, *habitu, & similitudine homo*, cùm tamen reuera sit homo. Sicut igitur Marcion, & Appollinaris ex hoc loco negabant veram Christi Domini carnem, ita Caluinistæ ex quibusdam testimoniis, in quibus dicunt Patres Eucharistiam esse signum, vel figuram corporis, Christi Domini, negant realem ejus præsentiam in hoc Sacramento: Sed immeritò; nam sicut Christus est figura, & veritas substantiæ Patris, ita Eucharistia est figura, & veritas corporis Christi Domini: quia res antiquæ legis erant figura, sine veritate, res verò nouæ legis, sunt figura & veritas. Hinc ad illud S. August. *contra Adimantum cap.* 12. dicentis, *Non dubitauit Christus dicere, Hoc est corpus meum, cùm signum daret corporis sui:* patet solutio. Nam Symbola externa vocat signum, & tamen ratione rei contentæ, dicit illud etiam esse corpus Christi Domini. Et sic eodem modo soluentur omnia testimonia Patrum, in quibus Eucharistia vocatur Sacramentum, signum, figura, imago, &c. hæc enim nec tollunt veritatem, nec indicant absentiam, vt patet ex testimoniis allatis. Dicitur ergo figura, vel signum, tùm ratione symbolorum externorum, tùm ratione gratiæ inuisibilis, quam Christi Domini corpus etiam secundùm veritatem significat, & efficit.

Eucharistia est figura & veritas corporis.

Cur dicitur figura.

Obiici-

Obiiciunt 2. Patres diminuunt de veritate præsentiæ, & sumptionis corporis Christi Domini in Sacramento, dicentes, modo Sacramentali, & extraordinario esse & sumi in Eucharistia, sicut *S.* August. in Psalm. 98. inquit, *Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, nec bibituri illum Sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent: Sacramentum aliquod vobis commendo spiritualiter intellectum viuificabit vos.* Ergo realiter non est præsens corpus Christi Domini.

Respondeo. quando Patres aliquid minuere videntur de præsentia Sacramentali, de modo præsentiæ loquuntur *S*acramentali & extraordinario: nam sæpè etiam in Scriptura negari videtur aliquid de substantia rei, quod tamen tantùm de modo negatur, vt 1. ad Corinth. 15. *Non quod futurum est seminatur:* id est, hoc corpus quod seminatur, non erit illud quod futurum est in Resurrectione; nihilominùs negari non potest, quin sit idem corpus quo ad substantiam, & non quoad modum, & qualitatem. Et sic S. August. authoritas intelligenda, ibi enim non negat substantiam rei, sed tantùm modum visibilem, & carnalem; quòd expressè *libro 2. contra aduersarium legis, & Prophetarum cap. 9. docet Mediatorem Dei, & hominum Christum JEsum carnem suam nobis manducandam bibendumq; Sanguinem dantem, fideli corde, atq; ore suscipimus, quamuis horribiliùs videatur humanam carnem manducare, quàm perimere, & humanum Sanguinem potare, quàm fundere.*

SS. Patres non negant præsentiam sed modum.

S. August. negat modum visibilem & carnalem.

Obiiciunt 2. Sæpè Patres dicunt, corpus Christi Domini spiritualiter per fidem oportere manducare: vt S. August. tractat. 25. in Ioan. inquit. *Vt quid paras dentes, & ventrem? crede, & manducasti.* Ergo.

Respondeo non negare Patres realem manducationem, sed spiritualem addunt: Et sic Sanctus Augustinus intelligi debet, & seipsum ibidem explicat, dicens, *Fideli corde, atq; ore Christi corpus à nobis suscipi.* Vnde & S. Chrysost. supra citatus dicit, non fide tantùm, sed re ipsa.

Obiiciunt 3. *Patres* obscurè loquuntur de hoc Mysterio. Ergo &c. Respondeo, concedo quòd obscurè quia nondum controuersia erat exorta circa hanc materiam: tùm quia de hoc mysterio sobriè, & modestè loqui tenebantur, ne vel coram catechumenis vel coram infidelibus, tanta mysteria propalarent.

Cur obscurè Patres loquuntur.

Quarto principaliter probatur variis rationibus. Primò ex cultu, & adoratione latriæ Eucharistiæ: quia S. August. in illud Psal. 98. *Adorate scabellum pedum ejus,* dicit prouidentiam Diuinam adinuenisse sapienter,

quomodo adorari possit scabellum pedum ejus, quod est terra, quia inquit *caro Christi ex terra est, & nemo eam manducat, nisi priùs adoret, & ita debemus eam adorare, vt peccemus non adorando, tantùm abest vt peccemus adorando.* Vnde S. Chrysost. homil. 24. in 1. ad Corinth: comparat fideles cum magis qui Christum Dominum adorârunt in præsepio. *Hoc corpus inquit in præsepi, reueriti sunt magi, & barbari longo itinere confecto, cum timore, & tremore plurimo adorauerunt, imitemur saltem barbaros, illi in præsepi, tu verò non in præsepi, sed in altari &c.* quòd si Christus Dominus non esset in Eucharistia, adoratio ista non esset licita.

Ex precibus

Secundò. Ex precibus directis ad Christum Dominum, vt existentem in Sacramento, vt patet ex praxi Ecclesiæ, quæ vtitur illa oratione, *Domine non sum dignus vt intres &c.* videatur *S. Dionysius de Eccles: hierach. in theoria Synaxios.* S. Gregor. Nazianz. *in oratione in obitu Gorgoniæ.* vbi refert cultum exhibitum Eucharistiæ, & inuocationem, nec non sanitatem exhibitam per Eucharistiam. 3. Ex summa religione, & cura solicita in tractando, & sumendo hoc Sacramento. S. August. *Epistola ad Januarium ait, nonnisi à jejunis debere sumi.* Et S. Chrysost. lib. 6. de Sacerdotio, inquit, *Quantam integritatem exigimus ab eo, qui communionem Domini manibus pertractat, quales manus, qualem linguam, qualia verba, qualem animam esse oporteat.* Quare occultabatur ethnicis, & catechumenis, & in Concilio Toletano 1. & Bracharensi 3. prohibitum fuit, ne ampliùs laici Eucharistiam sumerent in manus.

Ex summa religione.

Ex miraculis variis probatur.

Deniq; probatur eadem veritas ex miraculis, quæ Diuinâ prouidentiâ patrata sunt, ad huius Sacramenti fidem, & religionem propagandam, quæ miracula, redarguunt Lutheranos, qui dicunt extra vsum, Christum non esse, in sacra hostia, proinde nec eum adorant. Redarguunt impios Caluinistas, qui credunt impossibile esse, vt Christi Domini caro, & Sanguis sit in hoc Sacramento, sed esse tantùm eius figuram, & signum. Redarguunt peruersos Iudæos, qui summam ignominiam huic Sacramento irrogare semper conati sunt. Refert Petrus Diaconus in vita Sancti Gregorii Magni, dubitanti fæminæ, hostia mutata est in lapidem. Hoc idem accidisse mulieri sectæ Macedonianæ, tempore Sancti Chrysostomi, vt scribit Sozomenus *lib. 8. cap. 5.*

Referunt. Nauclerus, & Fulgosus circa annum Domini 1290. Iudæum quendam Parisijs ab egena muliercula, Promissione vestis, quam oppignorauerat restituendæ, impetrasse sacram hostiam, quam igne accenso in

so in sartagine,multùm diuq; assauit,sed cùm nec formam,nec colorem mutaret gladio eam pupugit, ac confestim sanguis inde manauit,re detectâ, Christianis superuenientibus, & hostia in loco ei dicato, & Iudæi domus, sub titulo *S*aluatoris bullientis, in Ecclesiam conuersa est, vbi hostia, & gladius etiam nùm ostenduntur.

Hæc eadem veritas realis præsentiæ corporis Christi Domini in Eucharistia, & in Regno Poloniæ multis miraculis est illustrata. Anno salutis 1399. *P*osnaniæ in Majori *P*olonia, perfidi Iudæi pretio Christianam mulierem corruperunt, vt *S*acratissimam Eucharistiam surriperet, & ad eos deferret; egens, & lucri cupida mulier, oblita timoris Domini, & Christianæ professionis, receptâ ab illis pecuniâ, promisit se voluntati eorum satisfacturam, & rei conficiendæ idoneum tempus obseruaturam; tandem ipso die Assumptionis B. Virginis MARIÆ, impia mulier ad Ecclesiam Patrum Prædicatorum, quæ plateæ Iudæorum adiacet, cum filia accessit, ibiq; sub tempus prandii, ad locum tabernaculi, vbi Sacratissimum Sacramentum asseruabatur, accedendo fores tabernaculi per vim auellere conata, in terram collapsa fuit, quasi Diuinitùs admonita,ne tam enorme scelus attentaret; sed nec eo casu deterrita, iterum portam tabernaculi reserare conabatur, & secundò in terram corruit, quo casu non est melior effecta,sed malitiâ,& auaritiâ stimulante, tertiò ibidem accessit, & non tam suis viribus, quàm Diuinâ quadam permissione, vt major inde gloria Domini in Ecclesia propagaretur, ostium ciborij aperuit, & pyxide venerabilis Sacramenti, acceptâ, & tribus inde hostiis minoribus extractis, pyxide repositâ, ostium tabernaculi clausit, & sacrilegis manibus hostias Sacratissimas in linteolum album reposuit, & opportunâ occasione datâ ex Ecclesia, discessit, & ad Iudæos perrexit, qui maximo cum applausu illud summum nostræ salutis pignus exceperunt, & mulieris impiæ detestabilem operam collaudârunt, ac dimissam honorario magno cumulârunt. Rabbini tanti sceleris authores, conuocatis primoribus Iudæis in locum subterraneum, seu cellarium descenderunt sub lapidea *S*vvidvvarum, vbi in mensam tribus hostiis projectis, cultris, seu pugionibus perfoderunt, ex quibus cruor erumpens, mensam, & parietes perfudit, quem in locum Iudæa cæca adducta, & recognitâ, sese recolligens petiit illuminari, & subitò illuminata est,palamq; profiteri non erubuit, Christum esse Deum, per quem beneficium videndæ lucis percepisset, palamq; virtutem Domini extollebat, Iudæi impii miraculo territi, extra Ciuitatem *SS.* Euchari-

Miraculum Posnaniæ, in Majori Polonia.

stiam in paludibus demergere frustra conati sunt: in itinere, claudo languido (in porta quæ tunc vocabatur Castrensis) sedenti Eleemosynam præbuerunt, qui repentè integram corporis sanitatem recepit; progredientes vlteriùs in vico carpentariorum vocato, in vna domo agonizans lecto se proripuit, Christum Dominum transisse conclamauit. Iudæis interim in obstinatione permanentibus, qui thesaurum illum pretiosissimum in foueam proiecerunt, & in Ciuitatem obstinati & triumphantes, redierunt. Verùm DEVS ad arguendam incredulitatem & obstinationem ipsorum, paulò post iumenta excitauit, quæ honorem Diuinissimo *Sa*cramento conuenientem deferrent; nam hostiæ tres super paludes eleuatæ à puero *Paulo* filio Bubulci adoratæ, iumentis itidem genua flectentibus, quod Bubulcus ipse superueniens vidit, & obstupuit, miraculumq; Magistratui Posnaniensi indicauit, qui vt delirus in carcerem coniicitur, cui cùm miraculosè portæ essent reclusæ, iterum ad *Proconsulem* rediit, & quæ antea coram illo deposuerat, non aliter se habere sanctè affirmauit; Magistratus rei veritate compertâ, vnà cum Præposito, ad Episcopum Albertum II. dictum Iastrzembiec rem gestam defert, quod in prato illo SS. Sacramentum spectandum se publicè omnibus exhiberet. Conuocato Episcopus Clero vniuerso cùm crucibus, vexillis, & luminaribus, ad locum processionaliter accessit, Sacerdotiq; Ioanni Riczyvvol dicto, opinione Sanctitatis celebri, iniunxit, vt hostias *Sacras* apprehenderet, & ad se deferret, quæ diuinitùs in manus eius illapsæ, & Episcopo traditæ, quas cum summa solennitate, & triumpho detulit, & in Ecclesia *Parochi*ali deposuit, dum quid agendum, deinceps esset maturiùs deliberaret. *C*ùm verò hominum studia in diuersas sententias abirent, nam Episcopus Cathedrali, Patres Prædicatores templo suo inferri debere, dicebant, ex quo furto sublatæ essent, Magistratus verò contendebat in Parochiali relinquendas esse, sed SS. hostiæ, etsi in tabernaculo clauso Parochiali diligenter custodirentur, ad eum locum, in quem á Iudæis proiectæ fuerant, remigrârunt, quare Episcopus ibidem Sacellum ad tempus ædificauit. Porrò Vladislaus Iagelo *Poloniæ* Rex, voto ob incolumitatem vxoris facto, Posnaniam Anno Domini 1414. venit, & in Sacro hoc loco Basilicam magnificam, in honorem corporis Christi extruxit, & reditibus assignatis, Monasterium illi adiecit, in eoq; Patres ordinis Sanctæ Mariæ à monte Carmelò, collocauit: quo in loco plurima gratiæ Diuinæ beneficia, & amplissimas consolationes homines reportant. Iudæi verò post diligentem

gentem inquisitionem, & in quæstionibus confessionem, cum sacrilega muliere, ad palum cum canibus eos lacerantibus, alligati, viui combusti sunt, & dignas impietatis pœnas acceperunt: qui vtinam propter tam enorme scelus è Ciuitate Posnaniensi eiecti fuissent, nunquam ad tantam egestatem *Posnania* deuenisset, ad quam nunc propter perfidos Iudæos, ob mercimonia, & artes mæchanicas, quas exercent peruersi Iudæi, deuenit. Ita Cromerus lib. 16. Thomas Treterus Custos & Canonicus Varmiensis in *suo libello descripsit, & aneis figuris illustrauit historiam.*

Simile factum Anno Domini 1 5 5 6. refertur in oppido Sochaczevvo, quod situm est inter Louicium, & Varschauiam: In priori editione, plura sunt miracula enumerata à me.

ARTICVLVS II.

Quid sit præsentia Sacramentalis.

NOTA præsentia Sacramentalis est aliquid reale, cùm enim Christum Dominum esse realiter, & præsentialiter substantialiter præsentem speciebus in Sacramento, sit aliquid reale existens in rerum natura, consequenter præsentia ista est aliquid reale. Deinde est aliquid intrinsecè afficiens corpus Christi Domini, licet enim sit respectus extrinsecus adueniens, vt mox dicetur, est tamen intrinsecus corpori; dicitur verò respectus extrinsecus per comparationem ad fundamentum, & terminum, non per comparationem ad subjectum, quod docet D. *in 4. d. 10. q. 1. num. 11.* *Quia si species sunt de nouo præsentes corpori Christi, & Corpus est de nouo præsens eis, (etsi enim continentia non sit relatio realis, mutua, tamen præsentia est relatio mutua.)* Sicut V. G. Verbum incarnatum non potuisset per incarnationem fieri præsens humanitati, sine noua præsentia, si antea non fuisset vbiq; per immensitatem. Ergo cum corpus Christi non sit vbiq;, non potest fieri de nouo præsens speciebus, sine noua præsentia in ipso existente. *Præterea* hæc præsentia est distincta à substantia, quia hæc fuit ante, & erit post, & potest esse sine huiusmodi præsentia Sacramentali, an autem distinguatur tanquam res à re, vel tanquam modus à re, vtrumq; probabile; cùm D. *Subt. Quodl.* 3. dicat. *Omne Ens prædicamentale; præter substantiam, quantitatem, & qualitatem, esse modum*, quid autem sit hæc præsentia, varii varia.

Præsentia Sacramentalis est realis.

Intrinsecè afficit corpus

Præsentia distinguitur à substantia

DICO I.

Præsentia hæc non est actio.

Dico 1. Præsentia Sacramentalis corporis Christi Domini, non est actio: neq; modus substantialis. Prima pars patet quia omnis actio corporis Christi Domini in Sacramento præexigit necessariò præsentiam eius, non enim res est præsens, quia operatur, sed operatur, quia est præsens. Ergo Christi Domini operatio in Sacramento non est eius præsentia Sacramentalis. Confirmatur vi verborum ponitur corpus Christi Domini in Sacramento. Sed nulla actio ejusdem corporis ponitur ibidem vi verborum. Ergo præsentia Sacramentalis non est actio. Secunda pars probatur. Quia modus substantiæ substantialis, non potest adesse, vel abesse sine mutatione substantiali illius substantiæ cuius est modus. Sed præsentia hæc adest, & abest sine mutatione substantiali, corporis Christi Domini. Ergo. Tum quia substantia corporis Christi Domini sine præsentia Sacramentali est perfectè completa. Ergo.

Præsentia non est respectus intrinsecus.

Dico 2. Eadem præsentia non est respectus intrinsecùs adueniens: sed respectus extrinsecus adueniens qui vocatur à D. præsentia simplex, quiuè reducitur ad prædicamentum vbi. Prima pars probatur, respectus intrinsecus adueniens, consurgit necessariò positis fundamento, & termino: At verò positis speciebus, & Christi Domini corpore, non necessariò consurgit præsentia Sacramentalis, potest enim fieri conuersio panis in corpus Christi Domini existens in cælis. Ergo &c. Secunda pars constat, quia respectus extrinsecùs adueniens, qui non necessariò consequitur extrema, etiam ambo in actu posita, & dicitur extrinsecùs adueniens, non solum quòd supponat extrema inesse, & quidquid ordinatur ad esse ipsorum, sed vlteriùs requirit aliquam determinationem posteriùs aduenientem, quæ est accidentaria extremis inquantum sunt, & posteriùs adueniens ipsis in esse. Ergo hæc præsentia Sacramentalis est præsentia localis, non quidem propriè, sed reductiuè; ad relationem enim extrinsecùs aduenientem, potest esse motus, & consequenter ad hanc præsentiam Sacramentalem, vt docet D. Subt: *in 4. d. 6. q. 10.* ex Aristotele.

Est respectus extrinsecus.

Præsentia ista est localis

Petes. *In quo differunt præsentia Sacramentalis, & naturalis, & in quo conueniunt?*

In quo conueniunt præsentia naturalis, & Sacramentalis.

Conueniunt primò, quia vtraq; est respectus extrinsecùs adueniens. 2. quia vtraq; est terminus motus localis, siue propriè, siue impropriè. 3. Quòd vtraq; sit fundamentum propinquitatis, & distantiæ.

Differunt inter se.

Differunt primò, quòd naturalis habeat duplicem positionem quantitatiuam, & situalem, Sacramentalis verò solùm primam. 2. quòd præsentia na

tia naturalis habeat duplicem extenſionem,& diuiſibilitatem,tam ex parte ſubjecti, quàm ex parte ſpatii, Sacramentalis verò ſolùm ex parte ſubjecti. 3. Quòd naturalis repleat locum & expellat aliud corpus: Sacramentalis non item; vnde adueniente corpore Chriſti Domini non expellitur quantitas panis. 4. Quia ad naturalem ſpectant illæ differentiæ poſitionis,ſurſum, deorſum &c. ad Sacramentalem non ſic. Et ſic iſtæ præſentiæ diſtinguuntur ſpecie, quia præſentia naturalis eſt propriè localis, includens proprium vbi, & ſitum; Sacramentalis autem non includit proprium vbi prædicamentale, ſed tantùm vbi ſimplex, nec vllo modo includit ſitum. Porrò iſtæ duæ præſentiæ à ſe inuicem non dependent, ſed vna poſſet eſſe abſq; alia, vt docet D. Subtilis *in 4. d. 10. q. 4. n. 6.* Sequitur Suarez. *diſp. 48. Sect. 2.*

Non dependent à ſe iſtæ præſentia.

ARTICVLVS III.

Quomodo corpus Chriſti Domini, ſit vnitum ſpeciebus.

NOTA. variæ ſunt opiniones authorum. Suarez. *diſp. 47. Sect. 3.* diſtinguit de duplici vnione, vna formali, & alia effectiua, dicitq; corpus Chriſti Domini non eſſe vnitum ſpeciebus vnione formali, eo modo, quo vniuntur componentia phyſica, vel metaphyſica, ſed vnione effectiua, eo modo, quo ferrum eſt vnitum magneti, à quo attrahitur, & tenetur, ne ab eo ſeparetur. Alii volunt hanc vnionem eſſe continentis, & contenti. Alii vnionem compoſitionis. Alii quaſi hypoſtaticam. Alii Sacramentalem appellant.

Quomodo vnitur corpus ſpeciebus

DICO 1. Sola vnio extrinſeca ex pacto diuino hîc intercedit. Ita D. Subt. *in 4. d. 10. q. 6. num. 4.* vbi dicit Corpus Chriſti Domini non eſſe vnitum ſpeciebus, ſicuti forma eſt vnita materiæ, vel è conuerſo, aut ſicut eſt actus vnitus potentiæ,vel è contra, aut veluti pars eſt in toto, vel generaliter, ſicut aliquid neceſſitate naturali conjungitur cum altero, ſed tantùm per actum voluntatis Diuinæ,quia Deus eâ voluntate quâ inſtituit Euchariſtiam in Eccleſia, determinauit facere corpus Chriſti Domini ſemper præſens ſpeciei poſt conſecrationem.

Vnio hic ex pacto Dei intercedit.

Ratio eſt, quia non poteſt eſſe vnio naturalis,nam vel eſſet ſubſtantialis; vel accidentalis, non 1. quia inter ſubſtantiam, & accidentia, quales ſunt ſpecies, non intercedit vnio ſubſtantialis: non accidentalis,quia vnita hic ſe non afficiunt, ſicut in vnione accidentali, neq; enim corpus Chriſti Domini eſt quantum, vel album, per quantitatem, & albedinem ſpeci-

erum. Non est etiam vnio effectiua, quia constare non potest corpus Christi Domini habere actionem circa species, quâ illas sustentet, aut quidpiam aliud præstet.

Corpus Domini non sustentat accidentia.

DICES 1. Corpus Christi Domini sustentat accidentia, non quidem materialiter, vt panis. Ergo effectiuè. Ergo habet effectionem illam. Ergo vnionem effectiuam. Respondeo Nego antecedens, quia corpus Domini nihil aliud hic habet, quàm vt sit præsens, vbi priùs fuit panis, & tegatur ab accidentibus.

DICES 2. Dicitur corpus Domini à speciebus contineri: Præterea dicuntur species instrumentum conjunctum corpori CHRISti Domini. Respondeo Concedo ex pacto, & voluntate Diuina, non ex alia vnione.

Quæ denominationes competunt hic corpori.

PETES *Ex vnione ad species Sacramentales, quales denominationes consequitur corpus Christi Domini?*

DICO. Omnia prædicata absoluta tam substantialia, quàm accidentalia, dicuntur de Christo Domino, etiam vt est hîc, quia, modus existendi Sacramentaliter, ista omnia secum patitur. V. G. Deus, homo, substantia, quantus, Sapiens, speciosus &c. Illa verò prædicata, quæ modus Sacramentalis non patitur, non dicuntur de eo, vt est, extensio, circumscriptio, esse in loco, &c. non enim Christus Dominus, vt est in Sacramento dici potest extensus. Deinde prædicata quæ significant vnionem inter Christum Dominum, & species, verè dicuntur, de Christo, vt est hîc, dicitur enim Christus Dominus contineri sub speciebus, tegi sub speciebus, &c. Item dicitur corpus Domini, eleuari, circumferri, manducari. Item esse hîc, illic, vel alibi &c. quia ista significant mutationes similes mutationibus localibus. Porrò non dicitur verè alterari, frangi, contrectari, misceri, sed solùm metaphoricè, quia ista conueniunt solis speciebus, & transire non possunt in corpus Domini; tùm propter impassibilitatem, tùm propter modum existendi indiuisibilem. Quare quando dicitur in Sacrificio Missæ, *fiat commixtio corporis & Sanguinis Domini*. Id intelligendum est propriè de speciebus, & de corpore & Sanguine Domini, ratione præsentiæ solius Sacramentalis, quæ enim miscentur propriè, miscentur per diuisionem miscibilium in partes, & per contactum partium. At corpus Christi Domini & Sanguis, non possunt hoc pacto misceri, quia sic existerent diuisibiliter in Sacramento.

Non verè alterari.

AR-

ARTICVLVS IV.

Vtrum possibile sit corpus Christi Domini existens in cælo, esse simul in Sacramento?

Negant hæretici, maximè Caluinistæ, cùm enim sit articulus fidei, Christum Dominum existere ad dexteram Patris, negant hæretici existere realiter in Sacramento. Quidam verò Catholici tenent cum Ecclesia Catholica, corpus Christi Domini de facto simul existere in cælo naturaliter, & in Sacramento indiuisibiliter, negant tamen fieri posse, vt illud, & quodcunq; aliud existat in pluribus locis circumscriptiuè, & diuisibiliter. *Error hæreticorum.* *Opinio Catholicorum.*

DICO 1. Corpus Christi Domini existit simul in cælo naturaliter, & in Eucharistia Sacramentaliter. Ita definitum est in Concilio Tridentino *Sess. 13. c. 1.* Probatur 1. ex aliis mysteriis nostræ fidei difficillimis. V. G. Trinitatis, Incarnationis, Resurrectionis corporum &c. Quæ Philosophia propter apparentes contradictiones capere non potest. Ratione probat D. Subt. *in 4. d. 10. q. 2. n. 5.* Omne DEo est illud possibile, quod non includit euidenter contradictionem. Sed ad positionem corporis Christi Domini in pluribus locis, nihil sequitur, nisi plurificatio præsentiarum, quæ sunt tantùm respectus extrinsecùs aduenientes, naturaliter posteriores corpore, & contingenter ei conuenientes: nulla autem est contradictio quòd plurificato posteriori naturaliter, maximè accidentariè, & contingenter conueniente, plurificari debeat prius, cùm & in multis aliis, vbi major est connexio, secundùm rationem concedamus vnum sine altero, posse plurificari. Et cùm nullus respectus magis sit accidentalior suo fundamento, quàm sit vbi. Ergo. *Corpus Domini est in cælo & in Sacramento.*

DICO 2. Idem corpus esse in diuersis locis non repugnat etiam circumscriptiuè. Probant multi Doctores *ex cap. 9. Act.* quando Christus Dominus apparuit S. Paulo, & quidem circumscriptiuè, quia si sic est in cælo, & in terra, minimè videri potuisset à S. Paulo, si indiuisibiliter tantùm extitisset. Respondent aliqui Christum Dominum locum cæli deseruisse, Contra *Act.* 3. dicitur. *Quem oportet cælum suscipere, vsq; ad tempus restitutionis omnium.* Neq; potest dici Angelus ei apparuisse, quia non fuisset testis sufficiens resurrectionis, si non vidisset oculis corporeis ipsummet corpus, quod resurrexerat. Confirmatur tùm quia 1. *ad Corinth.* 9. dicit. *Nonne Dominum nostrum vidi*; tùm quia 1. *ad Corinth. 15. Nouissimè tanquam abortiuo, visus est mihi*; quæ probatio esset insufficiens, si nō vidisset *Vnum corpus posse esse in pluribus locis.*

Rationibus probatur. ipse, sicut & alii Apostoli viderunt. Probatur rationibus, Primò non magis adæquat quantitatem sua præsentia ad locum, quàm adæquet substantiam sua præsentia sibi conueniens. Sed substantia potest habere plures præsentias, imò de facto habet substantia Christi Domini in pluribus hostiis consecratis. Ergo & quantitas plures præsentias potest habere. 2. Potest Deus facere substantiam naturalem, non sub modo naturali. Ergo multò magis potest facere eam sub modo suo naturali. Consequentia patet, quia majus est constituere corpus in variis locis incircũscriptiuè, quàm circumscriptiuè, quia faciendo primum, est duplex miraculum, faciendo verò secundum, est tantùm vnum. Sed hoc primum Deus facit. Ergo & secundum facere posset. *Minus esse corpus circumscriptiuè, quam non circumscriptiuè.* Confirmatur modus existendi extensiuus, & diuisibilis non repugnat positioni alicujus corporis in pluribus locis, quâ enim ratione existens in vno loco habet extensionem partium in illo, ita & existens in alio.

Probatur 3. Duo corpora possunt esse in vno loco. Ergo & vnum poterit esse in pluribus, Antecedens est verum. Consequentia patet, quia magis est possibile cum vnitate prioris naturaliter, stare multitudinem posterioris naturaliter, quam è conuerso: dimensio autem locati prior est naturaliter dimensione loci: tùm quia dimensiones locati, sunt causa dimensionum loci: locatum siquidem facit latera continentis distare, & superficies eius esse in actu. Tùm quia dimensiones locati possunt esse sine dimensione locantis, vt patet de superficie primi cæli. Hæc difficultas cum sit purè Philosophica, eam omitto, quam in priori editione satis fusè examinaui.

ARTICVLVS V.

Quid vi verborum ponatur in Eucharistia, & quid per concomitantiam?

NOTA I. Totus Christus Dominus continetur in Eucharistia, & in singulis ejus speciebus. Ita Trident: *Sess. 13. cap. 3.* Sub specie panis continetur corpus, anima, Sanguis, nam ad *Rom. 6.* dicitur. *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur*; si verò esset corpus sine anima, illud esset mortuum, Sanguis quoq; debet inesse, quia anima non est in corpore exangui. Similiter non est Sanguis sub specie vini separatus à corpore, propter eandem rationem. Deinde non erat conueniens corpus Christi Domini viuum in cælo, esse mortuum in Sacramento. Continetur etiam humanitas, & Diuinitas, corpus enim Christi Domini in Sacramento, est ad communicandam vitam spiritualem hominibus: habet autem virtutem communi-

municandi hujusmodi vitam ex vnione ad Verbum. Ergo ex fine hujus *S*acramenti,non debet esse corpus separatum à *Diuinitate*. Præterea continentur non solùm partes essentiales corporis, sed etiam integrales. Insuper humores pertinentes ad integritatem corporis. Denique ea quæ ad ornamentum corporis spectant, vt crines, barba,&c. non verò vestes,cibus indigestus, saliua, hîc continentur.

NOTA 2. Aliquid continetur in hoc *S*acramento,vel vi verborum, vel per concomitantiam. Vi verborum, quæ per verba formæ significantur, ita vt forma esset falsa, si aliquid eorum quacunque ratione abesset. *P*er concomitantiam, quæ per verba formæ non *ita* significantur, quin ipsa posset esse vera, etiamsi abessent, tamen propter connexionem, quam habent cum illis,quæ vi verborum ibi continentur, necessariò etiam ibi ponuntur, conueniens enim est, vt quæ sunt vnita in Christo Domino extra Sacramentum, etiam in eo vniantur in *S*acramento.

Vi verborũ quæ continentur.

Per concomitantiam quæ.

NOTA 3. Qui negant inesse homini aliam formam substantialem præter animam rationalem, valde laborant in explicando, quid intelligatur per corpus, quod vi verborum ponitur in Eucharistia: Quidam enim per corpus intelligunt materiam primam; sed materia, est simplex substantia, corpus autem est compositum.

Quid per corpus intelligitur.

Quidam per corpus intelligunt materiam primam, cum modo quantitatiuo, non autem cum quantitate. Sed hunc modum refutat D. *S*ubt. *in 4. d. 11. q. 3. num. 29.* tum quia modus ille quantitatiuus esset effectus formalis quantitatis. Ergo non posset intelligi sine quantitate. Tùm quia corpus in quod fit conuersio, tale est vt carnem,& ossa habeat; caro autem & ossa non sunt sola materia cum modo quantitatiuo, vt patet. Ergo neq; corpus illud constituetur ex materia, & solo illo modo quantitatiuo. Quidam vt Sanctus Thom. *3. parte. q. 79. a. 6. ad 2.* per corpus intelligit constitutum ex materia, & anima intellectiua, vt dat esse corporeum. *S*ed Concilium Tridentinum *Sess. 13. c. 3.* expresè determinat animam Christi Domini non poni sub specie panis vi verborum. D. *S*ubtilis *loco citato numero 29.* dicit, corpus humanum constitui in esse corporis humani, per formam aliquam substantialem quam vocat mixti, vel formam corporeitatis, quam dicit non esse formam completam & vltimatam, sed formam quandam partialem, constituentem corpus humanum organicum, in ratione partis essentialis hominis, quæ simul cum animâ intellectiua possit constituere hominem.

Forma corporeitatis admittenda

Vi verborum ponitur corpus sub specie panis.

DICO 1. Vi verborum ponitur tantùm Corpus Christi Domini constitutum ex materia & forma corporeitatis sub specie panis. Constat ex Trid. *Sess. 13. c. 3.* Ratio est, quia corpus humanum quà humanum constat materia & forma corporeitatis. Quod D. Subt. *in 4. d. 10. q. 4. n. 3.* dicit, corpus illud, quod ponitur vi verborum sub specie panis, non continere animam, nec Sanguinem, nec accidentia. Et probat. 1. hoc esse possibile accipiendo corpus pro primo perfectibili animæ, quia non est contradictio corpus illud esse sine anima, sine Sanguine; & sine accidentibus. 2. Ostendit hoc fuisse congruum, quia species panis repræsentant corpus Christi Domini sub ratione cibi, at verò sub ista ratione, non requirit animam, neq; Sanguinem. 3. Dicit ita factum fuisse, quoniam si in triduo Eucharistia consecrata fuisset, mansisset veritas verborum, & tamen non fuisset ibi anima. Ergo vi verborum istorum ponitur tantùm corpus, & non anima, neq; Sanguis. Deniq; probat ibidem ex diuersis signis, & signatis. Hoc idem probat D. Subtilis *in 4. d. 11. q. 3. num. 57.*

Sub specie Vini Sanguis.

DICO 2. Vi verborum consecrationis calicis, ponitur tantùm Sanguis, Patet ex his verbis, *Hic est Sanguis meus.* in quibus tantùm Sanguis exprimitur. *Præterea* nomine Sanguinis intelligimus constitutum aliquod ex materia & forma speciali Sanguinis. An autem Sanguis ponatur totus, vel per modum continui, vel per modum discontinui, vtrumq; posse dici probabile putant graues authores.

Per concomitantiam vtrumque.

DICO 3. Corpus Christi Domini, non est sub specie vini, neque Sanguis sub specie panis vi verborum, sed tantùm per concomitantiam. Ita Sanctus Bonauentura *in 4. d. 11. a. 1. q. 4.* Patet, tùm quia corpus Domini non exprimitur, in verbis consecrationis calicis, nec Sanguis in verbis consecrationis corporis. Tum quia Christi Domini corpus & Sanguis in Sacramento mysticè separari debent, ad repræsentandam passionem Domini. Quòd per concomitantiam ponatur, constat, quia corpus Christi Domini ponitur nunc in Sacramento illud idem, quod est in cælo, scilicet viuum, & animatum; non est autem viuum, & animatum, sine Sanguine: Ergo Sanguis per concomitantiam poni debet simul cum corpore sub specie panis. Aduerte hîc Suarez. 3. *p. disp. 51. Sect. 3.* attribuit D. Subt. quòd dixerit Sanguinem esse sub specie panis vi verborum. Sed reuera si Suarez legisset D. Subtilem *in 4. dist. 10. q. 4. num. 13. ad 2. Et dist. 8. q. 1. num. 4.* nunquam hoc Doctori attribuisset, quibus in locis non vult absolutè Sanguinem poni vi verborum sub specie panis, sed tantùm in ea hypo-

Suarez imponit D. Subtili quod ipse non tenet.

hypothesi, quâ quis vellet Sanguinem esse partem corporis, nec tamen propterea eodem modo poneretur sub specie panis, vi Sacramenti; quo ponitur ipsum corpus.

PETES 1. *An tota Sanctissima Trinitas sit in Sacramento, eodem modo per concomitantiam, quo subsistentia Verbi Diuini?*

Respondeo negatiuè. Nam subsistentia Verbi est primò & per se, concomitanter deinde Diuinitas ipsa, quia Verbum Diuinum est indistinctum á Diuinitate. Deniq; Pater, & spiritus Sanctus in quibus verbum diuinum est per circumincessionem. *SS. Trinitas quomodo est.*

PETES 2. *An Diuinitas Christi Domini, incipiat esse de nouo in Eucharistia?*

Respondeo negatiuè, quia nullibi de nouo potest fieri præsens Diuinitas, quæ jam est vbiq; per immensitatem, nihilominùs incipit esse præsens in Sacramento, nouo titulo, nimirum ratione præsentiæ, & positionis corporis, cui est vnita realiter, & substantialiter. *Diuinitas an de nouo sit*

PETES 3. *An Verbum Diuinum possit dici consecrari?*

Respondeo affirmatiuè, per communicationem idiomatum, sicut dicitur conceptum, natum de virgine, passum in cruce, &c. *An Verbum Diuinum consecratur.*

ARTICVLVS VI.

An corpus Christi Domini sit in Sacramento, cum tota quantitate, sicut est in cælo?

NOTA Duplicem esse positionem quantitatis, vnam intrinsecam, & aliam extrinsecam. Intrinseca est per quam partes alicujus corporis habent ordinem inter se, ita vt vna sit extra aliam, quatenùs corpus illud sit debitè figuratum, & organizatum, ad recipiendam animam, & secundùm istam positionem intrinsecam, & absolutam, partes corporis habent debitam distantiam inter se, sed non in ordine ad locum. Extrinseca duplex est vna secundùm quam corpus aliquod coexistit toti loco, absq; eo, quòd coextendatur secundùm partes, partibus loci, & illa dicitur vbi, quæ est respectus extrinsecùs adueniens. Alia est per quam totum corpus coexistit toti loco, & partes ejus coextenduntur partibus loci, & illa dicitur situs, qui etiam iuxta D. Subt. est relatio extrinsecùs adueniens, qui ab eo sæpè vocatur modus quantitatiuus, vel dimensiuus, positio intrinseca est de ratione quantitatis, ab eaq; inseparabilis; non est enim benè intelligibile, inquit D. Subtilis, aliquid esse quantum dimensionatum,

Positio quantitatis duplex.

Extrinseca positio duplex.

Positio intrinseca est de ratione quantitatis.

natum: id est longitudine latitudine, & profunditate affectum, quin sit designare in toto illo ordinem huius partis ad illam, puta capitis ad collum, secundùm quantitatem, vel positionem interiacentem inter illas. Positio verò extrinseca, non est de ratione quantitatis, sed accidens per accidens eius, possibile enim est, DEVM separare talem positionem à corpore quanto, manente etiam priore positione, & id quidem non solùm per negationem termini, sed etiam posito termino, cui scilicet præsenti, posset fieri commensuratio, seu coextensio alterius corporis, possibile esset Deum conseruare quantum, & coexistentiam eius ad aliud quantum, & tamen sine coextensione partium vnius ad partes alterius, quam dicit positio ista, de qua loquimur. Ita D. Subt. *in* 4. 10. *q* 1. *n.* 14.

Extrinseca non est de ratione quantitatis.

Dico itaq; Corpus Christi Domini existens in Eucharistia, habet totam illam quantitatem, quam habet in cælo, non habet tamen modum quantitatiuum, seu positionem extrinsecam, & coexistentiam partis ad partem. Ita D. Subt *in* 4. *d.* 10. *q.* 1. *n.* 12. Prima pars Probatur, quia corpus Christi Domini existit animatum in Sacramento; ad animationem autem requiritur, animatio, & organizatio, & figuratio, quæ inquit D. Subtilis tota non potest esse à forma corporeitatis, quæ dat tantùm distinctionem partium substantialium. Ergo debet esse à quantitate, virtute cuius corpus illud habet partes organizatas, distinctas & ordinatas, tùm in toto, tùm inter se. Ex quo sequitur idem corpus non esse in Eucharistia ad modum substantiæ sine vlla ordinatione partium. Confirmat D. Subt. Vnumquodq; siue sit primus terminus transsubstantiationis, siue secundus, si tamen est ibi, habet proprietates suas, quæ sibi necessariò, & naturaliter conueniunt: vt V. G. si Deus crearet substantiam quantam, vel natura generaret substantiam quantam, vtriusq; productionis terminus primus esset substantia, & quantitas esset concomitans, & tamen tam in creata, quàm in genita substantia, quantitas haberet suum modum realem, sicut haberet, si primo modo terminaret aliquam mutationem. Ergo similiter hic habet suas proprietates, etiamsi ponatur tantùm concomitanter.

Corpus Domini est quãtum in Eucharistia

Quantitas habet suas proprietates

Secunda pars patet, Quia corpus Christi Domini totum existit sub parua hostia, quod tamen fieri non posset, si quantitas haberet suum modum quantitatiuum, & dimensiuum.

Obiicies 1. Quantitas præstat diuisibilitatem. Sed modus iste est indiuisibilis Ergo. Respondeo Quod præstet diuisibilitatem subjecti, non spatii: & sic corpus Christi Domini, est diuisibile secundùm se, non secundùm

Quomodo quantitas præstat diuisibilitatem.

cundùm locum. Eodem modo soluitur de figura; quia corpus Christi Domini indiuisibiliter existens, est figuratum figurâ intrinsecâ, & organicâ, non locali situali, & extrinsecâ, hæc enim est separabilis à priore, vt constat in manu extensa, & plicata, diuersam figuram extrinsecam, vt sic habente, eandem tamen organicam, & intrinsecam retinente.

Obiicies 2. Si sic sequeretur non plus distare pedem à manu, quàm brachium. Sed hoc est inconueniens. Ergo. Respondeo Quòd plus distabit distantia quantitatiuà intrinsecâ, sed non plus distabit distantiâ extrinsecâ, & situali.

PETES *An quantitas corporis Domini, ponatur hic vi verborum?*

Respondeo Non vi poni verborum, sed solùm concomitanter. Ita D. Subt. *in 4. d. 10. q. 4. n. 15.*

ARTICVLVS VII.

An totus Christus Dominus sit sub singulis partibus specierum, & in omnibus indiuisibilibus earum?

NOTA. Ad intelligentiam difficultatis, vel esse sermonem de singulis partibus specierum, post earum diuisionem, vel ante earum diuisionem, & quidem post diuisionem, ita vt partes illæ sint diuisæ ante consecrationem, & postmodum, vel distinctis consecrationibus, vel vna, duntaxat consecrentur. Ante diuisionem verò, vt videlicet considerando totam aliquam hostiam cum omnibus suis partibus continuis, dicamus totum ibi esse Christum Dominum, & totum in singulis partibus: & quia partes illæ sunt diuisibiles in infinita juxta naturam continui, dicamus vlterius totum Christum Dominum esse in illis partibus in infinitum, nec non vlteriùs in omnibus ejus superficiebus, lineis, & punctis, quæ omnia sunt infinities infinita, ea propter sit totus Christus Dominus in Eucharistia infinities infinitè. Difficultas itaq; procedit de partibus continuis. Dicunt enim aliqui Christi Domini corpus esse quidem totum, & semel in tota hostia, non verò in singulis partibus ante diuisionem, licet sit post diuisionem. Exemplificant de imagine repræsentata in speculo, quæ tantùm est semel in toto speculo, licet sit pluries in speculo fracto, & diuiso. Dicunt alii totum Christi Domini corpus esse etiam in singulis partibus ante diuisionem, in quo jam omnes conueniunt, sed difficultas est, an ita sit in singulis partibus illis, vt sit etiam in infinitis, seu in illis in quas est diuisi-

Declaratur status difficultatis.

Totus Christus est in singulis partibus.

bilis in infinitum? Putant itaq; aliqui hostiam non esse diuisibilem in infinitum substantialiter, sed tantùm mathematicè, quia etiam panis, qui est totum aliquid homogeneum, non est hoc modo diuisibilis, sed habet certum terminum paruitatis, vltra quem consistere non potest substantia panis, & juxta hanc opinionem, corpus Christi Domini erit tantùm in illis partibus, in quibus saluari potest adhuc substantia panis, non autem in illis minimis in quibus eadem substantia saluari non potest. Ita Sanctus Bonauentura *in 4. d. 10. 1. parte distinctionis art. vnico. q. vnica*, contra quem insurgunt Suarez. disp. 52. Sect. 2. Vasquez *disp. 188. c. 3. & contra Alexandrum* Alensem, imò & contra D. Subtilem, sed an meritò, quiuis legendo scripta eorum, facilè judicare poterit.

Corpus Domini est totum in singulis partibus post diuisionem.

DICO 1. Corpus Christi Domini totum est in singulis partibus consecratis, post diuisionem. Ita Trident. *Sess. 13. Can. 3.* his verbis. *Si quis negauerit in venerabili Sacramento sub vnaquaq; specie, & sub singulis cujusq; speciei partibus separatione factâ, totum Christum contineri anathema sit.* Idem definitum fuit in Concil. Florent. *in decreto Eugenij*, cujus veritatis præcessit figura in manna teste S. Hilario *nam qui plus collegerat, non habuit ampliùs, neq; qui minùs parauerat, habuit minùs, non enim est quantitas visibilis in hoc æstimanda mysterio, sed virtute Sacramenti spiritualis.* Confirmatur ex Prosa de corpore Christi Domini, vbi dicitur. *Fracto demum Sacramento, ne vacilles, sed memento, tantùm esse sub fragmento, quantum toto tegitur.* Ratio est, quia Sanguis Christi Domini fuit sub singulis partibus vini post diuisionem, in ipsa institutione, quia diuisus est calix post consecrationé. Ergo idem debet dici de corpore. Deinde consecratâ hostiâ, consecrantur omnes ejus partes integrantes. Ergo sub illis est totus ibi Christus; non enim existit in Sacramento per partes, & commensuratiue.

Etiam ante diuisionem.

DICO 2. Verissimum esse totum corpus Christi Domini esse sub singulis partibus hostiæ consecratæ, etiam ante diuisionem. Est ferè communis Theologorum, quam S. Bonauentura *loco citato.* & Alensis *4. p. q. 40 membro 3. art. 5.* probant authoritatibus, & rationibus. Authoritas est S. Hilarii, quæ habetur *de consecr. dist. 2. Vbi est pars corporis, ibi est & totum, &c.*

1. Ratio ex fractione.

Prima ratio sumitur ex fractione, & diuisione hostiæ: fractâ enim hostiâ, Christus Dominus est totus sub singulis partibus. Sed constat quòd non est ibi, nisi virtute consecrationis. Ergo cùm consecrata esset hostia ante fractionem; nec fractio pertinet ad consecrationem, sequitur quòd ante

ante fractionem, sicut & post, erat totum corpus Domini sub singulis partibus specierum. Ita Innocentius Tertius.

Secunda ratio sumitur ex conuersione: quia corpus Christi Domini in Sacramento est per transsubstantiationem panis in ipsum. Sed quælibet pars panis est panis, quia est totum homogeneum. Ergo quælibet pars panis conuertitur in totum corpus. Quare Innocentius inquit. *Ego sanè concesserim, quòd totalis panis, in totale corpus conuertitur; ita tamen quòd nulla pars panis in aliquam partem corporis transit.* *2. Ratio ex conuersione.*

Tertia ratio est ex vtilitate fidei, & vitatione erroris: quia si totum corpus Christi Domini contineretur sub tota specie, & non sub qualibet parte, credi posset partem contineri sub parte, sicut totum sub toto, & ita frequenter sequeretur error, scilicet quod corpus Domini esset commensurabile hostiæ, per correspondentiam partium vnius, partibus alterius, & quòd Christus Dominus conuerteretur in partem, sicut pars continetur sub parte. Hæc ratio est S. Bonauenturæ, & Alexandri *locis citatis.* *3. Ratio est ex vtilitate fidei.*

Quarta ratio est ex veritate, & significatione Sacramenti nam corpus Christi Domini continetur in Sacramento, vt signatum in signo. Sed ratio significandi est vniformiter in partibus, & in toto. Ergo ad veritatem Sacramenti spectat, quòd corpus Christi Domini sit in partibus, & in toto. Et hæc ratio est Sancti Bonauenturæ, & Alensis ibidem. *4. Ratio est ex veritate & significatione Sacramenti.*

Quinta ratio est Philosophica. Designetur aliqua pars hostiæ, aut ibi est totum Corpus, aut pars; si totum, habetur intentum; si pars tunc diuidatur, aut est pars, aut est totum; si pars, Ergo Christus est diuisus; si totum, & priùs non erat. Ergo plus continet hæc pars hostiæ, quàm priùs. Ergo de necessitate est aliquid ibi conuersum in partes, quòd priùs non fuerat. *5. Ratio philosophica.*

Sexta ratio est. Excellentiori modo est corpus Domini in Sacramento quàm spiritus: Spiritus enim solùm est in vno loco; at corpus Domini est præsens pluribus. Ergo si spiritus est ita in toto, quòd etiam sit in qualibet parte, multò magis corpus Domini. *6. Ratio.*

Obiicies 1. Non potest modus explicari, quo corpus Christi Domini est totum in tota, & totùm in singulis partibus hostiæ consecratæ; nam alii dicunt semel; alii pluries, alii infinities.

Respondeo. Posse explicari per eum modum, quo anima est in corpore, vel Angelus in loco: & in qualibet hostia esse semel, seu per modum *Modus explicatur quo*

 vnius

corpus Domini est in Eucharistia.

vnius actu, esse tamen pluries, seu infinities in potentia: non quòd corpus Christi Domini non sit actu præsens singulis partibus hostiæ consecratæ, sicut anima est actu præsens partibus corporis, sed quia illæ præsentiæ, tùm fundantur in eodem corpore, tùm terminantur ad eandem hostiam actu vnam, & indiuisam, & constituunt vnam totalem & adæquatam præsentiam.

Obiicies 2. Intentio consecrantis, non respicit singulas partes hostiæ. Ergo sub illis non continetur totum corpus Domini.

Respondeo. Non respicit explicitè concedo, implicitè nego: nimirum ex eo quia hostia, quam respicit componitur ex talibus partibus.

Exemplum de speculo contra aduersarios.

Exemplum in Notando allatum de speculo, est contra aduersarios; nam imago est pluries in speculo, cadit enim in quodlibet punctum speculi. Et sic falsum est, quòd illa semel tantum repræsentetur in speculo integro; & pluries in fracto, quia nec in integro, nec in fracto speculo repræsentatur imago objecti, sed ipsummet objectum, quod quidem immediatè causat visionem sui, vel per lineam rectam, quando in seipso videtur, vel per reflexam, quando videtur in speculo. Quòd autem objectum semel tantùm, & vt vnum videatur in speculo integro, id facit continuitas speculi: quando autem videtur pluries in speculo fracto, id procedit ex fractione, & discontinuitate ejusdem speculi, à quo vt sic, non potest esse vna continua reflectio.

Corpus Domini existit sub omnibus indiuisibilibus.

DICO 3. Corpus Christi Domini existit sub omnibus indiuisibilibus hostiæ consecratæ, nimirum sub omnibus superficiebus, lineis, & punctis, non primò, sed secundariò, & consequenter. Hæc Conclusio sequitur ex Doctrina D. Subt. de modo, quo Angelus est in loco *in 2. dist. 2. q. 6. n. 12.* vbi vult ita eum esse in loco, vt sit in omnibus indiuisibilibus loci: existentia enim Angeli in loco, non esset continua, si Angelus non esset in indiuisibilibus loci.

ARTICVLVS VIII.

An corpus Christi Domini possit esse præsens in Sacramento sine mutatione locali?

In loco contingit esse, vel circumscriptiuè vel definitiuè.

NOTA I. corpus Christi Domini non esse localiter in Sacramento, vt communiter docent *in 4. d. 10.* quia in loco esse contingit, vel circumscriptiuè, vel definitiuè. Non circumscriptiuè, quia illud est in loco circumscriptiuè, quod circumscribitur à loco, eiq; coextenditur, ita vt principium,

pium, medium, & finis eius correſpondeat principio, medio, & fini loci. Neq; definitiuè, quia hoc modo, ita eſt hîc, vt non ſit alibi, non tamen ſpatio illi coextenditur, ſed eſt totus in toto, & in ſingulis partibus: *Sed* neutro modo corpus Domini eſt in loco; non circumſcriptiuè vt patet; non definitiuè, quia non eſt ita hîc vt non poſſit eſſe in pluribus aliis, non tamen eſt vbiq; per immenſitatem: poteſt tamen dici eſſe in loco, quia verè præſens in altari ſubſtantialiter, & vt ſic fundare reſpectus propinquitatis, & diſtantiæ, & denominationes loci, nempe, vbi, ibi, &c.

In motu corporis, plures motus, & termini.

NOTA 2. Ex D. *Subtili in 4. d. 10. q. 1. n. 9.* Quòd quando corpus mouetur de loco ad locum, & expellitur aliud corpus, communiter ſunt ibi 4. motus, vel mutationes, & octo termini; duæ ſcilicet in corpore expellente, & duæ in corpore quod expellitur; quia corpus expellens mouetur ab vbi ſuo, ad priuationem ejus, idem etiam corpus mouetur à carentia ſecundi vbi, ad illud idem vbi ſecundum, & iſta mutatio, dicitur mutatio acquiſitiua vbi noui. Similiter duæ ſunt mutationes, & quatuor termini circa corpus quod expellitur. Si autem moueretur aliquod corpus, & non expelleret aliud corpus de loco ſuo, jam non eſſent ibi, niſi duæ mutationes.

NOTA 3. Corpus Chriſti Domini exiſtens in Sacramento, non perdit illud vbi quod habet in cælo intelligendo regulariter, poteſt enim Deus ex aliqua gratia ſpeciali efficere, vt Chriſtus Dominus deſcendat localiter, ſicut multis *Sanctis* apparuit viſibiliter: oportet nihilominùs ponere ad ſaluandam realem præſentiam corporis Chriſti Domini hîc, quòd in ipſo ſit aliqua præſentia ad ſpecies, quæ non fuit priùs, alioquin non magis eſſet præſens hîc; quám priùs, illa autem mutatio, quæ eſt circa ſpecies, ſcilicet quod nunc non ſint in ſubjecto, cùm priùs eſſent in ſubjecto, nihil confert ad hoc, vt corpus Chriſti Domini de non præſente, fiat realiter præſens in Sacramento, vt patebit.

Non fit præſens per conuerſionem.

DICO 1. Non fit præſens in Sacramento corpus Chriſti Domini per conuerſionem ſubſtantiæ panis in ipſum. Ita D. *Subt. in 4. d. 10. q. 1. num. 5. 6.*

Probatur 1. Conuerſio panis in corpus Chriſti Domini eſt actio ſubſtantialis habens pro per ſe termino ad quem ſubſtantiam. Ergo actio illa non habet pro per ſe termino præſentiam.

2. Deus poteſt facere corpus Chriſti Domini præſens in Sacramento, manente ſubſtantiâ panis, & tunc non fiet præſens per aliquam mutatio-

Posset esse corpus Domini cum pane.

nem, quæ fit ad substantiam, vt ad per se terminum, & tamen per istam mutationem acquireretur præsentia ejusdem rationis cum illa, quæ nunc acquiritur. Ergo id fieret per mutationem ejusdem rationis. Ergo non per mutationem substantialem. Major patet, *quia ad nouitatem posterioris, non sequitur nouitas prioris. 8. Phys.*

Corpus Domini fit præsens per mutationem realem.

Dico 2. Corpus Christi Domini fit præsens in Sacramento per mutationem aliquam realem; non tamen per mutationem localem. 1. Pars patet, quia non fit transitus à contradictorio, absq; mutatione reali. Sed mutatio specierum, & mutatio substantialis panis in corpus Christi Domini; est impertinens ad rationem præsentiæ, vt probatum est. Ergo debet esse aliqua alia mutatio: illa autem non est ad aliquam formam absolutam, sed ad respectum extrinsecùs aduenientem. Ergo. 2. Pars probatur, tùm quia mutationem ipsam non concomitatur alia deperditiua prioris vbi, vt contingit communiter in motu locali: nam corpus Christi Domini existens in Sacramento, semper manet in cælis;

QVÆSTIO IV.

De Actionibus & Passionibus Christi Domini in Eucharistia.

In hac Quæstione inquiretur.

1. Quæ agere, & pati potest Christus Dominus in Eucharistia.
2. An aliquis motus possit inesse Christo D. in Eucharistia.
3. An Christus Dominus in Eucharistia possit transmutare aliud à se.
4. An aliquis intellectus possit videre existentiam corporis in Eucharistia.
5. An corpus Domini in Eucharistia possit videri oculo corporeo.

ARTICVLVS I.

Quæ Christus Dominus agere, & pati, existens in Eucharistia possit?

Actiones aliæ immanentes aliæ transeuntes.

Nota 1. Actiones aliæ sunt immanentes, aliæ transeuntes: immanentes sunt quæ recipiuntur in agente, & in eo manent, & hæ in homine, aliæ sunt corporeæ, vt sensationes, aliæ spirituales, vt intellectiones & volitiones. Transeuntes dicuntur, quæ non remanent in agente, sed transeunt in aliud, vt calefactio V. G. quæ ab igne egrediens transit in lignum.

Inest aliquid alicui primò & concomitanter.

Nota 2. Duobus modis potest inesse aliquid Christo Domino. Primò nimirum, & concomitanter. Primò inest, quòd ita inest, vt absolutè inesset, etiamsi Christus Dominus non esset alibi, concomitanter verò; quando

quando inest tantùm Christo Domino existenti Sacramentaliter, propterea quòd insit illi vt alibi existenti & hoc proptèr identitatē subiecti, & formæ.

DICO I. Omnis operatio quæcunq; sit illa, quæ inest Christo existenti in cælo, inest concomitanter eidem vt est in Sacramento. Ita D. *Subt. in* 4. *dist.* 10. *q*. 5. Probat 1. sic, Nullum absolutum desinit esse in aliquo; propter nouum respectum extrinsecùs aduenientem. *S*ed operatio est forma absoluta, vt probatur alibi. Ergo propter præsentiam *S*acramentalem, quæ est nouus respectus extrinsecùs adueniens, non desinit illa operatio inesse suo subjecto.

Omnis operatio quæ inest in cælo inest in Sacramento.

Probat 3. *D.* Subt. efficaciter, operatio inquit est perfectio potentiæ operatiuæ, & in ipsa consistit beatitudo ipsius potentiæ, ipsam etiam consequitur delectatio, proportionata perfectioni operationis, vt constat ex 10. *Ethic.* Ergo si oculus Christi Domini, vt in Sacramento, careret visione, quam habet in cælo, careret hic suâ propiâ perfectione, & consequenter suâ beatitudine, eo modo, quo visus dicitur beatificabilis, careret etiam delectatione consequente illam operationem perfectam, & tunc sequeretur, quòd oculus Christi *D*omini, vt in Sacramento, esset miser, & cum dolore, & tristitia; quod enim tollit delectationem, est dolorosum & triste, quod tamen nullus admittit.

*D*ICO 2. Nulla sensatio competit Christo Domino vt in *S*acramento: potest tamen inesse de potentia absoluta, & per nouum miraculum. I. Pars patet, tùm quia in *S*acramento organum Christi Domini, non habet modum extensum, sub quo, & non aliter est receptiuum sensationis.

Non inest sensatio vt in Sacramento

Secunda pars probatur, quia nulla apparet contradictio, quin manente organo Christi Domini secundùm modum inextensum, possit illi Deus imprimere species objectorum propinquorum, vel eleuare objecta propinqua, vt producant illas species, vel eleuare virtutem actiuam, oculi V. G. vel alterius sensus, & sic per nouum miraculum efficere, vt Christus Dominus etiam primò in Eucharistia eliciat sensationes aliquas, tam internas, quàm externas.

Per potentiam absolutam posset inesse sensatio.

DICO 3. Intellectio & volitio inest primò Christo Domino vt est in Eucharistia. Probatur Sicut Angelus alicubi existens, potest intuitiuè intelligere obiectum sibi proportionaliter præsens: ita anima Christi ibidē existens potest illud objectum intueri. Ergo anima Christi Domini, vt in Eucharistia potest intuitiuè intelligere illa intelligibilia, quæ sunt illi præsentia vt in Eucharistia, & sic potest intuitiuè videre Angelum hic præsen-

Intellectio & volitio inest primò in Sacramento

tem

tem & animam Sacerdotis, hæc autem intuitio inest animæ Christi Domini primò, vt est hîc, quia non inest illi primò, vt est in cælo, supposito quòd nimia distantia impediat intellectionem intuitiuam creatam: sicut enim Angelus existens in cælo, intuitiue non videt, quidquid præsens hîc videt intuitiuè.

ARTICVLVS II.

An aliquis motus posit inesse corporalis Christo Domino existenti in Eucharistia?

Motus vel mutatio impropriè dicta.

NOTA 1. Vltra motum propriè dictum ex 5. *Phys.* & mutationem, quæ est ad terminum substantialem, datur etiam quidam alius impropriè, & extensiuè dictus, qui reducitur ad aliquem istorum, vt est hîc, quo corpus Christi Domini adducitur in Sacramentum Eucharistiæ, qui quidem non est propriè motus, reducitur tamen ad motum localem.

NOTA 2. Quæstio præsens procedit, vel de agente supernaturali, vel naturali, an nimirum posit imprimi motus aliquis corporalis ab hoc, vel illo agente, corpori Christi Domini existenti in Eucharistia. Putat Suarez *3. p. d. 48. Sectione 6.* mutationem factam in corpore existente in aliquo loco, non recipi in eodem alibi existente solâ virtute agentis naturalis, sed virtute agentis supernaturalis, supplentis, & eleuantis virtutem illius agentis, & consequenter tenet, si quis consecrâsset corpus Christi Domini Bethleem, dum ipse patiebatur Hierosolymis, non potuissent ei infligi vulnera, vt existenti Bethleem, virtute crucifigentium eum Hierosolymis, sed virtute Dei, virtutem eorum eleuantis. Contrarium docet D. Subt: *in 4. d. 10. q. 2. n. 11. & q. 6. n. 2.* quem sequitur Vasquez. *d. 182. c. 4.*

Potest ei conuenire motus ad formam absolutam.

DICO 1, Conuenire potest motus propriè dictus, corpori Christi Domini existenti in Eucharistia saltem concomitanter ad omnem formam absolutam, cuius est capax in existentia naturali, non verò ad formam respectiuam. I. Pars patet, ex ratione allata in præcedenti articulo.

Secunda pars conclusionis patet, quia si corpus Christi Domini moueretur in cælo, non propterea moueretur concomitanter localiter in Sacramento, siquidem ibi non existit localiter.

Modus non inest ei ab agente creato primo.

DICO 2. Non inest vllus motus corporalis corpori Christi Domini, vt existenti in Eucharistia primò ab agente creato; bene tamen ab agente supernaturali.

Proba-

Probatur quia corpus Christi Domini non est in Sacramento localiter, & consequenter nulli agenti creato est approximatum secundùm locum. Ergo ab agente creato, non potest imprimi motus aliquis corporalis primò corpori Christi Domini, vt est in Sacramento. Secunda pars patet, quia Deus non requirit corporum, in quæ agit approximationem, vel existentiam localem: æquè enim potest in indiuisibile, atq; diuisibile, & æquè in distans, ac propinquum, quia Deus respicit passum, vt est receptiuum termini: & sic potest imprimi à Deo motus alterationis primò, vel alius.

DICO 3. Aliquis motus corporalis impropriè, & extensiuè dictus, potest inesse corpori Christi Domini, vt existenti in Eucharistia etiam primo, & non solùm concomitanter. Probat Doctor Subt. *loco citato. n.* 3. *Conc.* 3. Quia post consecrationem, vbicunq; est hostia, ibi verè est corpus Christi Domini. Ergo propter præsentiam corporis ad hostiam, quæ habet aliam & aliam præsentiam localem primò, ad aliud & aliud continens, sequitur quòd corpus Christi Domini habeat aliam & aliam præsentiam, ad aliud & aliud continens, hæc autem alia & alia præsentia, non est sine mutatione impropriè, & extensiuè sumptâ, nempe reducibili ad mutationem localem. Ergo &c; & talis motus improprius inest primò corpori, & est in Eucharistia, quia nullo modo corpus Christi Domini, vt est in cælo, habet istam præsentiam Sacramentalem. Hinc, *Potest inesse ei aliquis motus primò*

COLLIGE. Corpus Christi Domini de potentia absoluta, moueri posset sine speciebus, quia quòd sit sub speciebus est ex ordinatione Diuina.

DICO 4. Non potest corpus Christi Domini mouere seipsum, motu localí naturaliter. Ita D. Subt. *in* 4. *d.* 10. *q.* 7. *ad* 4. dicens, quòd potentia illa motiua Christi Domini, quæ est organica, & corporalis, licet sit in corpore Christi, vt est hîc, tamen non potest esse principium actus sui in corpore, vt est hîc, quia requirit partem extra partem, non tantùm in toto, sed etiam in comparatione ad locum, ad hoc vt per vnam partem motam localiter, moueat aliam. *Non potest mouere seipsum.*

DICO 5. Corpus Christi Domini non mouetur per accidens, ad motum specierum à Sacerdote illas deferente, sed mouetur immediatè à Deo. Ita D. *S. in* 4. *d.* 10. *q.* 6. *n.* 45. 6. Probatur, Illud solùm mouetur per accidens, ad motum alterius, quod est proportionatum virtuti motiuæ illius agentis, quòd mouet ipsum alterum, & quod est cum ipso altero conjunctum, naturali quâdam necessitate, seu sicut actus est in potentia, seu sicut est pars in toto: ita enim V. G. ad motum lapidis; mouetur per accidens, tùm *A Sacerdote non mouetur Corpus Domini.*

Eeee grau-

grauitas, tùm albedo ejus; quia vtraq; ista qualitas est proportionata virtuti motiuæ illius mouentis; quod mouet lapidem, ac insuper est conjuncta lapidi naturali quâdam necessitate, vel tanquam proprietas, vel tanquam accidens in subjecto. Sicut si Angelus voluntariè esset vnitus lapidi, non moueretur per accidens ad motum lapidis: tùm quia Angelus non est proportionatus virtuti talis mouentis: tùm quia Angelus nullâ necessitate, sed sponte, & voluntariè est vnitus lapidi: quo fit vt moto ipso lapide, si Angelus moueatur, non mouebitur per motionem talis mouentis, sed per se ipsum immediatè.

Ab exemplo probatur.

ARTICVLVS III.

An Christus Dominus in Eucharistia per virtutem aliquam naturalem, possit agere & transmutare aliquid à se?

Christus Dominus non potest vti potentia actiua corporea in Sacramento.

DICO 1. Non potest vti potentiâ actiuâ corporeâ Christus Dominus, vt in Eucharistia. Ratio est, quia omnis potentia actiua corporea, requirit passum, in quod agit approximatum sibi localiter. Sed potentia omnis corporea Christi Domini existentis in Sacramento, nulli potest approximari localiter. Ergo vt hîc non potest habere passum sibi approximatum eâ approximatione, quæ requiritur ad actionem talis potentiæ.

DICES. Christus Dominus in Eucharistia respirat, aliâs suffocaretur. Ergo habet hîc vsum potentiæ respiratiuæ.

Respondeo. Sufficit quòd ad respirationem quam exercet in cælo, pulmo ejus hîc refrigeratur concomitanter ad hoc vt non suffocetur. Atq; hinc colligitur quòd Christus Dominus in Eucharistia, non videat, neq; audiat, neq; tangat, nec respiret primò, benè tamen concomitanter, habetque effectus istarum operationũ virtute elicitionis earundẽ ab ipso, in cælo.

Potest exercere actus spirituales in Sacramẽto.

DICO 2. Christus Dominus in Eucharistia potest exercere actus omnium potentiarum spiritualium, nempe actum intelligendi & volendi. Probatur, quia tales actus, non requirunt existentiam localem, vel modum existendi diuisibilem, eliciuntur enim ab Angelis, qui non existunt diuisibiliter. Addit D. Subt *in 4. d. 10. q. 7. n. 3.* quòd possit anima Christi Domini vt existens in Sacramento, illuminare Angelum ibidem existentem, ipsumquè alloqui, per manifestationem proprii conceptus, eo modo quo Angelus potest loqui alteri Angelo à se sufficienter distanti.

Potest vti potentia non organica.

DICO 3. Potest vti Christus Dominus in Sacramento, potentiâ non organicâ, Nota D. Subt. *in 4. d. 10. q. 7. n. 4. & dist. 48. q. 14. num. 4.* admittit

mittit potentiam non organicam: sicut enim angelus habet potentiam motiuam non organicam, ita & anima intellectiua, per quam potest mouere seipsam ad aliquem terminum localem, nec non aliud à se: & talis potentia erit post resurrectionem in beatis, per quam corpora beatorum mouebuntur ab earum animabus localiter, & non progressiuè; mouebuntur quoque non organicè, quia per aliquem totalem impulsum primò, & immediatè, mouebuntur omnes partes eorum, sicut mouentur omnes partes primò, & immediatè corporis, quod mouetur ab Angelis. Hoc præmisso, probatur Conclusio, potentia ista non organica, est ex parte principii sui scilicet animæ, spiritualis. Ergo nihil obstat, quominùs in Sacramento liberum exercitium habere possit. Ergo corpus quodcunque existens juxta species consecratas, nec non etiam species illæ, moueri possunt ab anima Christi Domini existente in Sacramento. Concludit itaque D. Subt. potentiam non organicam Christi Domini animæ, posse in actum suum prorumpere & corpus sibi approximatum mouere, non tamen vult animam Christi Domini corpus suum mouere, vt est in Sacramento, & hoc ex ordinatione Diuina.

Anima habet potentiam non organicam.

ARTICVLVS IV.

An aliquis intellectus creatus, possit naturaliter videre existentiam corporis Christi Domini in Eucharistia?

NOTA 1. D. Subt. hanc difficultatem resoluit *in 4. d. 10. q. 8. num. 5.* ante resolutionem ipsius: exponit istos tres terminos, *intellectus*, *videre*, *naturaliter*; nomine *intellectus*, potest intelligi, vel intellectus conjunctus, tùm in via, tùm in patria, vel intellectus separatus; intellectus humanus conjunctus, & separatus in patria, eodem modo intelligit, quo Angelicus independenter à phantasmatibus: intellectus autem conjunctus in via, intelligit dependenter à phantasmatibus.

Quid nomine intellectus

NOTA 2. Non est dubium, quin corpus Christi Domini per fidem cognoscatur in Sacramento: imò & dæmones per fidem coactam, id est prementem illos tot miraculis, & effectibus, assentire huic mysterio, sicut & multis aliis, juxta illud, *Dæmones credunt & contremiscunt.*

Per fidem cognoscitur.

DICO 1. Non potest corpus Domini videri naturaliter pro statu viæ, vt est in Eucharistia, ab intellectu creato. Ratio est, quia intellectus pro statu viæ, non intelligit nisi ex sensibilibus: accidentia autem sensibilia sunt ei eodem modo præsentia, & omninò inuariata, postquam est corpus

Non potest videri intellectu creato naturaliter.

Christi Domini sub illis, sicut & antequam esset. Ergo hoc objectum eodem modo intelligit. Sed antequam Christus Dominus esset sub accidentibus, intellectus noster pro hoc statu non poterat illum intuitiuè videre, quandoquidem ibi non erat. Ergo nec postquam adest, potest illum intuitiuè videre.

Visio corporis Domini in Eucharistia non pertinet ad rationem objecti beatifici.

DICO 2. Visio corporis Christi Domini in Eucharistia, non pertinet ad rationem objecti beatifici. Probatur, quia corpus Christi Domini in Eucharistia, non est objectum beatificum, nec inclusum in objecto beatifico: sola enim essentia Diuina est objectum per se beatificum. Hinc,

COLLIGIT D. Subt: *loco citato n.* 10. Non videri necessariò existentiam corporis Christi Domini à beatis, in genere proprio, ex vi luminis beatifici, quia *minùs* inquit *hoc spectat ad beatitudinem, quàm visio ejus in verbo: nam lumen beatificum non transcendit naturam sui objecti primarij, quod est Deus in se, sicut neq; visio.* Ergo non extenditur ad aliquod objectum, ad quod non determinatur, aut mouet objectum beatificum; objectum autem beatificum, est ratio cognoscendi cognita, ideò vt mouet ad objecta secundaria, mouet ad ipsa, vt cognoscuntur in ipso cognito, seu ad ipsum vt primò cognitum.

DICES Fidei succedit visio. Sed existentia corporis Christi Domini in Eucharistia, est objectum fidei. Ergo &c. Respondeo visionem succedere fidei, quoad objectum primarium, non quoad omnia secundaria, aliàs beatus videret in Verbo conferri gratiam per baptismum, vel Sacramenta alia, hîc & nunc applicata, quod ex natura beatitudinis non deducitur.

Angelicus intellectus & separatus beatificus humanus potest videre corpus Domini.

DICO 3. Intellectus humanus, & Angelicus, tam separatus quàm conjunctus in alio statu, potest naturaliter videre existentiam corporis Christi Domini in Sacramento. Ita D. Subt. *loco citato n.* 7. Probatur 1. Modus accidentalis, non impedit cognitionem substantiæ, quæ est per se objectum intellectus: quia sicut ipsa habet priùs esse, ita & intelligibilitatem, ante illum modum. Sed præsentia Christi Domini in Eucharistia, est modus accidentalis substantiæ corporis Domini. Ergo &c. Confirmatur. Totum Ens creatum est objectum proportionatum intellectui; tam ad cognitionem intuitiuam, quàm abstractiuam; Ergo intellectus extendi potest, præsertim in alio statu in totum Ens creatum. Probatur. 2. Intellectus abstractus, & etiam conjunctus, in alio statu potest cognoscere præsentiam panis quando adest. Ergo & potest ejus absentiam cognoscere, quando abest: & quâ ratione potest cognoscere absentiam panis, potest cogno-

cognoscere præsentiam substantiæ corporis Christi Domini, quia corpus illud in se est proportionatum hujusmodi intellectui. Ergo modus ille accidentalis, quo tale corpus existit in Eucharistia, non impedit quin sit objectum visibile ab eodem intellectu.

Obiiciunt. 1. Aduersarii totam repugnantiam esse in eo, quòd hæc existentia sit supernaturalis. Respondeo, Gratia & virtutes infusæ sunt supernaturales, tamen videri possunt, & cognosci ab Angelis per naturalem virtutem, & species concreatas ipsis. *Deinde* supernaturalitas, non variat rationem rei in se formalem, quia est tantùm ordo ad Agens: quia substantia per se, est prior omni modo essendi, qui conuenit ipsi per accidens. Ergo & sic cadit sub cognitionem intellectus Angelici. Ergo & cognoscibilis est secundùm se, non obstante modo illo accidentali.

Gratia & virtus supernaturalis, cognoscibilis

Obiiciunt. 2. Cognitio fidei, est simpliciter eminentior omni cognitione naturali. Sed de existentia corporis Christi Domini in Eucharistia, est fides. Ergo de eadem nulla potest esse cognitio naturalis.

Respondeo. Esse fidem respectu nostri, qui tantùm intellegimus beneficio sensibilium, respectu verò intellectus separati, non esse istud auxilium supernaturale necessarium, quia viribus naturalibus hoc objectum attingitur: & sic & dæmones possent hoc mysterium cognoscere, si DEUS non occultaret illis.

Respectu Angeli non est fides.

Obiiciunt. 3. Futurum contingens non est cognoscibile ab intellectu creato. Sed hæc præsentia corporis *Domini* hîc, est futurum contingens. Ergo

Respondeo. Quòd futurum contingens, dum est contingens in sua causa non potest cognosci, concedo, postquam tamen contingenter positum est, in esse, nego: & sic intellectus separatus potest cognoscere corpus Domini, si jam continetur ibi.

Futurum contingens quomodo cognoscibile.

ARTICVLVS V.

An corpus Christi Domini existens in Sacramento possit videri oculo corporeo?

NOTA. Particulas istas, *vt existens in Eucharistia*, posse habere duplicem sensum, vel specificatiuum, quo significatur posse quidem videri corpus Domini vt hîc, oculo corporeo, non tamen secundùm modum, quo ibi existit: vel reduplicatiuum quô significatur idem corpus posse videri, & secundùm modum. Aliqui Theologi tenent, id fieri non

Sensus duplex vel specificatiuus, vel reduplicatiuus.

posse naturaliter, benè tamen per potentiam Dei absolutam, etiam secundùm sensum reduplicatiuum.

Oculo corporeo non potest videri naturaliter.

Dico 1. Videri non potest naturaliter corpus Christi Domini existens in Eucharistia, oculo corporeo. Ita D. Subtilis *in 4. d. 10. q. 9. n. 4.* Probatur Quidquid videtur oculo corporeo naturaliter, videtur sub pyramide, cujus basis est in re visa, & conus in oculo. Ergo corpus Christi Domini videretur sub tali pyramide, sed dari non potest basis pyramidis, sub qua corpus Christi Domini videatur, quia illa esset simul cum base pyramidis, sub qua videretur hostia: vbiq; enim est corpus Christi cum hostia; & tunc corpus Christi, & hostia, simul viderentur sub æquali angulo. Sed quæ videntur sub angulo eodem, videntur æqualia. Ergo corpus Christi videretur æquale hostiæ. Ergo videretur vt rotundum, quia basis sub qua videtur species hostiæ, est rotunda.

Per potentiam Dei posset videri.

Dico 2. Deus de potentia sua absoluta potest causare in oculo glorioso, vel non glorioso, visionem corporis Christi Domini, licet etiam nusquam esset nisi in Eucharistia; & sic efficere vt corpus Christi Domini, quatenùs existens in Eucharistia, videatur oculo corporeo, sumendo ly quatenùs specificatiuè. Probatur Quia visio, est forma absoluta *ex 1. dist. 3.* Ergo sine contradictione potest fieri sine respectu præsentialitatis ad objectum.

Cum modo non est visibile.

Dico 3. Corpus Christi Domini vt in Eucharistia, reduplicatiuè, includendo scilicet modum quo ibi existit, non est visibile etiam de potentia absoluta Dei. Probatur quia corpus vt hìc, non est causatiuum visionis, nec terminatiuum ejusdem, quia non potest habere approximationem ad organum, quia non est secundùm extensionem ad locum. Quòd autem non possit esse causatiuum, neque terminatiuum visionis, patet, quia tam causatio, quàm terminatio talis visionis, requirit in objecto causante, vel terminante primò dispositionem debitam, & id quidem secundùm locum, vt potè approximationem, & distantiam debitam.

Petes. *Quid judicandum de apparitionibus quæ in hoc Sacramento contingunt?* Respondeo si mutationes illæ sunt in organo, & non in speciebus, certum est remanere corpus Domini ibi; si verò in speciebus ita corrumpantur accidentia, non remanet. Item si apparitiones sint ad confirmationem fidei, remanet corpus Domini, si ad terrorem indignorum, non remanet.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

De Transsubstantiatione.

In hac Quæstione inquirenda sunt hæc.

1. An corpus Christi Domini sit in Eucharistia per transsubstantiationem.
2. An substantia panis transsubstantiatur in corpus Domini.
3. An panis ita conuertatur, vt nihil ejus remaneat.
4. An potuerit constitui in Eucharistia corpus Domini cum pane.
5. An ista transsubstantiatio panis in corpus sit productiua, vel adductiua.
6. An panis per conuersionem annihiletur.
7. An possibile sit Ens quodlibet conuerti in quodlibet.

ARTICVLVS I.

An corpus Christi Domini posſit esse in Eucharistia per transsubstantiationem, & cujus Agentis virtute?

Nota 1. Transsubstantiatio *est transitio totalis substantiæ in substantiam.* Ita D. Subt. *in 4. d. 11. q. 1.* Dicitur *totalis*; scilicet Syncathegorematicè, id est, totius, & omnium partium totius substantiæ in substantiam, non autem totalis cathegorematicè, sicut dicit Arist. 1. de Gener. t. 10. & 24. *Generationem esse mutationem totius in totum nullo sensibili remanente vt subjecto eodem:* quia in transsubstantiatione, nihil remanet termini à quo, in generatione autem manet materia, licet totus aliquis terminus per se vnus, ad distinctionem termini alterationis, qui nunquam est per se vnus, succedat alicui toti termini per se vni. Dicitur *substantiæ* ad distinctionem accidentis, mutatio enim accidentis in accidens transaccidentatio, non transsubstantiatio dicitur. *Transsubstantiatio quid sit.*

Nota 2. Transsubstantiationem non esse propriè mutationem, quia *mutari* juxta Aristotelem 6. Phys. t. 32. *est aliter habere se nunc, quàm priùs.* cùm igitur omnis mutatio, dicat subjectum, quod mutatur, & formam ad quam mutatur, & successionem immediatam informationis ad informationem, si transsubstantiatio admitteretur aliquo modo mutatio, hoc esset tantùm ratione alicujus successionis vnius ad aliud, scilicet corporis Christi Domini ad panem: potest tamen dici transsubstantiatio impropriè mutatio & habet quandam similitudinem mutationis illius propriè, quæ est à subjecto in subjectum. *Mutari quid sit.*

Dico 1. Transsubstantiatio simpliciter, ac consequenter panis in Christi Domini corpus, est possibilis. Probatur Quidquid potest esse totaliter *Possibilis est transsubstantiatio.*

liter nouum, non repugnat ei succedere alii, quod potest totaliter desinere: Sed aliqua substantia potest esse totaliter noua, etiam syncathegorimaticè, & alia potest eodem modo desinere. Ergo hæc potest totaliter succedere illi, totaliter desinenti, & consequenter hæc potest conuerti totaliter in illam, & ita transsubstantiari. Assumpta patent, quia nec totalis inceptio substantiæ, nec totalis desitio includit contradictionem, nec consequenter totalis inceptio hujus ad totalem desitionem illius, quæ transitio includit transsubstantiationem: Ergo simpliciter transsubstantiatio est possibilis, ac consequenter transsubstantiatio panis in corpus Christi Domini.

Virtute Diuina est possibilis.

DICO 2. Virtute solius Dei, vt agentis principaliter transsubstantiatio est possibilis. Patet ex *S.* August. lib. de corpore *D*omini c. 77. vbi dicit, *In mysterio corporis & Sanguinis Domini, nihil à bono majus, nihil à malo minus perficitur, sed in verbo perficitur creatoris, & virtute Spiritus Sancti &c.*

Ratio.

Probatur ratione, in cujus potentia actiua est vtrumq; extremum, & quantùm ad totum esse, & quantum ad totum non esse, est in ejus virtute actiua transitio vnius extremi in aliud. Sed esse totalis substantiæ, & non esse ejus, subsunt virtuti Diuinæ actiuæ, & soli illi, quia quælibet alia virtus requirit subjectum in quod agat. Ergo transitio totalis substantiæ in substantiam, subest soli virtuti *D*iuinæ.

Virtute creata quomodo est possibilis.

DICO 3. Virtute agentis creati, vt instrumentaliter concurrentis, est possibilis transsubstantiatio. Aduerte quòd D. *S*ubtilis *in 4. d. 13. q. 2.* agens instrumentale sumit, pro agente disponente & necessitante *D*eum ex pacto, ad constituendum corpus *C*hristi Domini in *S*acramento. Probatur Conclusio. Prolatio verborũ est actio instrumentalis, respectu conuersionis, seu confectionis corporis Christi Domini; & sic actione alicujus creaturæ,

Nota.

vt agentis instrumentaliter conficitur corpus *C*hristi *D*omini, non quidem, vt attingentis terminum, sicut aliqua instrumenta habent actionem instrumentalem attingentem terminum, sed eo modo, quo agens præuium dicitur agere instrumentaliter ad formam principalem, quam non attingit, & actio ejus ex eo tantùm dicitur instrumentalis, quia est præuia, & dispositiua.

Actio adductiua est de genere actionis.

DICO 4. Si transsubstãtiatio sit actio reproductiua, non potest dici actio de genere actionis, si verò sit adductiua tantùm, potest dici esse de genere actionis. Probatur quia actio de genere actionis est respectus extrinsecus transmutantis ad transmutatum, vel transmutabile, cui correspondet in passo respectus transmutati ad transmutans. At in transsubstantiatione

repro-

reproductiua, nullum est passum, quod transmutetur, sed est terminus reproductus, & sic talis transsubstantiatio, est respectus intrinsecùs aduenięns, sicut & omnis alius respectus, producentis ad productum, vel inducentis ad inductum.

ARTICVLVS II.

An substantia panis transsubstantiatur post consecrationem in corpus Domini?

NOTA I. D. Subt. *in 4. dist. 11. q. 3. n. 3.* tres refert hac de re opiniones: Prima est quòd panis maneat, simul cum corpore Christi Domini. Hanc tenuit Berengarius, & tenent Husitæ cum Lutheranis, qui dicunt non fieri Christum Dominum præsentem in Eucharistia per conuersionem vnius substantiæ in aliam, sed alio modo, quis autem iste modus sit non concordant: alij dicunt per vbiquitatem sed hoc asserere, est directè contra Sacras literas. *Surrexit non est hîc.* Matth. 16. Et Joan. 6. *Cùm vidisset turba quod JESVS non esset ibi.* Ratio est, quia quod vbiq; est non mouetur de loco in locum. Atqui Christus Dominus *ascendit in cælos.* Et iterum venturus est ad judicium. Deinde Minister Lutheranorum, quando alicui porrigit hostiam, non porrigit corpus Christi, sed nudũ panem: nam id quod porrigit mouetur ex manu ipsius in eos, & stomachum communicantis: corpus autem Christi, si vbiq; est, non potest ita moueri. Alii Lutherani dicunt, quòd sit præsens corpus Domini in Eucharistia per vnionem hypostaticam, id est per vnionem corporis Christi Domini cum pane, vt sentit Lutherus *lib. de capt. Babyl. cap. de Eucharist.* Sed non ad rem, nam vnio hypostatica non fit in natura, sed in persona, seu in hypostasi (ex eo enim vocatur hypostatica) Sed in Christo Domino non est nisi persona Verbi. Ergo nulla fieri potest vnio hypostatica, nisi in Persona Verbi, Sed vnio ista quam fingit Lutherus, non fit in Persona Verbi. Ergo non est vnio hypostatica. Alii vt Kemnitius, & alii recentiores Lutherani dicunt, quòd sit præsens per simplicem conjunctionem. Sed hoc non potest dici, quia verba illa *Hoc est corpus meum*, propriè intelliguntur, & non metaphoricè, vt nobiscum videntur sentire Lutherani. Deinde per pronomen *Hoc* designaretur panis, si non esset transsubstantiatio, & sic Lutherani sentiunt, cum Caluinistis. vel certè sensus esset verborum illorum *Hoc est corpus meum. Hic panis est propriè corpus Christi*, quod dici non debet. Quando enim duæ res distinctæ, ac disparatæ, non aliter quàm per simpli-

Errores Lutheranorum

cem conjunctionem vniuntur, tunc vna propriè, non potest dici altera: non enim *Aer est panis*, tametsi aer sit in pane, & cum pane, Ergo si corpus Christi Domini per simplicem tantùm conjunctionem, est in pane, & cum pane, non licebit dicere, *Corpus Christi Domini est panis, aut è contra.*

2. Opinio. Secundam opinionem refert D. Subt. ibidem, quæ asserit non manere panem, nec conuerti, sed desinere per annihilationem, vel corruptionem, vel resolutionem in materiam primam. Et hanc opinionem refutat *D.* Subt. *loco citato, n.* 8. Tertiam sententiam refert *ibidem n.* 13. non manere panem, sed conuerti in corpus Christi Domini. Cùm quâ.

3. Opinio.

Substantia panis conuertitur.

Dico. Factâ consecratione, non ampliùs manet substantia panis sub accidentibus, sed conuertitur, & hæc mutatur in corpus Christi Domini. Hæc Conclusio est de fide; definita in Concilio Romano sub Gregorio VII. contra Berengarium, Item in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & habetur *in cap. Firmiter de Summa Trinit.* sub verbo transsubstantiationis, & in Concilio Florentino in Decreto Eugenii, vbi dicitur, *substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in Sanguinem conuertitur.* Et in Trident. *Sess 13. c.* 4. his verbis *Quoniam Christus corpus suum, id quod sub specie panis offerebat verè esse dixit, ideò persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idq; nunc denuò Sancta hac Synodus declarat, per consecrationem panis, & vini, conuersionem fieri totius panis, in substantiam corporis Christi Domini nostri, &c.* Et ibidem *Canone* 2. Eos qui remanere panem & vinum, cum corpore Domini affirmant, anathematizat.

Authoritates SS. PP.

Probatur 2. Ex SS. PP. S. Cyprianus de cæna Domini inquit. *Panis non effigie, sed natura mutatus.* S. Cyrillus Hierosl. Catech. 3. Mystagogica ait *Hoc sciens ac pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur, non esse panem, etiamsi gustus sentiat panem.* S. August. qui citatur *de consecrat. d.* 2. *Fideliter fatemur ante consecrationem panem esse & vinum, quod natura formauit, post consecrationem verò carnem Christi, & Sanguinem esse, quod benedictio consecrauit.* S. Ambr. lib. 4. c. 4. inquit. *Non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi quod jam est corpus Christi.* Et S. Thomas D. Angelicus in Prosa de corpore Christi Domini, inquit, *Dogma datur Christianis, quòd in carnem transit panis, & vinum in Sanguinem.* Quæ verba S. Thomas dictante Spiritu Sancto protulit. Hæc cætus Lutheranorum in Congreg: Dresdnensi, negans transsubstantiationem, suadente diabolo abstulit, sensum, & rythmum corrumpendo. *Dogma datur Christiano, quod cum pane manet caro, & vinum cum Sanguine.* ô impuden-

pudentiam Lutheranorum. D. Subt. adducit rationes contra hæreticos. De Sacramentis id esse tenendum, quod tenet S. Romana Ecclesia. Sed ipsa tenet transsubstantiari panem in corpus, & vinum in Sanguinem. Ergo. Quo in loco allegat definitionem Ecclesiæ in Concilio Generali editam, nihil asserens, si ea veritas fuerit aliâs definita, vel non? Fundatur hæc veritas Catholica in illis verbis Matth. 26. *Hoc est corpus meum.* Licet enim D. Subt. *loco citato* dicat, quòd hæc verba non ita cogant, quin aliquis dicere posset, per pronomen *Hoc*, non demonstrandum panem si maneret, sicut nec per idem pronomen, nunc demonstrantur accidentia, sed contentum sub pane, scilicet corpus Domini, cùm etiam hoc pacto ista propositio potuisset esse vera, si Deus decreuisset panem mansurum cum corpore suo: tamen intellectus iste simpliciter falsus est, non enim Christus Dominus sic instituit, quia hoc Sacramentum sic institutum est, vt signatum eius non esset cum pane: sed solùm cum accidentibus, vt docet D. Subt. *loco citato n. 14.* Et subdit *n. 15.* quòd iste intellectus facilè concipitur ex verbis ipsis. Deinde accedit authoritas Ecclesiæ. *Eo enim Spiritu.* inquit D. Subtilis *exposita sunt scripturæ, quo conditæ.* Et inferiùs subdit. D. Subtilis. *Et ita supponendum est, quòd Ecclesia Catholica eo spiritu exposuit, quo tradita est nobis fides, spiritu scilicet veritatis edocta, & ideò hunc intellectum elegit, quia solus verus est. Non enim in potestate Ecclesiæ fuit facere istud verum, vel non verum, sed Dei instituentis: sed intellectum à Deo traditum Ecclesia explicauit directa in hoc, vt creditur spiritu veritatis.* Et licet verba illa possent detorqueri ad alium intellectum, tamen intellectus transsubstantiationis verus est, & hoc est quod intendit Trident. *Sess. 13. c. 4.* ex verbis Christi Domini, in Ecclesia Dei persuasum semper fuisse fieri transsubstantiationem panis in corpus Christi Domini, quasi scilicet Ecclesia Spiritu Sancto inspirata elegerit hunc sensum verborum, qui solus ex voluntate instituentis verus est. Confirmatur Si substantia panis maneret, vel annihilaretur, & non conuerteretur, veriùs diceretur, *Hic est corpus*, quàm *Hoc est corpus meum.* Sed hoc esset contra intentionem instituentis. Ergo.

Ex sacra Scriptura colligitur hæc veritas.

Eo spiritu exponitur scriptura, quo est condita.

Obiiciunt Hæretici; in Sacris literis hoc nomen transsubstantiatio non inuenitur vllibi. Ergo non debent eo vti Catholici. Respondeo Non inueniri nomen, sed benè rem, sicut nec ὁμοούσιον hoc nomen inuenitur, sed res.

ARTICVLVS III.

An ita totus panis conuertatur, vt nihil ejus nec physicum, nec Metaphysicum remaneat?

NOTA varias fuisse opiniones Scholasticorum circa hoc, alii enim tenuerunt formam panis remanere, alii materiam, alii existentiam, alii subsistentiam, &c.

Nec materia panis, nec forma manet.

DICO 1. Nec forma, nec materia panis manet post conuersionem. Probatur quia tantùm accidentia remanent, juxta Trident. *Sess. 13. cap. 4. Et Can. 2.* Ergo tota substantia conuertitur in totam substantiam. Ergo nec materia, nec forma manet. Patet specialiter de forma, quia forma dat esse rei. Ergo si forma panis remanet, esse panis remanebit, quod est hæreticum.

Quòd neque materia remaneat, probatur, quia transsubstantiatio, nihil aliud esset, quàm generatio, nam in generatione fit successio formarum, eadem manente materia. Sed in Sacramento hoc, ita se res haberet, si materia remaneret. Ergo esset generatio. Deinde materia panis & corporis Christi Domini, non est eadem numero materia, aliàs inquit *D. Subt.* sequeretur formam corporis Christi Domini esse in materia panis, ante conuersionem, quod est falsum.

Neque existentia manet.

DICO 2. Non remanet existentia panis. Patet quia existentia non distinguitur realiter ab essentia. Ergo si essentia panis non manet, neq; existentia. Confirmatur quia rem corrumpi, vel desinere, aut in alterius substantiam transire, nihil aliud est, quàm cessare existere. Sed hæc competunt pani in Sacramento. Ergo panis cessat existere, & consequenter post conuersionem non remanet existentia panis.

Neque subsistentia.

DICO 3. Neq; subsistentia remanet: nam subsistentia est modus aliquis correspondens propriæ entitati rei, cujus est modus. Ergo desinente propriâ illâ entitate, desinit & talis modus. Deinde multi tenent subsistentiam esse puram negationem. Ergo illa non remanet absente substantiâ.

Neque indiuidualis entitas.

DICO 4. Non remanet eadem indiuidualis entitas panis, quæ præfuit. Patet Quia non potest intelligi quomodo hic panis, & in singulari desinat, per hanc actionem Sacramentalem, & tamen indiuidualis ejus entitas remaneat post conuersionem. Deinde sequeretur non esse idem corpus Christi Domini in Sacramento, quòd est in cælo: nam corpus Christi Domini quod est in Sacramento, est ipsa entitas indiuidualis, quæ præfuit panis.

panis. Sed corpus Christi Domini in cælo, non est ipsa eadem entitas indiuidualis, quæ præfuit panis. Ergo corpus Christi Domini in Sacramento, non esset illud idem quod est in cælo.

ARTICVLVS IV.

An potuit constitui corpus Christi Domini in Eucharistiæ Sacramento, remanente substantia panis?

Nota 1. Circa hanc difficultatem est opinio S. Thomæ 3. *p. q. 75. a. 2. & in 4. dist. 11. q. 10. a. 1. & 4.* & ferè communis Thomistarum asserentium ex illis verbis, *Hoc est corpus meum*, apertè concludi panem non manere in Eucharistia, nam si finitâ consecratione maneret panis, non posset dici hoc quod in manibus habetur, esse corpus Christi Domini, sed solùm esse hîc corpus Christi Domini, quia pronomen *hoc* non designat locum, sed substantiam præsentem sub accidentibus contentam. *Porrò D.* Subt. *in 4. d. 10. q. 1. n. 4. Et dist. 11. q. 3. n. 5.* dicit has rationes non cogere, quia dato quòd substantia panis maneret, non demonstraretur substantia panis, sed contentum sub pane, sicut modò non demonstrantur accidentia, quia tunc esset propositio falsa. Sed est sensus, *Hoc Ens contentum sub isto signo sensibili est corpus meum.*

Dico 1. Certum est non potuisse corpus Christi *D*omini esse præsens in Eucharistia per hæc verba, *Hoc est corpus &c.* in eo sensu accepta, in quo à Christo Domino accepta sunt, absq; desitione panis. Probat D. Subt. *loco citato. n.* 9. quia primum significatum ex institutione Dei, denotat desitionem panis.

Dico 2. Corpus Christi Domini potuit fieri præsens in Eucharistia, remanente substantia panis. Ita D. *S*ubtilis *loco citato.* cum Richardo, & *D*urando. Sequitur *S*uarez. *3. p. d. 49. Sect. 1.* Et Vasquez. *disput.* 182. Probatur quia desitio panis, & positio corporis Christi Domini, sunt duæ mutationes, non necessariò inter se connexæ, ita vt panis necessariò debeat desinere, ex eo præcisè, quia sub accidentibus ponitur corpus Christi Domini. Ergo per potentiam absolutam, posset poni corpus Christi Domini cum pane. *D*einde si per potentiam Diuinam, duo corpora circumscriptiuè existentia, sese possent penetrare, multò magis Christi Domini corpus existens indiuisibiliter in Sacramento, poterit consistere cum substantia panis: & hoc tam actione substantiali reproductiua, quàm actione accidentali adductiuâ. *Potuit esse corpus Domini cum pane.*

Dices Relatio præsentiæ Christi Domini, quam habet in hoc Sacramento, fundatur in conuersione panis, ad corpus. Sed impossibile, vt sit relatio sine fundamento. Ergo etiam impossibile erit, vt sit præsens corpus Domini in Eucharistia, eo modo præsentiæ, quem nunc habet absque desitione panis.

Conuersio est remotum fundamentum. Respondeo. Quòd poterat DEVS si voluisset, in corpore Christi Domini producere modum præsentiæ Sacramentalis, sine conuersione, quia conuersio est remotum fundamentum præsentiæ, proximum autem est corpus Domini.

ARTICVLVS V.

An transsubstantiatio panis in corpus Domini, sit actio productiua, vel adductiua?

Conuersio tria requirit. Nota Ad conuersionem tres conditiones requiruntur. I. vt aliquid desinat. 2. Vt aliquid succedat in locum ejus. 3. vt sit connexio, & dependentia inter desitionem vnius, & successionem alterius, ita vt vnum desinat, quatenùs alterum succedat, & vi desitionis fiat successio; nam si non essent connexa, non esset vna actio, quæ sit transsubstantiatio, quæ debet esse inter terminos positiuos.

Probabilis est reproductiua actio. Dico 1. Probabilis est transsubstantiatio reproductiua. Probatur, non est difficile concipere corpus Christi Domini jam præexistens in cælo, reproduci in Sacramento; sicut enim conseruatio, quæ est actio substantialis, terminatur ad substantiam præexistentem, & constitutam jam in esse per creationem, ita actio illa conuersiua terminari poterit ad ipsummet esse substantiale, vt per ipsam reproductum in Sacramento: non quòd prima productio Christi Domini corporis, & ejusdem reproductio sint duæ actiones totales respicientes eundem terminum, vt vult Suarez, sed quia ista reproductio, est eadem actio realiter cum conseruatione ipsius corporis, atq; consequenter cum prima productione ejus, (conseruatio enim, & productio sunt vna realiter actio) hoc excepto quòd reproductio connotat desitionem panis. *Reproductio connotat desitionem panis.* Sicut enim Deus regulariter res conseruat ex nihilo, & agens naturale ex aliquo, quod conuertitur in conseruatum, Verbi gratia ignem ex ligno, quòd conuertitur in ipsum: sic conseruando corpus Christi Domini ex nihilo communi, & ordinaria conseruatione, ad effectum huius Sacramenti, potest illud idem conseruare ex aliquo, scilicet ex substantia panis mutata, & conuersa in ipsum.

Con

Consentit modus iste cum dictis *SS.* PP. qui dicunt corpus Christi Domini creari, & ex pane, vel de pane fieri, panem & vinum fieri corpus & Sanguinem Christi Domini: hæc enim omnia denotare videntur productionem substantialem, Ergo eam Sancti Patres in transsubstantiatione agnoscunt.

Dices Corpus Christi Domini ante consecrationem existit, quomodo ergo id quod existit producetur? Respondeo Quamuis corpus Christi Domini præexistat, nihilominùs per conuersionem accipit nouum esse sub speciebus Sacramentalibus; quare hæc conuersio productiua, non terminatur ad vbi, sed ad substantiam corporis Christi Domini; dependet tamen existentia corporis Christi Domini in Eucharistia, ab eiusdem existentia in forma naturali. *Licet præexistat tamen reproducitur.*

Dico 2. Transsubstantiatio adductiua est etiam probabilis, & facilis. Probatur, facilè est Deo constituere corpus Christi Domini in Sacramento, quod iam existit in cælo, nihil efficiendo circa ipsum, nisi nouam præsentiam ad species, sub quibus illud constituit, quia non repugnat Deo constituere vnum, & idem corpus in pluribus locis. Sed hoc modo adducitur corpus Christi Domini, non quidem deserendo illud vbi, quod habet in cælo, sed acquirendo nouum vbi in Sacramento, & hoc quidem ad desitionem panis, qui mutatur, & conuertitur in ipsum. Ergo conuersio adductiua est probabilis. *Probabilis est transsubstantiatio adductiua.*

Dices Terminus huius transsubstantiationis, non est substantia, vt substantia, sed tantùm præsentia. Ergo iuxta hanc sententiam transubstantiatio, non esset actio substantialis

Respondet *D. in 4. d 11. q. 3. art. 2. n. 23.* negando priorem propositionem, quia substantia corporis Christi Domini, succedit substantiæ panis; non enim panis conuertitur in præsentiam corporis Christi Domini, sed in ipsummet corpus Domini, licet sola præsentia in hac sententia habeat hîc esse de nouo. Hinc soluitur illud argumentum Suarez dicendo in hac sententia admitti tantum translationem, seu translocationem, non autem transsubstantiationem: nam si panis solùm recederet, & daret locum corpori Christi Domini esset tantùm translocatio, sed quia ita ponitur hîc corpus Christi Domini, vt ad positionem ejus desinat omninò panis, & in ipsum conuertatur, fit, vt non translatio solùm sed transsubstantiatio hîc intercedat. *Est verè transsubstantiatio.* *Non est translocatio.*

Dico 3.

Vtraque opinio saluat transsubstantiationem.

Dico 3. In vtraq; sententia valdè benè explicatur transsubstantiatio, seu conuersio panis in corpus Domini. Probatur sicut enim agens naturale producens aliquid de nouo, consequenter & secundariò, ita corrumpit aliud propter formas oppositas, quæ se simul compati non possunt, vt ipsum quod corrumpitur censeatur conuerti in productum; Ita Deus reproducens, vel adducens Christi Domini corpus in Sacramento, vi talis reproductionis, vel adductionis, ita destruit substantiam panis, vt illa dici debeat conuerti in corpus Christi. Ergo per vtramq; actionem sufficienter explicatur transsubstantiatio.

Confirmatur. Id quod corrumpitur dicitur transire & conuerti in productum, quia refertur ad illud tanquam ad causam suæ corruptionis, & ad id, quod sibi succedit in eodem subjecto. Ergo panis dicetur transire in corpus Domini, quia respicit illud tanquam causam suæ desitionis, & tanquam id, quod sibi succedit, sub iisdem accidentibus, siue illud corpus adducatur, siue reproducatur, nam si terminus ad quem alicujus conuersionis præexistat, perindè est ad rationem conuersionis alterius rei in ipsum, quòd reproducatur, vel adducatur iste terminus, quia æquè benè fieri potest conuersio vno atq; altero modo: tota enim substantialitas hujus actionis desumitur ex ipsa conuersione, quæ ea ratione est substantialis, quia verè substantia mutatur in substantiam, & substantia succedit substantiæ, siue substantia succedens præextiterit, siue non. Quare vbi terminus reproducitur, substantia succedit simpliciter substantiæ, sicut si in proposito reproducatur corpus Christi, idem corpus succedet simpliciter substantiæ panis, quia panis, & corpus Christi sunt duo termini incompossibiles, licet de potentia absoluta possint esse simul: vbi verò tantùm adducitur terminus succedens, succedit tantùm hîc, ad desitionem alterius desinentis hîc; vt si in proposito adducatur corpus Christi, idem corpus succedet hîc, pani existenti hîc: quia natura adductionis non habet aliam incompossibilitatem, cum termino cui succedit, quàm incompossibilitatem essendi hîc, licet etiam ipsam incompossibilitatem Deus virtute suâ absolutâ tollere possit, sed desitionem hîc, concomitatur desitio simpliciter ipsius panis, quem Deus non vult alibi conseruare; quo fit vt etiam conuersio, & successio adductiua sit substantialis; tum quia substantia panis non conuertitur in solam præsentiam corporis Christi Domini, sed in corpus ipsum vt hîc præsens: tum quia ad successionem Christi corporis hîc, desinit simpliciter substantia panis, licet tantùm consequenter, & concomitanter.

Nota.

Aduer-

Aduerte hîc conuersionem istam non esse denominationem aliquam realem, existentem propter formam realem in aliquo subjecto actualiter existente, sed esse denominationem rationis fundatam in desitione panis, & in corpore Christi, quod vi talis desitionis successit. *Conuersio qualis denominatio.*

ARTICVLVS VI.

An panis per conuersionem annihiletur?

NOTA 1. Aliud esse conuersionem vnius in aliud, aliud annihilationem, quia ad annihilationem 4. requiruntur, Primò vt non maneat aliquid annihilati, nec materia, nec forma, & per hoc differt à corruptione, in qua corrupti manet materia, 2. Quia terminus annihilationis ad quem, est negatio extra genus, quæ idem est quod omninò nihil, & per hoc etiam differt à corruptione cujus terminus ad quem est priuatio, quia ibi manet materia corrupti, apta nata recipere formam. 3. Quia in annihilatione nihil manet vtriusq; at in priuatione manet. 4. Quia priuatio non est ejus terminus ad quem. Et in his duobus vltimis conuenit annihilatio cum conuersione, in qua tria sunt. Primum est quòd nihil commune vtriq; termino manet. 2. quòd terminus ad quem, est negatio in genere inclusa in termino, scilicet in forma disparata. 3. est quòd priuatio non est ejus terminus ad quem. Vnde annihilatio, & conuersio conueniunt in hoc, quia sicut res quæ annihilatur omninò destruitur secundùm omnes partes suas, ita res quæ conuertitur in transsubstantiatione destruitur secundùm omnes partes suas. Differunt tamen primò, quia destructio in annihilatione, terminatur ad non esse omnino rei, destructio autem in conuersione terminatur ad esse rei, in quam fit transsubstantiatio. Secundò differunt, quia res quæ annihilatur, non destruitur per aliquam actionem, sed per hoc quod cessatur ab agente, sicut aer non tenebrescit per aliquam actionem, sed per hoc quod cessatur ab illuminatione: vnde annihilatio non est actio, sed cessatio à conseruatione rei; destruere autem rem, quæ conuertitur in transsubstantiatione est aliquid agere, & non cessare ab actione. *Aliud est conuersio aliud annihilatio.*

NOTA 2. Varias refert opiniones D. Subt. *in* 4. *d.* 11. *q.* 4 *n.* 3. 4. *&* 5. panem non annihilari. 1. est Henrici asserentis panem non annihilari, quia remanet aliquid panis post conuersionem. Sed contra primò, quia terminus à quo, & terminus ad quem sese mutuò excludunt. Sed corpus Christi Domini est terminus ad quem substantiæ panis. Ergo excludit quidquid erat panis, Ergo nihil ampliùs includit substantiæ panis. 2. Corpus

Christi Domini non variatur in suo esse substantiali post conuersionem, sed retinet pristinum esse. Sed ante conuersionem non includebat panem, vel aliquid ejus. Ergo nec post conuersionem. 3. Non potest intelligi aliquitas panis post conuersionem, nisi per illam panis sit aliquid post conuersionem, quod est erroneum.

Panis non annihilatur per actionem productiuam

Dico 1. Sustinendo transsubstantiationem fieri per actionem productiuam, panis non annihilatur. Ita D. Subt. *in Quodlib.* 10. Probatur 1. Quia in transsubstantiatione productiua, productio, seu reproductio corporis Domini respicit per se desitionem simpliciter panis, ita vt non modò ex institutione diuina, verũ etiam iuxta rigorem Philosophicum, termini illi se destruant, & sibi inuicem succedant, licet de potentia Dei absoluta, non sint incompossibiles, sicut nec termini generationis, & corruptionis, puta aqua & aer, quæ naturaliter se mutuò destruunt, & tamen de potentia absoluta possunt se simul compati. Sed hoc sufficit vt panis non dicatur annihilari, quemadmodùm nec vllus terminus à quo, cui per se succedit aliquis terminus annihilari dicitur. Ergo in transsubstantiatione productiua panis non annihilatur. 2. Terminus annihilationis est purum nihil, hoc est nihil termini à quo, manet in termino ad quem, nec negatio in aliquo apto nato, quæ dicitur priuatio, terminat eam; nec deniq; negatio in aliquo positiuo disparato, terminat eam, sed simpliciter negatio extra genus, scilicet extra omne positiuum, siue sit subjectum, quod dicatur priuatum secundùm illam negationem, siue sit disparatum, quod includat illam negationem, & in hoc annihilatio distinguitur à corruptione, nam in corruptione remanet vtraq; negatio, scilicet in subjecto apto nato, & in termino disparato. V. G. quando lignum corrumpitur, & ignis generatur, remanet materia, & succedit terminus, nempe ignis genitus: quo fit vt negatio ligni non sit omnino extra genus, sed in genere tantùm, seu propter subjectum aptum natum in quo remanet tanquam priuatio, seu propter terminum positiuum, qui succedit; quodsi corruptioni ligni, neq; succederet terminus, neque remaneret materia, negatio ligni esset negatio extra genus, proindequè annihilatio. Nunc itaq; ad propositum, desitio panis, non est annihilatio, quia negatio ejus non est omninò extra genus, sed in genere, non quidem propter subjectum in quo remaneat tanquam priuatio, quia hîc totus panis desinit, nec materia remanet in qua sit negatio panis, tanquam in subjecto apto nato, sed propter terminum, qui succedit nimirum propter corpus Christi Domini. Nec verò est quòd dicatur ter-

Cur panis non annihilatur.

minum illum ſe habere per accidens ad deſitionem panis, quocunq; enim modo ſe habeat, in hoc præcisè diſtinguitur negatio in genere à negatione extra genus, quòd negatio extra genus, nec ſubjectum habeat, nec terminum ſuccedentem, negatio autem in genere, vel vtrumque habeat, vt in corruptione, vel ſaltem alterum, ſcilicet terminum ſuccedentem, vt in hac panis deſitione.

Dico 2. In transſubſtantiatione adductiua, ſuſtineri poteſt annihilatio, idque conſiderando per ſe terminos illius; licet teneri quoq; poſſit non annihilari conſiderando eosdem terminos prout opponuntur tantùm, & ſibi inuicem ſuccedunt ex ordinatione *Dei*. Prima pars Probatur à D. Subtili *in 4. d. 11. q. 4. n.* 10. ſic Deſitio ſimpliciter panis in transſubſtantiatione adductiua per accidens ſe habet ad poſitionem corporis Chriſti Domini in Sacramento: nam termini transſubſtantiationis adductiuæ ſunt poſitio corporis Chriſti Domini hîc, & deſitio panis hîc. Ergo deſitio ſimpliciter panis, non fit per ſe virtute poſitionis corporis Chriſti Domini; nullus autem terminus eſt ad quem in transſubſtantiatione adductiua, quam poſitio corporis Chriſti Domini hîc. Ergo deſitio ſimpliciter panis per ſe nullum terminum ad quem reſpicit. Ergo juxta rigorem Philoſophicum, dici poteſt probabiliter in ea ſententia panis annihilari: non annihilatur tamen præcisè, & formaliter iſtâ conuerſione, ſed tantùm concomitanter, quia iſtâ conuerſione formaliter deſinit tantùm panis hîc, & non ſimpliciter, ideoque non annihilatur, ſed quia concomitanter, & conſequenter deſinit omninò & ſimpliciter, ideò etiam concomitanter, & conſequenter dici poteſt annihilari, quatenùs ſcilicet illa deſitio ſimpliciter per ſe nullum terminum reſpicit.

Deſitio panis per accidens ſe habet ad poſitionem corporis Domini.

Secunda pars Probatur, nam ex ordinatione Diuina, panis deſinit ſimpliciter ad deſitionem ejus hîc, quatenùs *Deus* alibi panem deſinentem non vult conſeruare. Sed deſitio hîc reſpicit per ſe poſitionem corporis hîc. Ergo ſaltem conſequenter, & ex ordinatione Diuina, deſitio ſimpliciter panis reſpiciet poſitionem corporis Domini hîc. Ergo ſaltem hac ratione dici poteſt panis non annihilari. Confirmatur Quia poſitio corporis Chriſti Domini hîc, includit negationem panis hîc contradictoriè, & conſequenter negationem panis ſimpliciter contradictoriè, id eſt negationem ejus quod fuit ſimpliciter, & non eſt ampliùs ſimpliciter. Sed hoc ſufficit ad tollendam rationem annihilationis. Ergo ſaltem hoc pacto panis non annihilabitur: & ſic ex ordinatione diuina, & conſequenter poteſt dici panis non annihilari.

ARTICVLVS VII.

An possibile sit quodlibet Ens conuerti in quodlibet.

Ad conuersionem quid requiritur.

NOTA Ad conuersionem sufficit, quòd vnus terminus alteri succedat, vi desitionis eius, ita vt successio vnius, respiciat desitionem alterius, tanquam proprium effectum, & vice versa desitio vnius, respiciat successionem alterius, tanquam propriam causam, siue illa successio fiat sub iisdem accidentibus, & in eodem loco, siue non: quare quoties DEVS assumit creaturam aliquam, vt ex ea faciat aliquid aliud, ita destruit ipsam, vt vi talis destructionis, aliud efficiat, & ita aliud efficiat, vt vi talis effectionis eam destruat, & hæc oppositio procedit ex voluntate Diuina, quâ vnum statuitur non conseruari alio succedente.

Deus non potest conuerti in creaturam.

DICO 1. Creatura non potest conuerti in Deum. nec è conuerso. Ita D. Subt. *in 4. dist.* 11. *q.* 2. Probat sic, Nihil potest conuerti, nec vt terminus à quo, nec vt terminus ad quem, nisi cuius, esse, & non esse totaliter subest virtuti conuertentis. Sed nihil intrinsecum Deo substat potentiæ Diuinæ: quia potentia actiua, non respicit pro obiecto nisi possibile; quid quid autem est Deo intrinsecum est, simpliciter necesse esse. Ergo.

DICES 1. Verbum Diuinum est terminus incarnationis actiuæ. Ergo Deus potest esse terminus alicujus actionis. Ergo non repugnabit Deitati terminare conuersionem creaturæ in ipsam. Confirmatur quia non repugnat Diuinæ naturæ terminare illam actionem realem, quæ non requirit in termino mutabilitatem, possibilitatem, nec finitatem. Sed transsubstantiatio est hujusmodi, quia non requirit terminum suum mutari, & consequenter neq; aliquam possibilitatem in termino, nec requirit addi aliquid termino suo, & per consequens nec finitum. Ergo.

Verbum Diuinum non est terminus actionis realis.

Respondeo. Negando Verbum Diuinum esse terminum incarnationis, licet enim Verbum Diuinum dicatur incarnatum, non tamen est terminus actionis realis, sed ita denominatur à relatione terminante relationem realem, quæ est in humanitate. Ad Confirmationem Dico quod contra immutabilitatem, necessitatem, & infinitatem est, quòd possit esse terminus actionis realis propriè dictæ de genere actionis, quæ requirit terminum per eam produci à causa actiua.

Creatura quælibet potest conuerti in quamlibet

DICO 2. Quælibet creatura potest conuerti in quamlibet. Probatur. Sicut enim Deus Angelum creat ex nihilo, ita potest eum producere, ex lapide: *Potens enim est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ.* Ratio est D. Subtilis, quia vterq; talis terminus, & quoad esse, & quoad non esse,

esse, subest omninò virtuti actiuæ Diuinæ, ita tamen vt inter vnam & alteram creaturam, non sit dependentia essentialis, qualis est V. G. inter animam, & humanitatem Pauli; nam anima Pauli non potest in ejus humanitatem conuerti, aliâs humanitas Pauli subsisteret destructâ animâ ejus, quod repugnat.

Obiicies S. August. *de Genesi ad literam c. 4.* Et Boetius *libro de duabus naturis, & vna Persona c. 7.* dicunt. Corpus non posse conuerti in spiritum, nec è conuerso.

Respondet D. Subt. Prædictos Authores hoc ideò asseruisse, quia plures sunt rationes repugnantiæ in conuersione spiritus in corpus, quàm spiritus in spiritum, vel corporis in corpus, tametsi hæc omnia subjaceant omnipotentiæ Dei. Respondet 2. P. Rada *in 4. Controuersia 6. art. 2.* ex D. *Explicantur authoritates.*
Subt. has authoritates intelligendas de conuersione formali, in qua subjectum commune manet, tali namq; conuersione corpus in spiritum conuerti non potest. Ergo non loquuntur de quacunq; conuersione possibili Deo.

QVÆSTIO VI.

De Accidentibus Eucharistiæ.

DE Accidentibus Philosophi multa tractant in Logica, & in Metaphysica; & ego in priori editione fusè egi de Accidentibus Eucharistiæ, proinde nunc in præsenti duo tantùm inquiram.

1. An accidentia in Eucharistia sint sine subjecto.
2. Vtrum accidentibus in Eucharistia competat aliqua actio, vel passio.

ARTICVLVS I.

Vtrum accidentia in Eucharistia sint sine subjecto.

Nota 1. Duplex esse subjectum accidentium, scilicet vltimò terminans, & non vltimò terminans. Deinde posse esse hîc difficultatem de accidente, vel absoluto, vel respectiuo. Porrò hæretici negant esse vllum accidens in Eucharistia sine subjecto; Catholici verò ab exordio Ecclesiæ tenuerunt accidentia manere sine subjecto.

Nota 2. Accidens sumitur vel pro per se significato, quod est inhærere, vel pro eo quod denominatur ab isto per se significato, quod est vel *Dupliciter sumitur accidens.*
absolutum, vt albedo, & nigredo, vel relatio, vt est paternitas, filiatio. Porrò inhærentia actualis non est de essentia accidentis sumpti pro per se denomi-

nato: V.G. inhærentia actualis albedinis ad suum subjectum, non est de essentia ejus, nec est idem realiter cum eo: Ita D. Subtilis *in 4. d. 12. q. 1. n. 5.*

Accidentia sunt sine subjecto.

Dico 1. Accidentia in Eucharistia sunt sine subjecto, præsertim quantitas. Est de fide: ita *Trident. Sess. 13. can. 2.* Probat D. Accidentia panis manent, vt patet, & non afficiunt corpus, quia illud non est quantum hac quantitate, sed quadam majore; nec figuratum hâc figurâ, sed figurâ corporis humani; nec est coloratum hoc colore, sed colore conuenienti corpori humano; nec accidentia ista afficiunt aerem, quia aer non est capax illorum, sunt enim accidentia corporis mixti, & repugnantia elemento; nec afficiunt substantiam panis, quia illa non manet. Ergo sunt sine subjecto.

Accidentia non recipiunt modum positiuum.

Dico 2. Accidentia separata non recipiunt modum aliquem positiuum per se existendi, similem modo existendi substantiæ, per quē hic existant sine subjecto, sed immediatè conseruantur à Deo extra subjectum. Ita *D. Subt. loco citato n. 3.* Probatur quia non est aliquod fundamentum ab experientia, ratione à priori, vel posteriori, aut ex fide vrgens, dari istum modum positiuum perseitatis in quantitate, & omnia saluantur, quæ fides, & ratio exigit, sine tali modo. Ergo non datur talis modus. 2. Modus iste positiuus est impossibilis, nam non potest aduenire accidentibus eorum inuariata natura: modus enim positiuus substantiæ, repugnat accidenti.

Accidens non recipit virtutem supernaturalem.

Dico 3. Accidenti separato in Eucharistia non tribuit Deus aliquam virtutem supernaturalem, per quam possit esse sine subjecto, & sine ea non posset. Probatur, quia tunc naturaliter accidens esset sine subjecto, quod est falsum. Sequela patet. Licet aliqua virtus alicui supernaturaliter detur, tamen postquam inest, naturaliter est habenti eam, habere vsum ejus, ad quem datur: sicut cæcus licet supernaturaliter illuminetur, illuminatus tamen supernaturaliter videt. Ergo licet sit miraculum in primo instanti separationis istorum accidentium, & conseruationis sine subjecto, quia tunc confertur accidenti ista virtus, tamen postea per istam virtutem esset naturaliter sine subjecto.

Accidentia sunt sine subjecto vltimatè terminante.

Dico 4. Omnia accidentia quæ fuerant panis, sunt in Eucharistia sine subjecto vltimatè terminante eorū dependentiam; sunt autem in subjecto nempe in quantitate non tamen vltimatè, sed proximè vt immediatè terminante dependentiam eorum. 1. pars patet, quia ibi non est substantia cui inhæreant. Ergo &c. 2. pars probatur, quia omnia alia accidentia in Eucharistia sunt in quantitate, quæ non est vltimatū eorum subjectum, nam cum inhærebant substantiæ, ei inhærebant media quantitate,

At

At dum sunt separata, tantùm ablata est ab eis inhærentia ad substantiam, non verò ad quantitatem.

Dico 5 Quantitas quæ fuit panis, manet in Eucharistia sine subjecto quocunq; modo sumpto, ita vt priuetur inhærentia actuali, qua panis substantiæ inhærebat, neq; inest alij substantiæ. Patet quia quantitas manet, & substantia panis destructa est. Ergo inhærentia quâ pani inhærebat, non manet, quia implicat destructo subjecto, manere inhærentiam accidentis ad ipsum.

Dico 6. Licet in Eucharistia sit qualitas in subjecto: absolutè tamen posset esse sine subjecto. Patet quia qualitas in Eucharistia est extensa, non est autem extensa intrinseca extensione, sed extrinseca ratione quantitatis. 2. pars constat, quia magis conuenit non esse in subjecto absoluto, & magis perfecto, quàm minùs perfecto. Sed qualitas est Ens absolutũ, & magis perfectum, est enim principium agendi, & nobilioribus substantiis nobiliores correspondent qualitates, vt probat. D. Sub. *in 4. d. 10. q. 2. n. 9.* *Qualitas est in subjecto.*

ARTICVLVS II.

Vtrum accidentibus in Eucharistia competat aliqua actio, vel passio?

In hoc Articulo de triplici actione est controuersia, nimirum circa substantiam tam generandam, quàm corrumpendam. *D*einde circa accidentia tùm immutanda, tum corrumpenda. Tandem circa actionem circa sensum, & intellectum immutandam, quæ omnia D. Subt. examinat *in 4. d. 12. q. 3. 4. 5.* *Actio varia*

Dico 1. Accidens non potest esse principium effectiuum principale generandi substantiam; neq; instrumentale. 1. pars patet, Quia omne agens totale immediatum, vel est vniuocum, respectu producti, vel æquiuocum? si vniuocum est æquè perfectum producto. Si æquiuocum est perfectius. Sed accidens non est perfectius substantiâ, neq; æquè perfectum. Ergo nullo modo potest esse principium actiuum producendi substantiam principaliter. 2. pars constat, quia quod non est, nullam rationem causæ habet respectu geniti quando generatur; quia causa in actu, & effectus in actu sunt simul, & non sunt. 5. *Metaph. de causa*, quia non ens quando non est, nihil causat, in quocunq; ordine causandi; substantia autem, quam hoc accidens affecit, & cujus erat accidens jam non est. Ergo nullam rationem habet causæ propinquæ, vel remotæ, respectu effectus causati ab accidente, & consequenter non causat aliquid in vir- *Accidens non producit substantiam.*

in virtute ejus, tanquam in virtute causæ superioris. Confirmatur. Accidens non potest agere substantialiter circa substantiam, nisi agendo præuiè dispositiuè, respectu termini substantialis principaliter producendi à substantia. Sed hîc nulla est substantia, quæ terminum aliquem producat. Ergo accidentia hîc non agunt præuiè dispositiuè.

Accidentia separata possunt agere in sensum.

DICO 2. Accidentia separata possunt habere eandem actionem in sensum, scilicet intentionalem, & realem in passum susceptiuum, quam poterant habere conjuncta. *Patet*, quia cujuscunq; actionis aliqua forma est totale principium, illa si esset per se sub modo conuenienti ad agendum posset esse principium ejusdē accionis. Sed qualitas est principium formale, & totale vtriusq; actionis prædictæ. Ergo si per se esset, posset esse principium vtriusq;, maximè si esset sub modo conuenienti ad agendum: Sed qualitas separata est principium tale, & sub modo conueniente actioni, quia est in quantitate extensa, & sub modo extensiuo, qui est conueniens prædictæ actioni. Ergo.

Accidentia separata alterare possunt.

DICO 3. Accidentia separata alterare possunt accidentia contraria, tam in subjecto, quàm extra subjectum existentia. Patet, quia accidentia sacramentalia frigefaciunt, vel calefaciunt, si sint frigidæ, vel calidæ, illa enim forma est principium agendi quæ secluso quolibet alio agit, & assimilat sibi passum. Sed species Sacramentales sunt tales, sunt enim sicut & reliqua accidentia principium totale suæ actionis, ac insuper existunt sub modo conuenienti.

Qualitates corrumpi possunt.

DICO 4. Qualitates Eucharistiæ, quarum transmutatio non requirit aliam quantitatem, corrumpi possunt per actionem agentis naturalis. Patet, Quia illæ habent subjectum commune manens, scilicet quantitatem in quam induci possunt, & expelli.

Virtute agentis naturalis potest desinere Eucharistia.

DICO 5. Per actionem agentis naturalis potest desinere esse Eucharistia. *Patet*, quia Agens naturale potest corrumpere qualitates illas panis in quantitate ejus separata existentes, sine quibus non conseruatur Eucharistia, quia Deus statuit sub illa non esse corpus Christi Domini, nisi quamdiu ibi posset esse naturaliter substantia panis. Et verum quidem est, quòd quantitas illa non corrumpitur ab agente naturali, sed solùm inducit qualitates, cum quibus substantia panis non conseruatur.

PETES I. *An omnis motus, vel mutatio, quæ fit in speciebus consecratis fiat sine subjecto?*

Species con-

DICO 1. Species consecratæ mouentur ad vbi, cujus motus subjectum

ctum est quantitas. Ita D. Subt. *in 4. d. 12. q. 4.* 1. pars patet, quia videmus species consecratas moueri sursum & deorsum. 2. pars patet, sicut enim vbi in esse quieto, necessariò est in quantitate, vt in proprio subjecto, ita vbi fluens necessariò est in eadem quantitate. Ergo motus specierum ad vbi non fit sine subjecto.

secrata mouentur ad Vbi.

DICO 2. Species consecratæ mutantur ad qualitatem, comitante quantitate. V. G. quando mutantur per rarefactionem, vel condensationem, & iste motus fit sine subjecto: vnde etiam causatur à solo Deo, non autem ab agente creato. Hæc conclusio supponit dicta philosophica duo. Primum rarefactionem, & condensationem esse motum ad qualitatem comitante quantitate; deinde rarefactionem nunquam fieri sine acquisitione alicujus nouæ quantitatis, sicut nec condensationem sine deperditione veteris quantitatis.

Mutantur ad qualitatem.

DICO 3. Potest hîc fieri motus ad quantitatem simpliciter, non tamen propriè secundùm augmentum, & diminutionem, sed secundùm diuisionem & appositionem, idq; non sine subjecto. Ita D. Subt. *loco citato num. 25.*

Etiam & ad quantitatem.

PETES 2. *An redeat aliqua substantia, dum corrumpuntur species Sacramentales.*

DICO 1. Necessariò debet aliqua substantia redire corruptis speciebus non enim sufficit sola quantitas, quæ subsit formæ substantiali. Ita D. Subt. *d. 12. q. 6. n. 8.*

DICO 2. In tali casu non redit substantia panis, & vini. Patet, quia vel substantia panis rediret ante corruptionem specierum, vel in vltimo instanti corruptionis, tanquam succedens ipsi corruptioni, vel certè simul ad corruptionem ipsam in fieri. Sed nihil horum. Non primum, quia vel desineret ibi corpus Christi Domini ante corruptionem specierum, quod est contra communem sententiam, vt simul esset cum substantia panis, quod est falsum, quia esse corporis sub speciebus de facto includit non esse panis sub speciebus; neq; vlla necessitate agentis aut actionis, redit antequam species desinant, quia sicut prima pars motus, ita & reliquæ vsq; ad terminum possunt fieri dependentèr à subjecto priori nempè quantitate.

Quid redeat post corruptionem specierum.

DICO 3. Substantia rediens non sumitur à corpore aliquo circumstanti. Patet quia tunc necessarium esset Deum immediatè corrumpere substantiam corporis circumstantis, postea materiam illius in instanti transferre de loco ad locum, quod est multiplicare miracula sine necessitate. Deinde

Non materia redit.

inde neceſſarium eſſet ad deſitionem Euchariſtiæ ſemper aliquid corrumpi ex his inferioribus, vt ex eorum materia ſupponeretur aliquid accidentibus Euchariſtiæ, quoties ipſa corrumperetur, & ſic oporteret dicere deeſſe nunc in his inferioribus totam illam materiam, quæ hactenùs per conſecrationem transſubſtantiata eſt, quod eſt inconueniens.

DICO 4. Manente Euchariſtia, nulla ſubſtantia de facto redit. Patet quia dum manet Euchariſtia, non eſt ibi ſubſtantia, niſi ſubſtantia corporis Chriſti, accidentia enim manent ſine ſubjecto; cum neutrum iſtorum eſſet verum, ſi ſubſtantia alia rediret. Ergo manente Euchariſtia nulla ſubſtantia redit.

Redit ſubſtantia compoſita.

DICO 5. Dum corrumpitur Euchariſtia ad corruptionem ſpecierum Sacramentalium; redit de facto ſubſtantia compoſita, quam accidentia corruptiua efficiunt in ipſo corruptionis inſtanti; & hoc virtute Diuina immediatè. 1. pars patet, quia Deus ſtatuit ſpecies Sacramentales manere ſine ſubjecto, & conſequenter in ipſo inſtanti corruptionis redire debet aliqua ſubſtantia, quæ eis ſubſternatur. 2. pars conſtat, quia non debet poni alia ſubſtantia, quàm illa, quæ poteſt affici nouis accidentibus; ſed ſola ſubſtantia completa ex materia & forma conſtituta, poteſt illis nouis accidentibus affici, ſequuntur enim illa accidentia totum compoſitum, non verò materiam, quæ ſeorſim non eſt capax eorum. Ergo illa ſubſtantia rediens debet eſſe completa. 3. pars eſt clara, quia nullum aliud agens à Deo habet virtutem actiuam ſufficientem ad reproducendam ibi nouam ſubſtantiam illam, cum enim producatur ex corruptione accidentium, & agens naturale ex corruptione accidentium nihil generet. Ergo quando redit illa ſubſtantia, redit immediatè virtute Diuina, ſupplente in eo caſu naturalium agentium impotentiam.

Virtute Diuina redit.

PETES 3. *An quoties corrumpitur Euchariſtia, corpus Chriſti D. aliquid amittat?*

DICO 1. Corpus Domini ex corruptione ſpecierum mutatur realiter: quia ex præſentia hîc, tranſit corpus Domini ad non præſentiam hîc. Ergo tranſitus talis non poteſt abſq; mutatione reali.

Corpus Domini mutatur.

DICO 2. Mutatio iſta, eſt tantùm deperditiua præſentiæ Sacramentalis, quæ nihil eſt aliud, quàm relatio extrinſecùs aduenieus, quæ aſſimilatur aliquomodò mutationi locali, differt tamen ab ea, conſtat ex Quæſt. tertia.

QVÆ-

QVÆSTIO. VII.

De Causa Efficiente, & Ministro Sacramenti Eucharistiæ?

1. Quæram hîc Quæ sit Causa efficiens Sacramenti Eucharistiæ.
2. An creatura possit conuertere panem in corpus Christi D.
3. An solus, & quilibet Sacerdos sit minister Eucharistiæ.
4. Quis sit Minister dispensationis Sacramenti Eucharistiæ.
5. Qualis dispositio requiratur in Sacerdote Eucharistiam administrante.
6. An alia dispositio præter gratiam requiratur in administrante Eucharistiam.

ARTICVLVS I.

Quæ sit causa Efficiens Sacramenti Eucharistiæ?

DICO 1. Certum est actione Diuinâ Eucharistiam effici principaliter, difficultas verò est; An quando Deus conuertit, panem in corpus Christi Domini, sit ibi actio de genere actionis? Et concludit D. Subt. non esse propriè actionem, vt est relatio extrinsecùs adueniens, sed est actio in Deo, vt dicit relationem rationis, adeò vt conuersio, quâ Deus conuertit substantiam panis in corpus Domini, non ponat in Deo, nisi relationem rationis; quemadmodùm creatio, quâ Deus creaturam producit, non est in Deo, nisi relatio rationis, vt probat *D. Subt. in 1. d. 30. & in 2. d. 1. q. 2.* An autem sit hæc actio correspondens actioni de genere actionis; si teneatur, quòd in conuersione panis sit actio productiua, tunc non est de genere actionis, sed est productio: si verò teneatur in conuersione esse actionem adductiuam, tunc talis actio in Deo, correspondet actioni propriè dictæ; quia in hac admirabili conuersione reperitur vera passio de genere passionis, nam corpus Christi Domini recipit nouam præsentiam, quam priùs non habebat, cui correspondet proportionalis actio, id est, per quandam similitudinem, & est relatio rationis. *In Deo qualis est actio.*

DICO 2. De Actione multa D. Subt. tractat *in 4. d. 13. q. 1.* Vtrum sit genus distinctum contra nouem genera prædicamentorum, & concludit actionem propriè dictam esse genus distinctum, neque esse formam absolutam, sed esse respectum extrinsecùs aduenientem. Ibidem inquirit an actio sit in agente, vel in passo; & concludit, quòd in agente. Tandem inquirit, an relatione aliquid producatur? Et respondet 1. Quòd relatione aliquid producitur, prout ablatiuus construitur in ratione formæ proximè denominantis: nam productum formaliter producitur produ- *Quid sit actio. Est in agente. Relatione an aliquid producitur.*

 ctione

ctione passiuâ, quæ est relatio; & producens aliquid producit formaliter productione actiuâ, quæ est relatîo, & principium quo. Respondet 2. quòd relatione nihil producitur, prout ablatiuus construitur in ratione principii remoti formalis, nam principium fundamentale quo producendi, est forma, seu natura producentis; ignis enim non calefacit fundamentaliter calefactione, sed calore, nec calidum fit fundamentaliter calidum calefactione passiuâ, sed caliditate, vel calore producto, sicut ignis non generat ignem fundamentalitèr generatione, sed suâ formâ substantiali, vel igneitate, Ita D. Subt. *loco citato n. 21.*

ARTICVLVS. II.

An creatura possit conuertere panem in corpus Christi Domini?

Creatura non potest principaliter conuertere.

Dico 1. Creatura non potest in hanc conuersionem, vt agens principale. Ratio est, quia in eam non potest nisi agens, cujus virtuti actiuæ totaliter subest esse, & non esse, vtriusq; extremi. Sed nullum creatum est hujusmodî, quia quodlibet præsupponit aliquam partem ipsius termini à quo, & ad quem, vt ostensum est supra. *Q. 6.*

Potest instrumentaliter moraliter.

Dico 2. Creatura est causa instrumentalis dispositiua moralis, non Physica, conuersionis Eucharistiæ. Ita D. Subt. *loco citato. n. 40.* Probat vniuersaliter, quia sicut in omnibus Sacramentis, minister est agens quodam dispositiuum: actio autem sua, est actio instrumentalis respectu actionis principalis agentis, eo modo aliqualiter, quo sectio est ad formam scamni, quia ad illam sequitur, regulariter illa forma ex ordine agentis principalis. Ita in proposito prolatio verborum, posset dici actio instrumentalis respectu conuersionis corporis Christi Domini; quia ad illam prolationem, sequitur regulariter illa forma ex ordine agentis principalis. Ita in proposito prolatio verborum, posset dici actio instrumentalis respectu conuersionis corporis Christi Domini; quia ad illam prolationem sequitur regulariter confectio corporis Christi Domini. Et sic actione alicujus creaturæ, vt agentis instrumentaliter, conficitur corpus Christi Domini, non quidem vt attingentis terminum, sicut aliqua instrumenta habent actionem instrumentalem attingentem terminum, sed eo modo, quô agens præuium dicitur agere instrumentaliter ad formam principalem, quam non attingit, & actio ejus dicitur instrumentalis, quia dispositiua, & præuia.

Dices. Instrumentum non habet intentionem, vt est instrumentum.

tum. Sed Sacerdos habet intentionem respectu Eucharistiæ. Ergo Sacerdos non est causa instrumentalis Eucharistiæ. Respondet D. Subt. *loco citato. n. 41. ad vltimum.* quòd actio instrumentalis agentis, accipiendo instrumentale agens pro dispositiuo, benè requirit intentionem propriam in illo agente, siue sit naturale, vt in calore alterante, benè est intentio propria, licet sit agens instrumentale respectu ignis generandi, hoc est dispositiuum ad illud, siue agens per intellectum: quia ibi instrumentum requirit determinatam actionem humanam, quæ ordinatur ad actionem principalis agentis, & talis vniuersaliter est actus ministri in dispensatione Sacramentorum: hoc idem docet, *in 4. d. 6. q. 5. num. 6.*

Et hinc sequitur, quòd minister habens actionem propriam humanam præuiam actioni Diuinæ, tanquam dispositionem necessariam non simpliciter, sed ex ordinatione Dei paciscentis cum Ecclesia, quòd ad talem actum ministri faciet talem actum sibi proprium, est instrumentum Dei.

ARTICVLVS III.

An solus, & quilibet Sacerdos proferens verba consecrationis, cum intentione debita, & circa materiam conuenientem, possit efficere Eucharistiam?

Dico I. Solus Sacerdos est minister proprius hujus Sacramenti. Ita D. Subt. *in 4. dist. 13. q. 2.* estq; communis omnium Theologorum. Probatur 1. ex illo *extra de Summa Trinitate & fide Catholica*, vbi dicitur. *Hoc Sacramentum nemo potest conficere, nisi Sacerdos qui ritè fuerit ordinatus secundùm claues Ecclesiæ.* Fundamentum hujus conclusionis sumitur ex illo Matth. 26. *Hac quotiescunq; feceritis &c.* Vnde Trident. Sess. 22. c. 1. inquit. *Sub earundem rerum Symbolis, Apostolis, quos tunc noui testamenti Sacerdotes constituebat, vt sumerent tradidit, & eisdem, eorumq; in Sacerdotio, successoribus, vt offerrent, præcepit per hac Verba. Hoc facite in meam commemorationem.* Deducitur & ex 1. ad Corinth. 10. *Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est?* vbi ponderando illas particulas, *quem frangimus*, scilicet nos Apostoli, & Discipuli Christi Domini; si enim quilibet fidelis posset Eucharistiam conficere, non oporteret aliquem institui, qui eam aliis frangeret, sed quilibet posset de suo Sacrificio communicare. Congruentias afferunt Theologi. *Solus Sacerdos est minister Eucharistiæ.*

Prima est, sicut enim inter Angelos, inferiores illuminantur à superioribus, *Congruentiæ*

... solus Sacerdos minister.

ribus, ita in Ecclesia oportet inferiores reduci ad Deum, per Prælatos, & Sacerdotes conficientes & ministrantes Eucharistiam, quæ est vinculum fidelium cum Christo Domino, & Deo. 2. Sicut inquit D. Subt. ab anima mediante corde, deriuantur virtutes ad cætera membra; & in republica actus principales pertinent ad personas digniores, ita rationabile fuit actum illum conficiendi Eucharistiam, residere apud illum, qui est principalis in Ecclesiastica Hierarchia, qualis est Sacerdos.

Cur non omnis fidelis potest conficere.

Dices. Quilibet fidelis potest sumere Eucharistiam. Sed sumptio est finis consecrationis, & per consequens est simpliciter quid melius, & nobilius. Ergo æquè, vel magis poterit quilibet fidelis Eucharistiam conficere: non ergo solus Sacerdos. Respondeo non esse parem rationem de sumptione, & confectione, quia sumptio est quid melius, quoad vtilitatem, non verò quoad potestatem, vnde Christus omnibus præcepit sumptionem, Joan. 6. *nisi manducaueritis &c.* paucis tamen commisit potestatem conficiendi, quia non fuit necessarium illam omnibus committere, sed satis fuit eum in quibusdam residere.

Lutheri turpis error.

Collige 1. Lutherum turpissimè errâsse *lib. de missa priuata, & vnctione Sacerdotis*, asserentem quemlibet Laicum, imò & dæmonem validè posse consecrare, si verba integrè super legitimam materiam proferat.

Nunquam potest confici à non Sacerdote.

Collige 2. In nullo casu necessitatis, posse hoc Sacramentum confici à non Sacerdote. Ratio est, quia potestas ad hoc Sacramentum, & Sacrificium est supernaturalis, & datur in consecratione Sacerdotis. Sed sine potestate, non potest actio exerceri. Ergo

Angelus non potest.

Collige 3. Angelum Eucharistiam conficere non posse. Ratio est, tum quia à Christo Domino potestas non est ei collata, neq; concessa.

Omnis Sacerdos potest

Dico 2. Omnis Sacerdos cujuscunq; gradus & conditionis existat, potest Eucharistiam conficere. Probatur à D. Subtili ex quadam propositione Canonis, vbi dicitur quòd ille, qui non potest Baptismum amittere, non potest etiam amittere jus baptisandi. Ergo, inquit à simili, qui ordinem Sacerdotalem non potest amittere; nec jus conficiendi Eucharistiam potest amittere; Sed nullus Sacerdos potest amittere potestatem Sacerdotalem, quia character est indelebilis; Ergo nullus qui non est Sacerdos potest Eucharistiam conficere.

Petes 1. *An degradatus possit conficere?*

Degradatus potest.

Respondeo affirmatiuè: quia nullus degradans potest auferre characterem, nec conceditur quòd si quis potest ministerialiter aliquid conferre; possit

possit etiam ministerialiter auferre; quia Deus non eum similiter instituit ministrum in collatione, & in ablatione, & tunc illa Regula 7. *Ethic. c. 8. faciliùs est destruere, quam construere*, non admittitur in ministerialiter agentibus, pro quibus adduci potest illud. 2. ad Corinth. c. vltimo. *Non dedit nobis Deus potestatem in destructionem, sed in ædificationem.*

PETES 2. *An Hæreticus, & Schismaticus verè Sacerdos, præcisus ab Ecclesia possit conficere?*

Respondeo posse, modò habeat intentionem faciendi, quod Christus Dominus instituit, & quod facit Ecclesia. Hinc colligit D. Subt. Duo absolutè esse necessaria sine quibus nulla posset esse consecratio. Primum, quòd Sacerdos possit proferre verba consecrationis. 2. Quòd possit habere intentionem debitam faciendi, quòd facit Ecclesia. *Hæreticus verè Sacerdos potest.*

DICO 3. Non quilibet Sacerdos potest ordinatè conficere. Probatur breuiter hoc discursu D. Subt. Supposito quòd Sacerdos habeat conuenientem materiam, possit verba proferre etiam cum intentione debita, potest adhuc habere quædam impedimenta, quibus retinetur, ne ordinatè, & debitè conficiat; illa autem sunt in multiplici differentia; sunt enim vel culpa tantùm, vel pæna tantùm, vel nec pœna, nec culpa. De impedimento culpæ patet ex dictis, & patebit adhuc ex dicendis infra. De impedimento quòd nec est culpa, nec pœna, quando nimirùm aliquis non est ieiunus ieiunio corporali, dicetur infra. Restat ergo hîc videre de impedimento quòd est pœna, nulla tamen talis pœna est naturalis, siue, in corpore, siue in anima, quia pœna naturalis; non simpliciter impedit, sed tantùm pœna Canonica, vel pœna naturalis, quatenùs super eam fundatur pœna Canonica. *Pœna autem Canonica est aliqua prohibitio actus exercendi, vel gradus recipiendi, qui aliàs competeret non prohibito.* Porrò Pœnæ Canonicæ multæ sunt, vt est irregularitas, degradatio, excommunicatio maior, suspensio, simonia, infamia, hæ pœnæ explicatæ sunt à me in *Disput: de pœnit: Quæst. 10. in fine.* Porrò ad infamiam reuocatur peccator publicus, concubinarius, vsurarius &c. Porrò pœnæ Canonicæ fundantur super defectus naturales, non enim voluit Ecclesia quascunq; Personas defectuosas ministrare in altari, & in veteri lege prohibebantur Leuit. 21. *Qui habuerit maculam, non offeret Deo suo panem, nec accedet ad ministerium eius.* Ergo multò magis in noua lege: tùm propter reuerentiam Sacramenti; tùm ad vitandum scandalum pusillorum, vt habetur. *Extra de corpore vitiatis; & dist. 33.*

Non quilibet Sacerdos potest ordinatè conficere.

Pœna Canonica quæ.

QVÆ-

QVÆRES. *An plures Sacerdotes poßint eandem hostiam consecrare?*

Prima opinio affirmat. Fundamentum est, vnum effectum à pluribus causis totalibus moralibus posse produci est possibile. Confirmatur. Quâ enim ratione ad prolationem verborum ab vnico, Sacerdote Deus inuisibiliter operatur, ita ad prolationem eorundem verborum à pluribus Sacerdotibus, potest Deus inuisibiliter operari, illud enim omninò dependet, ex suo beneplacito: nec est virtus aut qualitas aliqua impressa verbis, per quam physicè talem effectum producant, sed solùm ex pacto Diuino ad eorum positionem & prolationem, Deus ipse talem effectum producit.

Plures Sacerdotes an poßint consecrare, quidam affirmant.

2. Opinio est negatiua

Secunda opinio est negatiua. Plures Sacerdotes non consecrare, neq; verba proferre cum intentione consecrandi. Sed tantum ad notandam potestatem illam esse sibi traditam, & ad recipiendam formam, quâ deinceps consecrare debent. *Ita Richar. in 4. d. 13. art. 2. q. 1.* Quem sequuntur *Suarez. 3. p. d. 61. Sect. 4. & alii multi.* Probatur quia ridiculum esset Episcopum, qui sacrificat in illa cæremonia nihil efficere, quòd certè contingeret, si præueniretur ab aliquo illorum Sacerdotum, priùs absoluente verba consecrationis. Tùm quia in tam graui mysterio, ridiculum esset dicere, tot verba consecrationis esse superflua, & inaniter prolata; si enim prolata ab vnico sufficiunt, ab aliis prolata, sunt superflua. Tùm quia primus qui absoluit, consecrat. Ergo reliqui qui proferunt verba super materiam consecrationis, etiam cum intentione consecrandi, inaniter proferunt. Tùm quia Sacerdotes illi qui ordinantur, communicant tantùm sub altera specie. Ergo non communicant vt Sacrificantes: Ergo non proferunt verba vt consecrantes. Deniq; quia non habent illi omnes materiam sibi debitè præsentem, cùm enim eorum sint aliqui longè positi ab altari, non possunt demonstrare materiam consecrandam, eâ demonstratione, quam superiùs ad consecrationem diximus esse necessariam.

Probatur hæc opinio.

ARTICVLVS IV.

Quis sit Minister dispensationis Sacramenti Eucharistiæ?

Dispensatio quid.

NOTA 1. Ex D. Subtili *in 4. d. 13. q. 2. ad 5.* licet minùs sit dispensare, quàm conficere, tamen aliquid plus requiritur ad dispensandum, quàm ad conficiendum; quia dispensatio non respicit tantùm corpus Christi Domini

mini verum, sed etiam mysticum, scilicet fideles in quos dispensans debet habere authoritatem. Vnde præter potestatem ordinis, quæ ad conficiendum sufficit, requiritur & potestas jurisdictionis ad dispensandum, sicut est determinatum *in Concil. I. Carth. Et Mileuitano c. 18.* Et ratio est, quia dispensare Eucharistiam est pascere: pascere autem est officium pastoris. Tum quia nemo debet mittere falcem in messem alienam.

NOTA 2. Duplicem esse potestatem jurisdictionis, ordinariam, & delegatam: atq; hinc deduci, duplicem distingui posse dispensationem: vnam propriam, tùm ex officio, tùm ex commissione alicui conuenientem. Aliam impropriè dictam, nimirùm subsidiariam, & obsequentem seu famulantem, quæ nihil aliud est, quàm asportatio quædam, & applicatio corporis, & Sanguinis Domini, concessa quibusdam in obsequium, & famulatum Sacerdotis. *Duplex est jurisdictio:*

DICO 1. Potest Diaconus saltem ex commissione, & in casu necessitatis hoc Sacramentum dispensare. Patet ex historia S. Laurentii, vbi habetur. *Experire vtrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem.* Porrò praxis moderni temporis vetat, ne operâ Diaconorum vtantur Presbyteri, nisi in casu maximæ necessitatis, ne aliquis moriatur sine viatico absente Parocho. Suarez existimat id etiam Subdiaconum facere posse, imò & laicum in casu summæ necessitatis. Sed hoc nullo modo admittit D. Subtilis *in 4. d. 13. q. 2.* citans illud *de Consecrat. d. 2. c. Peruenit* vbi dicitur. *Quòd quidam Presbyteri, in tantùm parui pendunt Diuina mysteria, vt laico corpus Domini tradant ad deferendum infirmis.* Vnde Synodus Rhemensis interdicit. *Ne talis temeraria præsumptio ampliùs fiat.* Deinde Diaconis olim licebat solùm Sanguinem Domini dispensare, non verò corpus. Et rationem assignat D. Subtilis *loco citato.* quia Sanguis Christi Domini non tangitur nisi immediante vase, corporis autem species immediatè tanguntur: sed constat ex Conciliis vtramq; speciem Diaconos distribuisse. *Diaconus quando potest dispensare.*

DICO 2. Ratione muneris, & officij, ordinariâ potestate, soli Pastores sunt dispensatores Eucharistiæ; Alij verò Sacerdotes omnes possunt dispensare Eucharistiam ex commissione, non solùm tanquam ministrantes, vt Diaconi, sed vt principaliter dispensantes, ex commissione tamen & delegatione, à proprijs pastoribus. Prima pars definita est in Concilijs, Carth. 1. c. 7. & Mileuit. *Can. 28.* vbi decernitur, vt vnusquisq; in propria Ecclesia, & de manu proprij Pastoris communicet. Et *Soli Pastores dispensatores ex officio.*

 ratio

ratio est, quia officium pastoris est, oues suas pascere, maximè temporibus illis quibus ad id obligantur, vt in Paschate, & in articulo mortis. Secunda pars probatur, quia non semper possunt Pastores Eucharistiam per seipsos dispensare. Ergo possunt hoc aliis Sacerdotibus committere. Porrò ad hoc sufficit ratihabitio, seu præsumpta voluntas Pastoris, nec requiritur expressa delegatio, secùs tamen est in pœnitentia, vbi non sufficit præsumpta voluntas, vel ratihabitio, vt probaui in *Disput: de Pœnitent: Q. 8. S. 5. a. 2.* nam ad valorem *Sacramenti* pœnitentiæ, requiritur expressa voluntas habentis jurisdictionem, ibi enim jus actu dicitur, & sententia fertur in reum, at verò jurisdictio actualis ad *Sacramenti* Eucharistiæ dispensationem non requiritur.

Sacerdotes aliiex commissione.

Nota.

Non quilibet Sacerdos potest dispensare.

COLLIGE 1. Quemlibet Sacerdotem, attentantem Eucharistiam dispensare, absq; expressa, vel præsumpta voluntate Pastoris, peccare mortaliter, nullam tamen incurrere censuram *Sacerdotes* Seculares, religiosos verò incurrere excommunicationem Papæ reseruatam, administrantes Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis, vt dicam *sequenti Petito.*

Sacerdos potest seipsum communicare.

COLLIGE 2. *Sacerdos* in necessitate potest seipsum communicare, V. G. si jaceret moribundus, & posset facilè, ex Sacrario hostiam sibi sumere, nec esset alius qui posset eam dare. Ita Cajetan. *Verbo Communio.* Coninchus. *q. 82. a. 4.* Idem affirmat dicendum de Diacono in tali casu, quia jus antiquum id ei concedit, vt patet ex *Concil. Nicæno c. 14.*

PETES. *An Religiosi non habentes speciale priuilegium, possint dispensare Sacramentum Eucharistiæ?*

Contra Religiosos excommunicatio.

NOTA Excommunicationem esse latam contra religiosos, non habentes speciale priuilegium, *in Clementina c. Religiosi de priuilegiis*, qui præsumunt Eucharistiam ministrare Clericis, vel laicis, sine licentia *Pastoris.* Limitant 1. Doctores, non incurri ab iis censuram, qui bonâ fide administrant, ex ignorantia excommunicationis reseruatæ, vel ab iis qui probabiliter credunt Pastorem ratam habiturum talem administrationem; Ita Bonac. *d. 4 q. 5. p. 2. n. 8.* Limitant 2. Excusari Religiosos Eucharistiam dispensantes infirmis in articulo mortis, sine licentia proprii Pastoris, tunc enim non peccant administrando, quamuis Parochus sit inuitus, quia in tali casu præsumitur ratihabitio *Summi Pontificis*: Ita Sa *Verbo Euchar. n. 4. & alij.* Si nolit Parochus.

Limitatur.

Religiosi quando pos-

DICO 1. Religiosi possunt præsertim mendicantes, ministrare Eucharistiam in suis Ecclesiis, per totum annum tam laicis quam Clericis: ex-

ceptâ

ceptâ communione per modum viatici. Conclusio hæc constat ex priuilegio Ordini Minorum concesso, à Nicolao Quinto, Sixto Quarto, & Leone Decimo, & habetur in monumentis Ordinis, Dixi *exceptâ communione per modum viatici*, id est, in articulo mortis, quia Ecclesia semper censetur reseruare Parochis omnem illam communionem, quâ præceptum Diuinum adimpletur, quod in articulo mortis adimpleri debet.

sunt dispensare.

Dico 2. Religiosi non possunt dare communionem sæcularibus etiam in suis Ecclesiis pro festo Paschatis. Porrò per communionem Paschalem, aliqui intelligunt illam, ad quam quilibet in festo Paschatis tenetur ex præcepto: & hoc ideò, vt quilibet sæcularis, semel saltem in anno recognoscat proprium pastorem, si quis autem communicauit adimplendo præceptum in sua Parochia, poterit ipso die Paschæ communicare si voluerit ex deuotione apud Religiosos, etiam sine licentia Parochi. Alii verò per communionem Paschalem intelligunt solum gloriosissimum diem Dominicum Resurrectionis, ita vt Religiosis hoc die, nullo modo liceat communicare sæculares in suis Ecclesiis, cæteris autem diebus antecedentibus, & subsequentibus diem Dominicæ Resurrectionis, licitum esse communicare; sæculares verò quiq; communicantes in Ecclesiis Mendicantium, satisfaciunt præcepto Ecclesiæ. *Ita in Compendio Priuilegiorum Hieronym.* à *Sorbo Verbo Communio.* Et Laurent: *Portel Verbo Sacramentorum administratio num. quinto.* Rodericus *tom. 1. q 56. a. 3.*

An possint dispensare pro Paschate

Communio paschalis quid?

ARTICVLVS. V.

Qualis dispositio requiratur in Sacerdote Eucharistiam administrante?

Dico 1. In Sacerdote administrante, vel conficiente Sacramentum Eucharistiæ, requiritur, vt sit in statu gratiæ. Probatur quia ex officio est deputatus ad hoc munus, & consecratus, cum speciali gratia: qui autem ex officio deputatus est ad ministranda Sacramenta, debet esse in gratia, alioquin peccaret mortaliter indignè tractando: Est communis Doctorum.

Sacerdos debet esse in statu gratiæ

Quantâ igitur puritate, ob admirabilem dignitatem, decet Sacerdotes resplendescere: nam si Arca illa in qua manna recondebatur, ex imputribilibus lignis constabat, intus, & extra, auro obducta, quantò magis Sacerdotes, qui manna cæleste in manibus terunt, intra corda sua abscondunt, decet major Sanctitas. *Mundamini qui fertis vasa Domini, Isaiæ 52. Sacerdotes tui induantur justitiam, Psal. 131. Sacerdotes qui accedunt ad Dominum,*

Quanta debet esse puritas Sacerdotum.

num, Sanctificentur, ne percutiam eos. Exodi 19. Quid est cur Sacerdotes & Leuitæ Veteris testamenti lauabant manus & pedes, & radebant pilos carnis suæ, & aspergebantur aquâ lustrationis? vt hinc colligerent Sacerdotes Noui testamenti, quanta ipsis puritas conueniret, qui ad consecrandum, tractandum, dispensandumq; corpus Christi Domini deputantur. Vtinam Sacerdotes sint memores admonitionis illius, quam S. Franciscus dedit sui Ordinis Sacerdotibus, in Epistola ad Fratres. *Audite Fratres si Beata Virgo MARIA sic honoratur, vt dignum est, quia Christum portauit in vtero: & si beatus Joannes contremuit, & non est ausus, Sanctum Dei contingere verticem: Si sepulchrum Christi, in quo per aliquod tempus jacuit, sic honoratur: Quàm debet esse homo Sanctus, & justus, & dignus, qui non jam moriturum, sed in æternum viuentem, & glorificatum, in quem desiderant Angeli prospicere contrectat manibus, corde & ore sumit, & alijs ad sumendum prabet? Videte dignitatem vestram, ó Sacerdotes, & Sancti estote, quoniam ipse Sanctus est.* Ita Sanctissimus Patriarcha, qui licet dignissimus esset, nunquam tamen ob tanti culminis reuerentiam ad Sacerdotium passus est se promoueri: talis fuit & S. Benedictus, qui solo Diaconatu contenti, vlteriùs progredi noluerunt.

Admonitio S. Francisci ad Sacerdotes.

Sacerdos in peccato mortali an peccet.

DICO 2. Sacerdos celebrans in peccato mortali, graue sacrilegium committit. Aliqui verò putant tres esse peccati prauitates, nimirum indignè consecrando, offerendo, & sumendo. Ita Bonacina *disp. 4. q. 5. p. 1. num. 4.* vbi alios citat. Aliqui verò putant vnum peccatum esse. Ita Rodericus *c. 248. num. 26.* Henriquez. *lib. 8. de Euch. c. 45. n. 2.* Rationem assignant, quia consecrare, offerre, sunt actus subordinati ad rectam sumptionem. Sed diuersi actus, quando alii aliis subordinantur, non efficiunt diuersa peccata vt docet S. Thomas *2. 2. q. 72. art. 6.*

PETES, *An Sacerdos ministrans, seu dispensans Eucharistiam, siue in Missa, siue extra Missam, existens in peccato mortali, peccet mortaliter?*

Prima opinio affirmat. Ita Suarez. *d. 66. S. 6.* Coninch. *q. 64. a. 6. d. 1. n. 35.* & hoc verum affirmant, etiamsi distribuat venerabile Sacramentum ab alio consecratum: nam etsi non conficiat Sacramentum, tamen realiter corpus, & Sanguinem Domini dispensat, & talem actum exercet, ad quem particulariter est consecratus, & qui actus requirit in Ministro Sanctitatem. Vnde subdit Coninchus talem peccare toties, quot hostias diuersas distribuit, quia sunt verè distinctæ Sacramenti distributiones, etiamsi statim consequenter fiant. Alia Opinio negat esse peccatum mortale Sacramentum

Duplex opinio refertur.

mentum Eucharistiæ distribuere existentem in peccato mortali: Ita Ledesma *tom. 1. c. 6.* Vasquez. *in 3. p. t. 2. d. 136. c. 3. n. 38.* Ratio eorum est, quia qui ministrat Eucharistiam consecratam, non est minister Dei, ad iustificationem proximè, sicut in aliis Sacramentis, sed tantùm est velut applicans actiua passiuis: in aliis verò Sacramentis Sacerdos simul conficit, & ministrat Sacramentum, non autem in hoc, non enim est idem conficere, & ministrare, Rodericus noster *c. 248. n. 26.* dicit. Si Sacerdos post communionem suam vult præbere Sacramentum alteri personæ, & existit in peccato mortali, peccat mortaliter, quia est actus distinctus: si verò ministraret continuè mille personis, non esset inquit nisi vnum peccatum mortale, licet enim sint actus distincti, quoad suam entitatem, moraliter tamen non reputantur vt distincti, sed vnus. Opinio Suarez quoad priorem partem, est securior.

Nota Roderici opinionem.

COLLIGE 1. Sacerdotem habentem conscientiam peccati mortalis, teneri antequam celebret, vel administret, præparare se ad gratiam, per confessionem, si est occasio, vel saltem per contritionem, quando non est copia Confessarii; imò non est necessaria Confessio, sed sufficit contritio, quando solùm est administraturus Eucharistiam aliis, secùs quando est ipse sumpturus. Ita Roderius *cap. 68. num. 10. & alij.*

Ad quid tenetur Sacerdos in peccato existens

COLLIGE 2. Sacerdos existens in peccato mortali, & aliquis interim periculosè est infirmus, potest celebrare cum sola contritione, ad communicandum illum infirmum, ne moriatur sine viatico. Ita communiter D D.

Nota casum.

COLLIGE 3. Sacerdos qui in ipsa actione celebrandi, recordatur alicujus peccati mortalis, licet tunc eliciat actum contritionis, non tenetur statim post Missam illud peccatum confiteri. Ita Vasquez, *tom. 3. disp. 208. c. 3. n. 19.* Et licet in Tridentino *Sess. 13. c. 7.* dicatur. *Quòd si necessitate vrgente absq; præuia confessione celebrauerit, quamprimùm confiteatur*: hoc dictum non habet locum, quando Sacerdos ideò solùm non confitetur, ne notam infamiæ incurrat, etiamsi habeat copiam Confessarij, tamen ante aliam Missam confiteatur.

COLLIGE 4. Sacerdos simplex etiam non Parochus; potest celebrare Missam, contritus, sine præuia confessione, dum non adest alius Sacerdos, vt alij Missam audiant, & ipse vt præcepto satisfaciat. Ita Rodericus *c. 247. n. 6.* & alij. contra nonnullos qui contrarium sentiunt.

COLLIGE 5. Sacerdos qui ante Missam est confessus, cui in cele-

 bratione

Nota varios & occurrentes casus

bratione peccatum mortale in mentem venit oblitum, non tenetur in tali casu elicere actum contritionis de illo peccato. Ratio est, quia talis est iustificatus per pœnitentiam, seu confessionem, quam fecit integram formaliter, licet non materialiter. Ita Vasquez. *tom. 4. q. 86. a. 2. d. 2. n. 11.* Tùm quia contritio est necessaria ad culpæ, & peccati remissionem, sed illud peccatum oblitum in confessione, virtualiter fuit verè remissum. Potest igitur Sacerdos tunc prosequi Missam inceptam, & non elicere actum contritionis, sed postea confiteri suo tempore illud peccatum oblitum, & tunc de illo conteri, vel atteri.

Nota casum.

COLLIGE 6. Sacerdos qui post Introitum recordatur alicuius peccati mortalis, tenetur confiteri, si sine scandalo potest, ita Suarez *tom. 3. d. 66. Sect. 4.* Coninchus *q. 80. art. 4. dub. 2.* quod verum esse dicunt; si ante consecrationem, seclusâ infamiâ confiteri posfit: post consecrationem verò si recordaretur peccati alicuius mortalis, non confessi, aut si in Missa mortaliter peccaret post consecrationem, non teneretur, etiamsi adesset confessarius, confiteri & etiamsi sine nota possit, sed sufficeret vt contritionem eliceret, & sacrificium inchoatum perficeret, Aliqui verò dicunt etiamsi ante consecrationem ei peccatum in mentem venerit, non esse adstrictum confiteri, quamuis hoc commodè, & sine scandalo facere posfit. Quare in tali casu Sacerdotem iubent elicere actum contritionis, & ob reuerentiam Sacrificii, Missam inceptam perficere. Ita Sotus *in 4. dist. 13. q. 2. a. 6.* Henriquez. *lib. 8. c. 46. §.* Bonauentura *in 4. d. 13.* Nauarus *c. 25. n. 76.* Prior opinio magis probabilior aliquibus videtur. S. Thomas *q. 83. a. 6. ad 2.* dicit esse tutiùs deserere tunc Missam, non autem necessarium. Addit Syluester. *Verbo Eucharist. q. 7.* in Missa solenni seu cantata, si inter concionem seu cantum possit confiteri, obligatur ad confessionem.

Habenti reseruatum quid opus

COLLIGE 7. Sacerdos habens reseruatum & venialia, obligatur ad confessionem tam reseruati, quàm venialium, vt à reseruato possit absolui saltem indirectè; ita putat Coninchus *loco citato n. 21.* Contrarium docent multi, cum D. Subtili, *in 4. dist. 17.* in tali casu posse Sacerdotem, si adest scandalum celebrare cum contritione sine præuia confessione. Si verò habeat mortalia non reseruata, & reseruata, tutiùs est, vt præmittat Confessionem, etiamsi Confessarius sit talis, qui non possit absoluere à reseruatis, & de reseruatis curet elicere actum contritionis. Vide dicta *in Tabul. Naufr. d. 8. q. 6. art. 6.*

COL

COLLIGE 8. *Sacerdos* excommunicatus celebrans, non præmissâ confessione, iuxta aliquos, vt est Bonacina *d. 4. q. 6. p. 1. num. 34.* & Suarez *loco citato Sect. 1.* duo peccata committit, sciens se teneri vinculo peccati, & censuræ: iuxta Vasquez. *disp. 106. cap. 1. num. 6.* tantùm vnum; quia non facit contra duas obligationes specie distinctas; nam in tali casu, lex humana positiua prohibet idem, quod lege Diuina prohibitum erat, nimirum ob eandem rationem intuitu Religionis.

Excommunicatus celebrans.

ARTICVLVS VI.

An alia dispositio præter gratiam requiratur in administrante Eucharistiam?

RESPONDEO. Quòd Sacerdos curare debet, vt seruato ritu & decentiâ debitâ, ministret hoc Sacramentum, est enim hoc *Sacramentum* summæ dignitatis, proinde cum debita reuerentia est ministrandum. Hinc sequitur 1. Parochum non posse deferre Eucharistiam, publicè ad infirmum sine stola, & superpelliceo, præcedente lumine, iuxta *c. sanè de celebrat. Missarum.*

Sequitur 2. *Sacerdotem* non posse aliis digitis conferre, si ob infirmitatem nequeat eam pollice & indice administrare, quamuis enim tota manus sit consecrata, tamen à consuetudine communi non est recedendum. Quare & tempore pestis satiùs esse denegandum Eucharistiam, quàm eam non propria manu administrare, innuit Suarez *d. 44. S. 3. n. 17.* *Posseuinus* verò existimat excusari posse à peccato, præciso scandalo, & periculo lapsus Eucharistiæ in terram, si instrumento ritè confecto, & apto administretur.

Notent Parochi.

PETES. *An Sacerdos non jejunus celebrare Missam aliquando possit?*

DICO 1. *Probabilior* est sententia negans Sacerdotem ad communicandum infirmum, posse celebrare non ieiunum. Patet quia maior est ratio habenda huius Sacramenti, quàm necessitatis proximi. Ita omnes recentiores, & est talis praxis.

Non ieiuni an possint celebrare.

DICO 2. In tribus casibus, possunt Sacerdotes non jejuni sumere, & consecrare Eucharistiam. *Primò* Quando Sacerdos aquam pro vino posuit, & illam post sumptionem hostiæ sumpsit, tunc enim denuò debet consecrare saltem calicem, propter integritatem sacrificii, *Ita Rubrica Missalis, & omnes DD.* Secundò si celebrans post consecrationem recordetur se non esse ieiunum, tunc debet continuare, & perficere Sacrificium. 3. *Si* Sacerdos

cerdos post consecrationem deficiat, etiam vnius speciei, tunc alius Sacerdos non jejunus, deberet illud sacrificium perficere, & communicare, si non sit alius Sacerdos non jejunus. Ita habetur *cap. Nihil. 7. q. 1.* Quartus casus est communis si reliquiæ hostiæ remaneant in patena, & corporali, tunc sumendæ sunt à non jejunis. Ratio est, quia totius omninò hostiæ, & calicis consumptio, prout includit etiam sumptionem ablolutionis, censetur vna actio, ad ipsam communionem decenter perficiendam, pertinens. Postquam verò ab altari recessit Sacerdos, & inueniat in patena, vel calice, in Sacristia aliqua fragmenta, si non possunt conseruari, cum debita reuerentia, vel non sit alius Sacerdos, qui postea hac die celebret, in illo calice, vel alio, & illa fragmenta sumat jejunus, tunc Sacerdos non jejunus, potest sumere illa fragmenta. Ita Coninchus *q. 80. a. 8. n. 65.* vbi dicit *n. 64.* Quando Sacerdos publicè celebrat, & ante consecrationem recordatur se non esse jejunum, consultiùs videtur, vt pergat, quia communiter, non potest desistere, sine aliqua nota, & infamia, non enim præceptum Ecclesiæ obligat cum tanto incommodo. Aliud est dicendum si clam celebret, tunc enim si recordetur Sacerdos ante consecrationem, se non esse jejunum desistat.

Aduerte hîc Non esse necesse, vt Sacerdos sit jejunus, quando est aliis ministraturus hoc Sacramentum.

Petes 2. *An Sacerdos teneatur præmittere Diuinum officium, vel præparationem aliquam ante Missam.*

Matutinum an prætermittendum. Respondeo De Matutino; vna opinio affirmat peccare mortaliter Sacerdotem celebrantem, non recitato Matutino & Laudibus. Ita Aretinus *in 4. dist. 13. q. 2. a. 10.* citans Rubricas generales, dicitq; esse tutiorem opinionem istam, quàm oppositam, & communi consensu receptam, maximè quando non est vrgens, & justa causa. Alia opinio negat esse peccatum mortale, etiamsi non sit vrgens, & legitima causa, quia ex sui institutione, preces, & sacrificium Missæ nullam habent connexionem, neq; vllum ordinem. Ita Layman *lib. 4. t. 5. c. 4. n. 5.* Suarez *disp. 82. Sect. 1. & alij,* verior tamen est opinio prima, quando non est vrgens, & justa causa, nam si subita necessitas occurrat, non puto esse peccatum lethale,

Præparatio quæ ante Sacrum. *De præparatione an aliqua requiratur?* Bonum est, vt semper illa præmittatur, quæ habetur in Missali, si adest opportunitas temporis, si verò omittatur sine contemptu, non est graue peccatum. Ita Aretinus *in 4. d. 13. q.*

13. *q.* 2. *a.* 10. *in fine*, vbi excusat à mortali eum, qui omittit ex negligentia, venialiter tamen talem peccare affirmat.

Quòd si petas an licitum sit celebrare sacrum non recitatâ primâ?

Antè primam licitum est celebrare.

Respondeo. Esse licitum, est communis opinio DD. id enim pii, ac docti viri factitant, nisi hoc sit alicubi contra præceptum Superioris, vel statutum, vel consuetudinem communiter receptam, vt docet Nauar. in Manuali *c.* 25. *n.* 83.

QVÆSTIO VIII.

De vsu, & Suscipientibus Eucharistiam.

In hac Quæst. 1. quæram Quibus Eucharistia ministranda.
2. An amentibus, furiosis, & energumenis danda?
3. Qualis dispositio requiratur in laicis ad communionem.
4. Quæ dispositiones requirantur in suscipientibus ex parte corporis.
5. Quando præceptum Diuinum obligat ad communionem.
6. Quando præceptum Ecclesiæ obligat ad communionem.
7. An meliùs sit frequentiùs, quàm rarò communicare.
8. An laici teneantur communicare sub vtraq; specie.
9. A quo tempore in Ecclesia fuit vsus vnius speciei.
10. An Ecclesia potuerit communionem præcipere sub vna specie, & cur?

ARTICVLVS I.

Quibus ministrari possit & debeat Sacramentum Eucharistiæ.

NOTA Triplex à *DD.* assignatur manducatio, nimirum spiritualis tantùm, sacramentalis tantùm, & spiritualis & Sacramentalis simul. *Spiritualis* manducatio, est vel per fidem teste S. Aug. *tract.* 25. & 26. *in Joannem*, vel per votum, & desiderium procedens ex fide formata charitate, vt docet Tridentinum *Sess.* 13. *c.* 8.

Sacramentalis manducatio.

Sacramentalis manducatio ea est, quâ ore, & corpore suscipitur Sacramentum corporis Christi Domini, de qua manducatione Sacramentali. S. Chrysost *homil.* 23. *in Matth.* S. Aug. *Epist.* 118. dicitur autem *Sacramentalis* sola, quando suscipitur Sacramentum istud indignè, & sine fructu.

Tertia manducatio Sacramentalis, & spiritualis simul est, quâ corpus Christi Domini, ore simul, & Spiritu viuæ fidei suscipitur, ita vt suscipienti prosit ad gratiam & salutem.

Qui capaces Sacramenti hujus.

DICO 1. *Soli homines sunt capaces huius Sacramenti, iique fideles, postquam ad annos discretionis peruenerint.* Per hanc particulam (*Soli homines*) excluduntur Angeli, quia non sunt capaces corporeæ manducationis, etiam in corporibus assumptis, quia in illis non exercent opera vitæ. Addit Alexander præclaram rationem 4. *p. q.* 45. *memb.* 2. *a.* 1. quia in manducatione Eucharistiæ, fit cum Christo vnio naturæ, fidei, & dilectionis. Sed Angeli non sunt capaces vnionis naturæ cum Christo homine, propter eorum spiritualem naturam. Ergo. Excluduntur etiam bruta, quia licet possint comedere corpus Domini, non comedunt tamen quatenùs Sacramentum, neq; Sacramentaliter, quia vt docet Alexander *loco citato memb.* 1. manducare corpus Christi Sacramentaliter; est illud manducare per modum crediti, & cogniti; quo modo non possunt manducare bruta: & licet manducetur à brutis propter vnionem ejus cum speciebus, quamdiù durant, non tamen manducatur quoad significationem, neq; quoad effectum. Neq; vlla à brutis infertur contumelia corpori Christi Domini, cùm ejus non sit capax vt existit Sacramentaliter. Per particulam (*fideles*) excluduntur infideles, & Cathechumeni, qui non sunt capaces hujus Sacramenti, cùm eos priùs nasci oporteat, quàm viuere, nascuntur autem, per Baptismum. Per particulam (*postquàm ad annos discretionis &c.*) excluduntur infantes, & paruuli, non habentes vsum rationis. Definitum est in Tridentino Concil. Sess. 21. Can. 4. *Si quis dixerit paruulis antequàm ad annos discretionis peruenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.* Ratio est, tùm quia Eucharistia requirit præparationem 1. *ad Corinth.* 11. quæ paruulis est impossibilis. Tùm quia est cibus grandium, id est fidem habentium. Tùm quia requirit discretionem, quâ discernatur ab aliis cibis. Tùm quia nulla est necessitas, neq; tanto irreuerentiæ periculo exponi debet tantum Sacramentum. Quòd si dicas in primitiua Ecclesia dabatur paruulis. Respondeo Id fiebat ex speciali dispensatione; tùm vt reuocarentur à mensa dæmonum; ex qua redeuntes parentes idolothyti partem in ora eorum iniiciebant: tùm vt sanctificarentur corporaliter contactu corporis Christi Domini: tùm vt aduersùs dæmones armarentur.

Pueri quando admittendi.

PETES. *Quâ ætate pueri possunt admitti ad communionem?*

Respondeo Varii varia scribunt, in eo tamen ferè conueniunt, hoc non tam spectandum, ex eorum ætate, quàm maturitate ingenii, (quæ in quibusdam citiùs, in quibusdam tardiùs apparet) & perfectâ circa res fidei institutione. Vnde licet statim ac sunt doli capaces, ac peccârunt mortaliter,

liter, obligentur etiam lege confessionis, consuetudo tamen Ecclesiæ fundata in Concil. Lateranensi habet, vt non statim admittantur ad communionem, sed expectent: donèc sufficienter circa hoc mysterium sint instructi, quod in primo illo vsu rationis, non possunt sufficienter capere, vt debitam ei reuerentiam exhibeant. Quare Coninchus *q. 80. a. 11. dub. 4.* dicit, quòd possit contingere, vt aliqui etiam anno 10. admittendi sint ad communionem, alii verò vix 14. quæ ex prudenti confessarii, ac parentum iudicio spectanda sunt,

Petes 2. *An Christus Dominus sumpserit corpus suum in cœna?* *Christus Dominus sumpsit.*

Respondet Alexander 4. p. q. 44. membro 1. & 2. S. Thomas q. *81. a. 1.* affirmatiuè. Patet ex S. Hieronymo Epistolâ ad Hedibiam, vbi ait; *Ipse conuiua, & conuiuium, ipse comedens, & qui comeditur.* Addit Alexander, & *S.* Thomas hos versus, *Rex sedet in cœna, turbâ cinctus duodenâ: Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.* Ratio est; quia sicut priùs baptizari voluit, vt aliis baptismum imponeret, ita & Eucharistiam.

ARTICVLVS II.

Quibusnam amentibus, furiosis, & energumenis, non est dispensandum Eucharistiæ Sacramentum?

Dico 1. Si amentes, & furiosi, non careant omninò vsu rationis, non est eis deneganda Eucharistia: si careant omninò, deneganda: si verò verbis, & factis, prorumpant in contumeliam Creatoris, absolutè neganda est, nisi quandoq; contingat eos habere lucida interualla. Addo si ante amentiam petierunt Eucharistiam, & nullus timeatur vomitus, aut irreuerentia, tunc eis non esse negandam. Omnes partes huius conclusionis de se sunt manifestæ, non indigent probatione. Hinc *Quibus amentibus neganda & quibus non.*

Collige 1. Phreneticis, & amentibus, qui ab infantia sunt tales, non est danda Eucharistia, etiamsi vomitus non timeretur, aut aliqua irreuerentia. Ita *S.* Thomas 3. *p. q. 80. a. 9.* Paludanus, & alii. Ratio est, quia vsus Ecclesiæ sic fert, non secùs de his iudicandum ac de infantibus, in quibus nequit esse probatio, per propriam voluntatem, neque necessitas ejus, cùm nullum habeant peccatum. *Amentibus ab infantia non danda.*

Collige 2. Iis qui in infirmitate pœnitentiam postularunt, & antequam Sacerdos veniret, in amentiam inciderunt, non est deneganda Eucharistia. Ita Concil: Arausicanum *1. Can. 13.* Et Tolet: XI Can 11. Porrò iis qui post vsum rationis inciderunt in amentiam, & ante petierunt *Petentibus ante à amentiam danda.*

runt hoc Sacramentum, non est deneganda, imò Syluest: *Verbo Euchar.* *3. q. 5.* Vasquez. *d. 212.* asserunt talibus in articulo mortis ministrari posse, modò non subsit suspicio aliqua peccati mortalis, aut periculum irreuerentiæ.

Energumenis quibus deneganda.

DICO 2. Energumenis qui ad maiorem purgationem, vel ob meritum torquentur à dæmone non est deneganda Eucharistia: qui verò ob delicta possidentur à dæmone, & in punitionem peccatorum, & semper in blasphemias prorumpunt, non est danda: si tamen habeant lucida interualla, & obtemperent dictis Clericorum, & solliciti sint de sua purgatione, potest eis dispensari, oblatâ opportunitate. Prima pars patet, quia tales Energumeni hâc punitione de facto merentur, suntq; in dies in meliori statu. Ergo datâ opportunitate, & libertate sensuum, & mentis, nihil obstat quominùs communicare possint. Secunda pars constat; quia ob reuerentiam Sacramenti arcendi sunt. Tertia pars euidens est, quia tales Energumeni pro temporis opportunitate, dolere possunt de peccatis, confiteri, & disponere se ad hoc Sacramentum, illudque sumere absque irreuerentia, vel timore, alicujus mali casus.

PETES *Quinam sint arcendi à sacra communione?*

Aleatores

Respondeo multa esse genera hominum. *Primò* Aleatores habituales, & veluti professione; tales enim sunt in malo statu, & multa peccata committunt: tenentur enim desiderio lucrandi, quod est cupiditas: voluntate spoliandi proximum, quæ est rapina: multiplicant mendacia, periuria, & blasphemias, inest illis fraus, & dolus; scandalizant bonos, & contemnunt Ecclesiasticas prohibitiones. Hoc non intelligitur de illis, qui quandoq; animi recreandi gratia exercent aleas.

Duellum exercentes.

Secundò arcendi sunt exercentes duellum, quia tales habent voluntatem occidendi, & continuò peccant contra legem Diuinam,

Histriones

Tertiò Histriones illi, qui in scenis publicis, exercent comædias, & tragædias, vt docet *S.* Cyprian: *lib. 1.* Epist. 10.

Diuinatores.

Quartò Diuinatores, & Sortilegi, non enim conuenit, vt qui paciscuntur cùm dæmone, habeant conuersationem cum Christo Domino, & viuant eius carne, & Sanguine.

Choreatrices.

Quintò Choreas exercentes præsertim choreatrices, quæ prauâ intentione exercent choreas, vt inducant aliquos ad malum.

Sextò Olim arcebantur à Sacra communione publici pœnitentes, antequam essent reconciliati Ecclesiæ.

Septimò

Septimò Surdi & muti à natiuitate, regulariter recipi non debent ad Sacram communionem: quia tales de veritate huius Sacramenti non sunt sufficienter instructi: Dixi *regulariter*, quia si constaret tales esse, per nutus & signa esse instructos, puto non esse arcendos. *Surdi & muti à natiuitate.*

De Peccatoribus, quinam sint arcendi à Sacra communione vel non; resolutionem tibi suggeret sequens Articulus.

ARTICVLVS III.

Qualis dispositio requiratur in laicis accedentibus ad Sacram communionem?

NOTA 1. Dispositio potest esse, vel ex parte animæ, vel ex parte corporis, in hoc Articulo de prima, in sequenti de secunda inquiram. *Dispositio vel animæ vel corporis*

NOTA 2. Indispositio ex parte animæ, vel est ex parte venialis peccati, vel ex parte mortalis, publici, vel occulti. In peccato autem mortali, docet D. Subt: in *4. d. 9. q. vnica* aliquem esse tripliciter intelligi. Primò in actu, quia tunc scilicet peccat mortaliter, peccato interiori vel exteriori. Secundò habitualiter, ita vt tamen post peccatum mortale præteritum propter obliuionem, non pœnituerit illius, nec pœniteat. Tertiò Iterum habitualiter, ita tamen vt de peccato præterito cognito pœnituerit, vel pœniteat, nondum tamen confessus est, nec absolutus ab Ecclesia. *Esse in peccato contingit tripliciter.*

DICO 1. In peccato veniali communicare, non est peccatum. Ita D. Subt. *loco citato.* cum Richardo, & aliis. Ratio est, tùm quia communio non impeditur per peccatum veniale, neque est necessarium propter illud confessionem præmittere, quia peccata venialia non sunt materia necessaria confessionis, sed sufficiens. Tùm quia peccata venialia, non impediunt principalem effectum hujus Sacramenti, qui est augmentum gratiæ, stant enim venialia cum gratia, optimum tamen est consilium, vt præmittatur confessio venialium, ante communionem, & hanc consuetudinem commendat Concil. Trident: *Sess. 14. c. 1.* *Peccata venialia non impediunt.*

DICO 2. Qui communicat in peccato mortali incognito, & de quo facta est deligens inquisitio, ita vt ignoretur potiùs ignorantia inuincibili, quàm crassâ, vel affectatâ, licet non sit contritus, neq; etiam confessus, non peccat tamen communicando. Probatur, tùm quia supponitur adhibita diligentia, secundùm humanam fragilitatem possibilis. tùm quia si moreretur quis in eo statu, saluaretur; non requiritur autem maius exa- *Peccatum incognitum mortale non impedit.*

men ad communicandum, quàm ad securè moriendum, tùm quia nunquam aliâs liceret communicare; nam in hoc statu, *Nescit homo an odio, vel amore Dei dignus sit. Eccl. 9.* Et vt ait *Psaltes, Delicta quis intelligit* Psal: 18. Quô fit vt *Sacramentum* hoc non esset ampliùs Sacramentum viatoris, quia certitudo gratiæ, & charitatis, & liberationis ab omnibus peccatis, nulli potest competere viatori. Quare diligenti inquisitione factâ, & præmissâ contritione, vel attritione cum confessione, quantùm videtur moraliter homini sufficere, communicando non peccat, imò si quæ peccata lateant, per istud Sacramentum remittuntur. Ita D. *Subt. loco citato*, qui omninò condemnat negligentiam affectatam, vel crassam; hæc enim nunquam excusat à peccato, & hîc à peccato mortali Sacrilegii.

Communicans debet esse sine peccato.

DICO 3. *Si* aliquis accedat ad *Sacramentum* Eucharistiæ cum conscientia peccati mortalis, peccat mortaliter. Est definita in Tridentino *Sess. 13. cap. 7. & Can. 11.* contra impium Lutherum. Patet *ex 1. ad Corinth. 11.* vbi dicitur, *Qui manducat indignè judicium sibi manducat, & bibit.* Vnde jubet Apostolus, vt priùs *probet seipsum homo*, non vtrùm habeat fidem, vt dicunt hæretici, sed vtrùm non sit inimicus Dei, & peccatis immersus, ibi enim Apostolus reprehendit Corinthios, non ob infidelitatem, sed ob mores peruersos. Quare rectè inquit S. Chrysost: homil. 3. in Epist. ad Epheseos. *Regem vtiq; non audeas osculari, si os tuum oleat grauiter, & Regem Cælorum impudens oscularis, animâ tuâ vitiis olente?* Ratio est. Tùm quia in peccato mortali communicans, peruertit institutionem Christi Domini, qui vt patet *Joan. 6.* instituit hoc Sacramentum per modum cibi, cujus est vitam nutrire, non autem dare. Tùm quia non licet Sacramenta vlla recipere in peccato mortali, præter Baptismum, & pænitentiam. Tùm quia injuriam facit Christo *Domino* ille, qui est inimicus ejus, & audet eum recipere.

Sufficit certitudo moralis.

DICO 4. *Sufficit* communicanti, vt moraliter certus sit, se esse in gratia: qualis moralis certitudo est, quando post diligens examen sui nullum peccatum mortale à se commissum occurrit, quod non sit confessus, aliâs si majorem diligentiam aliquis requireret, perturbaret conscientias hominum.

Quo præcepto præcepta confessio.

PETES 1. *Quo præcepto conscius sibi peccati mortalis teneatur, præmittere confessionem?* Respondeo, vna opinio affirmat esse præceptũ Apostolorum, ita Medina *de Conf. q. 17.* 2. Opinio asserit esse præceptum Diuinum. Ita D. Subt. *in 4. dist. 9. num. 3.* Patet *ex 1. ad Corinth. 11.* vbi mo-

uentur

mentur accedentes seipsos probare per confessionem ex præcepto Diuino, quod innuit Trident. *Seß. 13. cap. 7.*

Nota. Integra dispositio ad communionē his duobus versibus cōtinetur.

Lotus, discretus, sanus, jejunus, & aptus.
Contritus, faßus, mundus, rectéq; paratus.

Nomine *lotus* intelligitur, baptizatus; nomine *discretus* habens vsum rationis vt dixi *a. 2.* Nomine *sanus*, intelligitur ille qui non est ita infirmus, vt non sit periculum vomitus. Nomine, *jejunus*, de quo dixi *Art. 4. Concl. 1.* nomine *aptus*, id est debet esse solutus ab excommunicatione & interdicto personali. Nomine *contritus*, id est, vt sit sine conscientia peccati mortalis. nomine *faßus*, id est vt confessionem præmittat, si commodè potest. Nomine *mundus*, id est vt non sit pollutus, vt *dixi Art. 4.* nomine *paratus* id est, vt sit deuotus, & attentus.

Petes 2. *An aliquando non præmißâ confeßione, conscio peccati mortalis, liceat communicare?*

Respondeo affirmatiuè si adsit rationabilis causa. Primò, Quando peccator timet, ne Sacerdos ille cui confitendum est, reuelet sigillum confessionis, aut ne confitentem ad inhonesta inuitet, aut ne odium contra pœnitentem concipiat, & grauiter in re aliqua magni momenti noceat, tunc enim potest confessionem omittere, quia non habet moraliter loquendo copiam confessarii. Ita Aretinus *in 4. d. 9. q. 1. a. 11.* dummodò iste metus sit probabilis, non enim sufficit vana opinio. *Causæ quando licet communicare sine confeßione.*

Secundò. Si non possit quis communionem omittere sine graui infamia, aut scandalo, V. G. si aliquis accederet ad locum communionis nec posset sine nota recedere, non tamen sufficeret, quòd aliqui essent miraturi, quòd consuetam communionem omitteret, si nulla mala suspicio nasceretur. Tertiò Si quis habeat peccata mortalia reseruata, & non reseruata, & confiteretur Sacerdoti, non habenti potestatem absoluendi à reseruatis, debet non reseruata confiteri, & de reseruatis conteri, & sic secundùm Suarez *loco citato Sect. 4* indirectè absoluitur ab omnibus, sed tutiùs est, vt eliciat actum contritionis de reseruatis, quia nec indirectè ab illis absoluitur, vt dixi *in Disput. de Pœnit. Quæstione 8. S. 6. art. 6.*

Collige 1. Accedens ad hoc Sacramentum cum attritione quam probabiliter credit esse contritionem, non peccat mortaliter quia communicaturus nequit certò cognoscere, se contritionem, veram habere. Ergo credens probabiliter se habere contritionē, non peccabit sumendo hoc Sacramentum, vbi enim plena certitudo haberi non potest, sufficit probabilis. *Cum attritione an accedendum.*

COL-

Gratiam obtinet.

COLLIGE 2. Communicans cum attritione, quam probabiliter putat esse contritionem, consequitur gratiam habitualem. Est D. Subtilis *in 4. dist. 9. num.* 2. Patet quia Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam ex opere operato, non ponentibus obicem peccati mortalis. Sed suscipiens Euchariſtiam cum ignorantia probabili alicujus peccati mortalis, non ponit obicem Sacramento Euchariſtiæ. Ergo talis consequitur effectum Sacramenti. Porrò in peccato veniali communicare non est peccatum mortale.

Peccatori publico est deneganda.

PETES 3. *An petenti Euchariſtiam peccatori, sit deneganda?*

DICO 1. Publico Peccatori, & publicè non emendato, debet denegari Euchariſtia. Patet, quia talis peccator est publicè infamis, & per talem publicam notitiam, amittit jus petendi hoc Sacramentum, siue sit publicum per euidentiam juris, siue facti: vt sunt vſurarii publici, meretrices &c.

Occulto non est deneganda.

DICO 2. Peccatori occulto non est neganda communio, coram iis, quibus ignotum est ejus peccatum. Habetur *c. placuit. 6. q. 2.* Ratio est, Tùm quia Christus Dominus Iudæ non denegauit communionem. Tùm quia multi essent infamati, ex imprudentia Ministrorum, qui sæpè nimis leuiter judicâssent; aliquem esse indignum hoc Sacramento. Tùm quia sequeretur magna perturbatio, quia astantes facilè sibi persuaderent per injuriam aliquem repelli. Quare si Sacerdos per solam confessionem cognouit peccatum, à quo non absoluit peccatorem, non potest ei negare Euchariſtiam, siue ille publicè petat, siue occultè, aliâs esset reuelatio sigilli.

Petenti occultè deneganda.

DICO 3. Quando peccator occultè petit communionem, debet ei denegari, si scitur extra confessionem peccatum. Ita *communiter DD.*

ARTICVLVS IV.

Quæ dispositiones ex parte corporis, requirantur in Suscipiente Euchariſtiam?

Respondeo. Jure communi, non requiritur aliqua particularis dispositio ex parte corporis in suscepturo Euchariſtiæ Sacramentũ, sed accedendum est eo habitu, & ea corporis dispositione, quam decreta, locorum, vel consuetudo postulat, & quam tanti Sacramenti dignitas exigit. In hoc itaq; Articulo inquiram. An ad sumendam Euchariſtiam requiratur jejunium, & abstinentia à carnalibus; seu munditia corporis.

Quan-

Quantùm ad jejunium. Nota 1. Jejunium, aliud est Ecclesiasticum, quo præcipitur vnica comestio in die; aliud est naturale, quod importat abstinentiam à qualibet re modica comestibili per modum cibi, aut potûs, vt habetur, *c. Nihil.* §. Nullus. 7. *q. 1.* Ita *D.* Subt. *in 4. dist. 8.* *Jejunium duplex.*

Nota 2. Ex facto Christi Domini, minimè posse colligi præceptum sumendi hoc Sacramentum post cibum, nam quòd Christus Dominus hoc Sacramentum instituerit, & Apostolis dederit post esum agni, fecit hoc propter speciales causas, quæ propriè fuerunt illius temporis, & illius indiuiduæ actionis, vt ostendit Alexander Alensis *4. p. q. 10. a. 1.* Et S. Thomas *3. p. q. 73. a. 5.* *Exemplum Christi Domini non cogit.*

Dico itaq; Suscepturus Euchatistiam, per se loquendo debet à media nocte esse jejunus, jejunio non solum Ecclesiastico, sed etiam naturali. Patet *ex capite liquido, de consecrat: dist. 2.* & ex vsu recepto ab Apostolis, quæ ob reuerentiam tanti Sacramenti, justè hoc præcepit, vt constat ex verbis capitis citati. *Placuit Spiritui Sancto, vt propter tanti Sacramenti reuerentiam, priùs in os Christiani Dominicum corpus intraret, quàm alij cibi.* Hinc. *Sumpturus Eucharistiã debet esse jejunus.*

Collige 1. Per modum cibi, aut potus, dicitur sumi id, quod ab extrinseco ori impositum, per se sumitur, etiamsi medicinæ causa sumatur. Hinc *S*aliua, vel alii humores, vt *S*anguis ex capite, vel gingiua, in os defluens, etsi deglutiantur, non sumuntur per modum cibi, vel potus, quare nec communionem impediunt. Idem dicendum de reliquiis ciborum præcedentis diei, quæ hærent inter dentes, quæ per modum saliuæ sumuntur, magis tamen decens est, ejusmodi res expuere. Ita Suarez *disp. 68. Sect. 4.* idem dicendum est de illo, qui os abluens paruum aliquid per imprudentiam deglutit, quia hoc non per se, sed per modum saliuæ cui permiscetur, sumitur, secùs esset si in magna quantitate sumeretur. *Per modum cibi, & potus sumi quid sit.*

Collige 2. Non est necesse, vt ille qui susccpturus est Eucharistiam, digesserit cibum, aut post cænam dormierit: quia potest aliquis dici jejunus à media nocte, quamuis cibum non digesserit, vnde si *S*acerdos ante mediam noctem comederet, celebrare posset Missam, nullo autem modo, si post mediam noctem aliquid de cibo, vel potu sumpserit. *Non est necesse vt sit cibus digestus.*

Petes. *An aliquando non jejunus poßit communicare?*

Respondeo. Varios esse casus. Primus est, quando quis est in præsenti periculo mortis, siue id fiat ratione morbi, siue supplicio afficiendus sit, tunc enim potest communicare non jejunus, & quocunq; diei tempore, *Casus in quibus non jejuni possunt communicare.*

 si sit

si sit ante sequentem diem moriturus. Ratio est, quia valdè probabile est, talem tunc teneri ex præcepto Diuino communicare, quod majus est, quàm præceptum Ecclesiæ prohibentis non jejunum communicare. Si tamen comodè potest ægrotus, debet dare operam, vt jejunus communicet, si non sit euidens periculum mortis; & Judices debent curare, vt supplicio afficiendi pridiè communicent.

2. Casus. Secundus casus est, quando Sacerdos loco vini, consecrauit aquam, eamq; sumpsit, tunc enim debet iterùm vinum consecrare, & consecratum sumere.

3. Casus. Tertius casus est, quando Sacramentum, nisi absumatur, est in periculo, ne comburatur, aut ne in manus sacrilegorum deueniat.

Pollutio quæ impedit. *Quantùm ad abstinentiam à carnalibus.* Dico 1. Pollutio cum peccato mortali impedit communionem, donèc ipsum peccatum per legitimam pœnitentiam sit remissum: *est communis Doctorum.* Ex quo sequitur quòd qui carnale peccatum commisit, debeat per aliquod temporis spatium, vel per diem abstinere sub veniali à communione, etiam post confessionem, nisi adsit justa causa communicandi, vel celebrandi. Ratio est. Tùm quia indecens est, vt ad tam augustum, & admirabile conuiuium accedat ille, qui turpiter fuit pollutus. Tùm quia hujusmodi peccata, relinquunt aliquos effectus in homine, nimirùm, vel commotionem carnis, vel euagationem mentis à Diuinis. Ita D. Thomas. *in 3. p. q. 80. a. 6. estq; communis DD.*

Pollutio sine peccato non impedit. Dico 2. Pollutio quæ contingit sine vllo peccato patientis, vt quandò omninò inuito accidit, vel cum solo veniali, vt quando patiens leui sua culpa, dedit ei causam, & quæ nullum relinquit effectum in homine, non impedit communionem. Ratio est, quia non est, vt sit pœna, vbi non est culpa.

Copula conjugalis an impediat. Dico 3. Copula inter conjuges noctu habita, sequenti die, ex consilio impedit communionem, maximè si sit habita causa voluptatis, quia indecens est tali tempore voluptati indulgere, ad communionem enim magna requiritur deuotio. Si tamen sit justa causa communionem sumendi, vt festum magnæ solennitatis, aut Jubileus, aut si communio commodè differri, non possit in sequentem diem, tunc talibus communio non est deneganda. Ita S. Thomas *3. p. q. 8. a. 3. estq; communis Doctorum.*

Immunditia corporalis. Dico 4. Immunditia corporalis, per se loquendo, non impedit communionem, vt lepra, fluxus Sanguinis &c. propter reuerentiam tamen

men tanti Sacramenti abstinendum est aliquando. Vbi est periculum vomitus abstinendum à communione, Ita *communiter DD.*

ARTICVLVS V.

Quando præceptum Diuinum obligat ad communionem?

NOTA Sacramentum Eucharistiæ quantùm ad proprium effectum, quem effectiuè causat, neq; in re, neq; in voto, esse tam necessarium ad salutem, sicut est Baptismus, & pœnitentia, quia non est necessarium ad inchoandam vitam animæ, est tamen per se necessarium adultis ad conseruationem, necessitate finis in re, vel in voto. Patet, quia licet Eucharistia non sit necessaria ad vitæ inchoationem, tamen est necessaria ad vitæ conseruationem. *Quomodo est Eucharistia necessaria.*

DICO 1. Probabiliùs est aliquando homines obligari iure Diuino ad communionem. Patet ex *1. ad Corinth. 11.* & ex Trident: *Sess. 13. c. 2.* Et ipse Dominus Ioan. 6. dicit. *Nisi manducaueritis carnem &c.*

DICO 2. Præceptum Diuinum sumendæ communionis, per se loquendo, obligat in articulo mortis naturalis, aut violentæ. Est *communis DD.* Probatur 1. Quia maximè expedit morientem signo aliquo externo testari se mori in vnione Catholica. Sed ad vnionem membrorum Ecclesiæ totius faciendam, & declarandam, à CHristo Domino instituta est communio. Ergo maximè præcepta videtur in articulo mortis. *obligat.*

Probatur 2. Non jeiunus in articulo mortis obligatur ad communionem. Ergo signum est, præceptum communicandi in articulo mortis, esse præceptum Diuinum, cui cedit Ecclesiasticum. Colligitur ex Tridentino *Sess. 13. c. 6.* vbi dicitur, antiquissimum esse morem communicandi in articulo mortis, si non sit periculum vomitus. Hinc

COLLIGE 1. Iudices teneri reo concedere tempus sumendæ Eucharistiæ, etiamsi timeatur fore, vt concesso debito tempore ad sumendam Eucharistiam, reus eripiatur, Ita Bonacina *d. 4. q. 7. p. 1. n. 6.* vbi limitat, si omninò reus nolit confiteri, neq; communicare, poterit morti adiudicari, sed si nolit reus se præparare tempore à iudice concesso, tenetur iudex expectare, & dilationem duorum, aut trium dierum, reo concedere, si speret fore, vt reus intra illud tempus, pœnitentiam agat, nec sit periculum alicuius scandali, vel damni ex ea dilatione. *Nota pro iudicibus.*

COLLIGE 2. Non tenetur Eucharistiam sumere in periculo mortis

ille qui paulò ante communicauit, V. G. ante sex dies, vel decem. Ita Angelus, *Verbo Eucharistia.* Suarez. *disp.* 69. *Sect.* 3. *& alij.*

COLLIGE 3. Ille qui in infirmitate sumpsit viaticum, & postea peccauit mortaliter, non tenetur iterum communicare. Ita Bonacina *ibidem num.* 3. Eucharistia enim non est instituta ad delenda mortalia, sicut pœnitentia.

COLLIGE 4. Ille qui non communicauit in periculo mortis, transacto illo periculo, non obligatur ad communionem.

Præter articulũ mortis obligantur in aliis temporibus.

DICO 3. *Præter articulum mortis, etiam aliquoties in vita tenemur* iure Diuino communicare. Patet nam licet præceptum affirmatiuum per se, non determinet tempus, tamen non limitatur ad vnum actum, seu ad vnum tantùm tempus, sed comprehendit, quidquid juxta naturam præcepti diuersis temporibus occurrere potest, secundùm rectam rationem, talisq; præcepti interpretationem prudentem, Et sic ille, qui semel in anno communicat, satisfacit præcepto Diuino, & Ecclesiæ, Addit Valentia *tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 8. *puncto* 4. communionem ex Diuino præcepto sumendam esse, quoties judicio prudentis judicatum fuerit opus esse communione, ad superandas tentationes. Sed hæc opinio non admittitur à multis DD. Vide Bonacinam *d.* 4. *q.* 7. *p.* 1. *n.* 10.

ARTICVLVS VI.

Quando præceptum Ecclesiæ obligat ad communionem?

Præceptum Ecclesiæ de communione

DICO 1. Datur præceptum Ecclesiasticum communionis in Paschate. Constat ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Et habetur expresse *Capitulo Omnis vtriusq; sexus de pœnitentia.* Vbi omnes fideles postquam ad annos discretionis peruenerint obligantur ad communionem in Paschate. Hoc idem definitum est *in Trident: Sess.* 13. *Can.* 9. Hâc lege non obligantur carentes vsu rationis, qui à natiuitate tales sunt, & nunquam lucida interualla habent. Similiter non ligantur pueri hâc lege ante vsum rationis: quando autem pueri hâc lege teneantur; pendet non tam ex annis, quàm ex discretione, & instructione, circa hoc mysterium vt dixi supra.

Pueri quando ligantur.

Paruulis in articulo mortis an liceat.

PETES *An paruuli existentes in articulo mortis ante annum decimum, teneantur Eucharistiam sumere, si vsum rationis habeant?*

Respondet Aretinus *in* 4. *d.* 9. *a.* 8. existimans esse obligationem, tam ex parte petentis, quàm dispensantium; quia tales sunt capaces fidei, & reueren-

uerentiæ Sacramenti, suntq; in periculo, in quo non expectant commodiùs tempus ad recipiendum hoc Sacramentum cum meliori dispositione. Ergo tunc accipere debent.

Dico 2. Tempus præscriptum communioni, juxta declarationem Eugenii IV. est à Dominica Palmarum, vsq; ad Dominicam in albis: in Regno verò Poloniæ ab Vrbano VIII. tempus communioni præscriptum à Dominica passionis inclusiuè vsq; ad sabbathum Dominicæ Secundæ post pascha. *Tempus præscriptum.*

Dico 3. Hoc præceptum obligat fideles tantùm semel in anno. Patet ex jure citato.

Dico 4. Qui communicat cum conscientia peccati mortalis, & sacrilegè, satisfacit præcepto Ecclesiæ; non autem Diuino. Secunda pars constat ex 1. ad Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo &c.* Prima pars est communis Theologorum. Probatur, quia Ecclesia solùm actum communionis externum præcipit, quem præfatus integrè ponit; & quamuis intendat actum illum cum debita reuerentia fieri, vel intelligitur reuerentia externa, quæ etiam exhibetur; vel interna debitæ dispositionis, & hanc non præcipit, sed de ea instruit, eamq; jure Diuino præceptam supponit. Ita Coninch. *q. 80. a. 11. dub. 4. n.* 107. Emmanuel Sa. *Verbo Eucharistia n.* 15. Bonacina *d. 4. q. 7. p. 2. n.* 12. Rodericus *de Communione cap. 64. num. 5.* *Per communionem sacrilegam satisfit præcepto Ecclesiæ.*

Dico 5. Qui videt se impediendum ne in Paschate communicet, non tenetur tempus præscriptum præuenire. Ita Coninchus *loco citato n.* 108. Aretinus noster *loco citato, a. 9.* Probatur quia aliâs cessante impedimento, non teneretur communicare tempore præscripto, quod falsum est: si ergo tenetur; per talem communionem anticipatam non adimpleuit præceptum, & sic ad eam non tenebatur ex vi præcepti. *Non tenetur tempus anticipare.*

Dico 6. Qui omisit communionem in paschate, ex vi hujus præcepti tenetur quamprimùm communicare. Ita Aretinus & Bonacina *locis citatis.*

ARTICVLVS VII.

An meliùs sit frequentiùs quàm raro communicare?

Nota 1. Ex duobus capitibus spectandum esse, an alicui consultum sit frequentiùs, vel rariùs, communicare: scilicet ex parte Sacramenti, & ex conditione suscipientis. Quare S. Bonauentura monet *in 4. dist. 9. q. 3. Et libro de profectu Religionis, profectu 7. c. 21.* quinam ad communionem frequentem sint admittendi, quod referam conclusione 2.

Frequentiùs communicare vtiliùs. DICO 1. Per se loquendo, & ex parte Sacramenti consultiùs est, & vtiliùs, frequentiùs communicare, quàm rariùs. *Probatur* 1. Quia nulla frequentia in vsu Eucharistiæ est prohibita jure Diuino. Et primi Christiani quotidiè communicabant, vt constat ex *Actis Apostolorum cap. 2.* Et Concil. Tridentinum Sess. *22. cap. 6.* inquit. *Optaret Sacrosancta Synodus, vt in singulis Missis fideles adstantes, non solùm spirituali affectu, sed Sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione, communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificij fructus vberior proueniret. Et Sess. 13. cap. 8.* hortatur ad frequentem communionem.

Authoritates SS. Patrum. Probatur 2. Ex *SS.* Patribus. *S.* Ambrosius *libro 5. de Sacramentis cap.* 4. dicit. *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis. Quotidiè accipe, vt quotidiè tibi prosit: Sic viue, vt quotidiè merearis accipere.* S. Aug. Epistola 121. ad Probam, in verbis illis Dominicæ orationis; *Panem nostrum quotidianum,* Eucharistiam intelligit. S. Ignatius. *Epist. ad Ephesios,* consulit dicens, *Date operam, vt frequentiùs congregemini ad Eucharistiam.*

Rationes. Probatur ratione. Tùm quia illi qui frequentiùs communicant, maximè in se augent gratiam, & ostendunt maximum suum in Deum affectum, cui quantùm possunt, quotidiè vniri cupiunt. Tum quia frequenter accedere, est ex propensione charitatis, differre autem, aut est ex negligentia, aut ex timore. Sed per se loquendo, meliùs est operari ex charitate, quàm ex timore. Ergo.

Nota regulam. DICO 2. Quàm frequenter vnumquemq; conueniat communicare generalis regula nequit præscribi, sed ex statu, ac conditione cujusq; personæ, prudenti judicio confessarii, spectari debet. Regulam talem S. Bonauentura locis citatis tradit. Si enim cognoscit ex quotidiana sumptione feruorem amoris augeri, & reuerentiam non minui, talis potest quotidiè sumere: si autem cognoscit per quotidianam frequentationem reuerentiam minui, & feruorem non multùm augeri, debet talis interdùm abstinere. Vnde S. Aug. qui refertur *de consecrat. distin.* 2. *dicit. Si dixerit quispiam non quotidiè accipiendam Eucharistiam, & alius affirmet quotidiè,* *Nota.* *faciat vnusquisq; quod secundùm fidem suam piè credit esse faciendum.* Quare pro diuersitate statuum, & personarum, concedenda frequentior communio, frequentiùs Religiosis, quàm secularibus, cæteris paribus, continentibus, quàm conjugatis, purioris conscientiæ, quàm non ita puræ. Cauenda tamen etiam est nimia frequentia iis, qui sunt purioris conscientiæ, & à mundo abstracti, ne vel appareant omninò singulares, aut suo exemplo,

plo, alios minùs dispositos pertrahant, vt frequentiùs communicent, quàm eis expediat. In quibus omnibus discernendis, prudentis confessarii consilio, & judicio opus est.

DICES S. Aug. *lib. de Eccl. dogmatibus c. 54.* dicit. *Quotidiè Eucharistiam sumere, nec laudo, nec vitupero.* Et S. Hieron. *contra Iouinianum. Scio Romæ esse hanc consuetudinem, vt fideles semper corpus Christi accipiant; quod nec probo, nec vitupero.*

Ergo si Sancti Patres isti in biuio sunt, quoad frequentem communionem, consultum non erit adeò frequenter communicare.

RESPONDEO. Sancti Patres isti, minimè improbant frequentem communionem, sed dum dicunt, *nec laudo, nec vitupero*, insinuant frequentiam communionis secularium, dirigi judicio prudentum Sacerdotum, & Confessariorum, qui illorum conscientias gubernant, qui bonam, vel malam dispositionem diligenter vniuscujusq; considerare debent, & an fructum aliquem exindè sint reportaturi. *SS. PP. mens exponitur.*

COLLIGE I. Confessarium pium, & prudentem, debere semper habere rationem dignitatis Sacramenti, & necessitatis ejus qui communicat, ac dispositionis & status illius. Vnde si aliquas Personas adeò excellentis virtutis, ac sanctitatis inuenerit, adeò hoc Diuinum Sacramentum appetere, & esurire, optimèq; esse dispositas, poterit ter, vel quater in hebdomada, eis communionem concedere, præsertim illis quæ sunt Dei obsequio dedicatæ, ac à Matrimonii oneribus, ac seculi occupationibus, liberæ. Quare Confessarii debent aduertere, an benè faciant, qui quotidiè Deuotulis quibusdam communionem permittunt, quæ Deuotulæ sunt garrulæ, rumoresq; per Ciuitatem spargentes, minimè recollectæ, contentiosæ &c. tales enim Confessarii strictam rationem Deo reddent, talibus communionem frequentem concedentes. *Notent Confessarii.*

COLLIGE 2. Ne nimiùm aliqui Sacram communionem differant sine causa, vel ne timeant frequenter accedere, plurimis miraculis Deus illustrauit. S. Hilarius Episcopus Arelatensis memorat, de S. Honorato Ambianensi Episcopo, cùm hæsitaret, recepturusne esset hoc Sacramentum, an deberet abstinere? ab imagine Saluatoris in altari depicta, porrectam miraculosè Eucharistiam, accepit. Lucas Wadingus *in Annalibus 1243. n. 6.* refert de S. Bonauentura, eum tantâ humilitate præditum fuisse, vt cùm diù aliquando adhuc iunior se indignum putaret Eucharistiâ, quem tamen Deus dignum iudicauit, vt ab Angelo eam reciperit. *Nota diligenter.*

DICO 3.

In die sæpiùs communicare non licet.

Dico 3. Non licet homini laico, sæpiùs in die communicare. Colligitur *ex capite Consuluisti, de celebratione Missarum, & cap. sufficit de consecrat. dist. 1.* Excipe casum quo necessarium esset aliquem secundò eodem die venerabile Sacramentum sumere, ne veniret in manus infidelium, aut hæreticorum.

Quâuis horâ communicare licet.

Dico 4. Nullam certam horam vllo iure communi esse præscriptam, quare absolutè loquendo, si scandalum absit, quâuis horâ licet ieiuno communicare, vt docet Angelus, *Verbo Eucharistia n. 36.* Syluester *ibidem quæst.* 15. Reuerentia tamen Sacramenti postulat, vt seruetur illud tempus, quo communiter communio solet distribui; neq; extra necessitatem permittendum, vt aliquis sub vesperam, aut nocte intempestâ communicet, extra casum infirmitatis.

ARTICVLVS. VIII.

An laici teneantur iure Diuino communicare sub vtraq; specie?

Aliud est institutio, aliud præceptum.

Nota Aliud esse institutionem Christi Domini; aliud præceptum, multa siquidem à Christo Domino instituta sunt, quæ tamen præcepta omnibus non sunt, V. G. Ordo, & Matrimonium, & tamen non omnes tenentur ordines suscipere, aut Matrimonium contrahere, ita licet communio sit instituta sub vtraq; specie, non tamen præcepta.

Vsus non est præceptus, sub vtraque specie.

Dico 1. Licet Christus Dominus sub vtraq; specie instituerit Eucharistiam: non tamen præcepit vsum omnibus vtriusq; speciei. Prima pars patet, *Matth. 26. Luc. 22. Marci 14. 1. ad Corinth. 11.* siquidem enim in cæna vltima Christus Dominus, non solùm Sacramentum, sed etiam Sacrificium instituebat, proinde meritò vtramq; speciem coniunxit. Secunda pars probatur, quia præceptum hoc non potest ex institutione desumi, vt vidimus in Notando 2. Neq; in scripturis tale præceptum ostendi potest; nam vel continetur Ioannis 6. vt volunt Husitæ. *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Atqui Lutherani dicunt, in eo capite non agi de Eucharistia, sed dato quòd agatur, indicetq; Christus Dominus eam sumi per modum cibi, & potus, præceptum tamen sumendi propriè, non cadit super modum sumendi, sed super rem sumptam, quæ sub vna specie tam perfectè, est quàm sub duabus; Tum quia iuxta hæbraismum, ista propositio potest accipi disiunctiuè,

Præceptum hoc non potest ostendi in SS. literis

junctiuè, ita vt & sumatur pro vel, vt Exodi 21. Vbi noster habet. *Qui percusserit patrem suum, aut matrem morte moriatur.* Hebræa habent. *Qui percusserit Patrem, & matrem &c.* ita in proposito. Vel certè colligeretur ex illo loco, Lucæ cap. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, vt volunt Lutherani, sed repugnat Caluinus, qui vult id solis Ecclesiæ Ministris, non laicis dictum. Vel ex illis verbis, *Bibite ex eo omnes*, *Matth.* 26. vt vult Caluinus. Vel ex prima ad Corinth. 11. *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis.* Sed ex nullo horum. Non ex primo, vt vidimus, in vsu enim Sacramenti est substantia, & modus; substantia in hoc est, vt homo manducet carnem, & bibat Sanguinem, & hoc præcepit Christus Dominus. Modus autem est, vt homo manducet sub vna tantum, vel sub vtraq; specie, & hoc ibi non præcepit Christus Dominus, nam illo capite toto, non fit mentio calicis, aut vini; & licet fiat mentio Sanguinis, hic æquè sub vna specie, atq; sub duabus continetur, quia caro Christi Domini in Eucharistia est, Viua. Ergo habens Sanguinem. Neq; istæ voces *bibere & manducare*, ponunt sub præcepto vtramq; speciem, quia bibere, & manducare sæpè pro eodem sumuntur, vt Psalmo 68. dicitur, *Dederunt in escam meam fel;* quod Matthæus cap. 27. interpretatus est, *Dederunt ei vinum bibere cum felle mistum.* Non deducitur ex illo loco Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Tùm quia S. Lucas posuit hæc verba ad distributionem Sacramenti sub specie panis. Sed hoc non repetiit ad porrectionem calicis. Ergo non iussit sumere sub vtraq; specie. Tum quia in his verbis est solùm præceptum Ecclesiæ ministris, vt consecrent sub vtraq; specie: istis enim verbis potestatem dedit Apostolis consecrandi: ordinauitq; eos Sacerdotes. Quòd si aliquis contendere velit prædicta verba ad omnes spectare, id verum esse quoad substantiam Sacramenti, non autem quoad modum, vt sumant sub vna, vel sub vtraq; specie. Instant 1. hæretici non posse hæc verba *Hoc facite;* exponi *consecrate*, quia in Græco textu habetur τοῦτο ποιεῖτε *Hoc facite.* Respondeo istis verbis præcepit Dominus, vt quod illum facere viderant, ipsi postmodùm facerent. Sed Christus Dominus panem in manus suas accepit, benedixit, consecrauit, consecratumq; eisdem Apostolis distribuit. Ergo illis præcepit, vt panem accipientes similiter benedicerent, consecrarent consecratumq; populo traderent. Instant. 2. S. Paul. 1. *ad Corint. c.* 11. apposuit ad calicem *Hoc facite quotiescunq; bibetis, in meam commemorationem.* Respondeo, S. Paulus hic non ponit præceptum, vt omnes sumant corpus & Sanguinem Christi Domini sub vtraq; specie, sed

Substantia & modus.

Substantiam Dominus præcepit.

Bibere non ponit vtramq; speciem.

Non potest ostendi ex S. Luca.

Instantiæ hæreticorum.

cie, sed tantùm historiam institutionis recenset. Licet igitur S. Paulus repetierit eadem verba post sumptionem calicis, tamen hoc fecit cum moderatione, *Hoc facite quotiescunq; bibetis &c.* quæ moderatio declarat, non esse hîc præceptum de sumptione calicis, sed solùm de commemoratione mortis Domini; idq; non absolutè, sed sub conditione, non enim absolutum præceptum continetur his verbis, vt Calicem bibamus, sed sub conditione, si volumus bibere, vt faciamus hoc in memoriam passionis Dominicæ. Ergo S. Paulus nullo modo injunxit necessitatem calicis, sed ejus vsum liberum reliquit, aliâs frustra dixisset. *Quotiescunq; bibetis.*

Particula omnes ad quos extenditur.

Non deducitur ex eo loco Matth. 22. *Bibite ex eo omnes:* nam particula *omnes*, non potest extendi ad omnes homines, sed solùm ad eos qui erant præsentes. Sed nemo præsens erat nisi Apostoli, quos tunc Sacerdotes consecrabat: cùm ergo dicit, *Bibite ex eo omnes* solis Apostolis hoc dicit, & Sacerdotibus: quod expressit S. Marcus *c.* 14. *Et biberunt ex eo omnes. Vbi omnes*, non significat nisi Apostolos, qui reuera biberunt. Ergo illud *omnes bibite* non potest significare, nisi Apostolos. Quòd si dicant intelligi etiam fideles adultos, qui omnes in Apostolis biberunt. Respondeo, Ergo si omnes biberunt in Apostolis, præceptum jam est impletum, nec ampliùs ad illud obligantur, Sed ex fundamento respondeo: Illis dixit *Bibite ex eo omnes*, quibus corpus suum dedit, qui cum ipso ad mensam recumbebant. Sed illi erant soli Apostoli. Ergo per illud *Bibite ex eo omnes*, nulli præter Apostolos, Sacerdotes, & consecrantes, sunt accipiendi. Ergo in his verbis nullum præceptum sumendi Eucharistiam sub vtraq; specie continetur.

Instantia hæreticorum soluitur.

Instant hæretici, Christus ait, *Quod vobis dico, omnibus dico*, Ergo omnibus dictum est, *bibite ex eo omnes.* Respondeo Negando consequentiam; licet enim quando dictum est Apostolis *vigilate*, omnibus sit dictum juxta declarationem Christi Domini dicentis, *Quod vobis dico omnibus dico, vigilate*, id est, parate vos ad diem judicii, de quo ibi sermonem faciebat. Alioqui si omnia quæ Apostolis dixit, ad omnes pertinerent, sequeretur quòd omnes deberent ire per mundum, vxores deserere, nullas possessiones possidere, neq; aurum, neq; pecuniam: quod tamen hæreticos non videmus facere.

Deinde neq; 1. ad Corinth 11. præcipitur vsus Eucharistiæ sub vtraq; specie, distinguenda enim sunt hæc tria, institutio Eucharistiæ, traditio Apostolica de Eucharistia, & præceptum juris Diuini, vt sumatur sub vtraq; specie: licet igitur Apostolus historiam institutionis Sacramenti tradiderit,

rit, non tamen præceptum posuit, vt omnes sumant sub vtraq; specie; quia hoc præceptum non potest deduci ex sacris literis.

Dico 2. Rectè Ecclesia Catholica docet, non esse præceptam communionem à Christo Domino sub vtraq; specie. Probatur 1. ex exemplo Christi Domini, qui discipulis euntibus in Emmaus, panem benedixit, & in corpus suum conuertit illisq; sub vna specie porrexit. *Luc.* 24. Et licet aliqui prædicantes in dubium id reuocare velint, oppono tamen illis S. August. *lib. 3. de consen. Euang. c.* 25. S. Hieron. in Epistola *Paulæ* ad Eustochium. *S.* Chrysost. homil. 16. Theophyl. *in caput* 24. *Lucæ.* qui expresse tenent, illis datam Eucharistiam sub vna specie: quorum authoritatem, quis non faciat pluris, quàm omnium hæreticorum temeritatem. Quòd si instent, Cur hîc sub vna specie porrexit, cùm tamen in vltima cæna sub vtraq; instituit? Respondeo quia in cæna sacrificium juge instituit secundùm ordinem Melchisedech, sub specie panis, & vini, & Sacerdotes ordinauit Apostolos, hîc autem vt Sacramentum sub vna porrexit. Ergo communio non est præcepta sub vtraq; specie. Probatur 2. Apostoli vsum vnius speciei exemplo suo approbârunt. Ergo sub vtraq; specie, non esse præceptum intellexerunt. Antecedens probatur. *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Actor.* 2. vbi Syrus vertit, *communicabant in precibus, & fractione Eucharistiæ.* Et Act. 20. *Vna sabbatorum cùm conuenissemus ad frangendum panem.* Et 1. ad Corint. 10. *Vnum corpus sumus, qui de Vno pane participamus.* Sed in his locis nulla fit mentio calicis. Ergo non est præceptum sumere sub vtraq; specie. Tertiò probatur, quia multi erant inter fideles, quibus Apostoli præmittebant obseruationem legis. *Num.* 6. quæ præcipiebat eos abstinere à vino, qui tamen non abstinebant à communione, quam sumebant sub vna specie. Tùm quia multi erant ex eis Nazaræi qui non bibebant vinum, vt patet *Act.* 18. 21. 23. Atqui hi sumebant Eucharistiam sub vna specie. Ergo non est præceptum sumendi sub vtraq;. Præterea laici sub vna specie, non accipiunt solam carnem, sed carnem & sanguinem simul, imò totum Christum: & hoc sensu docent Theologi sub vna specie non minùs contineri totum Christum, quàm sub vtraq;; nequit enim diuidi Christus; vbi enim caro ejus est, ibi & Sanguis, & anima, atq; Diuinitas inueniuntur. Christus enim est immortalis juxta illud *ad Rom.* 6. *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur.* Ergo caro, Sanguis, anima, & Diuinitas semper manent conjuncta, ac proinde cùm sub specie panis sit caro Christi, necesse est

Rectè Ecclesia docet Catholica, non esse præceptum sub vtraq; specie.

Exemplum Domini.

Apostolorum exemplum.

Tertia probatio.

Totus Christus est sub vna specie.

est etiam Sanguinem, animam, & diuinitatem, atq; adeò totum Christum adesse. Ex quo sequitur, non minorem fructum percipi ex vna specie, quàm ex vtraq;, totus enim fructus percipitur à præsentia Christi, qui non minùs sub vna, quàm sub vtraque specie præsens est, quod constat ex capite 6. Ioan. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducet non moriatur, sed habeat vitam æternam.* Ecce vnius speciei fructus vita æterna. Quod enim vtrique speciei Christus Dominus in sacrificio adscribit, hoc etiam adscribit vni speciei extra sacrificium, quia vtrobique Christus integer est, & continetur. Instant hæretici, Cur ergo Sacerdotes non sunt contenti vna specie, sicut iubent laicos contentos esse? Respondeo Sacerdotes ideò sub vtraq; quia non solùm Sacramentum accipiunt, sed etiam vt sacrificium offerunt: Laici verò Eucharistiam accipiunt, vt Sacramentum, & sic contenti debent esse vnica specie.

ARTICVLVS IX.

A quo tempore in Ecclesia fuit vsus vnius speciei?

Indifferens vsus fuit in Ecclesia vtriusq; speciei.

NOTA Vsus indifferens, & promiscuus fuit in Ecclesia Eucharistiæ, siue sub vna, siue sub vtraq; specie, vsq; ad tempora Leonis Magni, qui præceperat obseruari eos; non qui aliquando, sed qui semper abstinerent à calice, non quòd hoc malum per se esset, hoc enim nulla ratione (sed contrarium potiùs) indicat, sed quia Manichæi per illud signum tunc poterant deprehendi, qui vinum tanquam à diabolo creatum detestabantur. Deinde sublatâ hac hæresi, rursùm fuit promiscuus vnius, vel vtriusq; speciei vsus, vsq; ad Concilium constantiense, in quo interdictus fuit vsus Eucharistiæ laicis sub vtraque specie, certis de causis.

Semper fuit vsus sub vna specie.

DICO Itaque, licet initio Ecclesiæ fuerit permissa communio sub vtraque specie: semper tamen fuit vsus communionis à temporibus Apostolorum, vsque ad nos, vnius speciei. Hanc conclusionem omnes SS. Patres, omnesque Ecclesiasticæ historiæ confirmant. Hinc

COLLIGE Hæreticos falsò asserere vsum Eucharistiæ cæpisse sub vna specie, ante trecentos annos in Ecclesia, cùm cæperit ab initio Ecclesiæ. Legant Hæretici S. Augustinum *Serm. 252. de tempore.* S. Ambrosium *de initiandis mysteriis cap. 9.* S. Hieron. *in Apologia pro libris contra Iouinianum.* quorum temporibus, fuit vsus sub vna specie: legant antiquissimos Theologos, S. Thomam D. Angelicum, qui floruit ante annos trecentos, qui

3. p. q.

3.p.q.80. a.12. dicit. *Eas Ecclesias, rectè facere, quæ non communicant populum, nisi sub vna specie.* Hoc idem docent omnes discipuli D. Angelici, & D. Subt. S. Bernardus in suo monasterio communionem præbebat sub vna specie, vt constat *ex lib. 1. c. 11. vitæ ipsius.*

Confirmatur 1. Quia olim in primitiua Ecclesia dabatur fidelibus Eucharistia domum ferenda, vt commodo tempore possint eam sumere, idque sub vna specie panis, quia calix solùm in templo per Diaconum distribuebatur, neque licebat eum secum domum ferre. Confirmatur 2. quia ad ægrotos, & moribundos communiter, sub vna specie panis, communio mittebatur, vt constat ex Eusebio *libro 6. historiarum, Capt. 36.* Sozomeno, & alijs, quos refert Bellarm. *Libro 4. cap. 24.* Confirmatur 3. Quia in multis Ecclesiis Latinis, fuit mos communicandi tantùm, sub vna specie ante annos 800. ex Concil. Constant: *Sess. 13.* & Basilien. *Sess. 30.* Et Cardinalis Hosius Polonus, *in Dialogo de vtraq; specie*, ex historiis & monimentis, refert in Regno Poloniæ, ex quo fidem recepit, (plusquàm à sexcentis annis) semper vsum fuisse communionis sub vna specie. Deniq; ordo Romanus ante 800. annos editus, manifestè indicat, in Romana Ecclesia, fuisse vsum publicum vnius tantùm speciei. Neque enim nego quòd fuerit in vsu vtraque species, sed nego vtramque esse sub præcepto, ita vt sit illicitum sub vna communicare specie, sed aliquando sub vna, aliquando sub vtraque, pro necessitate, & exigentia temporum permittebatur. *Ex historiis probatur vsus vnius speciei.*

ARTICVLVS X.

An Ecclesia potuerit communionem præcipere sub vna specie, & cur?

Dico 1. Potuit. Probatur, quia quod non est jure Diuino prohibitum, & non pertinet ad mutationem essentialem Sacramentorum, potest Ecclesia disponere, & ordinare, quia 1. *ad Corinth.* 11. *S.* Paulus de Sacramenti perceptione dicit, *Cætera cùm venero disponam.* Sed duæ species nullibi sunt præceptæ; nam alioquin Christus, & Apostoli istud præceptum fregissent: neq; pertinent ad essentiam Sacramenti, vt Sacramentum est, non autem vt sacrificium. Ergo potuit Ecclesia præcipere. *Potuit Ecclesia præcipere vnam speciem.*

Dices Quod jure Diuino relictum est liberum, id jure Ecclesiastico non potest reddi non liberum. Sed communio sub vnica specie, aut sub vtraq; specie, libera est relicta jure Diuino. Ergo jure Ecclesiastico, non potest tolli hæc libertas. *Quomodo iure Diuino libera communio sub vtraque specie.*

Quomodo iure Diuino libera communio sub vtraque specie.

Respondeo Distinguendo Majorem, quod jure Diuino relictum est positiuè, vt sit fidelibus liberum semper, id Ecclesia non potest mutare: quod est relictum à jure Diuino liberum negatiuè, ita vt non determinet modum, non tamen prohibet, ne Ecclesia determinare possit, imò ipsius dispositioni reliquit, hoc potest reddi non liberum, per præceptum Ecclesiæ. Lege S. Augustinum *Epistola 118. ad Januarium* vbi egregie hac de re disserit, non potest igitur substantiam Sacramentorum Ecclesia mutare, at benè modum: sicut liberum reliquit, vt in Baptismo, trinâ, vel vnicâ mersione vterentur fideles, & tamen in Tolet; Concil. prohibita fuit trina mersio.

Cur communio laicis præcepta sub vna specie.

DICO 2. Ecclesia iustis de causis, præcepit laicis communionem sub vna specie. Primò vt hoc facto doceat, Christum Dominum integrum contineri tam sub vna, quàm sub vtraque specie, contra aliquos hæreticos, qui dicebant sub specie panis solùm corpus exangue esse. Secunda vt esset conformitas per totam Ecclesiam cùm enim ob incommoda multa, non possent omnes communicare sub vtraque specie, optimè Ecclesia præcepit, vt vbiq; fiat communio tantùm sub vna. Tùm quia vix possibile est in locis quibusdam, vbi est penuria vini, vt multis hominum millibus ad communicandum sufficiat, alioquin commodiùs Christus Dominus fecisset, si calicem in aqua, quæ vbique habetur, instituisset. Tùm quia multi natura abstemii sunt, qui si vini guttulam gustarent, statim ad vomitum commouerentur, vbi apertè tanta irreuerentia irrogaretur: deinde si isti arcerentur à calice, præceptum non implerent, vel certè dispensandum esset cum illis; at in lege Diuina quis dispensare potest? Ergo de jure Diuino non est communio sub vtraq; specie. Tùm quia, in quibusdam regnis, & prouinciis, vt in Iaponia, & Noruegia vinum non habetur, & aliundè importatum illicò acescit. Tùm quia in tanta multitudine fidelium, qui ad Eucharistiam accedunt, frequenter esset periculum magnæ irreuerentiæ, in hoc Sacramento, & effusionis calicis. Deinde multi habent mystaces densos, in quibus si aliquid remaneret Sanguinis, qualis esset reuerentia? Tùm quia multi sunt, qui sine nausea, & periculo vomitus, bibere ex eodem vase, ex quo alii bibunt, bibere non possunt.

Denique Quia totus CHristus sumitur sub vna specie, sicut sub vtraque, neque minor fructus sumitur ex vna, quàm ex vtraque. Ergo &c.

Obiici-

Obiiciunt 1. Hæretici multa loca ex *Sacris* literis, ex quibus contendunt probare esse præceptum *Domini*, vt sub vtraque sumatur specie Eucharistiæ. Sed nullum locum possunt producere, vt vidimus *Articulo 8.*

Obiiciunt 2. Multa ex SS. Patribus, maximè ex Gelasio Papa, qui ante mille annos damnauit communionem sub vna specie, vt constat ex *capite Comperimus de Consecrat. dist. 2.* Ergo vtraque species non potest sine sacrilegio intermitti. Respondeo *Sanctos* PP. nihil aliud probare, quàm aut olim fuisse etiam laicis vsum calicis permissum, quòd & nos concedimus: aut necessariò ab omnibus sumendum *Sanguinem* Domini, quem fatemur ab omnibus sub specie panis, necessariò sumi; quare non faciunt vim in modo sumendi, sed in ipsa sumptione, *Sanguis* itaque sumitur sub vna specie, quia vbi est viuum corpus, ibi est *Sanguis*. Ad Gelasium Dico, quòd loco citato reprehendat Manichæos, qui semper ad defendendum suum errorem, abstinebant à calice: docebant enim illi Christum phantastico corpore indutum fuisse, quod Sanguine careret, & sic communio eorum *Sacrilega* fuit, & superstitiosa. *SS. Patres explicantur* *Gelasius exponitur.*

Obiiciunt 3. Rationes. 1. hoc Sacramentum sub duplici specie fuit institutum. Ergo ita sumendum est. *Secunda*, Calix ipse cum sit verum Sacramentum, etiam verè confert gratiam. Ergo injustè hoc laici priuantur. 3. Iudæi 1. *Corinth.* 10. non solùm idem manna manducauerunt, sed etiam de eadem petra biberunt, quæ erant figura hujus Sacramenti. Ergo omnes debent sub vtraque specie sumere. 4. Eucharistia est perfectum conuiuium. Atqui tale non est, vbi deest potus. Ergo. *Rationes hæreticorum*

Respondeo. Ad primum, Instituit, magis vt *Sacrificium*, non vt Sacramentum.

Ad Secundum, Dico, vtramque speciem per se, non plus conferre gratiæ, quàm vnam. *Solutio rationum hæreticorum.*

Ad Tertium. Respondeo Israelitas indiguisse, & manna, & aqua; quia neutrum erat cibus, & potus, secùs est de nostro *Sacramento*; nam sub vtraque separatim cibus, & potus. Addo Israelitas, non tam citò, nec tam diu, bibisse ex illa petra, quàmdiu comederunt manna: & sic pro nobis hoc facit.

Ad Quartum. Negatur Minor: quia in spiritualibus non habent locum corporeæ qualitates, vbi est idem manducare, & bibere, esurire & sitire *Matth.* 5.

QVÆ-

QVÆSTIO IX.
De Effectibus Eucharistiæ.

1. hîc quæram An Sacramentum hoc sit signum rememoratiuum?
2. An hoc Sacramentum sit signum demonstratiuum gratiæ.
3. An hoc Sacramentum remittat mortalia, & venialia peccata, & Pœnas temporales.
4. An Eucharistia habeat aliquos effectus circa corpora humana.

ARTICVLVS. I.
An Sacramentum hoc sit signum rememoratiuum?

Eucharistia est lignum vitæ.

NOTA 1. Multi Doctores comparant SS. Eucharistiam ligno vitæ, quod teste S. Joanne *Apocal. 22.* duodecim fructus afferebat singulis mensibus, sic duodecim fructus, & vtilitates Sacramenti Eucharistiæ enumerantur. Primus, pellere dæmonem, & omnes præstigias ejus, juxta illud. *Parasti in conspectu meo mensam, aduersùm omnes qui tribulant me. Psal. 22.* Secundus fructus, vnio animarum cum Christo. *Qui manducat meam carnem &c. in me manet, & ego in illo.* Tertius fructus, vnio mutua fidelium inter se. 4. fructus, vitam multiplicem perficit naturæ, gratiæ, & operationis, excitando liberum arbitrium. 5. fructus, gratiam adauget, de quo Articulo 2. 6. fructus Animæ vires roborat & confortat, est enim *panis* ille, qui *cor hominis confirmat.* 7. fructus, Illuminat mentem. Est enim *lux mundi & lumen ad reuelationem gentium.* 8. fructus, liberat à peccatis, & omnibus infirmitatibus spiritualibus. 9. fructus, pellit morbos corporales; de quo Articulo 3. 10. fructus, præseruat à periculis, est enim in hoc Sacramento ille qui promisit, *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* 11. fructus, releuat animas in purgatorio existentes. 12. fructus, confert animabus & corporibus immortalitatem *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, Et ego resuscitabo eum in nouissimo die.*

Fructus Sacrii Eucharistiæ.

Signum quid. Signum triplex.

NOTA 2. Cùm enim hoc Sacramentum sit signum, sicut & quodlibet aliud; *signum autem est, quod præter sui cognitionem, inducit nos in cognitionem alterius*, Signum verò aliud est, rememoratiuum, aliud demonstratiuum, aliud prognosticon; ita & hoc Sacramentum, iuxta illud, *ó Sacrum conuiuium in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* & ita Eucharistia denunciatur signum esse rememoratiuum, demonstratiuum, & prognosticon, futuræ gloriæ.

DICO

Dico itaque 1. Christus Dominus dedit Ecclesiæ suæ sanctissimum hoc Sacramentum in pignus, ac memoriale passionis suæ. Patet ex 1. ad Corinth. 11. *Quotiescunq; manducabitis &c. mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Ergo est memoriale perpetuum sacratissimæ mortis, & reconciliationis, quâ nos Patri placauit. Vnde rectè S. Thomas inquit, *Quod in cæna Christus gessit, faciendum hoc expressit, in sui memoriam,* Nam etsi signa & miracula testentur illum esse Saluatorem, & Redemptorem nostrũ, tamen per illa non redemit nos, sed per ea quæ mundo stulta, & infirma videbantur, hoc est per crucem, & mortem, quam nostri causa est perpessus. Confirmatur Quia quoties viri Sancti Sacratissimam Eucharistiam aspiciebant, & adorabant, toties in memoriam passionem eius reuocabant. Mirabilis liber legitur Apoc. 10. S. Ioan. datus, *qui fecit amaricari ventrem eius, & in ore fuit dulcis tanquam mel.* Quid liber iste comestus, os manducantis indulcorans instar mellis? at ventrem instar absynthii amaricans? quid hoc? an idem quod in se dulce in seipso etiam amarum? Diuerso respectu in hoc mysterio id contingit, assidua namque Passionis Dominicæ meditatio, palatum animæ, mirâ dulcedine cælestis gratiæ, perfundit; cor autem contritione, & amarissimis compunctionis lachrymis, ob præteritæ vitæ crimina, sic afficit, sic conterit, sic intimo mentis dolore conuulnerat, vt quodam modo colliquescat.

Eucharistia est signum rememoratiuum passionis

Dico 2. Eucharistia est signum rememoratiuum amoris Christi Domini erga genus humanum, iuxta illud Ioan: cap. 13. *Cùm dilexisset suos; in finem dilexit eos.* quem amorem, B. Petrus de Alcantara *in suo Aureo libello de Medit. c. 4.* vocat ardentissimum; & effusissimum, quem nulla lingua exprimere potest.

Est signum amoris.

ARTICVLVS. II.

Quomodo Eucharistia sit signum gratiæ demonstratiuum?

Nota 1. Gratia alia est habitualis, quæ est charitas, seu gratia sanctificans, quæ in nobis habitualiter, & permanenter inhæret. Alia actualis, quæ est auxilium aliquod actuale, quô vel ad habitualem disponimur, vel tentationibus resistimus, vel in bono perseueramus, vel aliud quidpiam boni operamur.

Gratia habitualis, & actualis.

Nota 2. Effectus hujus Sacramenti spectatur, vel ex opere operato, id est ex vi, & efficacia Sacramenti, vel ex opere operantis, id est, ex dispositione, merito, & deuotione suscipientis.

Euchariſtia confert augmentum gratiæ habitualis.

Dico 1. Sacramentum iſtud confert augmentum gratiæ habitualis. Probatur Ioan. 6. dicitur. *Qui manducat meam carnem & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Sed hæc habitatio Chriſti Domini in nobis, fit per gratiam & charitatem.

Ratio eſt, quia Euchariſtia, eſt Sacramentum vnionis cum Chriſto Domino, ita vt vnio illa ſit principalis, & primarius effectus ejus. Sed hæc vnio non poteſt fieri, niſi mediante charitate. Ergo per hoc Sacramentum augetur gratia, & charitas in nobis, per ſuſceptionem hujus Sacramenti, neq; tamen peruentura eſt pro hoc ſtatu ad ſummum gradum, quia habet latitudinem tantam, quanta percurri non poteſt, pro hoc ſtatu viæ.

Confert gratiam actualem.

Dico 2. Sacramentum Euchariſtiæ confert gratiam actualem, tùm primam, tùm ſecundam, id eſt gratiam præuenientem, concomitantem, adiuuantem, & ſubſequentem, ita videtur eſſe determinatum à Concil. Tridentino *Seſſ. 13. c. 2.* Vbi ſolùm facit mentionem auxiliorum actualium, non autem gratiæ habitualis; datum enim eſt hoc Sacramentum in robur, contra tentationes, in remedium, ne homo ſuccumbat voluptatibus, & & in medicinam contra venialia. Dixi in Concluſione (tùm primam, tùm ſecundam) quia hoc eſt diſcrimen inter gratiam habitualem, & actualem, quia hoc Sacramentum non confert gratiam habitualem primam, cum ſit Sacramentum viuorum, non mortuorum, & conſequenter non operatur in homine peccatore: primam autem gratiam actualem conferre poteſt. V. G. primum aliquod robur ad reſiſtendum tentationibus, vel donum perſeuerantiæ, vel augmentum hujusmodi auxiliorum actualium.

ARTICVLVS III.

An hoc Sacramentum remittat peccata venialia, & mortalia, & pœnas temporales?

Remittit venialia.

Dico 1. Sacramentum Euchariſtiæ, remittit venialia. Ita Trident. *Seſſ. 13. c. 2.* Probat. S. Bonauantura authoritate Innocentii dicentis. Euchariſtia liberat à malo, conſeruat in bono, delet venialia, & cauet mortalia. Ratio eſt, quia corpus CHRiſti Domini eſt ſicut carbo ignitus. Sed carbonis igniti eſt pellere frigus, & intendere calorem. Ergo hoc Sacramentum reprimit motus frigidos culpæ, & intendit motus viuos gratiæ. Ergo delet venialia: & hoc ex opere operato ſeu ſe ſolo, & ex propria ratione, ſecluſo omni alio, per quod remittuntur venialia.

Dico 2. Hoc Sacramentum non remittit vnquam mortalia ex propria ratione, & institutione. Ita Trident. *loco citato, & Canone 5.* damnat eos, qui dicunt præcipuum effectum Eucharistiæ esse remissionem peccatorum. Fundatur in illo 1. ad Corinth. 11. *probet autem seipsum homo.* Vnde Clemens Romanus *lib. 7. Apostolicarum constitutionum c. 72. inquit. Si quis Sanctus est accedat, si quis non est, curet vt fiat per pœnitentiam.* Probatur ex fine hujus Sacramenti, quod est institutum ad augendam, & fouendam illam vitam ratione strictioris vnionis, quam perficit inter nos, & Christum Dominum fontem vitæ. Ergo non est institutum ad remittenda mortalia, seu ad communicandam primam gratiam. Dixi (ex propria ratione) quia remittit mortalia per accidens, & in quibusdam casibus. Ita D. Subtilis *in 4. d. 9. q. vnica.* Si non sit negligentia crassa, sed præcessit examen, & nullum occurrit peccatum; de quo communicans, non fuerit, vel sit contritus, & confessus priùs, non peccat communicando, licet fortè aliquid lateat, vel traditum fuerit obliuioni; Patet, quia Eucharistia non esset Sacramentum, quia certitudo de existentia in charitate, non potest inesse viatori.

Non remittit mortalia per se.

Nota.

Dico 3. Non remittit pœnas peccatorum ex opere operato, seu ex vi Sacramenti, sed quandoq; ex opere operantis, quando in suscipiente augetur dolor de peccatis.

Pœnas quomodo remittit.

Vnde colligunt Theologi Eucharistiam, quâ Sacramentum est, prodesse tantùm suscipientibus, aliis autem, (vt si quis communicet pro alio) non prodest vt Sacramentum, sed vt est actus religionis, potest esse satisfactorius, & meritorius.

Petes 1. *Vtrum Sacramentum Eucharistiæ, habeat effectus alios circa animam?*

Dico augentur etiam reliquæ virtutes per hoc Sacramentum. Ita Sanctus Bonauentura *in 4. d. 12. 2. p. a. 1. q. 3.* Patet ex Innocentio *de officio Missæ c. vlt. dicente. Per hujus Sacramenti virtutem vniuersæ virtutes augentur, & omnium gratiarum fructus exuberant.* Probatur ratione, quia charitas, est forma aliarum virtutum. Ergo auctâ charitate, non possunt reliquæ virtutes non augeri, & sic fides redditur firmior, spes securior, & hoc ex opere operato.

Auget virtutes.

Petes 2. *Quo tempore augetur gratia in suscipiente Eucharistiam?*

Quando auget gratiam.

Dico 1. Quamdiù durant species in stomacho, potest communicans majorem gratiam recipere, non solùm in instanti manducationis, si

feruentiores actus amoris eliciat: est enim valdè probabile, ex majori deuotione operantis, sequi majorem effectum Sacramenti, seu operis operati, quamdiu durat. Ita Gabriel *in Canone Missæ.* Confirmatur, Quia effectus hujus Sacramenti promittitur ex eo, quia Christus Dominus manet in suscipiente. *Qui manducat meam carnem & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo. Joan.* 6. Ergo probabile est; quòd quamdiu durant species in stomacho, tamdiu potest communicans ex majori deuotione, majorem effectum recipere.

Post species consumptas non causat gratiam. Dico 2. Communis est ferè Theologorum sententia, quòd nullus recipiat effectum hujus Sacramenti, consumptis speciebus. Vnde qui permanentibus speciebus, propter peccatum, vel fictionem, nullum recepit effectum, post consumptas species, non recipiet illum.

ARTICVLVS IV.

An Eucharistia habeat aliquos effectus circa corpora humana?

Sanctificat corpora. Respondeo affirmatiuè. Primò Sanctificat corpora nostra suo contactu, si enim vestes, crux, & cætera passionis instrumenta, suo contactu nos sanctificant, multò magis id præstare poterit corpus Domini Sanctissimum, cujus virtute illa sanctificata sunt. Vnde S. Chrysost. *homil* 30. *in* 2. *ad Corinth.* inquit, *Non vulgarem honorem consecutum est os nostrum, accipiens corpus Dominicum.* *Minuit concupiscentiam.* Secundò minuit ardorem concupiscentiæ, quod variis modis præstat. Primò applicando virtutem Diuinam nostris corporibus, quæ vel per se immediatè, vel per causas secundas temperat sanguinem, & humores. Secundò Per gratias quasdam præuenientes, quibus aliò auocetur imaginatio. Tertiò Ex abundantia virtutum, delectamenti, & suauitatis, redundante in corpus, teste Sancto Chrysost. *homil.* 83. *in Matth. non sufficit ipsi* inquit *hominem fieri, flagellis cædi, & crucifigi, sed nos secum in vnam vt ita dicam massam reducit, neque id fide solùm, sed re ipsa nos corpus suum efficit:* quod intelligo moraliter, non physicè, & naturaliter. *Est causa resurrectionis.* Tertiò est causa resurrectionis corporum nostrorum, juxta illud *Joan.* 6. *Qui manducat meam carnem &c.* Quare appellatur à SS. Patribus panis vitæ, & germen resurrectionis, & immortalitatis. *Signum prognosticon.* Ratio est hujus effectus, quia corporibus nostris debetur resurrectio hoc titulo, si enim per sacram communionem facti sumus corpus, & membra Christi, conue-

conuenit, vt sicut ipse resurrexit; nos quoque resurgamus, vt sit aliqua proportio inter caput, & membra. Longè excellentior est virtus Eucharistiæ, quàm arboris vitæ, arbor enim illa vitam temporariam prolongabat, non tamen corpora corruptibilia, à corruptione præseruare in æternum poterat, vt docet D. Subtil. in 2. d. 19. At Eucharistia animæ, pariter & corpori, veram & immortalem vitam communicabat. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum. Et ego resuscitabo eum in nouissimo die. Joan.* 6. Præterea morbos corporales varios pellit. Ita S. Cyril. l. 4. in Ioan. c. 17. dicens. *Mihi crede non mortem solùm, sed & morbos omnes depellit. Si fimbria vestimenti.* inquit S. Chrys. hom. 51. in Matth. *quantò magis ipsa Christi caro Diuinitati vnita id poterit?* Deniq; Eucharistia multos Sanctos sine corporali cibo ad longum tempus sustentabat. *Morbos depellit.*

Aduerte hos effectus Eucharistia operatur moraliter vitaliter, non sicut alia Sacramenta, quæ operantur vt causæ morales mortuæ, corpus autem Christi Domini vitaliter: Sicut dum viuebat in terris humanitas ejus moraliter tantùm concurrebat ad miraculorum patrationem, vitaliter tamen & per actiones humanas productas, & elicitas à principio, viuente, ita & hîc.

PETES *An aliquando communicans possit non consequi gratiam, nec peccatum committere?*

Respondeo, vel is accedit post examen conscientiæ, vel sine illo? Si primum, non ponit obicem & gratiam consequitur. Si secundum, indignè communicat, & ideò peccat.

QVÆSTIO X.

De Sacrosancto Missæ Sacrificio.

In præsenti Quæstione hæc inquirenda præcipuè sunt.

1. Quid sit Sacrificium in communi, & quotuplex.
2. Vtrum Missæ Sacrificium sit verè Sacrificium.
3. Quæ sit differentia inter Sacramentum, & Sacrificium.
4. In qua actione ratio Sacrificii consistat.
5. Quis sit effectus, fructus, & valor Missæ sacrificii.
6. Quodnam sit subjectum pro quo offerri potest, & applicari Missa.
7. Quæ sunt requisita ad sacrificium Missæ.
8. De stipendio pro celebratione Missæ.
9. De obligatione Sacerdotis circa celebrationem Missæ.

ARTICVLVS I.

Quid sit Sacrificium in communi & quotuplex?

NOTA 1. De Sacrificio fuse tractant Theologi *in 4. dist. 13.* & S. Thomas *in 3. p. q. 83. cum suis*, & ego in priori editione fusiùs egi. *Q. 10.*

Requisita ad Sacrificium.

NOTA 2. Ad legitimum Sacrificium quinq; requiruntur. 1. res aliqua permanens, quæ Deo tanquam tributum quoddam offertur. 2. Ritus, seu modus offerendi, nimirum per realem hostiæ immutationem, certo ritu factam, qui diuersus, in diuersis fuit. 3. Minister qui tam in veteri, quàm in noua lege necessariò fuit Sacerdos. 4. locus seu altare. 5. Requiritur finis, nimirum sacrificium soli Deo offerendum.

Sacrificii definitio.

DICO 1. Sacrificium est oblatio externa, legitima authoritate instituta, quâ res aliqua sensibilis immutatur, per legitimum ministrum, legitimo loco, & ritu, Deo vero facta, in protestationem summi ipsius in res omnes Dominii. Dicitur, *oblatio externa*, quia non consistit verum sacrificium in actu solo interno. Dicitur, *legitima authoritate instituta* quia nemo potest priuata authoritate sacrificium instituere, sed neq; communitas, sed solùm is qui in sacris est caput communitatis, & maximè solus Deus, cujus proprium est nobis præscribere, quibus ritibus, velit coli. Dicitur, *quâ res aliqua sensibilis.* Sacrificium enim debet esse oblatio rei permanentis sensibilis; vnde nec oratio, nec cordis effusio, est propriè Sacrificium. Dicitur, *immutatur*, quia Sacrificium propriè, intrinsecè, & essentialiter consistit in illa actione, quâ hostia per realem sui immutationem Deo offertur. Et sic Sacrificium differt ab oblatione; multa enim Deo offerebantur, sed non sacrificabantur, vt in lege veteri, primogeniti, & in lege noua decimæ offeruntur, non tamen immolantur. Dicitur, *per legitimum ministrum*, quia non quilibet homo Sacrificium offerre potest. Dicitur, *Deo vero facta*, quia si alicui alteri fiat, sacrilegium erit, non sacrificium. Dicitur, *in protestationem summi &c.* quia natura nos docet vt aliquo signo externo supremum dominium in res omnes Dei, testaremur.

4. Genera sacrificiorum.

DICO 2. Sacrificia ad quatuor capita reuocari possunt, juxta quatuor genera causarum; vel enim diuiditur sacrificium à Causa efficiente; vel à causa materiali, seu rerum oblatarum, vt dicebantur hostiæ, victimæ, immolationes, & libamina: vel à forma, vt erant holocausta, oblata: vel ex parte finis, & sic erant quædam sacrificia, propitiatoria, impetra-

toria,

toria, & sacrificia laudis. Porrò cùm triplex hominum status spectari possit ab orbe condito, nempe status naturæ, status legis Mosaicæ, & status Euangelii, hinc fit vt distinguantur tria sacrificia. Alia legis naturæ, vt erant Abel, Abrahæ, Melchisedech &c. alia legis Mosaicæ, vt erant victimæ, libamenta, immolationes, holocausta, hostiæ pro peccato, hostiæ pacificæ. In lege Euangelica duplex est sacrificium. Vnum cruentum, quo Christus Dominus in ara crucis, oblatus est pro peccatis nostris. Alterum incruentum quo idem Christus quotidie sub specie panis, & vini offertur in altari. Vtrumq; præfiguratum fuit per sacrificia legis naturæ, & Mosaicæ. Et hoc in noua lege omnes rationes sacrificiorum in se continet: Est enim holocaustum in recognitionem Diuinæ excellentiæ, quod est igne Diuini amoris combustum. Est in gratiarum actionem Passionis Domini, quæ est fons beneficiorum. Est in expiationem omnium peccatorum, meritoq; propitiatorium vocatur, juxta illud *ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Est & impetratorium, omnia enim dantur hominibus virtute Passionis ejus.

In triplici statu varia sacrificia.

Sacrificium nouæ legis præstantissimum.

ARTICVLVS II

Vtrum Missæ Sacrificium sit verum sacrificium?

NOTA. Nomine Missæ intelligitur actio Sacra, quâ conficitur corpus Christi Domini, quod Deo in Missa offertur, & à Sacerdote sumitur per communionem. Hoc nomen Missa antiquissimum est, teste S. Augustino Serm. 91. de tempore. *In lectione* ait *quæ nobis ad Missas legenda est:* quæ vox ab Hebræis dicitur Misach, id est oblatio spontanea, teste S. Thoma *3. p. q. 73. art.* 10. Syluestro, Angelo, *Verbo Missa.* à Latinis dicitur Missa, & idem significat quod missio, quia per consecrationem Christus Dominus mittitur ad nos à Patre, & per oblationem, ac sumptionem à nobis remittitur ad Patrem. A Græcis dicitur Missa λειτουργία, id est ministerium sacrificii, quo recolitur Sacrum, per antonomasiam.

Quid sit Missa.

Missa hebraicè.

DICO I. Fide tenendum est, Christum Dominum, dum in vltima cæna panem in corpus & Sanguinem suum consecrando conuertit, verum, & propriè dictum sacrificium obtulisse. Probatur, Cùm S. Scriptura teste-

Christus Dominus in cæna sacrificauit.

testetur Psalmo 109. *& ad Hebr. 7.* Christum Dominum, esse Sacerdotem in æternum secundùm ordinem Melchisedech, debet cum eo in ratione sacrificandi aliquo modo conuenire. Sed nisi dicamus eum in vltima cæna conficiendo hoc Sacramentum sacrificâsse, nulla ratione poterimus ostendere eùm cum Melchisedech in ratione sacrificandi conuenire, & si hoc dicimus, id facilè ostendemus. Ergo hoc dicendum. Major probatur, quia cùm sacrificium, & Sacerdotium, dicant necessarium ordinem, ac analogiam inter se, ita vt Sacerdos à sacrificando dicatur. Prior pars Minoris patet, quia nullum est aliud sacrificium, quod habeat vllam conuenientiam cum illo sacrificio, quod scimus Melchisedech obtulisse. 2. Pars probatur, quia sacrificium Melchisedech consistit in oblatione panis, & vini, atq; ita per ipsum optimè repræsentatur sacrificium Eucharisticum, in quo corpus & Sanguis Christi sub specie panis & vini offeruntur.

Melchisedech sacrificauit.

Respondent Hæretici, Melchisedech Genes: 14. tantùm dicitur protulisse panem & vinum, non autem sacrificâsse. Contra Quia illo *capite Gen.* 14. cùm dicitur Melchisedech protulisse panem, & vinum, statim subjungitur causa. Erat enim Sacerdos altissimi, quibus verbis apertè significatur, eum hæc protulisse ad sacrificandum.

Probatur 2. Immolatio, & comestio agni Paschalis, fuit verus typus non solùm sacrificii crucis, sed etiam Eucharistici. Sed illius immolatio fuit verum sacrificium; teste Apostolo 1. ad Corinth. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus*, quo in loco alludens ad immolationem agni, indicat sacrificium Eucharisticum esse verum sacrificium.

Probatur 3. Actio quam tunc Christus Dominus exercuit, habuit omnia quæ ad rationem veri sacrificii necessaria sunt. Ergo fuit verum Sacrificium. Antecedens patet, quia fuit in ea vera externa oblatio, alicujus rei permanentis per realem immutationem; nam vt Theologi probant *in 4. dist.* 11. Christus Dominus panem, & vinum verè in suum corpus, & Sanguinem conuertit, atq; ita seipsum ibi præsentem sub Sacramento stitit, idque in honorem Dei, & testimonium Diuinitatis suæ: fuit etiam facta à legitimo Sacerdote, vt per se patet: & supra mensam, quæ altaris vicem subiit. Ergo verè sacrificauit.

Probatur 5. Quia hic fuit totius ab initio Ecclesiæ sensus, vt constat ex S. Cypriano lib. 2. Epistola 63. ad Cæcilium, vbi ait. *Nam quis magis Sacerdos Dei Summi, quàm Dominus noster IEsus Christus, qui Sacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est panem & vi-*

& vinum suum scilicet corpus, & Sanguinem. Qui plura testimonia desiderat, legat Bellarminum *lib. 1. de Missa cap. 6. & 7.*

Obiiciunt Hæretici, Si in vltima cæna obtulisset suum corpus, & Sanguinem pro peccatis nostris, illa oblatio fuisset infiniti valoris, & sufficiens ad delenda peccata nostra omnia. Ergo tunc frustra fuisset sacrificium crucis, quia per illam oblationem fuissemus sufficienter redempti.

Nota responsionem.

Respondeo. Negando Consequentiam, quia cùm omnis actio Christi fuerit absolutè infiniti valoris, simili ratione, vna quæque fuit sufficiens pretium nostræ salutis, & redemptionis, si Deus voluisset nos redimi alio modo, sed quia ipse tali modo, iustas ob causas statuerat, hinc factum est, vt ex pacto inter *P*atrem, & Christum Dominum inito, nostra redemptio non potuerit perfici, nisi per sacrificium crucis.

In Missa offertur verum sacrificium.

Dico 2. In Missa offertur verum, & propriè dictum sacrificium. Ita Trident. *Sess. 22. c. 1. & Can.* 1. Est communis Catholicorum contra Hæreticos, vide Alphonsum à Castro, *Verbo Missa.* Bellarm. *lib. 1. de Missa.*

Locus Malachiæ.

Probatur 1. Ex veteri testamento, Malach. 1. *Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra, ab ortu enim solis vsq; ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Hoc in loco loquitur propheta de Christianis, (non autem de gentibus, quia illi erant idololatræ:) aitque eos verè sacrificare, quod non potest intelligi de alio Sacrificio, quàm de Sacrificio Missæ.

Respondent Hæretici. Hunc locum intelligi de Sacrificio impropriè dicto, quale sunt omnia opera pia. *C*ontra 1. Propheta opponit ibi hoc Sacrificium *S*acrificiis Iudæorum, & ait, his repudiatis istud successurum. *S*ed illa erant sacrificia propriè dicta. Ergo & hoc, aliâs non fuisset commoda oppositio. Deinde Propheta loquitur de aliquo sacrificio, quod Iudæorum sacrificiis erat substituendum: nihil autem substituitur alteri, nisi quod de nouo altero abrogato instituitur. Atqui Spiritualia Sacrificia non fuerunt abrogata, tanquam Deo displicerent. Contra 2. Quia in Hebræo nomen oblationis, verum Sacrificium significat. Contra 3. Quia hæc oblatio vocatur munda, ratione rei oblatæ, vt patet ex antithesi: nam Malachias vocat eorum sacrificia polluta, ratione rei oblatæ, quia cæcum, claudum, & debile offerebant. Ergo hanc oblationem vocat mundam, ratione rei oblatæ, quæ est oblatio rei per se *D*eo gratæ, & mundæ, quæ nullis offerentium peccatis potest inquinari: quod non com-

petit sacrificiis spiritualibus, quæ pendent ab intentione, & munditia operantis, siue ea offerentis.

Ex Daniele probatur. Probatur 2. ex Capite 12. Daniel. vbi dicitur, tempore Antichristi, cessaturum iuge sacrificium. Ergo vsq; ad illud, erit in Ecclesia, non aliud quàm sacrificium Missæ; ita enim loquitur Propheta, *cùm ablatum fuerit iuge Sacrificium*, Sacrificium enim Missæ, est iuge Sacrificium, quia in Missa quotidiè per totum orbem in Ecclesia Christi offertur, sicut olim offerebatur iuge sacrificium agni, *Exodi 29*. Et in Græco textu habetur ἐνδελεχισμός, id est continuus Dei cultus: hoc Sacrificium auferet Antichristus, ita vt nullus publicè hoc facere audeat, priuatim verò & secretò erit in vsu.

Testimonia Patrum. Probatur 3. Omnes antiqui Patres, tam clarè loquuntur de Sacrificio Eucharistiæ, vt nemo de ipsorum sententia dubitare possit. Primò Quia vsurpant has voces. *Sacrificium, oblatio, hostia, victima, offerre, sacrificare, immolare.* Secundò quia requirunt altaria ad celebrandam Eucharistiam: altaria autem non eriguntur, nisi ratione sacrificii. Tertiò Ministros Eucharistiæ vocant Sacerdotes: Sacerdotum autem est proprium sacrificare. Vide testimonia SS. Patrum apud Bellarminum *loco citato, c.* 15.

Ratione. Deniq; Probatur ratione. Quia aliâs Christiana Religio, nullum haberet sacrificium propriè. Sed hoc est absurdum, quia careret perfectissimo ritu colendi Deum, scilicet Sacrificio; & ex hoc esset imperfectior Judaicâ Religione.

Obiiciunt Hæretici. Sacrificium debet offerri Deo, non autem comedi ab hominibus. Sed Eucharistia comeditur ab hominibus. Ergo non

Sacrificium comeditur. est Sacrificium. Respondeo, Negatur Major quoad posteriorem partem: nam Agnus Paschalis erat verum sacrificium, & tamen comedebatur ab Hebræis. Similiter hostiæ pacificæ erant sacrificia, & tamen pars earum cedebat in vsum Sacerdotum, & offerentium.

Petes 1. *Quid sit propriè quod offertur in Sacrificio Missæ?*

Quid offertur. Respondeo corpus & sanguis Christi Domini sub speciebus panis, & vini, ac consequenter totus Christus, prout existit sub iisdem speciebus, vt primaria hostia verè offertur. Ita Trident: *Sess. 22. c. 1.* vbi dicit, *corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini, Deo Patri obtulit.*

Petes 2. *An de ratione Sacrificii sit quòd hostia occidatur?*

Hostia debet consumi. Respondeo. Quando hostia non est mactabilis, de ratione Sacrificii est hostiæ consumptio, videlicet quòd desinat esse, vel simpliciter, vel secundùm quid, & hoc vocatur sacrificium incruentum, quando scilicet consu-

consumitur hostia sine effusione sanguinis, vt patet in sacrificio Melchisedech, qui si non consumpsisset panem & vinum, per ipsum oblatum, oblatio illius non esset sacrificium, sed tantùm oblatio. Et licet Christus Dominus non occidatur in altari, verè tamen immolatur, quia incruentè consumitur.

PETES 3. *In quo gradu perfectionis sit Missæ sacrificium cum aliis?*

RESPONDEO. In ritu, in significatione, in virtute, habet eminentiam inter alia. Vnde si comparetur cum aliis sacrificiis antiquæ legis infinitè illa superat: tum in principali agente, & re oblata, quæ est infinitæ dignitatis: tum in modo offerendi: tum in efficacia ex opere operato: & in valore ad impetrandum. *Superat alia dignitate.*

PETES 4. *An hoc sacrificium sit propitiatorium, & impetratorium?*

DICO 1. Sacricifium Missæ est verè propitiatorium. Ita Trident. *Sess. 22. c. 2. & Can. 3.* Constat ex Sacris literis *Matth. 26. Lucæ 22. & ad Hebr. 5.* vbi expressè dicitur, quòd sacrificium offeratur pro peccatis. *Est propitiatorium.*

DICO 2. Sacrificium Missæ est impetratorium. Patet, quia est efficacissimum genus orationis. Ergo valet ad quæuis beneficia impetranda. Ita communiter Theologi *in 4. d. 13. q. 2.* Est & satisfactorium, vt patebit *Art. 5.* *Impetratorium.*

ARTICVLVS III.

Quod sit discrimen inter Sacramentum Eucharistiæ, & Sacrificium?

RESPONDEO. Differunt primò definitione. Definitionem Sacramenti vidimus. *Quæst. 1. art. 1. Sacrificium verò Missæ, est oblatio facta victimæ, circa quam Sacerdos aliquas cæremonias operatur.* Breuiùs sic describitur. *Sacrificium Missæ est oblatio corporis & sanguinis Christi, quæ Sacerdos offert Deo Patri, & sumit in memoriam vitæ, & passionis ipsius, pro cunctis viuis, & defunctis.* *Definitio sacrificij Missæ*

Deinde Differunt ratione fructus: nam Eucharistia, quatenùs Sacramentum solùm proficit sumenti, virtute enim illius; præstatur gratia sumenti ex opere operato, non autem aliis; quatenus verò est sacrificium, prodest non solùm Sacerdoti sumenti, verùm etiam aliis pro quibus Missa offertur, vt dicam *Articulo 6.* *Differunt ratione fructus.*

Tertiò Differunt, quia Sacramentum Eucharistiæ sub vna specie, est Sacramentum simpliciter: non tamen integrum & perfectum. Prima pars *Tertiò differunt.*

pars patet, quia quælibet ſpecies ſeorsùm conſiderata, eſt ſignum rei ſacræ ſimpliciter nos ſanctificantis: nam ſpecies panis, eſt ſignum gratiæ ſanctificantis nos, per modum ſpiritualis cibi, quæ ſanctificatio eſt ſanctificatio ſimpliciter; & ſpecies vini eſt ſignum gratiæ ſanctificantis nos, per modum ſpiritualis potus, quæ eſt etiam ſanctificatio ſimpliciter: Sanctificatio enim quæ fit per gratiam, eſt ſanctificatio ſimpliciter. Ergo ſpecies quælibet per ſe ſumpta eſt ſimpliciter *S*acramentum. Secunda pars patet, quia ſicut conuiuium corporale integrum & perfectum, cibo, & potu conſtat, ita & ſpirituale; hoc tamen *S*acramentum eſt vnum numero, & omnes ſpecies etiam diſcontinuæ, ſunt vnum numero *S*acramentum, quia vt docet *D.* *S*ubtilis *in* 4. *diſt.* 8. *q.* 1. *§. Si autem quæras*, quòd Euchariſtiæ *S*acramentum ſupponit tantùm pro ſpeciebus, quatenùs continent corpus, & Sanguinem Chriſti Domini. Sed tam vna, quàm plures ſpecies continent verum corpus & Sanguinem Domini. Ergo ſunt ſiue vna ſpecies, ſiue plures vnum Sacramentum, quia de ratione *S*acramenti eſt, vt ſit ſignum ſenſibile. Ita Trident. *Seſſ.* 13. *Can.* 1. *S*acrificium verò videtur requirere vtriuſq; ſpeciei conſecrationem, & ordinariè debet fieri ſub vtraque ſpecie, oblatio tamen illa non videtur eſſe extraordinaria neceſſaria, quæ fit poſt conſecrationem ſub vtraq; ſpecie, cùm feria 6. paraſceues fiat ſub vna ſpecie, vt dicam *Articulo* 4. ſacrificium enim cruentum repræſentari poteſt per vnam ſpeciem, Ita Bonac. *d.* 4. *q. vlt. p.* 2. *n.* 7. & multi alii.

Petes. *Quæ ſit conuenientia Sacramenti Euchariſtiæ cum Sacrificio?*

In quo conueniunt.

Dico 1. Conueniunt in materia: quia ſicut ſolus panis triticeus eſt materia *S*acramenti Euchariſtiæ, ita & ſacrificii. Vnde ſecundùm probabiliorem ſententiam in nullo alio pane, ſiue ex fructibus Amygdalis, imò neq; ex ſiligine, poteſt confici hoc Sacramentum, vt fusè probant Theologi *in* 4. *diſt.* 11. *q.* 6. *S*imiliter in nullo alio liquore, niſi in vino ex vite, vt ibidem probant *q.* 7.

Conueniunt in forma.

Dico 2. Illa eadem eſt forma conſecrationis, tam *S*acramenti Euchariſtiæ quàm ſacrificii, quæ habetur in Canone Miſſæ, quàm Euangeliſtæ habent æquiualenter, etſi non ſub iiſdem verbis. Ita D. *S*ubtilis *in* 4. *diſt.* 8. *q.* 2. *num.* 5.

ARTICVLVS IV.

In qua actione conſiſtat ratio Sacrificii Miſſæ eſſentialiter?

Nota. Quadrupliciter poſſe aliquid pertinere ad ſacrificium. Primò vt partem eſſentialem; ſine qua ratio ſacrificii nequit conſiſtere. Secundò

Secundò vt partem integralem, sicut manus pertinet ad rationem hominis. Tertiò vt aliquid extrinsecè ita perficiens sacrificium, vt hoc sine illo maneat aliquo modo imperfectum, & sine suo destitutum. Quartò vt aliqua cæremonia, sine qua omninò integrum consistit sacrificium, sed tamen illicitè offertur: hic de primo modo inquiritur.

DICO 1. Oblatio illa vocalis, quæ fit in offertorio Missæ, nullo modo pertinet ad essentiam Sacrificii: imò neq; vt integralis; sed solùm esse cæremonialem quandam præparationem, ab Ecclesia institutam ad conciliandam deuotionem, & reuerentiam animosq; fidelium excitandos ad mysterium ipsum peragendum, quæ cæremonia, non potest à Sacerdote omitti absq; peccato mortali. *Offertorium non est pars essentialis sacrificii.*

COLLIGE Paruas hostias, quæ ad altare deferuntur, pro communione laicorum, debere in altari adesse, ante primum offertorium, videntur enim ad idem Sacrificium pertinere, ad quod pertinet major hostia: Sicut autem major hostia debet esse ante primum offertorium, ita etiam paruæ hostiæ debent adesse pro communione laicorum. Ita Bonac. *de Sacram. d. 4. q. vlt. p. 2. n. 6.* Gauantus *in Comment. Rubr. Missalis. p. 3. tit. 10. n. 19.* putat oblatione jam facta, posse oblatas hostias paruas Sacerdotem consecrare, oblatione mente concepta earum, non tamen remotius ab oblatione hostiæ majoris, nimirum ante cæptam Præfationem; post præfationem omninò non licere affirmat.

DICES. Quando Sacerdos non consecrat sub specie vini, quando loco vini aquam infundit, non tenetur offerre calicem oblatione vocali. Ergo oblatio vocalis, potest sine peccato mortali omitti. Respondeo In tali casu non tenetur ad oblationem vocalem, sed tamen tenetur habere mentalem, ante consecrationem iterati calicis, vt habetur in Rubricis Generalibus *de defectibus in Missa occurrentibus. c. 3. n. 4.*

DICO 2. Fractio hostiæ non est de essentia sacrificii. Patet quia non legitur à Christo Domino facta, vel si fuit, eo fine fuit vt cuiq; sua pars distribueretur: Ista verò, quæ modo fit à nobis, est cæremonialis. *Fractio non est de essentia.*

DICO 3. Consecratio non est de ratione essentiali Sacrificii vt Sacrificii. Ita Anglez. *in 4. de valore Missæ.* Aretinus *in 4. dist. 13. q. 2. a. 3.* Probatur, productio, siue adductio hostiæ, non pertinet ad essentiam Sacrificii Sed consecratione adducitur victima immolanda. Ergo consecratio non spectat ad essentiam sacrificii. Major patet, productio enim Agni Paschalis, necessaria erat ad sacrificiũ, non vt pars, sed vt effectio rei sacrificandæ: Sed *Consecratio non est de essentiali ratione.*

eodem modo se habet consecratio ad hoc Sacrificium. Præterea Feria 6. in parasceue non fit consecratio, fit tamen sacrificium ex præconsecratis. Ergo de ratione huius Sacrificii non est consecratio. Antecedens patet ex orationibus quibus illo die vtitur Ecclesia. dicens. *In spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur à te Domine, & sic fiat sacrificium nostrum &c.* Et in alia oratione. *Orate Fratres, vt meum, & vestrum sacrificium, acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.*

Respondent contrarium sentientes, quòd his locis sacrificium latè sumitur, pro quocunq; ministerio. Contra Non est verisimile Ecclesiam illo die omninò priuari sacrificio, & oblatione ad Deum. Vnde S. Aug. *Epistola 118. c. 2.* Generaliter, & sine exceptione dicit. *Omnibus diebus offertur Deo sacrificium in Ecclesia.* Et S. Thomas *3. p. q. 83. a. 2. ad 2* dicit, *eo die offerri, & consumi hostiam, priùs consecratam, ne priuetur Ecclesia fructu Passionis Christi Domini.* nam fructus passionis, non applicatur Ecclesiæ per Sacramentum Eucharistiæ, vt Sacramentum est, quia vt Sacramentum est, solùm prodest sumenti. Idem D. Angelicus *ibidem art. 4.* inquit *offertur Eucharistia vt Sacrificium, consecratur vt Sacramentum.*

Gelasii mens COLLIGE Consumptionem Sanguinis, non esse de essentia sacrificii, quia feria 6. parasceue, non sumit Sanguinem sub speciebus vini, neq; consecrat, sed tantùm sumit hostiam pridie consecratam. Affertur in oppositum decretum Gelasii Papæ *in c. comperimus de Consecrat. d. 2.* Sed ibidem Gelasius non dicit sumptionem corporis, sine Sanguine sub speciebus vini, non esse Sacrificium, sed dicit quód in sacrificante vnum sine altero accipere, sacrilegium est.

De essentia sacrificii sūt tria. DICO 4. De essentia hujus Sacrificii sunt tria, hostia, hoc est ipsemet Christus, oblatio hostiæ, & sumptio hostiæ. Quòd requiratur hostia, *Hostia* certum est ex dictis. Quòd requiratur oblatio patet; tum quia non censetur sacrificium, donec res offeratur. Tum quia si Sacerdos facta consecratione moreretur, alius non iejunus etiam tenetur offerre, & sumere, *Oblatio.* vt integrum fiat Sacrificium. Ergo oblatio est de essentia sacrificii: quæ oblatio incipit in Canone Missæ, ab illis verbis. *Vnde & memores nos &c.* vsq; ad illa. *Quotquot. &c.* Jta Bonacina de Eucharistia *d. 4. q. vltima p. 2. n. 5. & 6.* Aretinus *loco citato.* Vbi dicit, acerrimè arguendos illos Sa- *Consumptio.* cerdotes, ista verba recitantes dum calicem eleuant. Quòd requiratur consumptio. Probatur, tùm quia non omnia quæ sacrantur, & offeruntur Deo dicuntur sacrificia, vt constat ex vasis sacris, quæ diuino cultui dicantur,

tur, non tamen sunt sacrificia, Ergo requiritur consumptio. Tum quia id in Concilio Toletano 11. c 5. videtur esse definitum. Tum quia non repræsentaretur mors, & passio CHRisti Domini, nisi adsit consumptio, juxta illud Apostoli 1. Corinth. 11. *Quotiescunq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Neq; obstat corpus Domini per sumptionem, non mutari secundùm suum esse naturale, sufficit enim secundùm esse Sacramentale. Neq. sumptio populi pertinet ad Sacrificium, vt quid essentiale.

Aduerte hîc Quòd non requiratur ad Essentiam sacrificii oblatio, & sumptio vtriusq; speciei, cùm sacrificium cruentum Christi Domini, repræsentari possit per alteram tantùm speciem. Ita Aretinus *loco citato.* Bonacina *loco citato n. 7.* qui multos DD. citat pro hac sententia.

ARTICVLVS V.
Vtrum effectus, & valor Sacrificii sit finitus, vel infinitus?

Nota 1. Valor aut est infinitus intensiuè, aut extensiuè. Infinitus intensiuè est, qui parit effectum infinitum. Infinitus verò extensiuè, qui non tot prodest quin posset prodesse pluribus.

Nota 2. Ex D. Subtili *Quæst.* 20. *quodlib.* & aliis communiter, triplicem esse Missæ fructum, & valorem. *Primus* est Generalissimus, quem Ecclesia intendit applicari omnibus viuis, incipiendo à Papa vsq; ad minimum, & omnibus defunctis, quem fructum quisq; recipit, majorem aut minorem, juxta Christi Domini determinationem, Ecclesiæ intentionem, & propriam vniuscujusq; cooperationem ad sacrificium: & hic valor valet ratione generalis intentionis, saltem habitualis Ecclesiæ, & sic prodest omnibus etiam peccatoribus non præcisis, vt ibi dicit D. Subt. Secundus est specialis, quem alii & meliùs vocant specialissimum, qui est proprius ipsius Sacerdotis, quem fructum Sacerdos, juxta Doctorem nostrum, & multos alios quos refert Bonacina *loco citato. p. 4. n. 2.* sine graui peccato, non potest tradere alteri. Tertius est medius, quem alii appellant specialem, & hic competit iis, pro quibus Sacerdos intendit Sacrificium specialiter offerre, & applicare, juxta praxim Ecclesiæ, quæ sacrificium modò pro vno, modò pro alio specialiter offerre consueuit. In præsenti itaque quærimus; An valor hujus sacrificii, quantùm est ex parte ipsius, & Christi Domini

Triplex valor. *Generalis.*

Specialissimus.

Specialis.

mini institutione sit infinitus, si sufficienter applicetur; vel an de facto producat effectum infinitum intensiuè, & extensiuè, de priori sensu, est maximè difficultas.

NOTA 3. Ex D. Subtili *Quodl.* 20. *sub litera* O. Quòd Christus Dominus in hoc Sacrificio, non se offert immediatè, quia ad Hebr. 9. dicitur *Christus semel oblatus est à seipso*, scilicet immediatè offerente se in cruce, in Missa verò offertur à Sacerdote: quæ oblatio in Missa non æquiualet passioni Christi Domini, quia non est idem offerens, habet tamen valorem Missa ex oblatione Christi Domini offerentis se in cruce, & hoc Sacrificium instituentis.

Infinitus est valor & quomodo.

DICO 1. Dignitas, & valor hujus Sacrificii, tam ratione rei oblatæ, quâm primarii offerentis, habet dignitatem, ac valorem infinitum. Patet quia tam res oblata, quàm primarius offerens, est ipse Christus. Ergo istud sacrificium secundùm se posset à Deo institui ad infinitum effectum operandum.

Quomodo non infinitus.

DICO 2. Valor Sacrificii, quatenùs sacrificium offertur à Sacerdote non est infinitus intensiuè, nec specialissimus, nec generalis, nec specialis. Probatur, Tum quia Sacrificium est instrumentum, quo nobis applicantur merita passionis Christi Domini; Sed instrumentum quo nobis applicantur merita Christi Domini passionis, non habet tantùm valorem, quantùm habet ipsa passio: passio enim habet valorem infinitum. Ergo sacrificium Missæ non habet valorem infinitum. Tum quia solent aliquando plures Missæ celebrari ad eandem rem impetrandum; hoc autem frustra fieret, si esset Missa valoris infiniti: Tum quia Sacramentum Eucharistiæ confert suscipienti effectum finitum, quamuis contineat gratiæ auctorem. Ergo etiam Missæ Sacrificium confert effectum finitum. Ita Aretinus *in* 4. *d.* 13. *q.* 2. *a.* 6. Coninchus *loco citato dub.* 10. *& alij.*

DICO 3. Valor generalis Sacrificii Missæ, est infinitus extensiuè, consequenter non tot prodest, quin possit prodesse pluribus. Ratio est, quia in *Memento*, non est determinatus numerus commemorandorum. Ergo potest applicari pluribus in infinitum extensiuè. Pro hac Conclusione Bonacina citat plurimos authores, *q. vltima puncto* 4. *n.* 5.

DICO 4. Valor Sacrificii specialissimus, qui competit soli Sacerdoti, est finitus. *Patet* Quia sicut Sacramentum Eucharistiæ, & alia Sacramenta per Sacerdotem dispensata, habent ex institutione Diuina effectum determinatum in suscipiente, Ergo hoc Sacrificium

oblatum

oblatum pro se, vel pro alio, habet effectum determinatum & præfinitum valorem.

DICES I. Meritum Christi Domini, applicatum nobis per hoc *Sa*crificium, est infinitum. Ergo licet offeratur pro multis, tantùm satisfaciet pro quolibet, si pro vno tantùm offerretur. Consequentia patet, quia infinitum licet diuidatur, nunquam consumitur, semper enim remanet infinitum.

Meritum CHristi D. quomodo infinitum.

RESPONDEO Distinguendo Antecedens. Concedo quidem meritum Christi Domini in se, quoad sufficientiam esse infinitum: quatenùs verò nobis applicatur est finitum. Instabis idem est Christus Dominus principalis offerens in Missa, & applicans virtutem Passionis suæ, pro quibus offertur. Ergo æqualiter valebit omnibus, etiamsi pro infinitis offeratur. Respondeo Quòd in Missa non est offerens immediatus, sed mediatus per ministerium; seu actionem Sacerdotis, qui est offerens immediatus, cujus actio est limitatæ virtutis.

PETES *Vtrum valor Missæ sit ex opere operato, vel opere operantis?*

RESPONDEO Valorem Missæ vt sacrificium est, esse ex opere operato: quia valor *S*acrificii hujus, confertur vltra meritum, & dispositionem nostram. *S*i verò consideretur, vt includit preces, & orationes, sic est ex opere operantis. Ita Anglez. *q.* 7. *de Ministro Eucharistiæ*, Coninchus *loco citato dub.* 7.

ARTICVLVS VI.

Quodnam sit subjectum, pro quo offerri potest & applicari, Missæ Sacrificium?

Beatis non prodest.

DICO I. Sacrificium Missæ non prodest Beatis, nisi quatenùs per ipsum coluntur, & honorantur. Patet Quia si illis prodesset, vel prodesset, vt propitiatorium vel vt satisfactorium, vel vt impetratoriũ. Sed nullo istorũ modorũ. Non vt propitiatorium, quia Beati existunt in gratia; non vt satisfactorium, quia non habent pænam delendam; non vt impetratorium, quia jam perfruuntur summo bono. Vnde V. G. quando fit Missa de aliquo Sancto, non fit pro illo, neque ei offertur, quia Sacrificium soli Deo offertur, sed fit de eo; vt inuocetur, colatur, & honoretur, sacrificium enim est cultus latriæ, qui soli Deo debetur. Ita communiter omnes.

Prodest defunctis.

DICO 2. Missæ *S*acrificium prodest defunctis, existentibus in purgatorio.

gatorio. Ratio est. Tum ex ordinatione Sacerdotali, in qua dicitur. *Accipite potestatem offerendi sacrificium pro viuis, & defunctis.* Ergo Sacrificium prodest defunctis.

PETES *Quomodo prodest Sacrificium defunctis?*

RESPONDEO Prodest vt sacrificium, vt opus pium, non solùm ex opere operato, sed etiam mediantibus orationibus, ab ipsa Ecclesia, ad releuandas defunctorum animas, destinatis.

Prodest viuis. DICO 3. Sacrificium Missæ prodest, & applicari debet fidelibus, in hac vita degentibus, siue iusti sint, siue peccatores. Probatur Tùm quia fideles in hac vita degentes sunt capaces fructus sacrificii. Ergo illis prodest, & applicari debet.

COLLIGE 1. Sacerdotem non posse aliquem excludere à Sacrificio Missæ, etiam & infideles, vt conuertantur. Patet quia, Apostolus 1. *ad Timoth. 2.* præcepit orationem pro Regibus, qui tunc erant infideles. Tùm quia sacrificium crucis cruentum, oblatum est pro omnibus etiam infidelibus, qui etsi non sint actu membra Christi, sunt tamen potestate quia possunt fieri fideles, & vt fiant, pro iis sacrificatur. Tum quia in veteri testamento sacrificia fiebant pro Ethnicis, quando illis erant subjecti. Ergo hoc Sacrificium licitè fieri potest, non tamen hoc Sacrificium prodest eis ex opere operato, cùm sint extra Ecclesiam, hoc autem Sacrificium est Ecclesiæ. Ita Sa *Verbo Missa num. 40.* Coninchus *q. 83. art. 1. dub. 9. num. 160.*

Pro Excommunicatis indirectè. COLLIGE 2. Missæ sacrificium validè quidem offertur pro excommunicatis: non tamen licitè. 1. pars patet, quia Ecclesia etiamsi possit prohibere ne pro talibus offeratur, efficere tamen nequit, ne pro iis validè in persona Christi offeratur, quia hæc potestas, est potestas ordinis, non iurisdictionis. Secunda pars constat, quia id grauiter prohibitum est. *c. A nobis. 2. de sententia excommunicationis.* Licitum tamen est pro iis indirectè offerre, pro eorum conuersione: imò indirectè potest Sacerdos pro illis offerre, vt persona priuata, etiam *in Memento.* Ita Coninchus *loco citato n. 159.*

COLLIGE 3. Sacrificii fructus applicatus alicui peccatori, ponenti obicem, non prodest eidem sublato obice. Ita Coninchus *loco citato.* Suarez. *tom. 4. disp. 79. Sect. 10. & alij.* Ratio est, quia Sacrificium oblatum pro iusto, tunc temporis non indigente satisfactione, nec suspenditur, neq; conseruatur donec indiguerit. Ergo multò minùs suspenditur, vel conser-

uatur

uatur pro peccatore, prodest tamen ei ad excitandam gratiam præuenientem, in illo.

Collige 4. Sacrificium Missæ non potest pendere à conditione futura, V. G. applicare alicui sacrificium, quem DEVS scit, post aliquot dies, hoc, vel illud facturum: nam vel talis fructus: V. G. remissio pœnæ temporalis, statim ac Sacrificium oblatum esset, inciperet habere effectum, vel tunc primùm, cùm illa conditio poneretur. Neutrum dici potest. Ergo.

Non pendet à conditione futura.

Dico 4. Non prodest damnatis Sacrificium Missæ. Patet quia in inferno nulla est redemptio. Vnde sequitur 1. non esse offerendum pro eo, quem certò constat mortuum in notorio peccato mortali. Ita Miranda *loco citato, estq́; communis.* Sequitur 2. Non prodesse paruulis, ex hac vita cum solo originali decedentibus: quia non sunt mortui in gratia: Porrò paruulis morientibus post Baptismum, licet non prosit eis, cum statim euolent in cælum; tamen possunt Missæ celebrari, quando paruuli sepeliuntur, & fructum accipient animæ in purgatorio. Ita Angelus *Verbo Missa num.* 8. Bonacina *loco citato p.* 5. *num.* 9.

Petes. *Cuinam prosit fructus sacrificii, qui fuit applicatus incapaci?*

Respondeo. Reponitur in thesauro Ecclesiæ: ita Corduba *lib.* 1. *q.* 3. Aliqui verò putant prodesse ipsimet oranti, juxta illud Psalmi 34. *Oratio mea in sinum meum conuertetur.* Et ex hoc patet, quòd Sacerdos possit sibi specialem valorem applicare, si voluerit, & indiguerit. Ita Bonacina. *num.* 12.

ARTICVLVS VII.

De Requisitis ad ritè celebrandum sacrificium.

Præcipua requisita ad celebrandam Missam sunt, locus, tempus, vasa, apparamenta, altare, lumen, & ministrans.

QVÆRES I.

In quo loco debet fieri Sacrificium Missæ?

Dico 1. Debet fieri jure communi, in templo ab Episcopo consecrato, aut benedicto. Ita habetur *C. Nullus de Consecr. dist.* 1. *& c. Sicut ibidem.* Definitum est in multis Conciliis, nouissimè in Trident: Sess. 22. post Canones. Vbi præcipit Episcopis, *ne patiantur priuatis in domibus, aut omninò*

Locus Sacer requiritur.

omninò extra Ecclesiam, & ad Diuinum tantùm cultum dedicata oratoria, ab eiusdem Ordinariis designanda, & visitanda, sanctum hoc Sacrificium, à secularibus, aut Regularibus quibuscunq; peragi. Vbi aufertur Episcopis potestas liberè concedendi potestatem celebrandi in loco etiam honesto, qui non sit soli Diuino cultui destinatus; non tamen videtur iis ablata potestas, vbi aliqua necessitas occurrit; imò & modò posse Episcopos alicui concedere, vt habeat domi locum honestum, qui per modum sacelli soli Diuino cultui deseruiat, in quo super altari portatili celebretur: talem enim locum Trident: Oratoria vocat: & ex vsu patet. Ita cum D. Subtili. Theologi *in 4. d. 13. q. 2.* & cum S. Thoma 3. *parte q. 89. a. 3.* Ita cùm Angelo, Nauaro, & Syluestro, omnes Summistæ, nisi casus necessitatis occurrat; nam in casu necessitatis, licitum est dicere Missam extra Ecclesiam, & extra domum, in quocunq; loco terræ (non autem in naui,) decente. Ita habetur *de consecrat. d. 1. cap. 1.*

Extra Ecclesiam non licet.

Colligε 1. Sacerdotem celebrantem extra Ecclesiam sine iusta causa, peccare mortaliter, asserunt communiter DD. Et meritò quidem, ratione honoris, & reuerentiæ tanto Sacramento debitæ. Et violatur præceptum Ecclesiæ in re graui, & sub pœna graui, non tamen sub aliqua censura.

Priuilegia Regularium in hoc an sint sublata.

Collige 2. Priuilegia quæ olim habebant Religiosi, vt possint celebrare in altari portatili, extra loca sacra, affirmant multi esse sublata, Vt Miranda *tom. 1. q. 40. art. 9.* citans Suarez. Sed Ledesma. 1. *p. c. 20. de Eucharistia*, & Rodericus *tom. 1. q. 43. a. 4. & 5.* negat esse abrogata priuilegia à Concilio Tridentino: Et subdit, Ex multis priuilegiis hodie id licere Religiosis, si Episcopus non prohibeat, (sicut potest prohibere.) Et sic possunt celebrare in domibus secularium, seruatâ debitâ decentiâ, & honestate, extra cameras, vbi dormiunt seculares, & in plateis, castris &c. Imò intra suos Conuentus possunt Regulares erigere altaria, & in eis celebrare cum decentia, idq; maximè vbi Fratres infirmi decumbunt, etiam in Camera Prioris. Ita Portel *Verbo Altare n. 1. 2. & 3.*

Ex iure qui possunt.

Collige 3. Habetur in jure *Extra de Priuilegiis & excessibus Priu. c. in his quæ ad cultum*, habetur: Cum Fratribus Minoribus, & Prædicatoribus duximus indulgendum, vt vbicunq; fuerint, sine Parochialis præjudicio, valeant, & possint cum Altari Portatili celebrare. Nec Concil. Trident. hoc reuocauit, quia ponitur in jure.

Tempus celebrandi.

Dico 2. Vt licitè quis in Ecclesia benedicta, vel consecrata, celebret, requiritur, vt non sit polluta, vel per effusionem injuriosam sanguinis,

guinis, aut homicidium. Vel per pollutionem illicitam, vel si in ea sepeliretur excommunicatus denunciatus. Vel si in ea sepeliretur infidelis.

QVÆRES II.

Qua ratione requiratur tempus ad Sacrificium Missæ?

Tempus celebrandi.

In die Cænæ an possit fieri Missa.

DICO 1. Omnibus diebus, sublatis impedimentis, & positis requisitis licet quolibet die celebrare, & feria 5. Cænæ Domini secluso scandalo & in secreto, cùm id nullo jure prohibeatur. Ita Sotus *in 4 dist. 13. q. 2. a. 2. ad 2.* Suarez *tom. 3. disp 80.* In die autem *Parasceue* celebrare, neq; publicè, neq; secretò licet, sub peccato mortali. Patet *ex cap. Sabbato de Consec. d. 3.* Sabbato autem Sancto putant aliqui posse celebrari priuatim, & occultè, saltem ab ea hora, in qua incipit solenne paschale officium, ob rationabilem causam. Vide Gauantum *p. 4. titulo 10. à num. 42* Licet autem his tribus diebus in singulis Ecclesiis celebrare vnum sacrum solenne.

Bis in die an liceat.

In die Natiuitatis Domini cur tres Missæ.

DICO 2. Licitum est celebrare bis in die, ob justam causam, quas causas enumerabimus. *Articulo* 9. In die verò Natiuitatis, celebrantur communiter à Sacerdotibus tres Missæ, prima in media nocte in memoriam æternæ, ac incomprehensibilis generationis filii Dei, alia in aurora ob memoriam generationis per incarnationem, tertia ante meridiem, in memoriam spiritualis generationis per gratiam.

PETES 2. *An possint tres Missæ celebrari in nocte Natiuitatis Domini ante auroram?*

An ante auroram dicenda.

Respondent Syluester, Angelus *Verbo Missa. n.* 46. Nauar. *c* 25. *n.* 5. & alii negatiuè. Tum quia in Rubricis Missalis ita statuitur. Tum quia in Canone pro prima Missa dicitur, *Communicantes, & noctem Sacratissimam celebrantes.* Alii contrariam opinionem asserunt, nimirum posse. Ita Rodericus *c.* 249. *num.* 5. Suarez. *disp.* 80. *Sect* 4. Layman. *libro* 4. *t.* 5 *c.* 4. *n.* 2. Ratio est, quia *in cap. Nocte sancta, de Consecr. dist.* 1. absolutè conceditur, vt nocte Natiuitatis, Missæ celebrentur, sine vlla restrictione.

PETES 3. *In qua hora Sacerdotes possint incipere Missam.*

Qua hora celebrandum.

Respondeo. Ab initio auroræ vsq; ad meridiem. Ita communiter Doctores: intra quod tempus pro Missis priuatis, quæuis hora est apta, pro solennibus verò seruandum est tempus, quouis loco, consuetudine præscriptum, maximè in Ecclesiis collegiatis juxta Rubricas Missalis. Vide Trident. *Sess.* 22,

Collige 1. Ante istud tempus non licet celebrare sine priuilegio, vel sine iusta causa, iusta autem causa est iuxta DD. susceptio itineris ob honestam causam, quod Layman *loco citato* non admittit; pro communicando verò infirmo licet celebrare statim post mediam noctem. Ita Layman. *loco citato*, Victoria *de Eucharist. n. 95.* Nauar. *c. 25. n. 85.* testatur in Gallia introductam esse consuetudinem, vt hyeme vnâ horâ, ante auroram celebrentur sacra propter operarios, quod in Polonia, multò magis admittendum est, vbi hyeme sol serò oritur, alioquin famuli, non possent audire sacra.

Religiosi habent priuilegia.

Collige 2. Religiosi per priuilegia, possunt vnâ, aut duabus horis celebrare Missam ante auroram, quæ priuilegia refert Rodericus *tom. 1, q. 43.* Portel. *Verbo Missa in Addit. n. 6.*

Petes 4. *In qua hora diei possit Sacerdos finire Missam?*

Respondeo Vsq; ad meridiem inclusiuè; Vasquez *tom. 3. disp. 232. c. 4. n. 37.* asserit posse incipi Missam, non multò post transactam meridiem, nimirum post mediam horam vel tres quadrantes, in iusta causa sine priuilegio. Religiosi verò ex suis priuilegiis, possunt celebrare duabus horis post meridiem. Ita Rodericus loco citato. *4. 1. 2. 3.*

QVÆRES III.

Qua ratione ad hoc Sacrificium requirantur vasa?

Calix qualis esse debet.

Respondeo. Requiritur patena, & calix consecratus, & chrismate perunctus ab Episcopo, confectus ex auro, vel argento, vel stanno, non ex aurichalco vel ære. Ita habetur. *c. vt calix de consecr. dist.* 1. Dixi *Ab Episcopo consecratus*, quia simplex Sacerdos, non potest consecrare, nisi ex commissione *Papæ*: Abbates verò habentes priuilegium insigniorum *Pontificalium* possunt Calices consecrare, vbi talis consuetudo est recepta; hæc autem consecratio durat, quamdiu hæc vasa integra manent.

Calix quando amittit consecrationem.

Petes 1. *Quandonam calix & patena amittant consecrationem?*

Respondeo amittere quando notabiliter franguntur, vt non possint seruire ad vsum præfixum. An autem amittatur consecratio calicis per hoc quando aurum quod interius cupæ adhæret, deteritur, & iterum postea deauratur calix, vel patena: negat Layman. *tract. 5. cap. 6. num. 7.* Coninchus *loco citato. num.* 246. affirmat Aretinus *in 4. d. 13. q. 2. a. vnico.* Bonacina *disp. 4. q. vlt. p. 9. n.* 19. Angelus, Syluester *Verbo calix & alij* & hæc est probabilior, quia consecratio fit propter contactum corporis, &

Sanguinis

Sanguinis Domini, id autem in quo fieret contactus post deaurationem, non est consecratum. Ergo consecrandum est.

Petes 2. *An consecratio calicis amittatur, si calicis consecrati cupa separetur à pede?*

Respondeo. Si calix à principio sic elaboratus est, vt posset ad libitum separari cupa à pede, vt accidit in calice tornatili, non amittit consecrationem; si cupæ separatio fiat cum fractione, amittit, ita DD. citati. Sicut si calix argenteus postea deauretur, amittit consecrationem, quia amittit formam antiquam, & physicam, & moralem. *Calix & alia vasa sacra non debent tangi à laicis.*

Petes 3. *An vasa sacra possint ab omnibus tangi?*

Respondeo Calix, patena, corporalia, pallæ, & alia quæ attingunt corpus Christi Domini, ob reuerentiam non debent tangi à laicis, multo minùs à fæminis, etiam Monialibus quibus iura vetant horum contactum. Imò neq; clerici in minoribus constituti, attingere possũt absq; priuilegio. Porrò in Religionibus habentur priuilegia, laicos & clericos deputatos pro Sacristia, posse vasa sacra attingere. Ita Roder. *tom. 2. q. 123. a. 2.*

Petes 4. *Vtrum pyxis in qua seruatur* Eucharistia, *debeat esse consecrata?*

Affirmat Aretinus noster loco citato. Suarez *disp. 87. Sect.* 3. Coninchus *loco citato. n. 245.* dicit. *Id admodùm decere.* Negat Sotus *in 4. d. 23. q. 1. art. 3.* Vasquez. & alii. Sed in nostra Polonia prior opinio practicatur, quia & in Pontificali pro ipsa benedictio habetur. Vel si ponitur in pyxidem SS. Sacramentum, imponitur palla aliqua, ex lino confecta & ad instar corporalis benedicta, intellige quando pyxis non est benedicta. Ità Vasquez. *in 3. p. disp. 233. c. 4. & alij.* Ex dictis. *Pyxis benedicenda.*

Colliges 1. Sacerdos casu celebrans in calice, & patena nondum consecrata, & in vestimentis nondum benedictis, per hanc celebrationem iam consecrata remanent, neq; indigent alia benedictione. Ita Sa *Verbo Ecclesia.* Castrus *lib. 2. de legibus* Negatiuam opinionem tenet. Portel. *Verbo Ecclesia. n. 5.* Fagundez *tract. 1. lib. 3. c. 21.* Vtrumq; est probabile. *Nota.*

Colliges 2. Etsi vsus inualuerit, vt nemo, qui saltem non sit Subdiaconus attingere audeat vasa Sacra, tamen attingens sine contemptu, etiam laicus ob paruitatem materiæ solùm venialiter peccat.

QVÆRES IV.

Quaenam, & quot vestes requirantur ad Sacrificium?

Re-

Sex vestimenta requiruntur.

RESPONDEO Iuxta communem opinionem DD. Sex vestimenta necessaria ad Sacrificandum, nimirum amictus, siue humerale, alba, cingulus, manipulus, stola, & planeta, seu casula. Essetq; peccatum mortale aliquid horum omittere, nisi inaduertentia excuset. Vnde non posse moraliter loquendo occurrere casum, in quo liceat celebrare sine vestibus sacris, ne quidem si metus mortis vrgeat, vt docet Caiet. *1. 2. q. 69. a. 4.* quia moraliter loquendo vix fieri potest, vt quis ad ita celebrandum, velit alium cogere, nisi in contemptum Ecclesiæ, quo casu esset peccatum mortale ei parere. Non esset tamen ille condemnandus peccati mortalis, qui die festo, vt populus audiat Sacrum celebraret sine cingulo benedicto; quo casu ait Nauar. *c. 25. n. 84.* licere vti stolâ pro cingulo, & manipulo pro stola. Vide *Suarez. d. 87. Sect. 3.* Coninchum *q. 83. a. 3. d. 3.*

PETES I. *Hæ vestes quando amittunt benedictionem?*

Quando amittunt benedictionem.

RESPONDEO Quando ita franguntur, vt non sint aptæ ad suum vsum, aut non ampliùs priorem retineant figuram, Ex quo infertur. Albam indigere noua benedictione, si ex ipsa abscindatur manica, quamuis illi eadem manica assuatur. Ita Angelus *Verbo Benedictio num.* 3. Syluester *num. 6.* Item cingulus si ita frangatur, vt neutra pars sufficiat ad cingendum *Sacerdotem*; secùs si longior pars adhuc sufficeret. Aliqui tamen putant etiam in prima fractione, licere partibus simul nexis vti. Ita *Sa loco citato n. 12.*

Quis possit benedicere.

PETES 2. *Quis Præfata apparamenta possit benedicere?*

RESPONDEO Per multa priuilegia poterant Prælati Regulares licitè benedicere Ecclesias, corporalia, & vestes sacras, vbi chrisma non interuenit, vt refert Rodericus *tom. 1. q. 19. a. 2.* Hanc potestatem per Bullam limitauit Vrbanus VIII. 1629. quòd prædicti *Prælati* Regularium, non possint prænominata benedicere pro vsibus alienis, sed solùm pro suis. In partibus verò Indiarum Prouinciales, & ii qui ab eis fuerint deputati, habent facultatem benedicendi, etiam Calices in absentia Episcoporum.

PETES 3. *Quid aliud requiritur in Sacerdote præter vestes præfatas?*

Requisita in celebrante.

RESPONDEO Requiritur *Primò*, vt Sacerdos accedat ad celebrandum vestibus benè compositis, ne scandalum inducat astantibus. Requiritur 2. ne cooperto capite celebret, tempore infirmitatis poterant licentiam concedere Episcopi, modo verò requiritur licentia Papæ, iuxta declarationem *Sacræ* Congreg. Rituum 1626 31. Iulij. Requiritur 3. vt *Sacerdos* sit calceatus, vel habeat *Sandalia*, quia honestas hoc requirit. Requiri-

quiritur 4. Liber seu Missale, in quo saltem totus Canon contineatur, dicuntq; graues authores esse peccatum mortale, sine eo celebrare. Ita Coninch. *loco citato. n.* 250. Nauar. *c. 25. n.* 84. Ratio est, quia quamuis aliquis sciat totum Canonem memoriter, facilè tamen posset contingere, eum aliquo casu, vel distractione turbari, vt non occurreret quid decendum sit, & sic cogeretur aliquid omittere, quod non licet. Deniq; Requiritur Crux, quamuis qui sine illa celebraret, non videatur reus lethalis culpæ, tamen quantùm fieri potest non omittatur.

Addunt aliqui teneri Sacerdotem preces præscriptas recitare, dum se vestibus Sacris induit, sub peccato mortali. Sed hoc nimis esse rigorosum affirmat noster Aretinus *dist. 13. q. 2. art.* 10. & Henriquez. *lib. 9. cap.* 24. *ad finem.*

QVÆRES V.

Qua ratione requiratur ad hoc Sacrificium altare, eiusq; ornatus?

DICO I. Vt licitè hoc Sacrificium offeratur, necessarium est altare lapideum, Chrismatis vnctione ab Episcopo consecratum, integrum, & non enormiter fractum. Ita omnes Doctores, & patet ex praxi Ecclesiæ. Nec vllo priuilegio, sine speciali Pontificis concessione, licet celebrare sine eiusmodi altari, quod præcepisse fertur S. Syluester, cùm antea ligneis altaribus vterentur, vt legitur in eius vita. Pro intelligentia. *Altare lapideum integrum requiritur.*

NOTA I. Altaria quædam sunt stabilia, quæ alicui loco affixa sunt, quæ priùs eriguntur ac firmantur, quàm consecrentur, ideoq; amittunt suam consecrationem, vel per enormem fractionem, vel per solam amotionem à basi cui affixa sunt. Quædam sunt mobilia, quæ confecta sunt, vt possint in diuersa loca transferri, & per se consecrantur, & hæc vocantur Altaria portatilia. *Altaria alia stabilia, alia mobilia.*

NOTA 2. Vt Altare sit legitimum, necessariò debet ei inesse tale sigillum, siue loculus cum Reliquiis. Ita affirmat Syluester *V. Altare n. 1. & alij*, quod probant *ex cap. Placuit de consecrat. d.* 1. & ex Synodo septima. Sed aliqui respondent olim ad consecrationem altarium necessarias fuisse Reliquias, consuetudinem tamen euicisse contrarium, affirmat Coninchus *n. 241.* eò quòd in tanta altarium multitudine impossibile sit, Reliquias vbiq; haberi: optimum tamen est vt semper procurentur. *& Reliquiæ.*

PETES *Quando Altaria amittunt consecrationem?*

Altare quãdo amittit consecrationem.

Respondeo. Aliqui dicunt quòd tunc, quando dissoluitur à ligno, cui inclusum est. Sed alii probabiliùs contrarium asserunt, quia illud lignum non adhibetur lapidi, vt det ei formam, (sicut aliqui putant) sed solùm ad ipsius ornatum, & faciliorem ejus conseruationem. Ita Sa *Verbo Altare.* Coninchus *num.* 239. Aliqui dicunt violari vtrumq; altare, per fractionem, vel amotionem sigilli, vel sepulchri, in quo reconditæ sunt Reliquiæ, quod probant *ex capite* 1. *de Consecr. Ecclesiarum.* Sed in hoc capite, hoc non habetur, sed solùm ibi dicitur, Altare amittere consecrationem, si tabula ejus, vel mensa, in qua est sigillum frangatur, non quia sigillum frangitur, (potest enim ea fractio fieri, etsi sigillum maneat integrum) sed quia mensa, seu basis, seu lapis frangitur, qui per se immediatè consecratur. Ita Sa *loco citato.* Hinc,

Altare portatile quale esse debet.

Collige 1. Altare portatile debet esse tantæ longitudinis, & latitudinis, vt capere possit pedem calicis, & hostiam seu patenam, vt possint post consecrationem supra illa collocari. Quòd si frangatur notabiliter, ita vt neq; calix, neq; patena cum hostia, in neutra parte fracti Altaris possit commodè collocari, tunc amittit consecrationem.

Collige 2. Licet lapis non frangatur, sed solùm amoueatur ab inferiori structura amittit consecrationem, *cap. si motum de consecrat. d.* 1.

Nota casus.

Collige 3. Si templum comburatur, & altare integrum remaneat, potest reædificatâ Ecclesiâ, cum licentia Episcopi, in tali altari fieri consecratio.

Quot mappæ requiruntur.

Dico 2. Debet altare sterni, vt minimùm duplici mappa linea, vel vna duplicata, communiter tamen tres mappæ ponuntur, vel vna mappa, & duæ tobaliæ, quæ debent esse lineæ, vt constat ex jure. Præterea debet apponi à Sacerdote corporale linteum, ab Episcopo pro secularibus, & pro Regularibus, à Prælato benedictum, quod non debet esse intertextum auro, vel serico, maximè vbi reponendum est corpus Christi Domini. Hæc corporalia sancitum est *in cap. Nemo de consecr. d.* 1. vt lauentur à Sacerdote, vel Diacono, & lotio mittatur in piscinam, quod intellige quoad primam lotionem, nam quoad secundam posse fieri à fæminis, præsertim virginibus tradunt DD. Hoc idem procedit in purificatoriis.

Corporale.

Addo Adhibentes corporalia immunda, peccant grauiter, quia faciunt contra reuerentiam, tanto Sacramento debitam in re.

QVÆRES VI.

An requiratur lumen, & ministrans ad Sacrificium?

Quan-

Quantùm ad lumen. Dico Necessarium est lumen in altari, dum Missa celebratur. Patet *ex cap. vltimo, de Celebratione Missarum.* vbi inter alios grauissimos cujusdam Sacerdotis excessus numeratur, quòd sine igne celebrauerit. Circa Lumen Nota. Etsi absolutè loquendo sufficiat, vt vna candela accendatur, tamen quantùm fieri potest decentia requirit, vt sint ad minimùm duæ Candelæ, eæq; cereæ: quia aliis vti minùs decet, & esset contra consuetudinem Ecclesiarum, maximè in Regno Poloniæ, vbi per Dei gratiam, est abundantia ceræ. *Lumen requiritur.*

Quantùm ad Ministrantem. Dico Sacerdos celebrando Missam sine Ministro, peccat mortaliter, juxta Bonacinam *d. 4. q. vlt. p. 9. num.* 33. qui citat alios, rationemq; assignat: quia ritus ab Ecclesia præscripti sunt seruandi. Porrò noster Aretinus *in. 4 d.* 13. *q.* 2. *a.* 5. *& alij.* asserunt, in magna necessitate, qualem esse dicunt diem festum, vel ob communicandum infirmum, celebrationem Missæ sine Ministro esse licitam. *An autem ministrans debeat esse quoad responsionem in casu necessitatis masculus, vel fæmina?* Respondet Bonacina *loco citato. n.* 33. potiùs esse celebrandum sine ministro, quàm vt fæmina accedat, & ad ministerium altaris adhibeatur. Ita habetur *c.* 1. *de Cohab. Clericorum, & mulierum.* *Ministrans debet adesse masculus.*

Petes. *Ad quid obligatur minister ministrans in Missa?*

Dico 1. Minister sine solennitate ministrans, tenetur ea præstare, ad quæ adhibetur, adhibetur autem ad inseruiendum, & respondendum juxta Ecclesiæ præscriptum. Vnde grauiter peccat si in iis deficiat, ad quæ adhibetur, juxta aliquos, sed excusari potest ratione leuitatis materiæ; si tamen materiam ineptam tradat Sacerdoti propriâ culpâ grauiter peccat peccato sacrilegii. Ita Suarez. *d.* 87. *Sect.* 2. Bonacina *loco citato. n.* 36. *Ministri officium.*

Dico 2. Ministri siue ex obligatione, siue voluntariè ministrantes solenniter, tenentur ministrare juxta ritum ab Ecclesia præscriptum adhibendo vestes præscriptas, & seruando omnes cæremonias, tam in verbis, quàm in actionibus, quorum omissio, si absit contemptus, esset solùm veniale ex inaduertentia.

Dico 3. Diaconus, & Subdiaconus ministrans solenniter ad Sacrificium Missæ in peccato mortali, non peccat mortaliter. Ita Soto *in* 4. *d.* 1. *q.* 5. Suarez. *d.* 16. *Sect.* 3. *& alij.* contra Angelum, & Syluestrum. Ratio est, quia ista actio quæ in hoc ministerio exercetur, non est illo speciali modo consecrata, & sanctificata, quo actiones Sacramentorum: si quis tamen consuetudinem habeat semper ministrandi in peccato mortali, sine vlla

vlla contritione, non esset excusandus à peccato mortali, quia talis consuetudo videtur ex contemptu formali, vel saltem virtuali procedere.

ARTICVLVS VIII.

De Stipendio pro celebratione Missæ.

PETES 1. *An Sacerdotes possint accipere stipendium pro Missa, ad sustentationem honestam?*

Licitè potest accipi stipendium. DICO 1, Potest Sacerdos licitè accipere Eleemosynam, cum obligatione dicendi Missam pro eo, qui dat. Ita D. Subtilis *Quodlibetica* 20. Estq; communis DD. & patet ex communi praxi Ecclesiæ. Ratio est, quia non datur stipendium pro ipsa Missa, sed pro sustentatione celebrantis, iuxta illud 1. *Corinth. 9. Qui altari deseruiunt, de altari viuant:* debent enim illi qui spiritualia ministrant ali ab iis, quibus ministrant, *Operarius enim dignus est mercede sua.* Lucæ 10. Sicut enim miles alitur ab iis, quibus militat: ita & hîc.

Diuites Sacerdotes possunt. DICO 2. Etiam diuites Sacerdotes, habentes pingue beneficium, aut patrimonium, licitè accipere possunt Eleemosynam, pro celebratione Missarum. Ratio est, Tum quia inseruiunt altari. Tum quia sicut miles non tenetur gratis militare, quamuis aliunde habeat, vnde se sustentare valeat; ita Sacerdos non tenetur Missam celebrare sine stipendio. Ita Rodericus *cap. 252. num. 4.* Suarez. *d. 86. Sect.* 3. Nauar. *cap. 13. num. 101.* Nisi fortè Missas teneantur ex institutione celebrare, cum obligatione, sine vllo stipendio.

Parochi nequnt. DICO 3. Parochi possunt stipem exigere ab aliquo, & pro ipso Sacrificium Missæ offerre, illis diebus, quibus non tenentur ex obligatione pro suis ouibus offerre, vel applicare. Et licet ratione decimarum tantùm teneantur Sacramenta administrare, concionari, & debito tempore celebrare, tamen æquitas postulat, vt aliquando pro ouibus orent, & sacrificia offerant, & sic dum pro ouibus celebrant, nouas Eleemosynas pro Missa accipere non possunt. Idem dicendum de Canonicis, quod est dictum de Parochis.

PETES 2. *Quantam Eleemosynam possit recipere Sacerdos pro Missa?*

Quantum stipendium debeat accipi. Respondeo. Tantam, quanta est præfixa per Episcopum, vel per legitimam consuetudinem. Ita *communiter DD.* Ratio est, quia sicut in temporalibus iustum pretium rerum venalium est illud, quod auctoritate Principis, vel per consuetudinem, aut iudicio prudentum est constitutum: ita illa

illa est iusta Eleemosyna pro celebratione recipienda, quæ conformis est taxæ ab Episcopo præscriptæ, vel per consuetudinem receptæ, vel à prudentibus constitutæ. Inde.

Collige 1. Episcopos posse statuere quantitatem Eleemosynæ, ita vt laici non dent minùs, neq; Sacerdotes maius exigant, hoc enim expedit ad vitanda scandala, quæ facilè possint suboriri in exigendis stipendiis. Ita Corduba *l.* 1. *q.* 4. *d.* 4. Suarez. *disp.* 86. *Sect.* 2. Bonacina *n.* 9.

Collige 2. Episcopos non posse statuere, ne Sacerdotes maius stipendium accipiant, nam occluderetur via liberalitati, pietati, & charitati. Ita Bonacina *ibidem n.* 10. Barbosa *in Remissionibus in Trident. Sess.* 22. *c.* 22.

Collige 3. Sacerdos exigens stipem supra taxam importunè ab inuitis, peccat mortaliter, & obligatur ad restitutionem; secus est si ei ex liberalitate detur, quia excessus censetur ei donari. Ita Rodericus *c.* 251. *n* 4.

Petes 3. *An possit Sacerdos pro vna Missa accipere stipendia plura à pluribus. V. G. vnus dat grossos* 7. *& alius* 8. *vel tot, quot, sufficiant ad eius sustentationem?*

Respondeo. Multi Doctores olim tenuerunt opinionem affirmatiuam. Sed hæc opinio modò corruit per sacram Congregationem *in Decretis* §. 3. vbi sub obtestatione Diuini iudicii, mandatur, ac præcipitur, vt absolutè tot Missæ à Sacerdotibus celebrentur, quot ad rationem attributæ Eleemosynæ præscriptæ fuerint, V. G. si aliquis dat Sacerdoti grossos 6. pro Missa, iam Sacerdos acceptans, obligatur ei applicare totam Missam, aliâs grauiter peccaret, & obligaretur ad restitutionem. Istam opinionem negatiuam ante decisionem Sacræ Congregationis docuerunt D. Subt. *Quodlib.* 20. §. *Si autem teneatur.* Aretinus *in* 4. *d.* 13. *q.* 2. *a.* 6. Miranda, Suarez, Vasquez, Bonac. *loco citato. p.* 7. §. 2. *n* 8. *Nota responsionem.*

Petes 4. *An Sacerdos titulo paupertatis, possit aliquid supra taxam communem exigere?*

Respondeo Negatiuè. Ratio est. Tum quia Missæ Sacrificium, non est institutum ad sustentandam Sacerdotis vitam, nam Sacerdos promoueri nequit, nisi habeat patrimonium sufficiens, vt patet ex *c. Non licet.* & *cap. Episcopus de præbendis.* Tum quia sicut paupertas, non tribuit alicui ius vendendi supra taxam communem; ita & in proposito. Tum quia non est iustum, vt Sacerdos qui operam suam locat solùm ad semihoram, in qua totũ Missæ Sacrificium absoluit, exigat integrum cibum diurnum, *Supra taxam non licet plus exigere.*

num, cùm tantùm per semihoram laboret. Ita Rodericus *c. 252. n. 4.* Corduba *lib. 1 q. 4. d. 2.* Suarez. *d. 86. Sect. 4.*

Nota varios casus.

Petes 5. *An Sacerdos in diebus festiuis, possit accipere pro vna Missa duplicatum stipendium.*

Affirmatiuam opinionem multi tenebant cum Bonacina *disp. 4. q. vltima. p. 8. n. 13.* Sed contrarium est definitum à Sacra Congregatione Cardinalium in Decretis §. 3 ac proinde non est modò licitum post declarationem istam, *de Celebr. Missarum.*

Petes 6. *An Sacerdos accipiens pro dicenda Missa ab amico duplicatum stipendium, possit per alium Sacerdotem satisfacere dato ei iusto stipendio?*

Plus accipiens non debet dare alteri minus pro Missa.

Respondeo Vel illud duplicatum stipendium datum fuit præcisè, & simpliciter pro Missa, vel datum fuit non solùm pro Missa, sed etiam intuitu Personæ, quia amicus, vel consanguineus: si primo modo, non satisfacere, secùs si secundo.

Petes 7. *An Sacerdos qui Eleemosynam accepit, pro dicendis Missis, possit postea per alios satisfacere minori stipendio, sine peccato, & onere restitutionis?*

Respondeo Multos graues Doctores opinioni affirmatiuæ adhæsisse. Sed modò Sacra Congreg. *in §. 5.* sustulit. Vbi ait. Omne damnabile lucrum ab Ecclesia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam, cum certa Eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte eiusdem Eleemosynæ, sibi retentâ, celebrandam committat. Ante hanc decisionem, tenuit hanc opinionem noster Rodericus *tom. 4. c. 52. n. 2. & alij.*

An autem prædicta prohibitio extendatur ad Capellam, cui pro paucis Missis dicendis, pingue stipendium respondet; si per alium Sacerdotem sacra efficiantur, data ei stipe iusta, & consueta.

Respondeo Quòd decreta prædicta in hoc casu non extenduntur, quia illud reliquum retinetur titulo beneficii, & Capellaniæ, non enim tribuitur tantùm pro Missis dicendis. Ita Ledesma *tom. 1. de Euchar. c. 19. Concl. 13.*

Petes 8. *An Sacerdos possit duplex stipendium pro vna Missa accipere, applicando vni partem solitam, & alteri suam partem?*

Suam partẽ alteri applicare non debet Sacerdos

Respondeo Negatiuè. Ratio est, quia hæc specialissima pars valoris ex sua natura pertinet ad Sacerdotem, & sicut valor generalis, qui Ecclesiæ debetur, non potest alteri applicari, ita neque hic valor Sacerdoti competens. Quare Doctor Subtilis *in Quodlibetica 20. §. De primo est.* dicit,

dicit fortè peccare mortaliter Sacerdotem, si suum valorem alteri applicare velit. Alii oppositum tenent, sed probabilior prima opinio.

PETES 9. *Quinam possint reducere Missas ad minorem summam?*

Respondeo Decretum est Sacræ Congreg. §. 4. Neque Generales, neq; Prouinciales id facere posse. Episcopis verò concessit §. 2. vt possint reducere Missas ad summam minorem; sed non nisi in Synodo, relictas ante Trident: Ita Barbosa *de potest. Epi. p. 2.* vbi comprehenduntur, etiam anniuersaria, & officia pro defunctis. Multi verò DD. tenent, quòd Generales, & Abbates Religionum in Capitulis Generalibus vigore Tridentini *Sess. 25. c. 4. de ref.* possint reducere ad minorem numerum onera Missarum. Porrò non posse Episcopos reducere onera Missarum, in fundatione Capellaniæ imposita, sed recurrendum ad Sedem Apostolicam declarauit S. Congregatio, *Reductio Missarum.*

PETES 10. *An teneatur Sacerdos per alium satisfacere oneri quotidianæ celebrationis, dum praua vtitur valetudine?*

RESPONDEO Præcisâ consuetudine, aut decretis, si infirmitas breuis est, V. G. quindecim dierum, non tenetur: si autem sit longior, V. G. duorum, aut trium mensium, non est immunis ab obligatione celebrationis per alium. Ita Bonacina *d. 4. p. 8. n. 17. vbi citat multos DD.* *Infirmi an sint liberi.*

COLLIGE Posse Religiosos Sacerdotes recipere stipendia pro Missis celebrandis, illa quæ communi lege, aut consuetudine sunt taxata, & quæ à viris timoratis, peti, & dari solent, exceptis illis Religiosis, quibus ex vi Regulæ, vel Constitutionum prohibitum est.

PETES 11. *An Sacerdos sit securus in conscientia, qui animo obligandi se promisit Missam, si postea non celebret eam, licet non acceperit stipendium?*

RESPONDEO Si promisit cum animo obligandi se, non remanet securus; quia omne promissum cadit in debitum: Si verò promittat non animo se obligandi, sed solùm ad exteriorem satisfactionem, ne videatur auarus illi, qui petit Missam, tunc posset eam omittere, quia talis promissio nascitur ex metu reuerentiali, qui in foro conscientiæ tollit obligationem, nisi fortè ille qui petiit debebat illam dicere, vel per alium absoluere; quia in illo casu promittens obligaretur, nam petens putaret ex animo promitti, & sic non curaret ampliùs Missam dicere. Ita Rodericus *loco citato. num. 5.* *Gratis promittens, & non absoluens Missam an peccet.*

Pe-

Regulares an possint applicare Missam contra intentionem Superiorum.

Petes II. *An Sacerdos Regularis possit applicare Missam, contra intentionem Superioris?*

Respondeo. Vna opinio dicit Regularem peccare contra obedientiam, sed applicationem Missæ contra intentionem superioris validam esse. Ita Angelus *Verbo Missa num. 36.* Syluester *num. 12.* & ita determinâsse Theologos Salmantinos notauit Rodericus *cap. 241. num. 10.* Alia opinio docet applicationem quòd huic, vel illi applicetur, posse Superiorem alteri applicare, quàm ei in quem Sacerdotis intentio dirigitur, quia applicatio non est de essentia Sacrificii, intentionem verò consecrationis, non potest irritare, quia pertinet necessariò ad Sacrificium. Ita Doctor. Subtilis, *Quodl. 20.* Corduba *lib. 1. quæst. 3. Opin.* 6. Ledesma *quæst. 16. art. 14.*

ARTICVLVS IX.

De obligatione Sacerdotis circa celebrationem Missæ.

Petes I. *Quanta sit obligatio Sacerdotis circa Missæ celebrationem?*

Sacerdos peccat, nunquã celebrando.

Dico I. Sacerdos legitimè non impeditus mortaliter peccat si nunquam celebret. Ita S. Thomas. 3. *p. q.* 82. *a.* 10. Coninchus, Nagnus *ibidem*, Rodericus *c.* 269. *num.* 4. Anglez. & est communis. Probatur, quia Sacerdoti per ordinationem non solùm datur potestas, sed imponitur etiam officium celebrandi, & hoc verum est, etiamsi nullum habeat beneficium.

Curati quãdo tenentur celebrare.

Dico 2. Sacerdotes curam animarum habentes, tenentur per se, vel per alios celebrare, singulis saltem diebus, quibus opus est, vt populus teneatur Missam audire in Dominicis, & festis. Et quia in die Natiuitatis populus non tenetur audire tres Missas, Parochus non tenetur eo die tres missas celebrare. Porro Parochus non tenetur applicare Sacrificium suis ouibus, sed potest pro singulis stipendium accipere: quia Pastorales prouentus dantur ratione officii pastoralis, licet alii contrarium sentiant, quod verum est in festis solennioribus, & in Dominicis, maximè cum à Parochianis decimæ offeruntur.

Non curati quando obligantur.

Dico 3. Sacerdos non habens curam animarum, debet celebrare omnibus diebus festiuis, legitimè non impeditus. Ita Tridentinum *Sess.* 23. *c.* 14. vbi sic dicitur. *Curet Episcopus. vt ij qui ad presbyteratus ordinem assumuntur saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus Missas celebrent.* Quibus verbis non obligantur sub mortali, nisi præceptum Episcopi accedat, vel ne det occasionem scandali. Ita S. Bonauentura *in 4. d. 12. q. 2. a. 2. estque ferè communis.*

Dico 3.

Capellanus quando obligatur.

Dico 3. Capellanus juxta inſtitutionem Capellaniæ, & intentionem fundatoris, obligatur Miſſas celebrare; Vnde ſi Capellania inſtituta ſit ad celebrandum quotidie, tenetur ſub mortali quotidie, niſi ob legitimum impedimentum omittat. Ita Angelus *Verbo Miſſa num.* 45. Roder. *c.* 249. *num.* 8. *& alij.* Ratio eſt, quia faceret contra conuentionem, & defraudaret inſtitutoris mentem. Inde,

Collige 1. Sacerdotem peccare grauiter, qui per ſeipſum, vel per alium non celebrat Miſſas, quot, & quales, & quo in loco, vel tempore tenetur, ex fundatione, vel ex pacto, celebrare, niſi aliud conſtet ex interpretatiua voluntate fundatoris, vel niſi aliud ſuadeat honeſtas, & debita deuotio, faceret enim contra voluntatem fundatoris, & contra obligationem, cui ſe ſubjecit.

Collige 2. Capellanus poteſt per alium ſupplere quoties non conſtat fundatorem voluiſſe obligare Capellanum, vt per ſeipſum abſoluat. Similiter ſi Capellanus vna hebdomada, cauſa negotiorum, obligationi non ſatisfecit, poteſt in alia hebdomada ſupplere: niſi fortè fundator obligauerit, vt qualibet ſeptimanâ perſoluantur Miſſæ, tunc curandum eſt, vt per alium tot, & in hac hebdomada perſoluantur. Ita Bonacina *loco citato* §. 1. *n.* 3.

Petes 2. *An Sacerdos inſtitutus, & obligatus ad celebrandum in certo templo, oratorio, vel altari peccet alibi celebrando?*

Obligatus in certo loco celebrare, obligatur ibidem.

Reſpondent communiter DD. peccare mortaliter. Ita Rodericus *in Summa tomo* 4. *c.* 5. *n.* 6. Bonac. *diſp.* 4. *q. vlt.* §. 6. *n.* 1. citans multos DD. Puto tamen ex paruitate materiæ excuſari à mortali Cappellanum, vt ſi bis, vel ter in anno non celebret in tali templo, & altari: vel ſi omittat ob iuſtam cauſam, quia non poteſt accedere ob periculum peſtis ad illud templum, vel ob aliquam aliam cauſam, raró. Ratio eſt reſponſionis, quia in re magni momenti infideliter agit, frangendo promiſſum.

Petes 3. *Quales Miſſas, & quando Sacerdos obligatur celebrare?*

Quales Miſſæ celebrandæ.

Circa *Qualitatem Miſſarum.* Dico 1. Conſultiùs eſt, vt Sacerdos celebret Miſſam, quæ vno quoq; die præſcribitur in Miſſali: par enim eſt, vt ſe accomodet Rubricis, & ritibus Eccleſiæ: per ſe tamen loquendo, poteſt alia Miſſa perſolui ab eo, qui pro ſuo arbitrio recitat Miſſam priuatam, niſi aliud ſuadeant circumſtantiæ. Ita Angelus *Verbo Miſſa n.* 33. Bonacina §. 3. *n.* 1. Ratio eſt, quia ſicut Sacerdos poteſt liberè celebrare, vel non celebrare Miſſam, ita etiam & aliam celebrare.

Omissa Missa ex fundatione potest dici in solennitate de die.

COLLIGE 1. Sacerdotem qui certis diebus ex accepto stipendio, vel ex fundatione Capellaniæ debet dicere Missam, de Spiritu Sancto, de B. Virgine. vel Requiem, &c. posse illis diebus dicere Missam currentem in Missali præscriptam, si incidat tunc solennitas. Ita Angel. *loco cit. Sa V. Missa n. 48.* Syluest. & alij. Ratio est, quia omnes Missæ sunt æqualis valoris ex opere operato: nam licet Missa Requiem, magis defunctis prodesset, ratione precum ad animarum liberationem directarum, tamen supplere has potest Sancti illius intercessio, cuius suffragium in Missa imploratur.

Missæ S. Gregorij quomodo dicendæ.

COLLIGE 2. Sacerdos obligatus dicere Missas S. Gregorij pro defunctis, non tenetur singulas de Requiem celebrare, aut continuè sine interruptione, quia interruptio non tollit Missarum effectum, quidquid in contrarium dicat Gauantus *in Rubricis Missalis*, aliâs teneretur continuare, & celebrare, in die Cænæ Domini, in die Parasceues, & Sabbato magno. Vide Bonacinam *loco citato n. 6. & 7.* Fraxinellum *de obligat. Sacerdotis.*

De Regularibus nota.

COLLIGE 3. Missa Regularibus concessa, non potest ab aliis dici in ipsorummet Regularium Ecclesiis. V. G. in aliqua Religione, est aliquis Beatus, de quo Missa est concessa Religiosis illius Religionis, non possunt de eo celebrare alii seculares, vel Religiosi alterius Religionis, vt declarauit Sacra Congreg. 19. *Nouemb.* 1622. Circa particulam *Quando, an statim celebraturus sit.*

Sine mora Missa absoluenda.

DICO 1. Peccant Sacerdotes mortaliter, si notabiliter sunt in mora celebrandi. Ita Roder. *c.* 132. Sylu. *V. Missa* 1. *q.* 10. quia hoc vergit in damnum eorum quibus applicandum est sacrificium: si enim datur pro infirmo, & ob dilationem Missæ moritur, licet enim possit prodesse defuncto quoad satisfactionem, non tamen quoad impetrationem.

Eodem die plures Missas Sacerdos an celebrare possit.

DICO 2. Eodem die plures Missas, licitum olim fuit celebrare, (jejunis tamen Sacerdotibus) modò verò ob multiplicitatem Sacerdotum, solùm in necessitate extraordinaria permittitur, vt in priori editione retuli, *folio* 474. & puto standum esse consuetudini legitimæ.

In Ecclesiis Collegiatis quot Missæ dicendæ.

DICO 3. In Ecclesiis Collegiatis si occurrat festum, & feria, debet dici Missa de festo, & de feria, quod verum est in Cathedralibus Ecclesiis, non autem in Ecclesiis Regularium, vt fusè probat Rodericus *tom.* 1. *q.* 43. *a.* 12. vbi tamen est multitudo Fratrum etiam Mendicantium, Prælati curare debent, vt duæ Missæ dicantur in Quadragesima, Aduentu, & vigiliis, vna de festo post tertiam, & alia de feria post nonam.

Dicendum hîc esset de Defectibus occurrentibus in Missa, sed de his Rubricæ

Rubricæ Missalis, quemuis docebunt. *Præterea* de Ritibus Missæ, & an audienda sit Missa. Hæc in priori editione pertractaui.

ORATIO.

Domine IESV Christe, qui vt paßionis tuæ memoria in animis nostris vigeat, hoc Sacramentum, & Sacrificium instituisti: Da nobis dulcis, IESV, vt quoties te in hoc Sacramento, & Sacrificio, verè esse præsentem firma fide confitemur, veneramur, & adoramus, toties augmentum gratiæ in terris, & gloriæ in cælis consequi mereamur. AMEN.



DISPVTATIO VI.
De Sacramento Ordinis.



Uinta lucerna mystica lucidissima est Sacramentum Ordinis, ex qua potestas sacrata, luxq; gratiæ specialis depromitur à Ministris Dei ad eam accedentibus, per quam possint omnia sacra obire, & cum fulgore interiori coram Domino in mysterio stare: ex hac velut ignis ardens Zeli gloriæ, ac salutis proximi desumitur, sacris enim initiati debent semper, & vbique lucere, juxta illud Saluatoris, *Vos estis lux mundi.* Væ enim Sacerdotibus si tenebras diffundunt, cum lucere teneantur exemplo bonorum operum. De hac lucerna in præsenti Disputatione tractabitur.

De Sacramento Ordinis duas Distinctiones posuit D. Subtilis in 4. Sententiarum; *in 24. quærit. An in Ecclesia sint septem Ordines, eo modo, quo Ordo, vel Ordinatio ponitur Sacramentum. in 25. de subjecto apto & requisitis ad Sacramentum Ordinis inquirit.* Nos claritatis gratia præsentem Disputationem in tres Quæstiones diuidemus. *In 1. quæremus. Quid sit Ordo, & quot sunt Ordines: in 2. de materia, forma, & Ministro Ordinis: in 3. De subjecto, Ordinis, & requisitis ejus.*

QVÆSTIO I.
Quid sit Ordo, & quot sunt Ordines?

In Præsenti Quæstione inquirendum est 1. Quid sit Ordo.
2. Quot sunt Ordines Ecclesiastici.
3. Quinam sint Ordines Majores, & qui Minores.
4. Vtrum collatio singulorum Ordinum sit verum Sacramentum.

ARTICVLVS I.
Quid sit Ordo?

Ordinis acceptio varia.

Nota 1. Ordo secundùm S. August. lib. 9. de Ciuit. c. 13. *Est parium dispariumq; rerum sua cuiq; loca tribuens dispositio.* Alio modo Ordo capitur pro gratia eminenti in politia, vel communitate aliqua. 3. accipitur pro ipsa ordinatione actiua, quæ est collatiua ordinis, siue ordinatio: sumitur & pro ordinatione passiua, vt patebit ex definitione.

Nota 2.

NOTA 2. Ordinis Sacramentum institutum fuit in vltima cæna *Luc. 22.* vbi dicitur, *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis collata est Apostolis potestas Sacerdotalis, eisq; ac eorum successoribus datum est præceptum consecrandi. cum hoc autem Ordine Sacerdotij reliqui Ordines inferiores sunt instituti, quia in eo continentur eminenter, & ad eum ordinantur.

Ordo quando institutus

DICO 1. *Ordinatio est institutio alicujus in gradu Ecclesiæ præeminente cui conuenit aliquod ministerium circa Eucharistiam exhibendum, facta à Ministro idoneo, certa Verba proferente & simul cum intentione debita, ministerium gradus illius, aliquo signo visibili repræsentans, ex institutione Diuina efficaciter signans gratiam præeminentem, quâ ordinatus dignè aliquod ministerium exequatur.* Ita D. Subt. *in 4. dist : 24. n. 8.* Hæc definitio est sufficiens, completa. Ab aliis ita describitur. *Ordo est Sacramentum nouæ legis, quo homines aliqui in Dei ministerium spirituali potestate tradita deputantur.*

Definitio Ordinis.

DICO 2. Vt talis gradus sit verus ordo, non sufficere vt talis potestas etiam specialis, quacunq; ratione alicui conferatur, (nam absolutè loquendo per solam Pontificis deputationem posset alicui clerico conferri potestas cum omni solennitate exercendi officium Ostiarii, Lectoris; aut Acoluthi, & tamen hic nullum haberet ordinem) sed requiritur, vt ei conferatur omninò stabiliter per quandam consecrationem, ita vt quamdiu viuit, eam amittere non possit, vt omnes Catholici fatentur contra hæreticos, qui volunt ejusmodi potestatem, non aliter conferri, quàm per legitimam ad tale, aut tale officium Ecclesiasticū deputationē, quæ etiam per amotionē ab ejusmodi officio amittatur. Sed contra eos pro nobis stat vsus ab initio Ecclesiæ, vt constat ex Tertul. *1. lib. de præscript.* vbi docet propriū esse hæreticorum habere ejusmodi deputationem ad ministeria Ecclesiastica mutabilem, ita vt qui hodie sunt ministri, cras fiant laici. Hoc idem docet S. August. *l. de bono Conjugali c. 24.*

Quomodo Ordo confertur.

DICO 3. Juristæ dicunt Ordinem esse gradum spiritualem in Ecclesia, ad aliquem actum Sacramentalem disponentem: & sic Episcopatus est Ordo. Theologi verò addunt, quod sit gradus eminens disponens ad consecrationem, vel dispensationem Eucharistiæ.

Theologi & Iuristæ aliter definiunt

ARTICVLVS II.

Quot sunt Ordines Ecclesiastici?

DICO 1. Ab initio in Ecclesia fuerunt septem Ordines Ecclesiastici, nimirum Ostiariatus, Exorcistatus, Lectoratus, Acoluthatus, Subdiacona-

Ordines sunt semptem,

tus, Presbyteratus. Ex quibus primi quatuor dicuntur non sacri, tres verò Sacri: licet enim omnes sint Sacri, in quantùm Sacramenta, posteriores tamen Sacri peculiariter dicuntur, quia habent annexum votum continentiæ, atq; eos qui illis initiantur, in perpetuũ ita Deo consecrant, vt non possint iterum fieri seculares. Probatur conclusio ex Trident. *Sess. 23. c. 2.* vbi id expresse habetur. De Presbyteratu, & Diaconatu non esse dubium, quia Scriptura horum sæpè mentionem facit. De aliis verò Probatur, quia eorum meminerunt antiquissimi Patres. Primò, Clemens *Epist. 2. ad Fratrem Domini.* 2. Cornelius Pontifex circa annum Domini 255. Epist. ad Fabianum Antioch. apud Eusebium: l. 6. c. 42. hos omnes Ordines enumerat, aitq; *in Ecclesia Romana suo tempore fuisse Presbyteros quadraginta sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acoluthos quadraginta duos, Exorcistas, Lectores, & Ostiarios vniuersim quinquaginta duos.* Hoc idem habetur in Concilio Romano sub Syluestro. *c. 3.*

Obiectio hæreticorum. Obiiciunt Caluinus & Kemnitius esse tantùm tres Ordines, Episcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum. Primò, quia antiqui Patres tot non enumerant. 2. Quia omnia Minorum Ordinum officia laici obeunt. Ergo ad ea obeunda Ministri non consecrabantur. 3. Quia etiam ipsi Diaconi *Actorum 6.* fuerunt creati, vt ministrarent mensis viduarum.

Solutio. Respondeo Antiquos Patres non habuisse propositum omnes Ordines qui tunc in Ecclesia erant recensere, sed solùm pro re nata certorum officiorum facere mentionem. Vnde sicut quosdam Ordines non enumerant, ita nec eos in Ecclesia esse negant. Ad 2. negatur Conseq: licet enim sæpè laici istorum Ordinum officia obeant, hoc ideo fit, quia non reperiuntur sufficientes Clerici qui possint ea commodè obire. Ad 3. dico Necessitatem viduarum non fuisse causam creandi Diaconos, sed occasionem, tamen nullo modo ad illud solum officium ipsos fuisse creatos, sed & ad baptizandum, & prædicandum, vt constat ex Actis Apostolorum in defectu Sacerdotum.

DICO 2. Propriè sunt tantùm illi septem Ordines, quos in prima Conclusione recensui. Probatur ex Tridentino Sess. 23. c. 3. vbi solos dictos inter Ordines numerat, & cum ibi dogmaticè loquatur, omninò videtur intendere, omnes veros Ordines enumerare, quia aliâs daret doctrinam imminutam de Ordinibus, præsertim cum ibi agat contra hæreticos, qui aliquos Ordines admittebant, & aliquos negabant: contra quos intendebat docere, quot & quinam sint Ordines. Probatur 2. quia Ordines quos alii adiiciunt aut non sunt veri Ordines, aut non sunt distincti jam à numeratis.

De

De prima tonſura patet, quòd à ratione Ordinis excludatur; quia per eam Clerici non deſtinantur ad certum aliquod Diuinum officium. *Tonſura non eſt Ordo.*

An autem Epiſcopatus ſit Ordo. Alii negant eſſe ordinem, quia non confertur ad peragendum officium venerabilis Euchariſtiæ, quod tamen ajunt eſſe neceſſarium ad rationem Ordinis. Sed hoc nullo modo ſatisfacit: quia poteſtas conſecrandi Sacerdotis, quæ in ordinatione Epiſcopi confertur, longè directiùs & immediatiùs inſeruit huic myſterio peragendo, quàm poteſtas exorciſtæ, aut Lectoris, vt per ſe clarum eſt. Quare alii veriùs fatentur Epiſcopatum eſſe verum ordinem, non tamen conſtituere octauum ordinem; quia non ſatis diſtinguitur à Sacerdotio, quod intrinſecè in ſe includit: atq; ita vnum integrum, ac perfectum Ordinem, cum hoc conſtituit. Sicut Cardinalatus non eſt etiam Ordo, nec Sacramentum, quia nullo modo ordinatur ad Euchariſtiam: quamuis per Epiſcopatum & Cardinalatum, homo fiat capax jurisdictionis Eccleſiaſticæ & beneficiorum. *Epiſcopatus an ſit Ordo.*

ARTICVLVS III.

Quinam ſint Ordines Majores, & quinam Minores?

Dico 1. Ordines Majores ſunt Presbyteratus, Diaconatus, & ſubdiaconatus: reliqui verò dicuntur Minores. Ita Trid. *loc. cit. c. 2.* Porrò Presbyteratus dicitur Ordo Major, propter ſui eminentiam: reliqui autem duo ita dicti ſunt, eò quòd Diaconus, & Subdiaconus in altari Presbytero ſeruiendo, de ejus dignitate aliquid participant, reliqui dicti ſunt Minores, quod ſuos Miniſtros in inferiore gradu conſtituant. *Majores Ordines.*

Dico 2. Sacerdos jure Diuino poteſtate Ordinis, reliquos omnes inferiores ſuperat. Eſt de fide, quia Sacerdos in ſua ordinatione accipit poteſtatem conficiendi Sacramentũ Euchariſtiæ, & pœnitentiæ. Vnde ſequitur ipſum alios Clericos ſuperare dignitate: vt fusè oſtendit S. Chryſoſtomus *in libris de Sacerdotio.* *Presbyter præeminet.*

Dico 3. Epiſcopum de facto ſimpliciter eſſe ſuperiorem ſimplici Sacerdote: tùm poteſtate Ordinis, tùm dignitate: tum poteſtate jurisdictionis. Ita Trident. *loc. cit. c. 7.* Patet, quia poteſt conſecrare Sacerdotes, & confirmare, quod ſimplices Sacerdotes non poſſunt. Præterea Epiſcopi jure Diuino habent poteſtatem jurisdictionis majorem, quàm Presbyteri; quia poſſunt approbare pro confeſſionibus excipiendis, & jurisdictionem conferre; quod modò ſimplicibus Sacerdotibus non eſt conceſſum. *Epiſcopi præeminent Presbyteris.*

Petes. Quæ ſint ſingulorum Ordinum officia?

Re-

Officia Presbyterorum. RESPONDEO breuiter. Presbyteris in pontificali Romano quinq; officia asignantur. 1. Offerre Sacrificium Missæ. 2. Benedicere scilicet tam populum, quàm alia quæ ab ipso benedici possunt. 3. Præesse, quia Presbyterorum est sub Episcopis Ecclesiam regere. 4. Prædicare. 5. Baptisare, vt ostendi *in Disput. de Baptismo.*

Diaconorum Diaconorum verò officium est ex Christi Domini institutione, asistere, & ministrare Sacerdoti in Sacrificio Missæ, & Euangelium solenniter cantare: & ex Sacerdotis commisione, aut in ipsius absentia baptisare, & prædicare.

Subdiaconorum. Subdiaconorum Officium est, aquam ad ministerium altaris præparare, Diacono Ministrare, Calicem & Patenam in vsum Sacrificii præparare, & Epistolam solenniter cantare.

Acoluthorū. Exorcistarū Acoluthorum Officium est ceroferarium ferre, luminaria Ecclesiæ accendere, vinum & aquam ad Euchariſtiam ministrare.

Exorcistarum officium est, Dæmones eycere.

Lectorum. Ostiariorum Lectorum officium est, legere ea quæ in libris Prophetarum continentur.

Ostiariorum officium est, Cymbalum, & campanam pulsare, Ecclesiam aperire, & Sacrarium, & librum aperire ei qui prædicat.

ARTICVLVS IV.

Vtrum collatio singulorum Ordinum sit verum Sacramentum?

Ordo est Sacramentum. DICO 1. Fide tenendum est Sacram ordinationem esse verum & propriè dictum Sacramentum. Ita definitum est in Florentino *in literis Eugenij, & in Trid. Sess. 23. Can. 3.* Probatur. 1. quia continet ritum externum Diuinitùs institutum, qui vsu suo confert gratiam. 2. Probatur. ex communi consensu Ecclesiæ: nam omnes Patres, & Concilia docuerunt Sacram ordinationem esse Sacramentum, vt videre est apud Bellarminum.

Subdiaconatus & Diaconatus est Sacramentum. DICO 2. Ordinationem Diaconi, & subdiaconi esse verum Sacramentum. Patet ex *Actis Apost. c. 6.* Et ex authoritate Patrum id communiter asserentium, quorum authoritas hac in re, quam ex sola traditione possumus certò cognoscere magni facienda est. Tùm quia omnes Ordinationes sunt Sacramenta. Sed ordinatio Diaconatus & subdiaconatus, sunt veræ ordinationes; Ergo sunt verè Sacramenta.

DICO 3.

Dico 3. Ordinatio Presbyterorum est verum Sacramentum. Patet ex Trid. *Loc. cit. c. 3. & Can. 4. ait. Si quis dixerit per Sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere, accipe Spiritum Sanctum &c. anathema sit.* *Presbyteratus est Sacramentum.*

Dico 4. Probabile est etiam Minores ordines esse Sacramenta. Probatur ex Florentino loc. cit. vbi ait: Sextum Sacramentum est ordinis; cuius materia est illud per cuius traditionem confertur Ordo; sicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem: Diaconatus verò, per libri Euangeliorum dationem: subdiaconatus per Calicis vacui, cum patena vacua superposita, traditionem: & similiter de aliis, per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Idem insinuat Trid. *Sess. 23. c. 2.* cum enumerâsset omnes Ordines statim c. 3. & postea Can. 4. definit Sacram ordinationem esse Sacramentum. Vocat autem ordinationem Sacram, non ea ratione, quâ soli Majores ordines dicuntur Sacri, sed quia Sacramentum est.

QVÆSTIO II.

De Materia, Forma, & Ministro Ordinis.

Præsentem quæstionem in duos Articulos diuidemus.

In 1. Quæremus de Materia & Forma, cujuslibet Ordinis.

In 2. De Ministro Ordinis.

ARTICVLVS I.

Quænam sit Materia & Forma cujuslibet Ordinis?

Nota 1. Materiam Ordinis, sicut & cujuslibet Sacramenti esse duplicem, scilicet Remotam, & Proximam, Materia remota cujuslibet Ordinis est res illa, quæ traditur suscipienti Ordines, nimirùm. Presbyteratus Calix cum vino, & patena cum hostia; Diaconatus liber Euangeliorum. Subdiaconatus Calix vacuus cum patena. Acoluthatus Vrceoli. Exorcistatus. Liber Exorcismorum. Ostiariatus, Cymbalum & claues. Lectoratus liber lectionum, vel Prophetiarum. Materia autem Proxima Sacramenti ordinis, est traditio harum rerum quas recensuimus. Licet nonnulli contendant, quod liber Epistolarum sit Materia remota subdiaconatus; Verior tamen sententia est, quòd calix Vacuus cum patena superposita.

 Nota 2.

Nota 2. Illam traditionem quæ est Materia Proxima Sacramenti Ordinis, ita esse de necessitate præcepti Ecclesiastici, vt necessariò prærequiratur contactus suscipientis, vt vult Faber *in quarto dist. 24. q. 1. disp. 1. c. 4. n. 121.* & hoc esse de necessitate Sacramenti: Sed Bonacina *de Sacram. disp. 8. q. vnica. punct. 5. n. 10.* existimat in nullo Ordine realem contactum Materiæ esse de essentia Sacramenti: nam benè tradi potest & accipi cum solo consensu aliquo signo explicato: Sicut verè accipimus equum, vel aliam rem, non illam tangendo cum solo signo acceptatiuo: & sic in Sacerdotio non est necesse, vt Hostia in patena, & vinum in calice immediatè attingatur, sufficit enim tangere calicem & patenam, quando verba ordinationis ab Episcopo proferuntur, ita vt contactus & verba, seu Forma, saltem moraliter sint simul.

Dico 1. Materia Remota Sacramenti Ordinis, est res illa quæ traditur suscipienti. Materia verò Proxima est traditio harum rerum prædictarum. Patet conclusio ex Notandis.

Forma Ordinis. Dico 2. Omnium Ordinum Forma illa est. *Accipe potestatem &c.* qua nimirùm significatur imperatiuo quodam modo, tradi potestas singulis accommodata: & quidem proferri debet simul cum Materia, simultate morali, vt dictum est *disput. de Bapt. & de aliis Sacramentis.* Aduertit tamen hîc Bonacina *loc. cit. esse* validam ordinationem, quando plures initiantur Ordine Sacro, & Episcopus prolatâ semel Vnicâ Formâ in plurali, præbet Materiam singulis successiuè tangendam, Formâ non repetitâ.

In ordinatione Episcopi qua materia. Dico 3. In Ordinatione Episcopi Materia Sacramenti, est impositio manuum, trium Episcoporum super caput ordinandi: Forma verò sunt verba, quæ tunc illi simul tres proferunt scilicet. *Accipe Spiritum Sanctum.* Videtur expressa sententia Concilii Trid. *Sess. 23. Can. 4.* vbi definit, *non frustra ab Episcopo ordinante dici: Accipe Spiritum Sanctum; quia per ordinationem confertur gratia:* clarè ostendens hanc conferri per dicta verba.

Collige. Quoties pro validitate, & inualiditate Ordinis adsunt rationes probabiles, iterari posse sub conditione, maximè in ordine Presbyteratus, ne periculo non consecrandi, aut non absoluendi *Nota.* se exponat, cum maximo fidelium detrimento, quod non procedit in inferioribus Ordinibus. Aduertant tamen hic scrupulosi, aliud esse opinionem, & dubium, aliud scrupulum, nec statim ac quis timet se

vasa

vaſa Sacra V. G. non tetigiſſe, debere iteratò ſuſcipere, multorum enim obliuiſcimur quæ reuera præſtitimus.

ARTICVLVS II.
Quis ſit Miniſter hujus Sacramenti.

RESPONDEO. Ordinarius Miniſter Ordinis, eſt ſolus Epiſcopus proprius Ordinandi: nam ſi ordinaret alienum Clericum ſine dimiſſoriis ſcienter, vel cum ignorantia affectata incurreret ſuſpenſionem, à collatione Ordinum per annum, ex *Trid. Seſs. 14. c. 2.* Aduertunt tamen Doctores, quod Presbyteri Cardinales in ſuis titulis, & Abbates ſuis Subditis, poſſunt conferre Minores Ordines. Tota difficultas eſt, an Epiſcopus excommunicatus, Hæreticus, aut Degradatus, poſſit validè Ordines conferre. *Miniſter Ordinis.*

RESPONDEO Cum Doct. Subt. *loco cit. q. 1. §. de 2. articulo* poſſe validè, licet non licitè, conferre Ordines. Ratio eſt, quia efficacia Sacramenti non pendet à fide, aut bonitate Miniſtri, ſed ex ſola inſtitutione, & meritis Chriſti Domini, & ſicut character Sacramenti, per nulla ordinati ſcelera, aut Eccleſiaſticam poteſtatem, poteſt vnquam deleri: ita nec poteſtas per eum ſignificata, quæq; per Sacramentum diuinitus confertur, poteſt vlla ratione quàm diu ordinatus viuit, ab eo tolli.

PETES 1. *An Pontifex poſſit diſpenſare, vt non Sacerdos Sacramentum Ordinis conferat, aut non Epiſcopus ordinet Sacerdotem?*

RESPONDEO Poſſunt ordines de licentia Summi Pontificis conferri ab aliis quàm ab Epiſcopis, quod verum eſt de Ordinibus Minoribus, & Ordine etiam Subdiaconatus, ſi Subdiaconatus admittatur non eſſe Sacramentum. Quare multo probabilius eſt non poſſe Papam committere collationem Ordinum ſimplici Sacerdoti, multò minùs non Sacerdoti; quia nullum omninò extat exemplum, quo vnquam fuerit, aut non Sacerdoti commiſſa collatio vllius Ordinis, aut non Epiſcopo collatio Sacerdotii. *An ſimplex Sacerdos poſſit conferre Ordines.*

PETES 2. *Quisnam dicatur proprius Epiſcopus?*

RESPONDEO. Proprius Epiſcopus dicitur, vel ratione originis, vel ratione domicilij, vel ratione beneficii. Ex quo Colligitur Epiſcopum non poſſe ordinare extra Diœceſim, abſq; licentia Epiſcopi Diœceſani, ſub pœna ſuſpenſionis, & ſub pœna ordinati, ab exercitio Ordinum, ſic ſtatuente Trid. *Seſs. 6. c. 5.* Porrò inuitatus Epiſcopus ad alienam diœceſim ad ordi- *Proprius Epiſcopus.*

ordinandos illius diœcesis, potest ibi ordinare etiam suos. *Pro subditis* autem alterius Episcopi, dimissoriæ necessariò requiruntur.

Episcopus ordinans debet esse in gratia.

PETES 3. *An Episcopus Ordinans debeat esse in gratia?*

RESPONDEO affirmatiuè, aliâs peccabit mortaliter etiam in conferendo Minores Ordines, cum vt dictum est, & hi sint verè Sacramentum. Porrò ordinatus, ab Episcopo excommunicato incurreret suspensionem *cap. si quis. 1. q. 1.*

COLLIGE. Episcopus qui ordinem inualidè contulit, tenetur manifestare defectum, etiam cum periculo honoris, & vitæ, quod verum existimo quoad collationem Presbyteratus, vel Episcopatus, propter damna quæ inde imminerent; nam ordines Minores supplentur per Sacerdotium.

QVÆSTIO III.

De Subjecto seu suscipiente Sacros Ordines.

In hac quæstione quæram 1. quodnam sit Subjectum capax Sacramenti Ordinis?
2. Quæ requirantur in eo qui Ordinem suscepturus est?

ARTICVLVS I.

Quodnam sit Subjectum capax Sacramenti Ordinis?

Subjectum ordinis.

DICO 1. Omnis masculus baptizatus, est subjectum capax Ordinis, cum certis conditionibus requisitis, de quibus sequenti Articulo.

Ætas puerilis & sexus muliebris impedit.

DICO 2. Aetas puerilis, & Sexus muliebris impedit susceptionem Ordinum. Probatur, Tripliciter potest quis impediri à susceptione talis Sacramenti; quia non potest licitè suscipere, quia si susciperet, peccaret mortaliter, & sic puer non potest licitè ordinem Sacrum suscipere, quare ministrans ordinem paruulo peccat mortaliter. Alio modo dicitur quis impediri à susceptione hujus Sacramenti, quia non potest honestè recipere, & sic paruulus impeditus est, puer enim non potest sic se disponere, vt honestè, vt reuerenter recipiat. Tertio modo dicitur quis impediri simpliciter, quia etsi attentet recipere, & alter conferre, nihil facit vterq;, & sic puer non est impeditus à susceptione Ordinis, quia potestas benè potest præcedere duratione, actum illum ad quem ordinatur. Sed de sexu muliebri dicendum est, quod ad suscipiendum Ordinem simpliciter impediatur, nec hoc ex sola prohibitione Ecclesiæ, quia Ecclesia ex se non auderet exceptuare totum sexum ab hac dignitate sine culpa, & maximè quia tales gradus

gradus multi possunt esse, & sunt de facto ad profectum animarum, non solùm aliorum hominum, sed etiam illorum qui tales gradus habent. Istud ergo est institutum à Christo, vt dicit Apost. ad Timoth. *Docere in Ecclesiâ mulierem non permitto*, *quia* scilicet *Christus non permittit*. Ratio istius est, fortè, quam innuit Apostolus *prima ad Corinth. 11.* quia post lapsum noluit Deus mulierem in tantùm exaltare, cui dictum est *sub viri potestate erit*. Etsi in Canonibus fit mentio Presbyterissæ, & Diaconissæ; ibi hoc nomine appellant, vel vxores Presbyterorum, & Diaconorum, in Ecclesia Græca. Vel in aliquo collegio Abbatissa, dicitur esse Presbyterissa; & quæ legit homilias in Matutino, dicitur esse Diaconissa, sed per hoc non constituuntur in aliquo gradu: Vel Presbyterissa potest dici, aliqua bona matrona vidua, & perfecta inter aliâs mulieres.

DICES 1. Ad *Galat. 3.* dicitur. In Christo JEsu non est seruus neq; liber, neq; masculus, neq; fæmina. Ergo nulla est differentia inter sexum in Ecclesia. Respondeo concedendo id quoad gratiam, & gloriam, non quoad gradus in Ecclesia.

DICES 2. Quando materia est ejusdem rationis, agens si potest inducere aliquam formam in vnam illarum, potest in alteram. Ergo si potest Episcopus consecrare virum; cur non mulierem? Respondeo, quòd major est vera de agente naturali, non autem libero. Deus igitur qui est principale, agens & liberum, noluit vt conferatur mulieri, sicuti probatum est.

COLLIGE 1. Etsi validè possit aliquis puer initiari, etiam Sacerdotio baptizatus ante vsum rationis, tamen cum grauissimo peccato id fieret. Ita D. *Subt. q. 2. §. hic breuiter.* Ratio est. Tum quia per se videtur absurdum vt infans sit verus Sacerdos. Tùm quia nemo potest suscipere aliquod Sacramentum, nisi in illud per se, vel per alios consentiat. *Cur pueri non initiandi.*

COLLIGE 2. Fæminæ, Sacramentum Ordinis nullo modo recipere possunt, vt patet ex præcedenti Conclusione.

DICO 3. Vt quis licitè Ordines suscipiat, requiritur vt sit confirmatus nam Trid. *Sess. 23. c. 4. de reformatione* prohibet ne confirmati initientur primâ tonsurâ. Contrarium tamen facere, non videtur esse peccatum mortale, vt insinuaui de Sacramentis in genere. *Ordinandi debent esse confirmati.*

ARTICVLVS II.

Quæ sunt requisita suscipientium Ordines?

Conditiones Ordinandorum.

Dico. Vt licitè aliquis Ordines suscipiat, hæ conditiones requiruntur. 1. vt sit baptizatus. 2. vt sit confirmatus 3. vt habeat primam tonsuram; valida tamen est ordinatio ante primam tonsuram. 4. ætas prærequisita: 5. Literæ dimissoriæ. 6. Examen. 7. Titulus. 8. Gradatio. 9. Interstitia: 10. Tempus. 11. Locus. 12. status gratiæ. De prima, & secunda conditione, & de tertia iam præcedenti art. dictum, est.

Aetas ordinandorum.

Quantùm Ad Aetatem requiritur in ordinando quoad primam tonsuram, & Ordines minores septennium completum. In Acoluthatu duodecimus annus completus. In Subdiaconatu vigesimus secundus. In Diaconatu vigesimus tertius. In Presbyteratu vigesimus quintus, omnes saltem inchoati. Deniq; in Episcopatu trigesimus annus. Et quidem secundùm graues authores non habet hic locum paruitas materiæ, nam si dies, vel hora deficiat, actus vitiatur. Nec habet hic locum illa regula, *Quod parum distat nihil distare videtur*, quia totum præceptum consistit in seruanda integra materia. Existimat tamẽ Sanchez *tom. 2. l. 7. c. 1. dub. 33. n. 6.* vt si vltimus dies ætatis sit inceptꝰ, potest quis ordinari etiã ante aliquot horas quia in fauorabilibus dies cæptus habetur pro completo. *l. qua ætate ff. de testã.*

Quas pœnas incurrit sciens.

Collige 1. Recipiens Ordines ante legitimam ætatem pœnam suspensionis ab exercitio Ordinum incurrit; modò tamen suscipiat aliquem Ordinem Sacrum mala fide, sciens se legitimam ætatem non habere, idq; prohiberi sub pœna suspensionis: nam qui bono fine, & ignorans legem, Sacros Ordines suscepit ante legitimam ætatem, non incurrit suspensionem; consequenter neq; irregularitatem, functiones susceptorum Ordinum exercens; mortaliter tamen peccat illas functiones exercens cognito ætatis defectu: facit enim contra prohibitionem Ecclesiæ. *Ita communiter Doctores.*

Collige 2. Qui Sacrum ordinem succepit ante legitimam ætatem incurrit irregularitatem, si illum exerceat etiam in missa ordinationis, V. G. si Diaconus canat Euangelium; facit enim duplicem actionem prohibitam, vnam sub censura suspensionis, suscipiendo Sacrum ordinem, alteram sub pœna irregularitatis illum exercendo.

Per saltum promoti, pœna.

Collige 3. Promotus per saltum suspenditur. 1. à susceptione Ordinum prætermissorum. 2. ab executione Ordinis suscepti. 3. à susceptione Ordinis superioris, V. G. qui Diaconatum, Subdiaconatu omisso suscepit, non potest ad Sacerdotium promoueri, antequam dispensetur, & Ordinem prætermissum suscipiat; & in hoc casu potest Episcopus dispen-

ſpenſare. Non eſt tamen ſuſpenſus ab Ordinibus anteà ritè ſuſceptis. Ita Bonac. *diſp. 3. quæſt. 1. n. 9. & 10.*

Quantùm ad Dimiſſorias. Ordinandus debet habere Dimiſſorias à proprio Epiſcopo, vel à Capitulo, ſede vacante, non tamen infra annum à die vacationis, vt prohibet Tridentinum *Seſſ. 7. c. 10. Sub pœna interdicti & ſuſpenſionis.* Poſſunt etiam ſuis ſubditis ſæcularibus etiam Dimiſſorias concedere Abbates. Ita Bonac. *loc. cit. puncto. 11. n. 4.* Porrò Regularibus concedere poteſt ſuus Prælatus, vt ſcilicet ordinentur ab Epiſcopo quocunq; ex priuilegio conceſſo, Ordini S. Benedicti à Clemente VIII. & Societati à Gregorio XIII. in quibus Priuilegiis communicant & alii Religioſi mendicantes, vt refert Roder. *tom. 3. q. 24. a. 1.* Miranda in manuali *tom. 1. q. 38. a. 2.* Quod verum eſſe, ſi proprius Epiſcopus ſit abſens, vel ordinationes non habeat, tunc à quocunq; alio poſſunt ordinari, vt patet ex Decreto Clem. VIII. quod ibidem Miranda refert. *Dimiſſoriæ habendæ, & à quo.*

Quantùm ad Examen. Dico quod faciendum eſt ab Epiſcopo, vel de mandato Epiſcopi etiam quoad Regulares, juxta Trident. *Seſſ. 23. c. 12.* Et ita declarauit Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium, *die 13. Octob. 1593.* Porrò ad Minores Ordines linguæ latinæ notitia requiritur. Ad Majores verò etiam, inſtructionem ad eorum miniſteria neceſſariam exigit Tridentinum *loc. cit. c. 13. & 14.* *Examinandi.*

Quantùm ad Titulum. Reſpondeo quòd in Clerico ſæculari eſt beneficiũ, vel Patrimoniũ ad congruã ſuſtentationẽ ſufficiens. Quare Epiſcopus ordinans aliquem absq; Titulo, tenetur illi alimenta congrua adminiſtrare, ſi verò aliquis ſit ordinatus ſine titulo, ſuſpenditur per triennium à collatione ordinum, & ab executione eorum, donec à Papa abſoluatur. Ita Suarez *de Cenſ. diſp. 31. ſect. 1. n. 34.* Qui verò ordinatur cum ficto Patrimonio, beneficio, aut ficta penſione, peccat mortaliter, & incurrit ſuſpenſionẽ *cap. Neminem & cap. Sanctorum.* diſp. 50. Regulares autem ordinantur ad Titulum paupertatis, quibus Superiores prouidere tenentur. *Titulus requiritur.*

Quantùm ad Gradationem. Dico quod Ordines gradatim accipi debent; nam ordinatus per ſaltum, incurrit ſuſpenſionem vt dixi ſupra. An autem procedat quando intermittuntur ordines Minores? probabile non procedere. Cum talibus verò diſpenſare poteſt Epiſcopus ad miniſteriũ Ordinis ſuſcepti per ſaltum, etiam poſt exercitium, & Trident. ſolùm prohibet, ne cum tali diſpenſent ad altioris Ordinis promotionem, quanquam alii authores teneant, hanc ſuſpenſionem poſſe tolli per Cruciatam. *Gradatio requiritur.*

Interstitia seruanda.

Quantùm ad Interstitia. DICO 1. Vt licitè quis Ordines recipiat, seruare debet interstitia à jure statuta; Interstitia autem hæc, ita sunt computanda; vt inter unum & alterum Ordinem, annus integer intercedat; hic tamen annus est moraliter computandus, juxta ritum Ecclesiæ V. G. à Petecoste ad *Pentecosten.*

Non seruans interstitia peccat.

DICO 2. qui non seruaret interstitia grauiter peccaret, non fieret tamen suspensus, nec Episcopus promouens, quia suspensio imposita à *Sixto* V. sublata est à *Clemente* VIII. teste Filliucio.

Eodem die non licet plures Ordines recipere Majores.

DICO 3. Incurreret suspensionem, qui duos majores Ordines Sacros eodem die absq; dispensatione reciperet. Et Episcopus conferens alicui plures Ordines eodem die, suspenditur à collatione Ordinum, donec à Papa dispensetur. Addunt DD. quod qui eodem die sumeret Ordines minores, & Subdiaconatum, non incurreret prædictas pœnas. Ita Vasquez. in 3. p. tom. 5. disput. 146. c. 5.

PETES. *Quis possit dispensare in Interstitiis?*

DICO 1. in Interstitiis dispensare potest Episcopus pro necessitate, aut vtilitate Ecclesiæ, sic concedente Trident. *Sess. 23. c. 11. & 13.* Facultas autem hæc Episcopi transit ad Capitulum, seu ejus vicarium, sede vacante post annum.

Quis dispensare possit in Interstitijs.

DICO 2. *Dispensatio* hæc quoad Interstitia pertinet ad Episcopum etiam quoad Regulares. Ita Bonac: disp. 8. q. vnica. p. 6. n. 34. Vbi adducit declarationem Sacræ Congregationis. Porrò Villalobos *tom. 1. tract. 11. diff. 22. n. 8.* & alii multi tenent, pertinere ad superiores.

Regulares ex Priuilegio Grego. XIII. concesso Societati, quod *Suarez de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. c. 12. n. 21.* extendit ad omnes Religiones communicantes.

Tempus requiritur.

Quantùm ad Tempus. DICO 1. Prima Tonsura quouis anni tempore, quauis die, & hora, conferri potest. Ordines Minores ex recepta Episcoporum consuetudine dari possunt, Feria Sexta vesperè ante Sabbatum quatuor temporum, vel aliud, in quo de jure omnes Ordines conferri possunt. Possunt etiam dari quolibet die *Dominico*, aut in Festo in quo opera seruilia sunt prohibita. *cap. de temp. Ord.* Alii autem DD. Festum capiunt pro eo, quod seruatur in choro, quamuis non in populo, quale est omne festum duplex: quod etiam procedit quando *Papa* dispensat, vt quis ordinetur in tribus diebus festiuis.

Ordines

DICO 2. Ordines Majores non nisi in Sabbato Quatuor temporum, & Sab-

& Sabbato ante Dominicam Passionis, & Sabbato Sancto dari possunt. *Ita communiter omnes.* *Maiores quando.*

Dico 3. Qui extra præscripta Tempora Ordines Sacros sumeret, peccaret mortaliter, & incurreret suspensionem. Ita Portellius ver. Ordines Sacri n. 13.

Petes. *An Regulares possint extra tempora ordinari?*

Respondeo per Priuilegia posse ex concessione Alexandri VI. & Eugenii. IV. quæ Portellius probat non esse reuocata per Tridentinum. Et adducit aliud *P*riuilegium Clem. VIII. concessum, PP. Congreg. S. Ioan. Euang. in Lusitania. Et tandem ex *P*riuilegio. Greg. XIII. concesso *S*ocietati. Quod quamuis concessum sit cum clausula, ne aliæ Religiones vti possint, alii tamen *P*ontifices *S*uccedentes omnia Societatis Priuilegia, aliis Religionibus communia fecerunt. Ita Cruz *lib. 2. c. 8. dub. 1.* Et Rodericus *tom. 1. quæst. 55. a. 17.* hæc verba habet. *Etiam Priuilegia Jesuitarum omnibus ritè perpensis extenduntur ad alios Religiosos, quamuis Bulla expressa aliquando habeat: quod hac gratia aliis non communicetur, prout colligitur ex indultis Greg. XIV.* *Per priuilegia Religiosi an possint ordinari extra tempora*

Quantùm ad Locum. Dico quòd ordinariè in solenni Ordinatione est Ecclesia Cathedralis, priuatæ autem Ordinationis etiam *S*acellum, vel capella. *Locus requiritur.*

Quantùm ad statum gratia. Dico quod Ordinandus debet esse in gratiâ, alioquin peccatum mortale committet. Patet ex *S*acramentis in genere. *Debet esse in statu gratia.*

Petes *An requiratur intentio suscipientis Ordines?*

Respondeo. Præter intentionem actualem, & virtualem, quæ necessariò requiruntur ad suscipiendum quodlibet *S*acramentum, requiritur etiam in suscipientibus Ordines, vt mundo, ac seculi vanitatibus renuncient, & Diuinis obsequiis totaliter mancipentur, vt insinuat Trid. *Sess. 23. c. 4.* *Intentio etiam requiritur,*

Petes 2. *An pœnæ Canonicæ prohibeant à susceptione Ordinum?*

Pœnas Canonicas satis fusè enumeraui *in disp. de Pœnitentia q. 10.* ibiq; ostendi quæ pœnæ prohibeant susceptionem Ordinum. Hic breuiter Respondeo. Pœnæ non prohibent à collatione, vel susceptione Ordinum de facto. Probatur. Quia cum illis pœnis potest stare, & ratio ministri, & suscipientis, & intentio, & alia necessaria ex parte vtriusq;. De jure autem prohibent, ita quòd sit illicitum, tamen si attendatur, hoc fit, quod *An pœnæ Canonicæ impediant.*

intenditur. Ratio autem hujus negationis est, quia Ecclesiæ est collata potestas ordinandi sibi ministros, sicut patet *ex prima ad Timoth.* 3. vbi describit quales debent eligi Diaconi. Qui tenet, quod Episcopatus non sit Ordo, tenebit quòd Episcopus depositus, vel degradatus, non potest conficere simpliciter.

Collige. Regularis excommunicatus propter percussionem clerici, Ordines recipiens incurrit suspensionem. *c. cum illorum de Sententia excommunicationis.*

Petes, 3. *Quâ ratione initiatis Sacris Ordinibus, prohibitum sit matrimonium?*

Ordinandi pro majoribus promittebant continentiam.

Dico 1. Ab initio in Ecclesia fuit statutum, vt nemo conjugatus ordinaretur Sacerdos, aut etiam Diaconus, nisi promitteret continentiã, idq; ex consensu vxoris, quæ etiam castitatem vouebat. Hoc autem præceptum vetans initiatos majoribus Ordinibus contrahere matrimoniũ, est Ecclesiasticum ab Apostolis latum. Vide Bellarminum *de cœlibatu.* Et hoc in multis Conciliis antiquissimis est definitum: nouissimè verò in Trid. *Sess. 24. can. 9.* his verbis. *Si quis dixerit Clericos in Ordinibus constitutos, vel Regulares, castitatem solenniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumq; validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, &c. anathema sit.*

Dico 2. Justissimè facit Ecclesia nolens aliquem admittere ad Sacros Ordines, qui non voueat omnimodam continentiam. Patet ex authoritate totius Ecclesiæ, quæ ab initio hoc constituit, & quæ in rebus tam grauibus errare nullo modo potuit. Vide Coninchum disp. 20. de Sacram: Ordinis.



DISPV-

DISPVTATIO VII.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.



Nter Sacramenta nouæ legis non postremum est Sacramentum Extremæ Vnctionis, quæ Extrema Vnctio lucerna est luminosa per oleum Sacrum, potens nobis lucem præbere in extremo discrimine, in exitu caliginoso hujus vitæ; præbet enim lucem contra multiplices tenebras, & est velut illa lux, quæ exeuntibus de tenebrosa Ægypto, in nocte lux fuit in terram promissionis. Quæ extrema Vnctio confertur ad infirmitatem subleuandam, ad hostis artes eludendas, & ad venialia remittenda. *De* hoc Sacramento Doct. Subt, mouet vnicam quæstionem. *in 4. dist. 23.*

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum Extrema Vnctio sit Sacramentum nouæ legis?

In *Præ*senti quæstione inquirendum est. 1. Quid sit Sacramentum Extremæ Vnctionis. 2. Quæ sit Materia & Forma Extremæ Vnctionis. 3. Quodnam sit subjectum Extremæ Vnctionis. 4. Quisnam sit Minister Extremæ Vnctionis. 5. Quæ Vtilitas Extremæ Vnctionis. Quæ omnia per *P*etita breuiter resoluentur.

PETES. 1. *Quid sit Sacramentum Extremæ Vnctionis?*

Definitio Extremæ Vnctionis.

RESPONDET Doct. Subt. loc. cit. n. 3. *Extrema vnctio, est vnctio hominis infirmi pœnitentis, facta in determinatis partibus corporis, cum oleo consecrato ab Episcopo, ministrata à Sacerdote, simul verba certa, cum intentione debita proferente, ex institutione Diuina efficaciter significans curationem finalem venialium.* Ex qua definitione.

COLLIGE. Extremam Vnctionem nedum esse possibilem & congruam, verum & de facto ab ipso Christo Domino immediatè esse institutam post resurrectionem suam, Marci 6. quoad materiam remotam, proximè tamen & in facto esse, post ejus resurrectionem instituta est *Joan. 20.*

PETES 2. *Quæ sit materia, & Forma Extremæ Vnctionis?*

Materia remota.

DICO 1. Materia remota essentialis Sacramenti Extremæ Vnctionis, est oleum vniuocum, nempè oliuarum, ab Episcopo (seu à Presbytero

ex dispensatione summi Pontificis) benedictum. Definitum est à Concil. Trid. *Sess. 14. c. 1.* dicente. *Intellexit enim Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum.*

Dico 2. Materia proxima hujus Sacramenti, est vnctio ex oleo consecrato facta. Probatur ex verbis S. Iacobi. *c. 5. vngentes eum oleo.* Et ex Trid. dicente. *Nam vnctio aptissimè spiritus Sancti gratiam; qua inuisibiliter anima ægrotantis coniungitur repræsentat.*

Vnctio in signum crucis.

Dico 3. Hujusmodi vnctio, neq; necessitate Sacramenti, neq; præcepti lethalis culpæ facienda est, in signum crucis. 1. pars conclusionis neminem latet. quia *Iacobi 5.* dicitur simpliciter, *vngentes eum oleo:* neq; Concilia vt fiat in signum Crucis definiuerunt. Ergo figura crucis non est de necessitate Sacramenti. 2. pars Quia nullum præceptum hac de re esse latum extat expressè. Et licet consuetudo vigeat immemorabilis, & vetustissima liniendi infirmos sub forma crucis, non tamen constat ipsam fuisse introductam sub præcepto obligationis sub mortali, imò aliqui dicunt, nec sub veniali, non tamen omittendum signum Crucis.

Oleum debet esse benedictum ab Episcopo.

Dico 4. Oleum debet esse oliuarum, & benedictum ab Episcopo in eodem anno. ex *c. literis de Consec. d 3.* Sed in necessitate potest Parochus vngere oleo veteri. Aliqui DD. tenent non sufficere vnam guttam olei, aliqui affirmant.

Forma.

Dico 5. *Forma* hujus Sacramenti continetur his verbis à *Sacerdote* prolatis. *Per istam Sanctam vnctionem. & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid per visum deliquisti.* Quæ forma adhibetur etiam in vnctionibus aliorum sensuum, expresso nomine singulorum. Additur post *deliquisti. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen,* quæ inuocatio SS. Trinitatis, licet non sit necessaria, non tamen omittenda. Fit autem hæc forma deprecatiuo modo, quia Christus D. ita instituit Iacobi 5. *Orent super eum.* Non autem valida est indicatiua: vt communiter DD. tenent.

Collige Vrgente necessitate quando periculum est in mora, potest Parochus inuncta singulorum sensuum vnica parte, vnicam formam proferre, quæ pluribus partialibus æquiualeat: in praxi tamen à communi consuetudine non facilè recedendum, nisi euidens necessitas postulet.

Petes 3. *Quodnam sit subjectum Extremæ Vnctionis?*

Subjectum Extremæ Vnctionis.

Dico 1. Extremæ Vnctionis subjectum capax, est homo viator, baptizatus, adultæ ætatis, compos mentis, infirmus, pœnitens, morti proba-

probabiliter proximus. Dixi *viator*, quia Sacramenta pro viatoribus instituta. Dixi *Adultæ ætatis*, quia pueri ante vsum rationis vngi non debent, post vsum verò rationis vngi possunt: Dixi *compos mentis*. Vndè perpetuò amentibus dari non debet. Dixi *infirmus*, quia non cuicunq; morituro, sed tantùm ex infirmitate debet conferri, siue illa procedat ex vulnere, siue morbo, siue ex partu &c. & sic hoc Sacramentum non potest conferri, bellum gerentibus, aut nauigantibus cum periculo, aut damnatis ad mortem, aut mulieribus parturientibus, aut infirmis nondum existentibus in periculo mortis: senibus quoq; non est denegandum, quia senectus ipsa est morbus.

Aduerte tamen hîc non esse expectandum extremum vitæ periculum, aut tempus, quo infirmus prorsus sensu careat, aut omninò ejus desperata sit salus, sed administrandum est hoc Sacramentum, si fieri potest, quando infirmus adhuc vsu rationis gaudet, vt se magis ad fructum Sacramenti disponat. Si verò inter vngendum è vita decedat, Parochus debet ab vnctionibus desistere, cùm non sit amplius viator. *Notæ.*

Colliges 1. Non suscipiens hoc Sacramentum, si absit contemptus, vel scandalum, non peccat mortaliter, quia nullum extat præceptum obligans sub mortali ad suscipiendum. *Omittens an peccet.*

Colliges 2. Non peccat mortaliter, qui Sacramentum hoc confert infirmo, antequam susceperit Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ: quia per contritionem potest se homo disponere ad hoc Sacramentum suscipiendum: seruanda tamèn praxis vt nonnisi post Sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ conferatur. *An ante confessionē dandum.*

Colliges 3. Infirmo, quem constat nunquam actualiter peccasse, potest conferri hoc Sacramentum: est enim talis capax effectus Sacramenti, cum *Iacobi* 5. dicatur. *Si in peccatis sit, dimittentur ei.* Ergo Apostolus supponit hoc Sacramentum conferri posse cuicunq; infirmo, neq; opus esse vt actualiter peccauerit. *Potest dari non peccatori.*

Dico 2. Ad essentiam hujus Sacramenti pertinet vt vnctiones fiant in singulis corporis sensibus, alioquin inualidum est Sacramentum: quod si aliquis careat vno corporis membro, in quo viget aliquis sensus. V. G. aure, vngenda est pars vicinior. Fit autm vnctio in his tantùm partibus, ex quibus spiritualis morbus suam trahit originē, & sic attingendi sunt oculi, aures, manus, nares, & os, aut si sit periculum mortis, vnus oculus, vna auris solùm attingenda: in aliquibus Prouinciis pedes vnguntur propter *In singulis sensibus vnctiones debent fieri.*

virtutem progressiuam, & renes, sed in fæminis, in renibus est omittenda propter honestatem vnctio.

PETES 4. *Quis sit Minister Extremæ vnctionis?*

Minister est Sacerdos, ordinarius Parochus.

DICO 1. Proprius hujus Sacramenti Minister, est solus Sacerdos, *Iacob. 5. Indicat Presbyteros*, id est aliquem ex Sacerdotibus, ejus enim ministerium est actus Ordinis Sacerdotalis. Debet autem esse extra necessitatem Parochus Sacerdos; quia vngere est actus jurisdictionis, vel de licentia Parochi alius Sacerdos. Religiosi autem licet exempti, qui sine priuilegio, vel Parochi facultate administrant hoc Sacramentum, incidunt in excommunicationem *Clementinæ 1. de priuilegiis.* Hæc tamen excommunicatio non incurritur à Religiosis administrantibus cum ratihabitione Parochi, vel in articulo mortis. Potest etiam hoc Sacramentum vrgente necessitate à pluribus Sacerdotibus, vni & eidem conferri, ita vt vnus vngat vnam partem, & alius aliam, modò idem qui vngit, simul proferat formam tali vnctioni debitam, non enim potest vnus vngere, & alius formam proferre: extra necessitatem non possunt plures.

Religiosi an sint Ministri.

PETES 5. *Quænam sit vtilitas, & effectus Extremæ Vnctionis?*

Effectus hujus Sacramenti.

RESPONDEO. Effectus hujus Sacramenti est augmentum gratiæ habitualis; quæ specialia habet adjuncta auxilia, ad expellendas habitudines, & propensiones ad malum, ad peccata venialia delenda, ad conferendam sanitatem quatenùs expedierit, & ad dæmonis insultus propulsandos, qui tunc acres esse solent; in vltima verò vnctione confertur effectus hujus Sacramenti.

Est iterabile.

COLLIGE 1. Hoc Sacramentum est iterabile, non tamen in eadem infirmitate.

COLLIGE 2. Non teneri regulariter sub mortali ministrare hoc Sacramentum cum periculo mortis, vt tempore pestis.

Ritus & Cæremoniæ seruandæ.

COLLIGE 3. Ritus & cæremoniæ in hoc Sacramento seruandæ, secundùm consuetudinem, & leges Episcoporum. Debent præmitti precationes Rituales, modò infirmitas ægroti moram patiatur. Præterea cum vestibus præscriptis ab Ecclesia, & cum lumine, est deferendum.



DISPV-

DISPVTATIO VIII.

De Sacramento Matrimonii.



Ltimam lucernam Catholicam mysticam proponimus, nimirùm Sacramentum Matrimonii; tempore quidem legis antiquæ, Matrimonium erat quidam contractus Ciuilis, sed Christus Dominus veniens, illud euexit in sublime, & in Candelabro Ecclesiæ posuit, ex contractu Ciuili efficiens Sacramentum, addita speciali significatione, conjunctionis suæ, cum Ecclesia sua sponsa, addens huic lucernæ oleum, nempè gratiam, ad toleranda quæq; aduersa, & infortunia. Doctor Subtilis, Tractatum de Matrimonio incipiendo *à Dist. 26. in 4. vsq; ad Dist. 42. inclusiuè cum summa soliditate, juncta breuitati, protrahit.* Ego breuitatis gratia totum Tractatum de Matrimonio in 6. Quæstiones diuidam. In 1. quæram de Contractu sponsalium. in 2. De Essentia Matrimonii; in 3. Quæ sint bona Matrimonii & requisita ejus. in 4. De impedimentis dirimentibus Matrimonium. in 5. de impedimentis non dirimentibus, sed solùm impedientibus Matrimonium. in 6. De dispensatione in impedimentis Matrimonii, Seu Quis possit dispensare in impedimentis Matrimonii.

QVÆSTIO I.

De Contractu Sponsalium.

Hic quæram 1. Quid sint sponsalia.
- 2. Quomodo sponsalia valeant, & obligent.
- 3. Quomodo sponsalia dissoluantur.
- 4. Quinam sint effectus sponsalium.

ARTICVLVS I.

Quid sint sponsalia?

Dico 1. Ad essentiam sponsalium pertinet promissio. Patet ex jure *cap. Nostrates:* vbi sic definiuntur, *Futurarum nuptiarum mutua promissio.* *Quid sponsalia.*

Dico 2.

Promissionem requirunt sponsalia.

DICO 2. Ad sponsalia necessariò requiritur, vera & directa matrimonii promissio mutua, quæ promissio debet versari circa determinatam personam: debetq; exteriùs exprimi, ita vt possit à parte acceptari, quæ externa promissio debet esse conjuncta, cum libera actuali, vel saltem virtuali intentione, se obligandi ad matrimonium, & ab hac eam imperante procedere, quia alias non posset, cum ea vnum integrum actum humanum componere. Hinc

Fictè contrahens sponsalia an peccet.

COLLIGE 1. Fictè sponsalia contrahentem peccare mortaliter: quia eò ipso quòd quis profert verba promissionis, & quæ scit esse promissionis, & illi cui fit promissio, sunt insinuata, ex naturali jure tenetur ad seruandam veritatem, cùm promissio debeat esse fidelis, itaq; qui promisit, non potest sua voluntate tollere eam naturalem obligationem, & non potest esse voluntas proferendi externa signa promissionis, siue contractus, sine implicito animo se obligandi: Ita Turianus *in 2. 2. disp. 64. dub. 15.* Vasquez *d. 6. de Matrim. cap. 3.* Pontius *lib. 2. de Matrim. cap. 4.* qui infert, eum qui fictè promisit, & sub ea spe virginem decepit, teneri implere promissum, etiamsi disparis conditionis sit, vel in nobilitate, vel in diuitiis, dummodò reuera nullum aliud signum exteriùs fuerit, quo indicaret cum dolo promitti, disparitas enim illa conditionis, non est argumentum sufficiens doli, neque fictionis. Oppositam opinionem tenet Sanchez *de Matrim. lib. 1. disp. 9. n. 5.* Angelus *Verbo pactum n. 4.* Syluest. *ibidem q. 4.* nempe promissionem fictam non obligare, sequitur Coninchus de Sacramentis *disp. 21. dubio 1. n. 7.*

Clandestina sponsalia an valeant.

COLLIGE 2. Sponsalia clandestina sine præsentia Parochi, aut vllius testis, non modò validè, sed etiam licitè per se loquendo contrahuntur; quia nullo jure prohibita, sunt tamen dissuadenda, quia sæpè minùs circumspectè contrahuntur, ita vt sponsos mox pœniteat.

Ad sponsalia signa externa requiruntur.

DICO 3. Ad essentiam sponsalium, requiruntur aliqua externa signa, quæ internum consensum significent. Vnde donatio annuli non facit sponsalia, nisi forte ex circumstantiis daterminetur ad significandum hic, & hunc consensum in sponsalia, vt si in aliqua Prouincia secundùm consuetudinem talem consensum significet. Verba autem hæc sunt, *Accipiam te in meam.* vel *Contraham tecum Matrimonium.*

Requisita ad sponsalia

DICO 4. Vt aliqui possint validè contrahere sponsalia, hæc requisita sunt. 1. Vt sufficienter vtantur ratione, 2. Vt nullum habeant inter se impedimentum, siue dirimens, siue tantùm impediens. 3. Vt expleuerint

uerint

uerint ſeptem annos ætatis, aliâs ante hos annos inualida ſunt ſponſalia, *Eſt communis DD.*

Matrimonium impuberum.

Dico 5. Matrimonium impuberum habet ex natura ſua vim ſponſalium, niſi expreſſa contrahentium intentio ſit contraria. Similiter in locis, vbi Tridentinum eſt receptum, Matrimonium clandeſtinum habet vim ſponſalium.

ARTICVLVS II.

Quomodo ſponſalia valeant, & obligent?

Sponſalium obligatio.

Dico 1. Sponſalia directè obligant ad contrahendum matrimonium, quia hoc in iis directè promittitur, idq; ſub peccato mortali, quia eſt obligatio ſtricta, & in re graui.

Præfixum tempus ſeruandum.

Dico 2. Quando certus dies præfixus eſt matrimonio contrahendo, hic ſeruandus eſt, (niſi inter eos poſtea aliter conueniat). Patet quia hoc expreſsè promiſſum eſt, & hæc videtur intentio bona fide contrahentium. Si verò nullus dies certus præfigitur, intelliguntur nuptiæ contrahendæ data proxima commoditate, dicitur in regula 14. juris *ff. de Regulis juris. In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur.*

Peccatum in ſponſalibus quale.

Nota.

Dico 3. Sponſalia obligant ſaltem mediatè ad abſtinendum ab omnibus iis, (excipe ingreſſum religionis, aut ſimilia, quæ jure conceduntur) quæ à conjuge facta eſſent contra fidem matrimonii. Quia ſicut in matrimonio traduntur mutua corpora, ita per ſponſalia promittitur, & traditur jus remotum in ea, contra quod peccant ſponſi, per fornicationem cum aliquo alio habitam. Vnde aliqui DD. dicunt fornicationem ſponſæ, cum aliis commiſſam, eſſe adulterium, vt Palud. *in 4. d. 27. q. 1. a. 3.* Alii dicunt tale peccatum continere in ſe malitiam mortalem diſtinctam à fornicatione, ratione injuriæ, tam in ſponſo, quàm in ſponſa, & maximè in ſponſa, quia exponit ſe periculo concipiendi, & conſequenter ſponſum periculo, ne alienam prolem vt ſuam alat. Alii tenent hanc circumſtantiam non eſſe neceſſariò in confeſſione aperiendam, etiam in ordine ad ſponſam, ſi in tali fornicatione non concepit. Ita Couar: *in 4. decret. p. 1. c. 1. n.* 11. Henriquez *l. 11. de matr. c. 13. n. 4.*

Reſiliens à ſponſalibus ad quid obligatur.

Dico 4. Injuſtè à ſponſalibus reſiliens peccat grauiter, neq; debet à peccatis abſolui; Patet quia in re graui non ſtat promiſſis.

Dico 5. Per ſe loquendo injuſtè à ſponſalibus reſiliens, petente parte debet primò admoneri, vt ſtet promiſsis, & ſi nolit parere, poteſt per cenſuras, aliaq; juris remedia cogi, vt ea impleat, etiamſi ſponſalia

Vuuu non

non sint jurata. Probatur quia judex tenetur suis subditis petentibus jus, hoc non negare, & injuriam iis facientes cogere, vt ab ea desistant, & petentibus jus suum tribuant. Ergo injustè resiliens debet cogi: multò magis debent cogi, quando sponsalia fuerunt jurata, & mulier sub spe matrimonii deflorata, quia in resiliente major obligatio ea implendi. Dixi *Per se loquendo*, quia per accidens, ob grauia incommoda, quæ solent ex talibus coactionibus euenire, (vt quod coactus sæpè fictè contrahat, aut perpetuas rixas habiturus sit.) non expedit tales coactiones adhibere, ne grauius malum inde eueniat, & hoc dicitur *c. Requisiuit 17. de sponsalibus.*

PETES *Cur arrha apponi soleant sponsalibus?*

Arrha cur in sponsalibus dantur.

RESPONDEO. L. *Mulier C. de sponsalibus, & arrhis* statuitur, Primò, vt si is qui arrham accipit injustè à sponsalibus resiliat, duplum restituat, scilicet ipsam arrham, & præterea illius valorem, idq; sine vllo alio contractu. 2. Vt contrahentes possint inter se statuere, vt injustè resiliens reddat arrham, & præterea duplum, aut triplum ejus valorem, non tamen ampliùs. Is autem qui eam tradit injustè resiliens, eam de jure amittit. 3. Vt quis teneatur his pactis, necessarium esse, vt expleuerit 25. annum ætatis, minores verò si injustè resiliant, tantùm ad arrham ipsam obligantur reddendam. 4. Ne justè resiliens, aut arrham perdat, aut si eam receperit, quidquam præter eam soluat. 5. Vt non solùm sponsi, sed etiam eorum parentes, aui, ac proaui, validè pro suis filiis, aut nepotibus ejusmodi conditione arrhas dent, aut recipiant. 6. Vt extra definitionem hujus legis, si cautio pœnam stipulationis continens fuerit interposita, ex vtraq; parte nullas vires habeat, cùm in contrahendis nuptiis libera potestas esse debeat. Porrò datio arrharum sub conditionibus prædictis, valet etiam secundùm jus Canonicum.

Quid significat arrha.

Aduerte. Quòd arrha capitur pro pignore, quod in quouis contractu vnus contrahentium alteri dare solet, in signum complendi contractus, quodué dans perdit, si à contractu resiliat.

ARTICVLVS III.

Quibus modis sponsalia dissoluantur.

Quomodo dissoluuntur sponsalia.

DICO 1. Sponsalia puberum, mutuo contrahentium consensu dissoluuntur. Patet *ex c. 1. de Regulis in 6.* vbi dicitur. *Omnis res per quascunq; causas nascitur, per easdem dissoluitur.* Intellige si natura sua dissolubilis sit, vt sunt sponsalia. Patet quia nullo jure id prohibitum est, vt constat *ex c. de sponsalibus*, inducendi verò sunt sponsi, vt fidem præstitam seruent.

Hæc

Hæc intelligenda sunt etiamsi sint jurata sponsalia: quia hoc juramentum non obligat, nisi in commodum partis, quâ remittente obligationem, tollitur materia juramenti, S. Thom. *2. 2. q. 89. a. ad 2.* & est communis; dummodò libera vtrinq; sit remissio.

DICO 2. Sponsalia impuberum non possunt dissolui, etiam per mutuum eorum consensum, quamdiu impuberes sunt, statim tamen atq; peruenerint ad pubertatem, vterq; potest iis renunciare, & ita dissoluentur. Patet *ex c. de illis 17. de desponsatione impuberum*: & hoc ideò jus decreuit, vt occurratur leuitati puerorum, qui aliàs sæpius diuersa sponsalia contraherent, atq; iterum dissoluerent. Deinde vt subueniatur immaturitati judicii eorum, concessa est renunciatio. Aduerte tamen hic impuberes juramento firmantes sponsalia, non posse reclamare, vt habetur *c. ex literis de sponsal.* *Impuberum*

DICO 3. Sponsalia dissoluuntur per professionem in Religione approbata: quia & matrimonium ratum per eandem dissoluitur, vt patet *ex cap. 2. de Conuers. Conjugatorum*: Item per vota simplicia Religionis & Castitatis, dissoluuntur sponsalia, quia per ea homo est inhabilis ad matrimonium. Vnde regulariter, & absolutè loquendo, licitum esse Religionem ingredi post sponsalia etiam juramento confirmata. Excipe casum, quo aliquis sub promissione matrimonii à Virgine, vel honesta vidua, obtinuisset copulam; tunc enim sine graui illatum damno, ac injuria, non posset iis inuitis Religionem ingredi, neq; licitè posset vouere castitatē, aut Religionē. Sicut inualidè vouerem pauperibus dare pecuniā, quam tenerer dare Petro ratione illati damni, quod aliter reparare non possem. Ita Less. *c. 10. n. 35.* *Sponsalia dissoluuntur per professionem.* *Per vota simplicia duo.*

COLLIGE, Post votum Religionis extorquens copulam à conscia sui voti, aut sine promissione matrimonii, tenetur votum implere. Vide Coninch. *d. 23 d. 3. n. 18.*

DICO 4. Susceptio Ordinum minorum, nullo modo dissoluit, aut impedit sponsalia, siue præcedentia, siue subsequentia, susceptio verò ordinum majorum, impedit, & dirimit, quia reddit suscipientem incapacem matrimonii. Patet quia quando contrahuntur sponsalia, videtur subintellecta conditio melioris status. Atqui status Sacerdotalis est melior. Ergo. Hinc sequitur votum suscipiendi sacros ordines dirimit sponsalia, imò & votum castitatis simplex emissum post sponsalia, est validum, & irritat sponsalia. Ita Coninch. *loco citato n. 25.* Layman *l. 5. t. 10. p. 1. c. 2.* Ratio est, quia tales ex parte sua obligant se ad ea, quæ cum statu matrimonii consistere non possunt. *Ordines qui dissoluunt.*

Matrimonium dirimit.

DICO 5. Matrimonium subsequens dirimit sponsalia præcedentia, ita vt altera pars perpetuò liberetur omni obligatione. Patet ex *c. 1. de sponsa duorum.*

Per sponsalia secunda an dissoluantur.

DICO 6. Si post sponsalia cum prima, sequantur sponsalia cum secunda vna cum copula, dissoluuntur sponsalia priora. Ratio est, quia quando duo contendunt, vnus de lucro acquirendo, alter de damno vitando, huic potiùs fauendum est, quàm primo. Sed secunda fœmina damnum patitur, & id agit, vt damnum euitet, prior verò vt lucrum acquirat. Ergo huic quæ damnum passa est, fauendum potiùs, quàm alteri, quæ nullum, vel leue patitur. Inde

Nota.

COLLIGE 1. Contrahens sponsalia cum secunda sine copula, priori, non autem secundæ est obligatus, & hoc verum est, etiamsi secunda sponsalia juramento confirmârit. Ita *communiter DD.*

COLLIGE 2. Sponsum qui cum alia contraxit matrimonium, hâc mortuâ, teneri priorem volentem, ducere. Ita Vega *l. 6. summa c. 125.* Patet quia obligatio validè contracta per impedimentum superueniens, non tollitur, sed tantùm sopitur: vt patet in eo, qui post votum Religionis contraxit matrimonium, & consummauit, hic mortuâ vxore tenetur Religionem ingredi.

Aduerte hîc obiter, quod quando ex aliquo casu cessant priora sponsalia, an seruanda sint secunda: affirmat Couar: *p. l. de Matr. c. 4. §. 1. n. 10. & alij.* negant Sanchez *lib. 4. q. 8. Sect. 8.* Coninchus *loco citato. dub. 6. Conc. 8.* patet quia si prior nulla fuit obligatio, non est quòd conualescat.

Fornicatio dat jus soluendi.

DICO 7. Fornicatio tam sponsi quàm sponsæ superueniens, dat innocenti parti, jus ea dissoluendi. Patet ex *C. Quemadmodum 25. de jure jurando.* Patet quia fidem frangenti, fides non est seruanda. Si verò vterq; fuerit fornicatus post sponsalia, potest sponsus resilire, sponsa autem non potest. Ita Henriquez *lib. 11. c. 14. n. 6.* Coninchus *d. 27. d. 7. concl. 6. n. 63.* Est contra Bonacinam *q. 1. de matrimonio p. 8. n. 6.* Paludanum *in 4. dist. 27. q. 1. a. 3. n. 17.* asserentium neutrum sponsum posse in tali casu à sponsalibus resilire: quia inquiunt delictum vnius compensatur delicto alterius. Sed non potest in tali casu dari compensatio, quia delicta sunt valdè imparia, longeq; ignominiosiùs est sponso, talem ducere, quàm sponsæ tali nubere: & ex fornicatione sponsæ longè grauiùs damnum imminet sponso, propter incertitudinem secuturæ prolis. Hinc

COLLIGE. Quando sponsa fuit corrupta ante sponsalia, & sponsus credi-

crediderit eam fuisse virginem, cognoscens esse corruptam, potest dissoluere sponsalia. Ita Syluest: *Verbo Sponsalia n. 10.* Henriquez *loco citato n. 6.* quia sponsa multò vilior est, & censetur viro infame talem duxisse.

Dico 8. Multæ sunt aliæ causæ, quæ dant parti jus soluendi sponsalia: quæ facilè possunt cognosci ex hac regula, quam tradunt DD. *Tunc vnam partem posse resilire à sponsalibus, quoties aliquid accidit, quod ei contractum matrimonij reddit notabiliter difficiliorem, ajuntq; omnem illam mutationem esse talem, quàm si prævidissent futuram, nullo modo voluissent contrahere sponsalia.* Quare deformitas sponsæ superueniens. v. c. si amittat oculos, aurem &c. dat parti jus resiliendi. Secùs si viro superueniat, nisi sit valdè excessiua, V. G. si totum nasum perderet: aut si sit periculum, ne ineptus reddatur ad suum opificium exercendum. Item dat jus resiliendi, quando alteruter incurrit lepram, morbum gallicum, epilepsiam, aut similem morbum incurabilem. Item si alteruter incurrat grauem infamiam, si morum peruersitatem induat. Item si alterius partis parentes obstinate contradicant matrimonio, ita vt ex eo contracto periculum sit discordiarum &c. Item jactura fortunarum, quando pars alterutra amissis ferè omnibus fortunis, ex honesto statu ad paupertatem decideret. Item si sponsa ejusuè parentes recusent dare promissam dotem, quia sub ejus conditione sponsalia censentur contracta. *cap. de illis 3. de condition: appositis.* Hæc dicta locum habent in sponsalibus etiam juratis, neq; opus est dispensatione pro juramento: neq; etiam est necessaria authoritas judicis, quando causa dissoluendi sponsalia moraliter est certa, nisi fortè ratione scandali, vt si sponsalia essent publica, & causa occulta, tunc enim coram judice Ecclesiastico deducenda esset; sicut etiam quando non esset satis clarum, causam esse sufficientem.

Regula pro dissolutione sponsalium.

ARTICVLVS IV.

Quinam sint effectus sponsalium?

Dico 1. Vbi Tridentinum non est receptum, sponsalia per copulam inter sponsos habitam transeunt in matrimonium, ex præsumptione Ecclesiæ, si se mutuo affectu maritali agnouerint. Ratio est, quia tales habuerunt, inter se contrahendi animum, & datâ fide, se ad id obligârunt. Vbi verò receptum est Tridentinum irritans matrimonia clandestina, præcedens conclusio locum habere non potest, nisi tam sponsalia, quàm subsecuta copula fierent coram parocho, & testibus, quod fingi potiùs, quàm con-

Effectus sponsalium.

contingere potest. Præterea Conclusio præcedens intelligenda est si habuerunt animum verè contrahendi matrimonium; nam si non cognouerint se affectu maritali, neq; datâ fide per se ad id se obligârint, nullum erit matrimonium, quia hoc sine mutuo consensu de præsenti, nullo modo contrahi potest, vt dicitur *c. vlt. de sponsa duorum.*

Sponsalia an sit materia voti.

Dico 2. Sponsalia contrahere, sicut & matrimonium, non potest esse materia voti: quia etsi hæc contrahere, posset esse actus virtutis, tamen nisi aliunde aliqua vrgeat necessitas, ejus contradictorium, scilicet obseruatio castitatis, semper est Deo gratior.

Ex sponsalibus oritur publica honestas.

Dico 3. Ex sponsalibus validis, & certis oritur jure Ecclesiastico impedimentum publicæ honestatis, dirimens matrimonium cum consanguineis alterius sponsi in primo gradu consanguinitatis tantùm, nimirum cum matre, filiabus ac sororibus ejus. Ita Tridentinum *Sess. 24. c. 3. de reformat. matrimonij.* Excipiunt aliqui casum, quando impedimentum est omninò occultum, & sponsalia sunt publica, quia istud impedimentum ab Ecclesia est indictum ad vitandum scandalum, vt habetur *c. Iuuenis de sponsal.* Hinc

Sequitur 1. Impedimentum hoc non oriri ex sponsalibus omninò irritis. Ita habetur *in 6. c. vnico de sponsalibus.*

Impedimentum publicæ honestatis, contractum ex sponsalibus validis, & certis, non cessat, quando sponsalia dissoluuntur mutuo consensu; quia hoc impedimentum non pendet ex voluntate contrahentium, sed ex decreto Ecclesiæ; quare nec post mortem alterius conjugis dissoluitur hoc impedimentum, vt habetur *c. si quis vxorem.*

Sequitur 3. Impedimentum publicæ honestatis, aliquando posse concurrere cum impedimento affinitatis, V. G. qui celebrauit sponsalia cum Berta, & postea habuit copulam cum sorore Bertæ, neutram potest ducere propter impedimenta dirimentia, non cum sorore Bertæ propter sponsalia, non cum Berta propter impedimentum affinitatis.

QVÆSTIO II.

In hac Quæstione quæram. 1. Quæ sit essentia Matrimonii.
2. An consensus & qualis requiratur ad Matrimonium.
3. Quæ sit materia, forma, & minister Matrimonii.

ARTI-

ARTICVLVS I.

Quæ sit essentia Matrimonii.

In matrimonio sunt tria.

Nota 1. In Matrimonio esse tria, nempè ipsum Matrimonium, contractum ejus, & Sacramentum. Matrimonium est obligatio mutua, vel vinculum indissolubile, ex mutua translatione corporum ortum. Contractus verò, est ille actus mutuus voluntatum translatiuus corporum ad generationem. Sacramentum est signum efficax gratiæ concomitans actum illum. Hæc tria distinguuntur inter se. Primum enim est permanens in animabus conjugum, & est relatio tantùm rationis, quia nihil est ibi, nisi dominium nouum, & noua seruitus per nouam commutationem; sed dominium tale, vel seruitus, nihil reale ponit in domino, & seruo. Contractus verò est tantùm in fieri, & est actio vel passio interior, qui contractus est causa vinculi matrimonii. Sacramentū autem est in fieri, & in facto esse Ita D. *Subt. in 4. dist. 26. q. vnica n.* 16. à qua distinctione tractat cum aliis Theologis, de Matrimonio, vsq; ad dist: 42. non est verò intentum meum, ea omnia quæ ibi tractantur hîc referre, sed solùm breuiter, ea quæ spectant ad contractum matrimonii attingere.

Differentia inter hæc tria.

Quando institutum matrimonium.

Nota 2. Matrimonium institutum est à Deo ante lapsum, Genes. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis. & Crescite, & multiplicamini.* Et hæc institutio est per modum præcepti affirmatiui: ita quod obligat semper, sed non ad semper, sed tempore necessitatis, quo tempore obligaret etiam & Religiosos; si soli superessent ex viris, quia quantùm ad finem religionis, magis facit propagatio ad cultum Diuinum multiplicandum, quàm personalis obseruantia voti; præcepta enim ejusdem rationis, diuina & naturalia qualia sunt hæc, quando concurrunt in eadem materia, & opponuntur, tunc illud præualet, quod magis spectat ad bonum commune, & sublimiùs attingit finem.

Matrimonium Sacramentum quando institutum.

Nota 3. Matrimonium esse Sacramentum institutum Matth. 19. *Quod Deus conjunxit &c.* propriè dictum, & esse alterius rationis, & probationis, à veritate contractus, & obligationis: non fuit autem matrimonium Sacramentum in statu innocentiæ, neq; in lege veteri, vt probat D. Subtilis *loco citato n.* 11. Aliqui dicunt Sacramentum Matrimonii institutum fuisse *Joan.* 2. quando Christus Dominus interfuit nuptiis, *Aliqui ex cap. 5. ad Eph.*

Matrimonium vnde dictum.

Nota 4. Nomen matrimonii desumptum est à matre, eò quòd fœmina matrimonium ineat, vt fiat mater. Dicitur etiam matrimonium, quasi

quasi matris munium, eò quòd fœminæ per contractum matrimonium injungatur officium, & munus educandæ prolis; Deinde matrimonium dicitur *connubium* ab obnubendo, quia vxor in benedictionibus velo quodam quasi nube tegatur. Dicitur *conjugium* eò quòd sponsi strictissimo vinculo conjungantur.

Definitur matrimonium.

Dico 1. Matrimonium est legitimus, & indissolubilis contractus, inter virum, & fœminam, quo traditur, & acceptatur mutua corporum potestas, & noua lege confertur gratia sanctificans. Dicitur *contractus legitimus*, qui à Doct. Subt. appellatur honestus, ad cujus bonitatem circumstantia finis adesse debet, nimirum velle procreare prolem religiosè educandam, & ad ampliandum cultum Diuinum. Dicitur *Indissolubilis*, quia matrimonium semel contractum, non potest dissolui per consensum ipsorum contrahentium, sicut dissolui possunt cæteri contractus, ideò in contractu matrimonii, non valet illa regula, *Res per quas causas nascitur per easdem dissoluitur*, vnde D. Subt: *loco citato n. 7.* inquit. *Personas istas sibi inuicem ad istum finem vinculo indissolubili obligari honestum est.* Dicitur inter virum, & fœminam, id est inter vnum & vnam, *D.* Subt dicit determinatarum personarum, quia concubitus vagus est contra bonum prolis, quod est finis matrimonii, contra bonum familiæ, contra bonum ciuitatis, quod constat *ex Genesi. c. 2. Erunt duo in carne vna.* Et 1. ad Corinth. 7. *Vnusquisq; habeat vxorem suam, propter vitandam fornicationem.*

Institutio Matrimonii

Dico 2. Sacramentum Matrimonii institutum est à Christ. D. in lege noua, illis verbis: *quod Deus conjunxit homo non separet.* Et in veteri testamento Gen. 22. *adhærebit vxori suæ &c.* Et illis verbis Gen. 3. *multiplicabo conceptus tuos.*

Dico 3. Sacramentum Matrimonii est expressio certorum verborum Maris & Fœminæ, ad se inuicem, significantium traditionem mutuæ potestatis corporum ad prolem debitè procreandam, ex institutione Diuina efficaciter significans gratiam conferendam, mutuò contrahentibus ad conjunctionem mutuam animorum, gratiosam. Ita Doct. Subt. *dist. 26. n. 17.*

Matrimonium infidelium.

Dico 4. Matrimonium infidelium est quidam contractus, quem infideles celebrando non peccant: est enim in officium, seu in propagationem, & conseruationem naturæ humanæ, nec non in remedium concupiscentiæ; non tamen est Sacramentum; quia infideles carent baptismo, qui

quæ est janua omnium Sacramentorum. Porrò Matrimonium infidelium post baptismi susceptionem fit *Sacramentum*, quando post baptismum interuenit nouus consensus, vel præcedens ratus habetur per aliqua signa externa; vt per verba, nutus, aut copulam maritalem; neq; opus est, vt hæc ratificatio consensus fiat coram Parocho & testibus; jam enim supponitur matrimonii contractus validè celebratus.

Fuit in præcepto ab initio. Dico 5. Ipso mundi exordio extitit præceptum naturale contrahendi Matrimonium, ad propagationem generis humani. Hoc verò tempore cessat illius obligatio. Si tamen daretur casus quod cæteri homines essent bello, vel peste, extincti, neq; inuenirentur alii præter religiosos, ipsi tunc possent, imò tenerentur matrimonium contrahere; quia votum posthabendum est præcepto naturali. Potest etiam contingere alius casus, vt quando est vnicus hæres Regni, aut status, quo non nubente exorirentur bella, tunc enim ille hæres teneretur vxorem ducere, ad impedienda damna, & incommoda Reipublicæ impendentia.

ARTICVLVS II.

An & qualis consensus requiratur ad Matrimonium?

Consensus expressus requiritur. Dico 1. Consensus expressus requiritur per verba ad Matrimonium. Ita D. Subt. *in 4. d. 27. q. 2. n. 1.* Patet quia aliàs non transferretur potestas corporis in alium, nisi consentiat ipse donans: quia contrahere Matrimonium, est contrahere obligationem, quæ est respectus æquiparantiæ, nec oportet hujusmodi signa fieri à contrahentibus, sed possunt per alios exhiberi, tamen contrahentibus consentientibus.

De præsenti non de futuro necessarium. Dico 2. Consensus expressus per verba, vel signa de præsenti requiritur, non autem de futuro etiam cum juramento. Ita D. Subt. *dist. 28. q. vnica*, vbi docet: quòd propria hujus Sacramenti ratio, siue consistat in verbis, siue in signis aliis, non consistit nisi in signo repræsentatiuo, non autem prognostico; nec intendere pro futuro, est sufficiens intentio in ministro, ad ministrandum Sacramentum: sed oportet quod intendat pro præsenti, sicut signum significat: in Sacramentis enim veritatis, Minister non ministrat idoneè si mentitur. Ergo non est *Sacramentum*, si est consensus de futuro tantùm, propter defectum intentionis Ministri, & mendacium, si vtatur signo repræsentatiuo: si autem vtatur signo prognostico, etsi non mentiatur, tamen deerit intentio requisita, & signum debitum requisitum.

Ecclesia non supplet consensum.

Dico 3. Ecclesia nullo modo potest supplere contrahentium consensum. Patet quia etsi possit Ecclesia disponere de quibusdam rebus hominum externis, etiam inuitis illis, non tamen de corporibus hominum, in ordine ad matrimonium, quia horum nullum dominium habet.

Petes 1. *An simultas consensus vtriusq; Sponsi requiratur?*

Simultas cōsensus qualis.

Respondeo, Non requiri simultatem physicam semper, aliquando verò requiri, & vtrumq; esse pensandum, ex natura contractus, & intentione consentientium, prout temporis circumstantia, & aliæ conditiones adiectæ, transeunt in substantiam actus, vel ab eis abstrahit, ex intentione consentientis, V. G. quando ipsæ personæ contrahunt de præsenti personaliter, consentiens non censetur, nisi ipse id exprimat, consensū alterius expectare, sed absolutè cōsentire hic, & nunc, & pro illo solo tempore. Item si intendat expectare consensū alterius pro aliquo tempore illud tempus etiam limitatur per consensum, vt eo transacto, si determinatum sit, non maneat consensus prior limitatus ex voluntate consentientis ad tempus determinatum, intra quod si alter consentiat, valet contractus. Item, si conditio importatur aliqua per consensum datum, cujus adimpletio exigit moram, & deliberationem, manet prior consensus ex natura, nisi reuocetur per illud tempus, quo expirante non censetur moraliter manere, sicut neq; conditione per partem negatā.

Petes 2. *An consensus coactus sufficiat ad contrahendum validè matrimonium?*

Nota 1. Voluntatem non posse absolutè violentari, quia violentum est totaliter ab extrinseco, & contra inclinationem passi, & velle, sic non potest inesse voluntati saltem per creaturam, quod explicat *D. in 4. d. 39. q. 1. n. 6.*

Metus grauis quis.

Nota 2. Quid sit metus grauis explicat *D. Subt. loco citato.*

Liber esse debet consensus.

Dico itaq; 1. Consensus ad matrimonium debet esse liber, non coactus. Hanc Conclusionem probat *D. loco citato n. 7.* partim à Causa efficiente, quia Deus talem instituit istam translationem summè liberam, vnde non est istud ab Ecclesia determinatum, sed tantùm expressum, partim à causa formali, quia iste contractus est datio, & licèt non liberalis, quia dat, vt detur sibi æquale, est tamen libera datio, quia contra dationis rationem est, quòd non sit libera; partim ex parte finis, quæ est proles procreanda, ex quo nascitur indissolubilitas vinculi. Ad istud competit

petit istam dationem esse liberam simpliciter, quia vt habetur 20. *q.* 3. *Quod quis non diligit facilè contemnit.*

Dico 2. Metus cadens in constantem virum, irritat matrimonium, ex eo contractum, si ad hoc injustè incutiatur, & hoc vt probabiliùs est jure Ecclesiastico. Probatur 1. Quia jura absolutè dicunt, eum qui ita contraxit, validè cum secunda contrahere, liciteq; cum ea permanere, quod falsum esset, nisi primum absolutè in vtroq; foro esset irritum. Probat 2. Quia fauorabilius est matrimonium spirituale, quam carnale. Sed consensus coactus impedit professionem Religionis. Ergo

Metus quis irritat matrimonium.

Petes 3. *An ad contractum matrimonij requiratur consensus sequens rationem non erroneam siue apprehensionem?*

Dico 1. Error personæ jure naturæ reddit contractum matrimonii omninò irritum, imò & sponsalium. Ratio est, quia personæ contrahentium sunt primarium ac essentiale objectum, hujus contractus: sicut empta res in emptione; quia error circa personarum substantiam facit actum omninò inuoluntarium, ac consequenter irritum, nisi fortè errans actu intendat cum proposita persona contrahere. Porrò error solius nominis nihil vitiat.

Error personæ irritat matrimonii

Dico 2. Nullus error solius qualitatis irritat jure naturæ matrimonium. Ratio est, quia contractus matrimonii non versatur circa qualitates, sed circa personas contrahentium, & qualitas solùm se habet per modum rationis motiuæ, aut causæ finalis, & consequenter ejus error facit solùm inuoluntarium secundùm quid, & sic non impedit essentialem consensum. V. G. si quis contrahat cum aliqua persona, putans eam esse virginem, diuitem, nobilem, formosam, cùm sit corrupta, pauper, plebeja, turpis. Excipiunt aliqui casum, quo quis expressè intenderet non contrahere, si talis qualitas personæ insit; sicut in simili, si Episcopus expressè intendat Joannem ordinare, vt nullo modo alium, deficiente enim tali conditione consensus omninò deficiet.

Error qualitatis an impediat.

Petes 4. *Quâ ratione matrimonium inualidè contractum possit postea, validari?*

Nota Matrimonium ob varias causas posse inualidè contrahi. Primò ob defectum consensus, idq; dupliciter, quia nimirum vnus, aut etiam vterq; vel fictè, vel metu injusto consensit. 2. Ob aliquod impedimentum dirimens, 3. Ob defectum præsentiæ parochi, aut testium, juxta Tridentinum.

Matrimonium quando inualide contrahitur.

Nota. Dico 1. Quando matrimonium fuit in facie Ecclesiæ contractum, inualidè tamen ob aliquod occultum impedimentum, non est necesse vt sublato hoc impedimento, iterum coram parocho, & testibus contrahatur, sed sufficit vt clam contrahatur; patet quia ad hoc nulla lex obligat, non enim tale matrimonium est clandestinum, cùm in facie Ecclesiæ probari possit; si autem impedimentum sit publicum, necessarium esse coram parocho, & testibus contrahere: nam ex eo possent sequi plurima incommoda, & scandala.

Inualidum quomodo validatur. Dico 2. Quando matrimonium irritum fuit, aut ex ficto consensu, aut ex coactione, necessarium est, vt sic contrahens, renouet consensum. Ratio est, quia ad matrimonium requiritur consensus, qualis supponitur non fuisse in prædictis casibus. Ergo. hinc

Collige 1. Eum qui fictè contraxit, teneri verè contrahere. Ita *D. in 4. d. 30. q. 1. n. 6.*

Collige 2. Conditio honesta, possibilis de futuro adjecta contractui matrimonii, ipsum suspendit vsq; ad euentum conditionis, quà positâ purificatur contractus, vt *contraho tecum si pater tuus vult*, &c. Et idem est, si sit de præsenti, & præterito: quia sic statim valet contractus, si conditio subsit, aut irritus est si desit. Patet *ex cap. de illis de Conditionibus appositis.*

Nota. Collige 3. Conjugem credentem alteri conjugi asserenti, quòd non consensit in matrimonium, non posse ei reddere debitum, nec ire ad alias nuptias, sed debet deponere scrupulum, si vult vitare perplexitatem, sibiq; suadere quòd alter mentiatur. Ita *D. Subt. loco citato. n. 4. & alij.*

ARTICVLVS III.

Quænam sit materia, forma, & Minister Matrimonii?

Materia quæ. Dico 1. Materia hujus Sacramenti, est traditio corporum ipsorum contrahentium. Seu materia vel fundamentum significationis Sacramentalis, est actus mutuæ translationis, & acceptationis.

Forma quæ. Dico 2. Forma est aliquod signum sensibile, institutum à Deo ad significandum efficaciter gratiam tunc collatam: istud autem signum sensibile, sunt aliqua verba, vel signa, exprimentia mutuum consensum. Porrò forma hujus Sacramenti, est vna vnitate, integritatis, non indiuisibilitatis; quia verba hinc inde, vt sunt expressiua consensus, sunt forma respectu contractus, & respectu Sacramenti; Neq; inconueniens est hoc, vt

vt patet in Sacramento Eucharistiæ, vbi concurrunt plura partialia signa ad integritatem ejusdem Sacramenti, qorum quodlibet habet efficaciam: constat ex D. Subt. *in 4. d. 8. q. vnica.*

Dico 3. Minister hujus Sacramenti sunt ipsi contrahentes, vel per se, vel per parentes (non tamen debent cogi filii, vel filiæ ad Matrimonium, aliâs grauiter peccant, & an sit Matrimonium validum coactum, per parentes, omninò videtur esse irritum) vel per nuncios, seu procuratores, vt constat *c. Finali de procuratoribus in 6.* vbi præscribuntur hæ conditiones. 1. est vt ad hoc habeat speciale mandatum. 2. vt per se exequatur mandatum. 3. vt mandatum non sit reuocatum ante contractum: Sacerdos non est Minister, sed testis.

Petes *Quis sit finis Matrimonii?*

Dico. Principalis finis Matrimonii, quocunq; modo sumpti, est procreare prolem debitè educandam. Secundarius est in remedium vitandæ incontinentiæ, & hoc fortè ex institutione Diuina propter infirmitatem hominis post lapsum, & pronitatem ejus ad istum actum, juxta illud. 1. Corinth. 7. *Hoc autem secundùm indulgentiam dico*, & S. August. *l. de fide ad Petrum c. 3.* *Finis Matrimonii.*

QVÆSTIO III.

De Bonis Matrimonii, & requisitis ejus.

Quæram hic 1. Quænam sint bona Matrimonii.
2. An Matrimonium sit indissolubile.
3. An fuerit aliquando licita Polygamia, & repudium.

ARTICVLVS I.

Quænam sint bona Matrimonii.

Nota 1. S. Aug. *lib. 9. super Genes. c. 7.* dicit nuptiale bonum tripartitum esse, scilicet fidem, prolem, Sacramentum: in fide attenditur, ne post vinculum conjugale cum alio, vel alia coëatur: in prole, vt amanter suscipiatur, religosè educetur: in Sacramento vt conjugium non separetur. D. Subt. *in 4. d. 31. q. vnica n. 2.* impugnat sententiam tenentem, nullum se posse obligare ad actum carnalem, nisi habeat tria bona prædicta. Primò quia in statu innocentiæ fuisset matrimonium, neq; tamen ista bona posita fuissent vt excusantia illum actum. 2. quia non fuerunt hæc in *Bonum matrimonij triplex.*

Matrimonium fuit verum inter B Virginem & S. Ioseph. matrimonio B. Virginis, & Ioseph, & tamen ibi fuit verum matrimonium, quod D. Subt. *d. 30. q. 2. n. 1.* probat authoritatibus *Luca 1. & 2.* Et congruentias affert ex SS. Patribus, & Scholasticis, ex S. Thoma, & ex S. Bonauentura *in 4. dist. 30.* non enim matrimonium præiudicat voto castitatis; vnde contrahentes cum proposito statim vouendi castitatem, validè contrahunt; cùm igitur B. Virgo fuerit edocta à Spiritu Sancto, quòd B. Ioseph nunquam petiturus esset debitum; quare B. Virgo validè vouit Virginitatem, non enim objectum matrimonij est copula, sed potestas ad illam. Tertia Ratio D. contra opinionem citatam, quia magis priuatur homo per somnum vsu rationis, quàm per actum carnalem, quando est honestus, vt in matrimonio.

Bonum intrinsecum matrimonii Extrinsecu. Nota 2. Bonum intrinsecum, seu formam matrimonij pro vinculo sumpti esse indissolubilitatem: bonum verò extrinsecum, seu finem esse duplicem propinquum, & est fides iniustè reddendo, & remotum ac vltimum, & est bonum prolis: horum omnium resolutio constabit ex dicendis.

Fides. Dico Bona matrimonij sunt tria, nimirum fides, proles, & Sacramentum. Patet ex D. Subt. *dist. 31. n. 4.* quia fides, est fidelitas, siue iustitia ad actum, ad quem coniuges mutuò obligantur, & hæc est matrimo-*Proles.* nij bonum extrinsecum sicut finis propinquus, sed minùs principalis. Bonum verò prolis est ejus bonum extrinsecum, vt finis vltimus, sed princi-*Sacramentum.* palis. Porrò Sacramentum, vt hic accipitur est bonum matrimonij primum, & intrinsecum, & forma: quia bonum Sacramenti, seu indissolubilitatis inest formaliter matrimonio: bonum verò fidei, & bonum prolis *Conditiones contra bona matrimonii, irritant matrimonium.* tantùm virtualiter. Quare conditiones contra aliquod ex tribus bonis irritant matrimonium V. G. contra bonum fidei, *Accipio te in meam ita vt non tenear tibi seruare fidem*; fides enim in dando debitum conjugi consistit in hoc, vt negetur alteri, ita vt non tenear tibi seruare fidem, nec affirmatiuè ad reddendum, nisi quando voluero: nec negatiuè, quin possim pro libitu meo alteri conjugi. Contra bonum prolis. *Accipio te in meam, si procuraueris venena sterilitatis, vel consentias mecum in procuratione talium venenorum.* Contra bonum Sacramenti, *Accipio in meam, donec occurrat mihi magis placens.* Rationem assignat D. Subt. *dist. 31. q. 1. n. 9.* quia isti contractus non tenent, nisi sub istis conditionibus, cùm sint conditionales. Sed impossibile est quòd sint matrimoniales sub talibus conditionibus, quæ repugnant contractui matrimoniali, & Diuino præcepto. Porro Sacramentú,

vt est bonum matrimonii, non accipitur pro signo sensibili, sed est quid spirituale in mente contrahentium: signum sensibile est transiens, istud permanens: illud causat gratiam, hoc autem non. *Nota.*

ARTICVLVS II.

An matrimonium sit indissolubile?

DICO 1. Iure Diuino positiuo matrimonium ratum esse perpetuum; excepto casu professionis, quem exemit Christus Dominus à lege insolubilitatis. Ita D. *n.* 7. estq; ferè communis Doctorum. Hoc insinuatur *in cap. ex publico. de conuersione Conjugatorum.* Et *cap. ex parte 2. eodem titulo dicitur.* Sanctus ex diuina reuelatione, quæ superat omnem legem, à matrimonio rato transisse ad statum perfectiorem. Probat D. Subt: Primò, Quia in contractu matrimonii, non est accommodatio, sed permutatio potestatis, non ad tempus, sed perpetua, alioquin non esset verum matrimonium nouæ legis à Christo Domino institutum *Matth.19.* & reuocatum ad primum statum suæ institutionis à principio, excluso repudio, quod in lege Mosaica permittebatur. Probatur 2. Quia matrimonium ratum, non differt à consummato, nisi ratione copulæ: Sed copula non est de essentia matrimonii, sed perfectio accidentalis, Ergo. Et licet verum sit, in matrimonio rato fieri perpetuam permutationem corporum, & non temporariam ex vi legis vniuersalis, & institutionis, & Sacramenti practicè causantis gratiam, & significantis vnionem Christi Domini cum Ecclesia, tamen in fauorem status Religionis, DEus dispensauit, & hanc insolubilitatem relaxauit; congruum enim erat inquit D. Subt: *loco citato n. 8.* minus bonum commutare in majus, & multa extant exempla Sanctorum, vt Alexii, Theclæ &c. de S. Joanne exemplum, quod adducitur ipsum fuisse vocatum à nuptiis non placet Baronio & multis expositoribus S. Scripturæ, cùm non Ioannes ille fuerit, sed Simon Chananæus Apostolus, teste Nicephoro *lib. 8. hist. c. 30.* & sic à jure tempus deliberationis est bimestre. Aduerte hîc esse inter DD. controuersiam. An possit Papa dispensare in matrimonio rato, supposita causa. Aliqui negant, & tribuitur D. Subtili, sed falsò, quia ipse sustinet in matrimonio rato, & in similibus posse Pontificem interpretari legem Diuinam per epicheiam, vt dixi *d. 1. q. 1. a. 3.* Vnde opinio affirmatiua est communior, & practicata.

An matrimonium indissolubile.

Nota de matrimonio rato.

Papa an dispenset in rato.

DICO 2. Matrimonium consummatum est insolubile. Ratio est, quia Christus Dominus noluit inferre præjudiciū graue conjugi aut proli. Tum *Matrimonium con-*

summatum insolubile. Tum quia vinculum matrimonii fortiùs ligat, & ideò vinculum ejus manet etiam in professis, quia indelebile est. Ex his constat, quis sit finis matrimonii, nimirum intrinsecus bonum sacramenti, scilicet vinculum indissolubilitatis. Finis extrinsecus minus principalis, sed proximus, est bonum fidelitatis: alius est magis principalis, nimirum bonum prolis habendæ. Ponitur & alius finis annexus matrimonio, scilicet vitatio fornicationis, quia in statu naturæ lapsæ, non solùm est institutum in officium prolis educandæ: sed etiam in remedium.

ARTICVLVS III.

Vtrum fuerit aliquando licita polygamia, & repudium?

Polygamia in lege veteri concessa. Nota 1. De Polygamia an sit licita. Sciendum procertò est, Deum dispensasse cum patribus veteribus in pluralitate vxorum: *& habetur c. Gaudemus de diuort.* an autem Bigamia fuerit licita jure naturæ, vel jure positiuo? D. Subt. *in 4. d. 33. q. n. 6.* concludit bigamiam non esse jure naturæ irritam; Biuiriam verò contra legem naturæ magis esse asserit quam polygamiam; nam biuiria, non est ad finem principaliorem, id est ad bonum prolis, quia eadem mulier infra idem tempus, à pluribus viris imprægnari non potest, at verò plures mulieres ab vno viro imprægnari possunt, & sic polygamia, in lege veteri licita, & dispensabilis erat. *Biuiria est contra jus naturæ.*

Nota 2. Matrimonium vt est in remedium, est contra legem naturalem plures habere vxores, quia fieret, primæ vxori injuria, vt autem matrimonium est in officium, non est aliqua ratione contra legem naturalem: quia pluralitate vxorum, natura hominis consequitur suum finem, scilicet speciei generis humani multiplicationem.

Repudium in lege Moysis fuit licitum. Nota 3. Repudium in lege Mosaica fuisse licitum, probat D. Subt. *in loco citato. q. 3.* quià quos Moyses separabat, Deus approbabat, & hæc opinio est fere communis Theologorum, & Canonistarum: quia completa justitia non est in ista commutatione, vel contractu matrimoniali, nisi ex ratificatione diuina, licet ante in ea inueniatur illud, quod sufficit ad justitiam ex parte commutationis, & commutantium: nam propter majus malum vitandum, quàm sit bonum indissolubilitatis conjugii, potest Deus dispensare, vt fiat contractus ad tempus, donec mulier displiceat viro, & in hoc saluatur justitia aliqualiter. Aduerte tamen hic, esse sententiam grauium Theologorum, repudium in lege veteri non fuisse licitum, sed tantùm propter duritiam Judæorum permissum.

Nota 4.

Nota 4. Bigamia (id est irregularitas ex defectu significationis sacramenti) non tollitur per baptismum. *Ita D. Subt. loco citato q. 2. n. 2.* congruum autem est bigamum esse irregularem, quia non potest repræsentare Christum vnicum sponsum vnius sponsæ Ecclesiæ. Ex his notandis facilè resoluitur difficultas in articulo proposita. *Bigamia.*

Petes *Quænam sint causæ diuortii?*

Dico 1. Licet adulterium non sit causa sufficiens faciendi diuortium, quoad vinculum, nihilominùs est causa sufficiens diuortii, quoad torum, & habitationem, tam respectu viri, quàm fæminæ; nam frangenti fidem fides seruanda non est. *Adulterium causa diuortii.*

*D*ico 2. Conjux innocens potest secluso scandalo priuatâ authoritate facere diuortium ab adultero, siue delictum sit publicum, siue occultum. Ratio est, quia jure naturæ frangenti fidem nulla debetur fides: in foro tamen externo cogetur ad conjugem redire, donec de adulterio constet. *Conjux innocens potest facere diuortium.*

Collige. Conjuges qui contraxerunt inualidè, propter impedimentum dirimens, posse in conscientia facere diuortium, priuatâ authoritate, modò absit scandalum, quod potest vitari, si alter conjugum in longinqua se recipiat. *Nota.*

Dico 3. Conjux innocens tenetur aliquando sub peccato mortali cum vxore adultera facere diuortium. 1. *S*i ex illo diuortio speret emendationem, & fructum: cum enim vir sit caput mulieris, tenetur corrigere delinquentem. 2. Vt vitet scandalum, ne ipse existimetur conscius, & fautor delicti, si alia ratione, quàm per diuortium obuiam ire scandalo non possit. *Diuortium sub peccato faciendum.*

Dico 4. In quibusdam casibus non licet propter conjugis adulterium, facere diuortium. 1. quando vterq; conjux commisit adulterium: paria enim delicta mutua compensatione abolentur. 2. Quando vir dedit causam vxori proximam adulterandi, aut quando conscius adulterii non vult prohibere cum possit. 3. Quando vxor per vim passa est stuprum. 4. Quando vxor commisit adulterium tantùm materialiter, rata se habere copulam cum proprio viro. 5. Quando conjux innocens alteri condonauit adulterium. *Quando illicitum diuortium.*

Dico 5. Conjux innocens, facto diuortio, potest cogere adulterum, vt ad se redeat: quia sententia diuortii, lata est in pœnam adulteri, & in fauorem innocentis: modò alterutrius status non sit mutatus, vel in *Nota.*

Yyyy suscе-

susceptionem Ordinum, vel in professionem in Religione, cum licentia Episcopi.

Nota. Dico 6. Conjux adulter occultus potest petere debitum ab altero conjuge, ignorante suum adulterium: quia ipse non tenetur suum delictum manifestare, nec pœnam subire ante sententiam judicis.

Causæ sufficientes ad diuortium. Dico 7. Causæ sufficientes ad faciendum diuortium ad tempus, quoad torum, & habitationem, sunt hæ. 1. est sæuitia mariti, præsertim si retinet concubinã, hæc enim est multarum rixarum seges. 2. Quando alter conjugum tentauit alterum occidere. 3. Quando delictum alterius conjugis potest esse alteri causa, grauis damni, vt si vxor sit venefica. 4. Si vnus sit alteri causa lapsus in infidelitatem, vel hæresim. 5. Votum emissum communi consensu: facto verò diuortio jure ciuili filii sequuntur partem innocentem.

Dico 8. Sodomia tam actiua quàm passiua, & bestialitas, est causa sufficiens diuortii, in vtroq; conjuge.

QVÆSTIO IV.

De Impedimentis Matrimonium dirimentibus.

Impedimenta dirimentia. Impedimenta Matrimonii alia sunt dirimentia & impedientia, alia non dirimentia, sed impedientia: de prioribus in hac Quæstione, de posterioribus in sequenti inquirendum.

Dirimentia secundùm jus antiquum sunt 12. & duo juxta jus nouum in Concilio Tridentino adjecta *Sessione 24. c. 1. & 6.* quæ omnia breuiter his versiculis describuntur, & breuiter explicantur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.
Si sis affinis, si fortè coire nequibis.
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis.
Raptaue sit mulier, nec parti reddita tuta.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Triplex error. *Quantùm ad errorem.* Nota Triplex est error in Matrimonium cadens. 1. circa substantiam seu personam, vt si quis ducat Bertam credens esse Catharinam. 2. Circa conditionem, vt si quis ducat seruam, quam puta-

putabat esse liberam. 3. Vt si quis ducat pauperem, vel defloratam, ratus esse diuitem, aut virginem.

Dico 1. Inualidum est matrimonium contractum cum errore circa substantiam, jure positiuo, & naturali; quia cum isto errore non subsistit consensus; nihil enim magis est contrarium consensui, quàm error. *Circa personam seu substantiam.*

Dico 2. Matrimonium contractum cum errore circa qualitatem, non est inualidum: hic enim error non impedit voluntarium, quoad naturam & substantiam rei; modò qualitas circa quam erratur, non fuerit apposita in contractu per modum conditionis. V. G. *Duco te in uxorem si es diues &c.* tunc enim error circa qualitatem irritaret matrimonium. *Circa qualitatem.*

Dico 3. Matrimonium contractum cum errore circa conditionem, non est inualidum, quando persona cum qua contrahitur, est æqualis, aut melioris conditionis. V. G. seruus contrahens cum serua quam putabat esse liberam, aut contrahens cum libera, quam putabat esse seruam, validè contrahit, quia nulla hic est inæqualitas, vel injuria. *Circa conditionem.*

Quantùm ad Conditionem. Dico Si conditio errantis fiat deterior; vt si liber contrahat cum serua, quam putabat esse liberam, inualidum est matrimonium, nisi post cognitam seruitutem, interueniat nouus consensus & copula affectu maritali. *Conditio.*

Quantùm ad votum Nota 1. *Votum est voluntaria, & deliberata promissio soli Deo facta*, quam definitionem explicaui, sicut & totam materiam de voto in Typo veræ Religionis Quæstione. 4. *Votũ quid?*

Nota 2. Votum aliud est simplex, aliud solenne. Porrò ratio voti solennis, juxta D. Subt. *in 4. d. 38. q. vnica. n. 2.* in hoc consistit, quod habeat annexam quandam Ecclesiæ institutionem, ratione cujus debet in publicum venire, & sic vouens alterius potestati subiicitur; & tale votum tantùm fit in professione tacitâ, vel expressâ in Religione approbata; & in susceptione majorum Ordinum, omne autem votum quod non est his duobus modis solennizatum est votum simplex. ita definitum est *cap. vnico de voto in 6.* *Votum duplex.*

Dico 1. Votum castitatis emissum per professionem validam in Religione approbata, dirimit Matrimonium etiam consũmatum, contractum post professionem. Est de fide, definitum in Concil. Viennensi. *Votum solenne dirimit.*

Dico 2. Professio facta in Religione approbata, dirimit Matrimonium celebratum ante ipsam professionem, modò non sit consummatum; *Professio dirimit Matrimonium.*

Ita Tridentinum *Seß. 24. cap. 4.* Atq; ita licebit Bertæ V. G. quæ nupserat Petro, post conjugis professionem factam ante Matrimonium consummatum, alteri nubere, non tamen ante professionem illius. Quod vt intelligas. Nota. Vtriq; conjugi post contractum Matrimonium, sed nondum consummatum, concessum fuisse spatium duorum mensium ad deliberandum de ingressu Religionis, quo tempore potest alter alteri petenti negare debitum, & Religionem ingredi etiam altero inuito, elapso verò bimestri, peccat non reddendo debitum petenti. Si tamen post bimestre Religionem ingrediatur, & profiteatur ante consummatum Matrimonium, validè profitetur, & post professionem factam dissoluitur Matrimonium.

Nota.

Quando inualida professio.

Dico 3. Inualida est professio, quam alter conjugum emisit bona fide, etiamsi crediderit alterum periisse; propterea professus postquam cognouit alterum esse superstitem debet ad illum reuerti illiq; reddere debitum petenti; ipse tamen petere non poterit; quia hæc professio, licet inualida, habet vim simplicis voti. Porrò in casu perpetui diuortii, potest conjux innocens ingredi Religionem, & validè profiteri, aut Sacros Ordines suscipere, altero inuito. Vide Bonac. tom. 1.

Dico 4. Potest vterq; conjux post consummatum Matrimonium, de communi consensu ingredi Religionem, & profiteri, aut continentiam vouere. Neque opus est, vt vterq; ingrediatur, & profiteatur simul; tamen post alterius professionem, tenetur alter ingredi & profiteri, cum non possit in sæculo manere, nisi sit prouectæ ætatis, & continentiæ votum emittat de consensu Episcopi.

Nota.

Collige. Religiosus qui post votum emissum Matrimonium iniret, incurreret ipso facto excommunicationem, *Clem. 1. de Consanguinitate & affinitate.*

Cognatio est triplex Naturalis.

Quantùm ad Cognationem. Nota. Cognatio est triplex, Naturalis, Spiritualis & Legalis. Cognatio naturalis, est conjunctio multorum per dependentiam, aut ad se inuicem, & dicitur in linea recta, in qua impedimentum consurgit ex omni gradu in infinitum. Aut à communi capite (& dicitur linea transuersalis, & impedit ad quartum gradum inclusiuè) secundùm sanguinem. Alia est Cognatio spiritualis, quæ contrahitur in Sacramentis Baptismi & Confirmationis, vt dixi supra *de Baptismo quæst. 4. a. 7.* Legalis Cognatio contrahitur per adoptionem alicujus in filium; hoc autem impedimentum nascitur inter ipsum adoptantem, & adoptatum, & filios, nepotesq; adoptati vsq; ad quartum gradum; inter filios adop-

Spiritualis.

Legalis.

adoptantis & adoptatum, & inter vxorem adoptantis & adoptatum, vxoremq; adoptati & adoptantem. *c. vnico de Cogna. legali.*

Inter consanguineos inualidum Matrimonium.

DICO 1. Inualidum est jure Ecclesiastico matrimonium celebratum inter consanguineos, intra quartum gradum inclusiuè, tam in linea recta quàm in transuersali. At jure naturæ Matrimonium in linea recta est irritum in primo tantùm gradu. Jure autem Diuino prohibitum olim fuit *Leuitici 18.* matrimonium in primo & secundo gradu, sed modo non est inualidum in secundo gradu jure diuino; quia lex vetus fuit abrogata. Quare Matrimonium contractum ab infidelibus in secundo gradu, etiam lineæ rectæ, validum est; quia infideles non subsunt impedimentis jure Ecclesiastico inductis.

Quatuor crimina dirimunt.

DICO 2. Initio mundi Matrimonium Fratris cum Sorore fuit validum, propter necessitatem naturæ humanæ conseruandæ imò in casu extremæ necessitatis potuisset contrahere Pater cum Filia, vel Mater cum Filio.

Quantùm ad Crimen. Dico Matrimonium dirimentia quatuor sunt Crimina. Primum si adulter promittat adulteræ, se illam ducturum mortuo viro. 2. Cum vir & fæmina conueniunt ad occidendum conjugem, vt inter se contrahant, & de facto occidunt. 3. Cum vnus conjugum occidit alterum animo contrahendi cum altero, etiam ignorante. 4. Cum quis post Matrimonium ratum cum vna, contrahit & consummat cum alia sciente. De primo habetur. *c. significasti de eo qui duxit vxorem.* De secundo *cap. Laudabilem de conuers. conjug.* De tertio *in cap. super hoc de eo qui polluit.* De quarto *cap. veniens.* Vnde vt hoc crimen homicidii inducat impedimentum dirimens jure Ecclesiastico, hæ conditiones requiruntur. 1. Vt Maritus occidat vxorem, vel vxor maritum. 2. Vt vir & Fæmina, qui matrimonium contrahunt, conspirauerint in necem conjugis occisi. 3. Vt hæc conspiratio facta fuerit in hunc finem, vt mortuo conjuge conspirantes possent inter se matrimonium inire. 4. Vt mors sequatur. Porrò adulterii crimen, vt inducat impedimentum dirimens, requiritur adulterium cum homicidio, vel adulterium cum matrimonio, vel adulterium cum promissione matrimonii.

Conditiones requisitæ.

Nota.

Cultus disparitatis.

Quantùm ad Cultus disparitatem. Nota Impedimentum disparitatis cultus, est inter duos, vnum baptizatum, alium non item. Si conjuges infideles conuertantur, debent in suo matrimonio, non contra jus naturæ contracto, permanere. Si verò alter conuertatur, requirere debet alterum, an con-

an conuerti etiam velit, aut cohabitare absq; Creatoris offensa, & si renuat, contrahere potest pro libito; quia primum Matrimonium solutum est. Porrò inter fidelem, & hæreticum validum est, licet illicitum; vbi Concil. Tridentinum est receptum, in quibusdam tamen locis, hoc est consuetudine receptum: vt in Germania, Polonia, Gallia, vide Bonacinam. *tom. 1. pagina. 283. n. 2.*

Vis an impediat.

Quantùm ad Vim seu metum grauem. DICO, Matrimonium celebratum per metum grauem, est inualidum jure Ecclesiastico, modò metus sit iniustè incussus. In Concil. verò Trident. *Sess. 24. c. 9.* lata est excommunicatio contra dominos temporales, magistratus, & alios, qui cogunt subditos, vel alios quoscunq; ad matrimonia.

Ordo major dirimit.

Quantùm ad Ordinem. DICO I. Ordines Majores iure Ecclesiastico dirimunt matrimonium subsequens, ratione voti solennis annexi. Ita Trident. *Sess: 24. Can. 9.* Porrò Græcis Sacerdotibus, nunquam licuit matrimonium contrahere, permissum tamen est Græcis jam conjugatis suscipere Sacros Ordines, & vti matrimonio ante susceptos ordines celebrato.

Ligamen dirimit jure naturæ.

Quantùm ad Ligamen. DICO Ligamen consurgit ex matrimonio rato, & multò magis consummato: qui enim viuente coniuge cum alio contraheret, inualidè contraheret: ligamen enim dicitur vinculum prioris matrimonii, quo durante posterius matrimonium est inualidum, non modo iure Ecclesiastico, sed etiam naturali, & Diuino, res enim vni tradita, non potest ampliùs alteri tradi. Et Matth. 19. dicitur. *Quicunq; dimiserit vxorem suã, & aliã duxerit mœchatur.* Quare Prælatis incumbit, ne permittãt matrimoniũ contrahi, donec certus nuncius de morte alterius perferatur.

Impedimentum publicæ honestatis.

Quantùm ad publicam honestatem. NOTA Impedimentum publicæ honestatis sic appellatur, eò quod æquum sit propter publicam honestatem, & decentiam, vt matrimonium inter aliquas personas impediatur, quæ factæ sunt sibi propinquæ ob sponsalia, vel matrimonium. Vnde ex sponsalibus validis, & certis, oritur jure Ecclesiastico impedimentum publicæ honestatis, dirimens matrimonium cum consanguineis in primo gradu, alterius sponsi. vnde si quis post sponsalia celebrata cum Berta, matrimonium contraheret cum illius sorore, vel matre, vel filia, inualidè contraheret. Præterea impedimentum publicæ honestatis, consurgit etiam ex matrimonio rato, vsque ad quartum gradum. Vndè vir mortua vxore ante consummationem matrimonii, non potest ducere consanguineam vsq; ad quartum gradum.

Quan-

Quantùm ad affinitatem. NOTA Affinitas est vinculum, seu propinquitas, Orta ex carnali copula licita, vel illicita: quando enim vir, & fœmina se carnaliter cognoscunt, fiunt affines cum consanguineis alterius, in eo gradu, in quo sunt ipsi consanguinei inter se. Consanguinei vtriusq;, non fiunt inter se affines, propterea duo fratres ducere possunt duas sorores. DICO I. Affinitas dirimit matrimonium jure Ecclesiastico, siue consurgat ex copula licita, siue illicita; Ex copula tamen licita oritur impedimentũ dirimens vsq; ad 4. gradum, ex illicita verò vsq; ad secundũ gradũ. *Affinitas dirimit matrimonium.*

COLLIGE Affinitas propriè non oritur ex matrimonio rato, non cõsummato, nam ad inducendã affinitatẽ requiritur seminis effusio intra vas.

Quantùm ad impotentiam. DICO Impotentia perpetua antecedens matrimonium, dirimit matrimonium, jure Ecclesiastico, & naturali, ex quacunq; causa proueniat; quia cum impotentia perpetua conjuges fieri non possunt vna caro, & matrimonium ordinatur ex sua natura ad copulã, quæ redditur impossibilis per impotentiam perpetuam; & hæc impotentia, vel est naturalis, vel ex maleficio: ad naturalem adhibenda remedia naturalia, ad illam quæ ex maleficio supernaturalia; hæc impotentia si præcedat, dirimit matrimonium *c. vltimo de frigidis*, si verò superueniat matrimonio consummato, non vitiat. Ita *DD. in* 4. *d.* 34. *Impotentia quid.*

CONCIL. Trident; addidit duo impedimenta dirimentia, raptum, & absentiam Parochi. *Sess. 24.*

Quantùm ad raptum. DICO Inter raptorem & raptam, quamdiù est in potestate raptoris, non potest esse matrimonium validum, si raptus fiat causa matrimonium contrahendi, non si fiat causa libidinis; aut si rapta non consentiat. *Raptus impedit.*

Quantùm ad matrimonium clandestinum. DICO. Inualidatur matrimonium, si desit præsentia Parochi, & testiũ. Ita Trid. *Sess. 24. c. 1. de Refor.* Et hoc meritò, quia Ecclesia potest adimere libertatem ineundi matrimonium, nisi seruatis quibusdam solennitatibus, ad propulsandam injuriam, & pericula contractus, & adulteria, & irreuerentiam Sacramenti. Bannæ non omittendæ *Præsentia Parochi & testium.*

QUÆRES *An conjuges teneantur sibi reddere debitum?*

DICO I. Ex contractu matrimonii oritur in vtroq; conjuge obligatio iustitiæ ad reddendum debitum conjugale, alteri serio petenti, nisi iustam habeat causam non reddendi, quia illud debetur ex iustitia: iusta autem causa est notabilis infirmitas, aut probabile vitæ periculum. *Debitum debet reddi.*

culum. Excusat quoq; paupertas à peccato mortali, quando conjugibus res familiaris est adeò arcta, vt plures filios, vel filias alere non possint. *Possunt* tamen conjuges de communi consensu abstinere à copula, ne prolis numerus augeatur, secluso incontinentiæ periculo.

Quando potest non reddi.

Dico 2. Obligatio reddendi debitum non vrget, nisi ad illud reddendum, & complendum debito modo V. G. si petatur in loco publico, vel sacro, ista enim circumstantia reddit actum vtriq; conjugi illicitum. Præterea si petatur modo indebito quoad situm, nisi adsit iusta causa ob quam excusetur; vel si non sit periculum effundendi semen extra vas debitum. Petenti viro, non est denegandum tempore menstrui, si periculum sit incontinentiæ in viro. *Est communis, contra graues, & antiquos DD.*

Dico 3. Contrahens bona fide matrimonium, postea cognoscit ex impedimento dirimente irritum esse, non potest ante dispensationem debitum reddere, aut petere.

QVÆSTIO V.

Quænam, & quot sunt impedimenta tantum impedientia matrimonium?

Impedimenta tantùm impedientia.

Respondeo. Duodecim, quæ non dirimunt, sed tantùm impediunt contrahendum, quæ his versiculis continentur.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriarum.
Atq; Catechismus, sponsalia, iungito votum.
Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris.
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis.
Vel si pæniteat solemniter, aut monialem.
Accipiat. &c.
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Ecclesiæ vetitum.

Primum est Ecclesiæ vetitum, id est, prohibitio Ecclesiæ, ne tales personæ in particulari contrahant inter se, maximè quando dubium est, an sit inter eos aliquod impedimentum.

Tempus feriarum.

2. *Est tempus feriarum* scilicet ab initio aduentus, vsq; ad diem Epiphaniæ, & à die cinerum vsq; ad octauam paschæ inclusiuè, quod tempus incipit à media nocte dierum nominatorum. *Ita Trid. Sess. 24. cap. 10.*

3. Catechi-

3. *Catechismus*, qui dicitur à κατηχίζω sed hoc videtur esse sublatum per Tridentinum *loco citato c. 2. de reformat.* Ita Sanchez *l. 7. d. 10. num. 17.* *Catechismus*

4. *Sponsalia*, illicitè enim contraheret ille cum alia, qui contraxerat priùs sponsalia cum prima: Ita habetur *cap. preterea 1. de spons.* *Sponsalia. Vota simplicia.*

5. *Est votum simplex religionis, & castitatis c. Rursus qui cler. vel vou.* votum simplex castitatis est illud, quod non est vestitum illa solennitate instituta ab Ecclesia, quæ adhibetur in voto solemni: vnde D. Subt. *in 4. d. 38. n. 5.* docet peccare mortaliter eum qui post votum simplex contrahit matrimonium, neq; talis potest petere debitum, nisi priùs obtineat dispensationem, reddere autem petenti debet, quia ad hoc obligatus est vinculo fortiori; mortuò verò conjuge altero, iterum etiam post dispensationem, votum reuiuiscit, nisi penitùs tolleretur, in primo toro, vel ante primas nuptias. *Incestus.*

6. *Impedimentum impediens solùm, est incestus* cum consanguinea conjugis in 1. & secundo gradu; similiter incestus cum affine in gradu prohibito, vsq; ad quartum gradum, talis enim non potest contrahere matrimonium, quamuis incestus sit occultus, cum quacunq; alia *c. si quis*, nisi cum eo dispensetur, aliâs contrahens contrahet quidem validè, sed illicitè, *33. q. 2. c. Si quis cum duabus.*

7. *Raptus sponsatæ*, id est alienæ sponsæ, quando nimirum aliquis sponsam alterius de præsenti causa libidinis explendæ, sponso renitente, de loco in locum abducit: quòd si sponsa consentiat idem impedimentum incurrit: tales enim impediuntur ad contrahendum, nedum secum, sed etiam cum quocunq; alio vel alia, Ita Trident *Sess. 24. cap. 6.* *Raptus sponsatæ.*

8. *Mors mulieris*, quando aliquis occidit propriam vxorem, talis enim cum alia contrahere non potest, *33. q. 2. c. interfectores*, hoc impedimentum tantùm impedit contrahendum, non tamen dirimit contractum, nisi occidat eam intentione contrahendi cum adultera, tale enim est dirimens. *Vxoris homicidium.*

9. *Susceptio proprij filij de fonte sacro:* eo animo, vt contrahat cognationem cum vxore, ne debitum reddat, mortua vxore, non potest cum alia contrahere, *c. de eo 30. q. 1.* *Susceptio prolis.*

Occisio presbyteri. 10. *Mors presbyteralis*, quando aliquis occidit Sacerdotem, & est conuictus, *c. Qui presbyterum de pænit. & de remiß.*

Publica pœnitentia. 11. *Publica pænitentia, dum durat, c. de his.*

Matrimonium cum moniali. 12. *Matrimonium scienter cum moniali contractum*, in hoc enim casu non solùm inualidè contrahit cum moniali, verùm etiam impeditur, nè ampliùs contrahere possit. *27. q. 1. c. Si ergo qui.*

Nota. NOTA, Septem vltima non obligare docet Coninchus. *d. 30. dub. 3. n. 23.* qui iis irretiti sine vlla dispensatione, videntibus Prælatis contrahunt: at verò Bonacina dicit sic contrahentes peccare mortaliter maximè vbi lex in vigore viget, & dispensationes rogantur.

QVÆSTIO VI.

Quinam poßint dispensare in impedimentis matrimonii.

Impedimenta naturalia indispensabilia. DICO 1. Nullus potest dispensare in impedimentis jure naturæ matrimonium dirimentibus, quæ autem sint impedimenta talia, *dixi præcedenti* Quæstione.

Pontifex potest in omnibus Ecclesiastici juris. DICO 2. In omnibus impedimentis, jure humano positis, potest Summus Pontifex dispensare. Ratio est, quia ipse habet supremam potestatem in terra.

Episcopi quando dispensant. DICO 3. Episcopus non potest ordinariè dispensare in impedimentis dirimentibus. Quia ita Pontifices, & Concilia Generalia decreuerant. Aduerte tamen hîc, Episcopum aliquandò in his impedimentis ob necessitatem ex tacitâ Pontificis concessione pro foro conscientiæ dispensare posse, quando impedimentum est occultum, nec sine scandalo potest fieri separatio, nec patet recursus ad Pontificem, vel Nuncium ob conjugum paupertatem: vel quia sine euidenti grauissimoq; peccandi periculo non potest dispensatio differri. Ita Lessius *l. 2. cap. 40. num. 123.* Coninchus *d. 33. d. 3.* Syluest. *V. dispen. quæst. 9.*

Ratio est, quia meritò præsumitur, Pontificem id tacitè approbare. Hinc.

Sequitur, *Posse* Episcopum ex justa causa dispensare in voto non nuben-

nubendi, suscipiendi sacrum Ordinem, ingrediendi Religionem non approbatam, in voto castitatis temporali: non tamen in absoluto voto castitatis aut Religionis approbatæ, nisi in certis casibus; eandemq; potestatem habent plurimi Confessarii Religionum Mendicantium, vt patet ex compendio priuilegiorum Fratrum Minorum *num.* 115. Vide Lessium *lib.* 2. *c.* 4. *dist.* 18. *num.* 134. Coninchus *dist.* 33. *d.* 3.

Dico 4. Ad dispensationem in matrimonio requiritur causa justa, & spectans ad bonum commune, nam si desit causa justa, dispensatio est inualida, V. G. ad sopiendas lites, ad conseruationem illustris familiæ, vel ne amplissimæ opes deberent ad alteram familiam deuolui. *Dispensationis debet esse causa.*



Dico 5. In impedientibus tantùm impedimentis, Papa dispensare potest, imò & Episcopus, si justa subsit causa, excepto voto castitatis, & Religionis absoluto. *Est communis Doctorum.*

Aduertant hic Confessarii quando inueniunt impedimentum dirimens, debent cautè procedere, & à viris doctis consilium, quid facto opus sit petere: quia diuortia incauta, magnum scandalum generant, & bella, litesq; excitant, vt experientia ipsa testis, etiam in Regno Poloniæ.

Dico 6. Quando à Sacra pœnitentiaria conceditur facultas dispensandi, cum aliquo in impedimentis matrimonii, delictum debet esse occultum, neq; deductum ad forum contentiosum, valetq; dispensatio tantùm in foro conscientiæ. *Notent Confessarii priuilegiati.*

Dico 7. Parochus seu alius Sacerdos, non potest matrimonio jungere eos, quos nouit extra confessionem obstrictos esse aliquo impedimento etiam occulto, quamvis illi publicè petant matrimonium, aut negent impedimentum. Si verò nouit ex Sacramento Confessionis, aliquem habere impedimentum dirimens, non potest matrimonium denegare. *Notent Parochi.*

FINIS.

ORATIO ET CONCLVSIO.

DOmine JEsu Christe Redemptor ac Saluator noster qui in Ecclesia tua Sancta, septem lucernas lucidißimas, id est septem Sacramenta, instituisti; fac nos tua irradiante luce perfusos, verè quæ agenda sunt prosequi, & fugienda pro amore tuo declinare, ne cruciatibus jure mancipemur æternis, sed iis, quæ promißa sunt misericorditer potiamur in cælis, Amen.

Soli Deo Honor, & gloria, Latriæ.
Beatissimæ Virgini Mariæ, Hyperduliæ.
Omnibus Sanctis Duliæ.

Hæc omnia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ est magistra veritatis, judicio, examini, & correctioni, ex animo subiicio.



*** *** ***

INDEX RERVM MEMORABILIVM,

Quæ in hoc opere continentur.

Quo-

Baptismi

Iteratio Baptiſmi.

De ſubjecto Baptiſmi.

Reserua-

Causa Causare.

Censura.

Cessatio à Diuinis.

Character.

Chrisma.

Christus.

Christo

Obu-

Confirmatio.

Conscientia.

Contractus.

Contritio.

Corpus.

Corpori

Quis

Initio

Manente

Extrema Vnctio.

F.

Fæmina.

Finis.

Intentio.

Intellectio.

 dere

Hirurgi

Impedimenta tantùm impedientia. Matrimonium.

Meritum & Mereri.

Motus

P.

Peccatum.

Peccati Macula.

De Peccatorum reditu in recidiuante.

Panis.

Panis

Sacer-

Raptus.

Remissio Peccati.

Reseruatus Casus.

Reser.

Expli-

De Efficacia, & Causalitate Sacramentorum.

De Ministro Sacramentorum.

De suscipientibus Sacramenta.

Requi-

Satisfactio. ibidem.

An pos-

FINIS.

Errata Typographica.

Increbile.	*folio 19.*	*legè incredibile.*	*Versu 14.*
Causatia.	*folio 33.*	*lege causatiua.*	*Versu à fine 5.*
Profidens.	*folio 31.*	*lege prouidens.*	*Versu 12.*
Dependat.	*folio 43.*	*lege dependeat.*	*Versu 12.*
Creta.	*folio 53.*	*lege certa*	*Versu à fine 7.*
Lutu.	*folio 61.*	*lege luto.*	*Versu 11.*
Ablutis.	*folio 71.*	*lege ablutio.*	*Versu 5.*
Asisterint.	*folio 97.*	*lege astiterint,*	*Versu à fine 9.*
Parrato.	*folio 184.*	*lege par ratio.*	*Versu 3.*
Ergo.	*folio 200.*	*lege Ego.*	*Versu à fine 5.*
Facienea.	*folio 266.*		
Nobis.	*folio 413.*	*lege Vobis,*	*Versu Vltimo.*
Frustus.	*folio 565.*	*lege fructus,*	*Versu à fine 9.*
Substantia	*folio 602.*	*lege subsistentia.*	*Versu à fine 10.*

Sunt & multi alii errores, quos benignus Lector, industriâ judicioq; corriget suo.



